




SVRIVS

—

HISTORIAE SEU VITAE SANCTORUM

SVRIVS

HISTORIAE SEU VITAE SANCTORUM

JUXTA OPTIMAM COLONIENSEM EDITIONEM

NUNC VERO EX RECENTIORIBUS ET PROBATISSIMIS MONUMENTIS

NUMERO AUCTAE MENDIS EXPURGATAE ET NOTIS EXORNATAE

QUIBUS ACCEDIT

ROMANUM MARTYROLOGIUM BREVITER ILLUSTRATUM

TAURINENSI PRESBYTERO E CONGREG. CLERR. REGG. S. PAULLI CURANTE


OPUS

ILLUSTR.MO AC REV.MO

D. D. LAURENTIO GASTALDI

ARCHIEPISCOPO TAURIN.

DICATUM



VOL. XI.

NOVEMBER

AUGUSTAE TAURINORUM

EX TYPOGRAPHIA PONTIFICIA ET ARCHIEPISCOPALI

EQ. PETRI MARIETTI

MDCCCLXXIX

NOVEMBER

ORATIO SANCTI EPHRAEM *

DIACONI ECCL. EDISSENAE

DE SANCTISSIMAE DEI MATRIS LAUDIBUS

QUAM NOS IDCIRCO PRIMO LOCO MENSIS HUJUS POSUIMUS CUM IIS QUAE EODEM AUCTORE MOX SEQUUNTUR, QUOD IN HONOREM MATRIS DEI ET OMNIUM SANCTORUM MARTYRUM, HODIERNA SOLEMNITAS ANTE MILLE FERE ANNOS CELEBRATA EST.

§ 1. Intemerata prorsusque pura, Virgo Deipara, Regina omnium, spes desperantium, Domina mea gloriosissima, eademque optima, sublimior coelicolis, purior Solis radiis et splendoribus, honoratior Cherubin, et polyommatis (id est, multoculis) spiritibus, sanctior Seraphin, et nulla comparatione caeteris omnibus superis exercitibus gloriosior, spes Patrum, gloria Prophetarum, Apostolorum praeconium, et honor Martyrum, Sanctorum laetitia, et lumen studiosorum Abraham, Isaac et Jacob, decus Aaron, Mosis splendor, et Gedeon vellus, Hierarcharum coetus, et omnium sanctorum ac virginum corona, ob fulgorem inaccessa. Acerra aurea, lucerna micantissima, urna coeli manna gestans, tabula scriptam legem ferens mortalibus, arca vera, charta divinissima, omnium princeps, circumspecta et lucifera Virgo, consolatio sanctissima, et omnium dux, sacratissima puella.

§ 2. O rube incombuste, et patens praedium, et viridans Aaron illius virga. Virga profecto extitisti, et flos Filius tuus. E radice David et Salomonis germinavit Christus noster creator, Deus et Dominus omnipotens, altissimus et solus. Tu, quoad corpus, Deum et Verbum genuisti: virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Claves non excussit Deus creator tuus in tuo virginali utero, absque semine carnem indutus, te, o celeberrima, talem praeservans, qualis extiteras ante partum. Per te reconciliati sumus Christo Deo meo, Filio tuo. Tu peccantium et auxilio destitutorum adjutrix. Tu portus procella vexatorum, solatium mundi carcere clausorum liberatrix celeberrima. Tu orphanorum

* S. Ephraemi Vita in Vol. II Surii nostri continetur.

susceptio, tu captivorum redemptio, tu aegrotantium exultatio, et omnium salus. Tu solitariorum stabilimentum, et spes mundanorum. Tu virginum decus, corona et gaudium. Tu mundi laetitia, o Domina princeps, Regina praestantissima, et perquam benedicta, puella veneranda, dominorum domina purissima. Sub alis tuis custodi me, et protege. Miserere mei, qui sum luto inquinatus, qui sceleribus quamplurimis creatorem Deum meum et judicem offendi, ne adversus me glorietur satanas exitiosissimus, ne in me exsurgat execrandus inimicus meus, ne servum tuum a tui spe destitui cognoscam, ne calumnietur me detrectantium lingua. Non mihi alia fiducia, o Virgo sincera. Ex ulnis equidem maternis tibi, Domina mea, deditus sum miserabilis, et cliens tuus vocatus sum: ne malevolus satanas me ad infernas portas abducat. Tu enim meus portus, o Virgo inviolata, et praesens auxiliatrix. Denique sub tutela et protectione tua totus sum. Crebris lacrymis te, o celeberrima Mater, imploro, et advolvor tibi, Domina mea, suppliciter clamans, ne dulcis Filius tuus, et vitae omnium dator, ob multa, quae patravi, scelera tollat me de medio, et miseram animam, ceu leo, diripiat, vel velut sterilem ficum infelicem me excidat. Sed obsecro, ut Christum meum adeam, et subeam aulas illas beatorum, ubi non sunt lacrymae, non vexatio, non molestia, non mors, non tormenta, non locorum angustiae: sed laetitia inexhausta, voluptas justorum, deliciae et exultatio, gloria et splendor. Imple os meum gratia dulcedinis tuae. Illumina mentem, o gratia plena. Move linguam meam et labia ad laudes tibi alacri et laeto animo canendas, et praecipue melos illud Angelicum celebratissimum, quod Gabriel in Nazareth servili habitu ad te Virginem et Matrem Dei mei integerrimam clamans cecinit, salutationem maxime congruam, et dignissimam, mundi salutem, cunctarumque animarum tutelam.

§ 3. Dignare, Virgo, te tuum servum laudare, et dicere: «Ave Dei splendidissimum et luculentissimum vas; ave Domina Maria gratia plena; ave in mulieribus Virgo beatissima; ave stella fulgentissima, ex qua Christus prodiit; ave illustrissima lux, Mater et Virgo; ave, quae mirifice Regem omnium peperisti; ave, per quam nobis Sol praeclarissimus illuxit; ave Domina cunctis sublimior; ave canticum Cherubin, et hymnus Angelorum; ave pax, gaudium et salus mundi; ave generis humani laetitia; ave patrum praeconium, et prophetarum decus; ave martyrum pulcritudo, et corona sanctorum; ave piorum gloria, et in solitudine degentium hymnus; ave praeclarissimum hierarcharum coelestium ornamentum; ave hymnigraphorum omnium oratio; ave praestantissimum orbis terrae miraculum; ave terrigenarum omnium delectatio; ave paradise deliciarum et immortalitatis; ave lignum vitae, gaudium et voluptas; ave vallum fidelium, et mundi

salus; ave tranquille portus, et a fluctibus agitatorum liberatrix; ave nostra periclitantium auxiliatrix; ave progenitoris illius Adam resurrectio; ave jucunda libertas; ave omnium parens; ave flos gratiae et consolationis; ave refugium peccatorum et hospitium; ave propitiatorium laborantium; ave refugium in Jerosolymis; ave throne mei creatoris gloriosissime; ave aevi splendor illustrissime et micantissime; ave spes omnium proborum, adversis casibus afflictorum; ave conversorum refugium; ave virorum justa mulierumque Regina et tutela; ave mundi mediatrix gloriosissima; ave universi terrarum orbis conciliatrix; ave Domina, sceptrum fidelibus tuis impetrans; ave gloria et laetitia omnium sacerdotum; ave Virgo solatium solitariorum; ave porta coelorum, ascensus omnium; ave reseramentum portarum paradisi; ave, quae moerores sedasti, adornatrix omnium; ave eadem, quae leniisti oppressorum molestiam; ave clavis coelorum, et regni Christi; ave portus optime hujus vitae nautarum; ave animae meae spes bona et fida; ave Christianorum omnium firma salus; ave lumen praefulgens, quo mundus illustratur; ave mater Christi filii Dei vivi; ave nostra genitorum protectio luculenta et gloria; ave, quae nullo spatio comprehensum in sinu comprehendisti; ave, quae Christum vitae datorem educasti, Christum pientissimum omnium creatorem, Deum, dulcem Jesum meum, altorem mundi, hominum amantissimum, omnipotentem Patrem meum, cui competit gloria, honor et potestas in secula, laus et magnificentia, cum aeterno Patre et Spiritu Sancto nunc et semper, et in secula seculorum.

§ 4. Precibus Dei Genitricis semper Virginis, et exercitus coelestium, ac coetus Angelorum, Cherubin, Seraphin, Prophetarum, Martyrum, Hierarcharum, sanctorum studiosorum intercessionibus, et omnium beatorum supplicationibus, miserere tuae creaturae, Deus mi clementissime. A dexteris in hora judicii colloca humiles servos tuos. Ne, o Domine vitae auctor, ad opera, quae nos mortales legem praevaricati commisimus, adspexeris: quin potius adspice ad mitissimam humanitatem et misericordiam tuam, Amen.

EJUSDEM S. EPHRAEM

ORATIO AD SS. DEI GENITRICEM

Immaculata, impolluta, incorrupta, pudica Virgo, Dei sponsa, Domina nostra, quae Deum Verbum hominibus mirifica tua conceptione conciliasti, et rebellem humani generis naturam coelestibus consociasti, unica spes desperatorum, oppressorum

subsidium, et ad te currentium auxilium praesentissimum, omnium denique Christianorum profugium, me scelestum peccatorem, et foedis meis cogitationibus, verbis, factis factum vilissimum, atque adeo voluptatum mollitiem animo servili et abjectó amplexatum, ne averseris, quaeso: quin potius sicut humanissimi Dei Mater es, ita me peccatorem humaniter suscipe, et meam sordidissimam, indignisque labiis expressam orationem admitte, necnon tuum quidem Filium, meum autem herum et Deum, materna autem liberalitate volens exora, ut mihi quoque mitissima illa suae pietatis viscera reseret, et posthabitis innumerabilibus peccatis meis, ad poenitentiam me convertat, probeque sua complere mandata concedat. Adsis mihi semper, Virgo misericors, clemens et benigna, in praesenti quidem vita fervens protectrix et auxiliatrix, hostiles impetus repellens, et me deducens ad salutem, ac in supremo vitae momento miseram meam animam conservans, et tenebrosos malorum daemonum adspectus ab ea procul àbigens: in terribili autem die judicii ab aeterna damnatione me liberans, postremo inaccessae tui Filii et Dei gloriae me haeredem efficiens. Quam per intercessionem, favoremque tuum, Domina mea sanctissima, Dei Mater, te etiam atque etiam oro, assequi valeam, gratia, miseratione et humanitate Unigeniti tui Filii Domini et Dei ac Salvatoris nostri Jesu Christi, cui convenit omnis gloria, honor et veneratio cum aeterno ejus Patre, et sanctissimo optimoque vitae auctore Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

SERMO EJUSDEM S. EPHRAEM

DE LAUDIBUS SS. MARTYRUM

AMBROSIO CAMALDULENSI INTERPRETE.

§ 1. Insipiens, imperitus, rudis pictor et horridus, pulcherrimam spectatoribus proponere imaginem cupit, eamque lucentem ac splendidam cunctis ostendere, id est, sanctorum Martyrum pugnam. Sed cum dignis ea imagine coloribus careat, nec adsit manus, quae in ea effigie lineamenta perfecta insignire valeat, quo pacto praęsumet iners àtque rudis excedentem virium suarum modum, imaginem, vel ornare coloribus, vel spectantibus ad intuendum proponere? Quoniam igitur suam non ignorat inertiam, neque suae humilitatis oblitus est hujusmodi opifex, in oratione prosternitur, deprecans Dominum omnium Regem Christum, ut qui Martyribus suis inter certamina donavit vires, atque

inter pressuras tolerantiam contulit, ut varias astuti inimici artes, et callidum ingenium vinceret, coronamque immortalem et immarcescibilem raperent, ipse Deus bonus, pius, sanctus, rudi artifici et imperito sapientiam, intelligentiam ac virtutem praestet, quibus imaginem pulcherrimam atque dignissimam possit erigere, sanctorumque Martyrum gloriosa certamina, spectanda omnibus posthac generationibus atque admiranda proponere: ut posteri addiscant praeclaram patientiam, eximiamque constantiam sanctorum bellatorum. Fuerunt enim profecto nobilissimi et constantissimi propositi, nimiumque laudabiles. Nam cum persecutionis saevissimae fervor, Christiani gregis strages plurimas daret, omnesque timidi ac fide imbecilles certare renuerent, Christumque Dei Filium confiteri poenarum metu detrectarent, fortissimi isti milites Christi instaurarunt aciem, et conserto bello summis viribus fuderunt hostem, victoriaque potiti sunt. Accincti enim lumbos suos fide integra atque perfecta, interriti Christum Dominum, ingentique constantia confitebantur. Qui vero formidine ac pavore superati, terga hosti dederunt, coelesti regno seipsos abdicarunt. Miseri profecto atque miserabiles, quos tepor atque socordia, tanta gloria fecit indignos.

§ 2. Stabant igitur certaminis tempore fortissimi bellatores Dei, tormenta omnia summa animi alacritate tolerantes pro nomine Unigeniti Filii Dei, ac Salvatoris nostri Christi. Quam vero strenui, quantaque laude fortitudinis praediti fuere, qui subjecta oculis horrenda supplicia contra se parata, non modò nihil timuerunt, verum majori quoque constantia pugnantes, cuncta tolerando superarunt? Cernebant ardentem rogum, ignitas sartagines, ollasque ferventes, quae fervore nimio guttas picis et adipis longius jaculabantur. Adspiciebant item ferratas et aculeatas rotas inter ignium globos nimia celeritate versari. Intuebantur ferreos ungues, laminasque candentes, fustes, vectes, aculeos, terebra, compedes atque catenas, omnemque prorsus artem, quam inimicus veritatis adversus confessores Domini Salvatoris invenit. Omnia enim poenarum genera in conspectum martyribus hostis callidus dedit, ut in formidinem verteret sanctos, et adspectu ipso ac terrore poenarum, lingua non amplius confiteri Dominum Jesum, metu impedita, praesumeret.

§ 3. Quid autem fidelissimi promptissimique bellatores Christi, inter hujusmodi ante oculos exposita horrenda, inauditaque supplicia? Promptiores effecti, majore fiducia atque constantia indubitanter et intrepide ante tribunalia judicum ac Praefectorum, Christum Dominum confitebantur. Non stridens flamma, non ignitae sartagines, non ollae ferventes, non rotarum horrendae vertigines, non ardentes laminae, non unguium dentes, non caetera id genus tormenta, non còmpedes, non catenarum pondus immensum, non tyrannorum minae, non principum fremitus,

non ars tota diaboli, ministrorumque ejus exterruit fortissimos milites Christi, non impulit abnegare pietatem, non a charitate Dei et Salvatoris abduxit: sed praecincti fide, conculcarunt machinas omnes inimici, neque illos omnino formido tentavit. Vidisti servorum fidelium robur? Vidisti gloriam pugilum Christi atque constantiam? Vidisti alacritatem ingentem, coeleste regnum tota fide quaerentium, Christumque Regem suum omni affectu ambientium? Vidisti fidem perfectam veraciter perfectorum? Vidisti charitatem flagrantem in beatissimi pectoribus Martyrum, pro qua terrena cuncta spreverunt, ut Deum suum tenerent, quem dilexerunt? Vidisti affectum Christi, quomodo a terra sublimat exaltari cupientes? Vidisti exultantem paradisum amplecti ac fovere sui quosdam avidos milites Christi, in aeterna luce ac pace gaudentes?

§ 4. Accede, mi frater carissime, pertracta, considera Martyrum gloriosos triumphos. Adspice oculis cordis coelestium pugilum eximiam fidem, inviolabilemque pietatis affectum. Non valuit vis immensa poenarum justorum animos flectere: tam intrepidae charitatis ardorem nec mors ipsa quivit extinguere. Caesi, magno cum gaudio flagrorum ictus, ut summas delicias, suscipiebant: serenaque ac ridenti facie gratias Deo referebant, quia meruerant pro ipsius nomine pati. Quibus ego vos laudibus praedicem, o perfecti milites Christi? Aut quomodo appellem vos, inclyti atque beatissimi Viri? Quis vestrae fidei laudes explicare sufficiat? Obstupuit nempe oratorum facundia: Philosophorumque sapientia, dum cernerent mirabilia in Christi famulis fieri. Judicibus ac tyrannis verba defecerunt, sanctorum Martyrum constantiam et alacritatem, immensamque athletarum Christi tolerantiam adspicientibus. Nam dum lictorum manus eorum membra torquèrent, visceraque nudarent, non moerentes adspexere, non tristes, nec solum inter cruciatus gemitum non edentes, verum laetiore facie gaudia interna testantes. Quippe illis ea erant tormenta pro requie, et carnifices obsequi potius, quam saevire, videbantur.

§ 5. Nos autem, fratres, quam, obsecro, apud Deum in die judicii excusationem habituri sumus, qui sine persecutionis atrocitate, et cruciatibus variis, charitatem Dei, vitamque nostram ita negligimus, ac tanto corporis somno demersi sumus? Martyres ecce vexati, afflicti, tentati, exquisitisque tormentis cruciati, Deum ex toto corde, totaque mente dilexerunt. Nullis tentationibus, nullis, gravissimis licet, acerrimisque, suppliciis flecti potuit tanta constantia. Nullis persequentium terroribus divinae charitatis ardor in sacris pectoribus quivit obtundi. Nos vero in requie atque deliciis, benignissimum Deum ac Dominum nostrum diligere volumus. Quid igitur acturi, quid dicturi sumus in die illa terribili, cum beatissimi Martyres, prope solium gloriae

magna cum gloria et confidentia adstantes, ostendent cicatrices vulnerum, atrociumque poenarum in suis corporibus lucentes, fulgoremque Solis sua claritate vincentes? Nos quid nam ibi fratres, ostensuri sumus? Quas virtutes praeferemus? Num charitatem Dei? Num inviolabilem fidem? Num terrenorum omnium nuditatem? An forte tranquillitatem? An quietem? Num eleemosynas? Num miserationis affectum? An mansuetudinem? An orationes mundas? An compunctionem salutarem? An vigilias? An lacrymas? Beatus sane felixque est, quem illic ista comitantur. Nam erit profecto tunc Martyrum socius, neque a coelesti et pleno luminis thalamo abjicietur, sed eandem habebit confidentiam coram Christo Domino et Angelis ejus his operibus fretus, gloriamque nihilo martyribus inferiorem.

§ 6. Precamur, beatissimi Martyres, pro Domino Salvatore, proque illius charitate sponte et impigre tormenta subiistis, atque ideo familiarius Domino conjuncti estis, ut pro nobis miseris, et peccatoribus, et negligentiae squalore sordentibus, Dominum interpellare dignemini, ut superveniat in nos gratia Christi, quae corda nostra radio sanctae charitatis illustret, ut ipsum toto corde diligere possimus. Vos nempe vere beati atque gloriosi estis, quos Angeli et homines pari consensu beatos praedicant. Nam pressurae tempore, cum poenarum dolor augeretur, vos ante mentis oculos paradisum habebatis, vobiscum ista reputantes: « Multiplicentur hic supplicia corporis, ut illic in paradiso voluptatis propagetur et requies. » Cumque in altum se attollerent fluctuum montes, et moles undarum per supplicia passionum, beatitudo vobis a Deo repromissa jugiter versabatur ante oculos, perfecte credentibus non posse mentiri Deum, qui ista promiserat. Quoniam igitur futura illa et sempiterna bona jugiter intuebamini, certi vos eis sine fine fruituros, idcirco, beatissimi, flecti mollirique non potuit vestra constantia. Laeta et exultans futurorum exspectatio; fortes vos ac robustissimos fecit. Itaque horis singulis nova vobis admoveri acriora supplicia cupiebatis, neque satiari poenis poteratis. Vidit vos truculentus arbiter securos, fidentes, intrepidos in agone persistere, nullamque poenarum acerbitatem, nullos verberum ictus, nullas carnificum manus omnino formidare, fractasque suae nequitiae vires obstupuit ac doluit. Ubi vero cruciatus omnes, o fortissimi athletae Dei, immensa virtute vicistis, arbitrabatur insanus Judex, per ferri metum robur vestrae constantiae in formidinem posse convertere, negaturosque Christum putavit, quem toto animi affectu concupistis, quique in cordibus vestris, ut in purissimo gratissimoque domicilio inhabitabat. Ignorabat amens, fore, ut ipsius gladius, qui immensos sanguinis rivos, strictus in Sanctorum jugulum, fuderat, sibi imprimis pararet necem, ut ipsis pii cruoris undis suffocaretur infelix. Ajebat autem militibus suis, victus atque

confusus: « Timeo ac trepido vehementer hunc sanguinem, qui de caesorum pro Jesu Nazareni nomine cervicibus manat. Se invicem hortantur ad mortem, pro ipsius confessione subeundam. Terret me tanti ipsorum cruoris effusio, neque ad momentum, ante tantum discipulorum Christi consensum, tantamque concordiam fidei consistere possum. Poenitet jam me facti mei, mallemque adversus eos non concitasse principum animos. Ecce enim illorum sanguis me undique exagitat. En sanguinis odor meas exsolvit vires, ac nequeo penitus illuc intendere aciem, ubi discipulorum Jesu ossa inhumata jacent. »

§ 7. Haec sunt, o formosi Milites Christi, insignia vestrae victoriae. Ista, o athletae probatissimi, perfectique divini proelii bellatores, vestrae fidei ac fortitudinis praemia. Istae vestrae victoriae, haec gloriatio vestra. Mors vestra perennem vobis peperit vitam. Conspexere sapientes stragem vestram, ac in stuporem conversa est illorum sapientia, attonitique ad alterutrum dicebant: « Vere magnus est Christianorum Deus, in quem illius discipuli ita crediderunt, ut ab ejus fide nullis suppliciis amoveri possint, Saepe autem et tortores ipsi, beatorum tanta permoti constantia. Christum venerabiliter adoraverunt, factique sunt in timore Dei ac fide perfecti, tolerantiâ maxime Martyrum et exhortationibus, quibus se mutuo in ipso ardore certaminis ad passiones tolerandas animabant, provocati. Vidistis, fratres, divini consensus eminentiam? Vidistis, dilectissimi, charitatem Dei, membra sua inter labores passionesque roborantem? Nam sancti illi se invicem in ipso certaminis fervore ad perferendos pro fide Christi cruciatus hortabantur, pusillanimesque consolabantur, ut ipsi quoque illorum servi una cum dominis in sancto certamine martyrii corona donarentur. Nos contra, mali atque perversi, invicem invidemus, invicem comedimus, invicem mordemus ob immanitatem nequitiae nostrae. Age igitur, sanctorum Martyrum esto discipulus. Si te illis in disciplinam tradas, erunt tibi praeceptores optimi, discesque ab illis nulla ratione passionibus cedere; disces ab eis perfectam fidem, charitatem Dei, ingentemque miserationis affectum, ac futurorum desiderium. Hi enim ardentem rogum virtute Dei et fide perfecta vicerunt. Vince igitur et tu semper ardentes noxiae concupiscentiae flammas. Varios illi cruciatus tolerando superarunt, spe, quae est in Christo, subnixi. Tu quoque turpes omnes passiones, pudicitia et cogitatione pietatis admota, superare contende. Vicerunt illi tyrannos per modestiam et longanimitatem. Vince tu quoque iracundiae tyrannidem, eisdem armis instructus. Illi aperte martyres fuere; tu in occulto martyr esto perfectus. Illi palam consummavere certamen; perfice et tu in occulto certamen, ut in die retributionis cum ipsis coroneris, atque in coelesti regno illorum gloriae socius inveniaris, atque una sempiterno gaudio fruaris. »

§ 8. **Nunc igitur**, o beatissimi Viri, o gloriosissimi Martyres Dei, **me miserum** vestris juvate precibus, ut in illa hora misericordiam consequar, quando manifesta erunt occulta hominum. Ut pincerna inutilis ac rudis vobis effectus sum, o sanctissimi Martyres. De vino vestri certaminis inclyti, filiis ac fratribus fidei vestrae poculum tradidi. De praeclara mensa vestrae victoriae, omnigenis instructa epulis, patres ac fratres, propinquosque vestros, quotidie mensam vestram adeuntes, toto animi affectu recreare contendi. Nam ecce psallunt, Deumque cum exultatione glorificant, qui virtutis vestrae sacratissima capita coelestibus coronis honoravit, summoque cum gaudio circumstant certaminis vestri reliquias, benedici cupientes, ac secum referre sancta animae corporisque remedia. Omnes ergo benedicite, ut boni discipuli benignissimi Domini et Salvatoris nostri. Ego item imbecillis, accepto vestris meritis ac precibus robore, cecini tota devotione animi ante sanctas reliquias vestras hymnum vestrae laudis et gloriae. Pro me igitur misero ante thronum majestatis assistite, ut vestris precibus salvari merear, ac vobiscum aeterna beatitudine perfrui, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui est cum Patre et Spiritu Sancto honor et gloria in secula seculorum, Amen.

BEATI PETRI DAMIANI

SERMO IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

§ 1. Hodie dies serenior arrisit nobis, et sol solito lucidior terris illuxit. Non enim unus, sed universi Sancti sanctificant eam, et splendoribus irradiant luminosis. Spectabilis illa coelorum solemnitas, quae non annuis, sed continuis gaudiis inclarescit; ubi lumen videtur in lumine, et ipsius Trinitatis substantia beatis oculis, oculo ad oculum aperitur. Ibi cognoscitur Gignentis, Genitique, et Procedentis ratio sempiterna, quae hic credi potest, comprehendi non potest. Illic Regina virginum virginibus innumeris comitata, mansiones perambulat Angelorum, et utrisque naturis gloriam ejus admirantibus dicit: « Quid me admiramini? Divinum est mysterium hoc, quod cernitis: divinum profecto, non humanum, nec humanis unquam rationibus comprehensum. » Ibi numerosus Angelorum exercitus sacratis divisionibus, insplendescit, et volitatorio delectatus obsequio, non velat, sed revelat Domini majestatem. Illic Patriarcharum electio primitiva, reverenda societas Prophetarum, gloriosus Apostolorum chorus, purpurea Martyrum multitudo, congregatio florida

confusus: « Timeo ac trepido vehementer hunc sanguinem, qui de caesorum pro Jesu Nazareni nomine cervicibus manat. Se invicem hortantur ad mortem, pro ipsius confessione subeundam. Terret me tanti ipsorum cruoris effusio, neque ad momentum, ante tantum discipulorum Christi consensum, tantamque concordiam fidei consistere possum. Poenitet jam me facti mei, mallemque adversus eos non concitasse principum animos. Ecce enim illorum sanguis me undique exagitat. En sanguinis odor meas exsolvit vires, ac nequeo penitus illuc intendere aciem, ubi discipulorum Jesu ossa inhumata jacent. »

§ 7. Haec sunt, o formosi Milites Christi, insignia vestrae victoriae. Ista, o athletae probatissimi, perfectique divini proelii bellatores, vestrae fidei ac fortitudinis praemia. Istae vestrae victoriae, haec gloriatio vestra. Mors vestra perennem vobis peperit vitam. Conspexere sapientes stragem vestram, ac in stuporem conversa est illorum sapientia, attonitique ad alterutrum dicebant: « Vere magnus est Christianorum Deus, in quem illius discipuli ita crediderunt, ut ab ejus fide nullis suppliciis amoveri possint, Saepe autem et tortores ipsi, beatorum tanta permoti constantia. Christum venerabiliter adoraverunt, factique sunt in timore Dei ac fide perfecti, tolerantiâ maxime Martyrum et exhortationibus, quibus se mutuo in ipso ardore certaminis ad passiones tolerandas animabant, provocati. Vidistis, fratres, divini consensus eminentiam? Vidistis, dilectissimi, charitatem Dei, membra sua inter labores passionesque roborantem? Nam sancti illi se invicem in ipso certaminis fervore ad perferendos pro fide Christi cruciatus hortabantur, pusillanimesque consolabantur, ut ipsi quoque illorum servi una cum dominis in sancto certamine martyrii corona donarentur. Nos contra, mali atque perversi, invicem invidemus, invicem comedimus, invicem mordemus ob immanitatem nequitiae nostrae. Age igitur, sanctorum Martyrum esto discipulus. Si te illis in disciplinam tradas, erunt tibi praeceptores optimi, discesque ab illis nulla ratione passionibus cedere; disces ab eis perfectam fidem, charitatem Dei, ingentemque miserationis affectum, ac futurorum desiderium. Hi enim ardentem rogum virtute Dei et fide perfecta vicerunt. Vince igitur et tu semper ardentes noxiae concupiscentiae flammas. Varios illi cruciatus tolerando superarunt, spe, quae est in Christo, subnixi. Tu quoque turpes omnes passiones, pudicitia et cogitatione pietatis admota, superare contende. Vicerunt illi tyrannos per modestiam et longanimitatem. Vince tu quoque iracundiae tyrannidem, eisdem armis instructus. Illi aperte martyres fuere; tu in occulto martyr esto perfectus. Illi palam consummavere certamen; perfice et tu in occulto certamen, ut in die retributionis cum ipsis coroneris, atque in coelesti regno illorum gloriae socius inveniaris, atque una sempiterno gaudio fruaris. »

§ 8. Nunc igitur, o beatissimi Viri, o gloriosissimi Martyres Dei, me miserum vestris juvate precibus, ut in illa hora misericordiam consequar, quando manifesta erunt occulta hominum. Ut pincerna inutilis ac rudis vobis effectus sum, o sanctissimi Martyres. De vino vestri certaminis inclyti, filiis ac fratribus fidei vestrae poculum tradidi. De praeclara mensa vestrae victoriae, omnigenis instructa epulis, patres ac fratres, propinquosque vestros, quotidie mensam vestram adeuntes, toto animi affectu recreare contendi. Nam ecce psallunt, Deumque cum exultatione glorificant, qui virtutis vestrae sacratissima capita coelestibus coronis honoravit, summoque cum gaudio circumstant certaminis vestri reliquias, benedici cupientes, ac secum referre sancta animae corporisque remedia. Omnes ergo benedicite, ut boni discipuli benignissimi Domini et Salvatoris nostri. Ego item imbecillis, accepto vestris meritis ac precibus robore, cecini tota devotione animi ante sanctas reliquias vestras hymnum vestrae laudis et gloriae. Pro me igitur misero ante thronum majestatis assistite, ut vestris precibus salvari merear, ac vobiscum aeterna beatitudine perfrui, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui est cum Patre et Spiritu Sancto honor et gloria in secula seculorum, Amen.

BEATI PETRI DAMIANI

SERMO IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

§ 1. Hodie dies serenior arrisit nobis, et sol solito lucidior terris illuxit. Non enim unus, sed universi Sancti sanctificant eam, et splendoribus irradiant luminosis. Spectabilis illa coelorum solemnitas, quae non annuis, sed continuis gaudiis inclarescit; ubi lumen videtur in lumine, et ipsius Trinitatis substantia beatis oculis, oculo ad oculum aperitur. Ibi cognoscitur Gignentis, Genitique, et Procedentis ratio sempiterna, quae hic credi potest, comprehendi non potest. Illic Regina virginum virginibus innumeris comitata, mansiones perambulat Angelorum, et utrisque naturis gloriam ejus admirantibus dicit: « Quid me admiramini? Divinum est mysterium hoc, quod cernitis: divinum profecto, non humanum, nec humanis unquam rationibus comprehensum. » Ibi numerosus Angelorum exercitus sacratis divisionibus, insplendescit, et volitatorio delectatus obsequio, non velat, sed revelat Domini majestatem. Illic Patriarcharum electio primitiva, reverenda societas Prophetarum, gloriosus Apostolorum chorus, purpurea Martyrum multitudo, congregatio florida

confusus: « Timeo ac trepido vehementer hunc sanguinem, qui de caesorum pro Jesu Nazareni nomine cervicibus manat. Se invicem hortantur ad mortem, pro ipsius confessione subeundam. Terret me tanti ipsorum cruoris effusio, neque ad momentum, ante tantum discipulorum Christi consensum, tantamque concordiam fidei consistere possum. Poenitet jam me facti mei, mallemque adversus eos non concitasse principum animos. Ecce enim illorum sanguis me undique exagitat. En sanguinis odor meas exsolvit vires, ac nequeo penitus illuc intendere aciem, ubi discipulorum Jesu ossa inhumata jacent. »

§ 7. Haec sunt, o formosi Milites Christi, insignia vestrae victoriae. Ista, o athletae probatissimi, perfectique divini proelii bellatores, vestrae fidei ac fortitudinis praemia. Istae vestrae victoriae, haec gloriatio vestra. Mors vestra perennem vobis peperit vitam. Conspexere sapientes stragem vestram, ac in stuporem conversa est illorum sapientia, attonitique ad alterutrum dicebant: « Vere magnus est Christianorum Deus, in quem illius discipuli ita crediderunt, ut ab ejus fide nullis suppliciis amoveri possint, Saepe autem et tortores ipsi, beatorum tanta permoti constantia. Christum venerabiliter adoraverunt, factique sunt in timore Dei ac fide perfecti, tolerantiâ maxime Martyrum et exhortationibus, quibus se mutuo in ipso ardore certaminis ad passiones tolerandas animabant, provocati. Vidistis, fratres, divini consensus eminentiam? Vidistis, dilectissimi, charitatem Dei, membra sua inter labores passionesque roborantem? Nam sancti illi se invicem in ipso certaminis fervore ad perferendos pro fide Christi cruciatus hortabantur, pusillanimesque consolabantur, ut ipsi quoque illorum servi una cum dominis in sancto certamine martyrii corona donarentur. Nos contra, mali atque perversi, invicem invidemus, invicem comedimus, invicem mordemus ob immanitatem nequitiae nostrae. Age igitur, sanctorum Martyrum esto discipulus. Si te illis in disciplinam tradas, erunt tibi praeceptores optimi, discesque ab illis nulla ratione passionibus cedere; disces ab eis perfectam fidem, charitatem Dei, ingentemque miserationis affectum, ac futurorum desiderium. Hi enim ardentem rogum virtute Dei et fide perfecta vicerunt. Vince igitur et tu semper ardentes noxiae concupiscentiae flammas. Varios illi cruciatus tolerando superarunt, spe, quae est in Christo, subnixi. Tu quoque turpes omnes passiones, pudicitia et cogitatione pietatis admota, superare contende. Vicerunt illi tyrannos per modestiam et longanimitatem. Vince tu quoque iracundiae tyrannidem, eisdem armis instructus. Illi aperte martyres fuere; tu in occulto martyr esto perfectus. Illi palam consummavere certamen; perfice et tu in occulto certamen, ut in die retributionis cum ipsis coroneris, atque in coelesti regno illorum gloriae socius inveniaris, atque una sempiterno gaudio fruaris. »

§ 8. Nunc igitur, o beatissimi Viri, o gloriosissimi Martyres Dei, me miserum vestris juvate precibus, ut in illa hora misericordiam consequar, quando manifesta erunt occulta hominum. Ut pincerna inutilis ac rudis vobis effectus sum, o sanctissimi Martyres. De vino vestri certaminis inclyti, filiis ac fratribus fidei vestrae poculum tradidi. De praeclara mensa vestrae victoriae, omnigenis instructa epulis, patres ac fratres, propinquosque vestros, quotidie mensam vestram adeuntes, toto animi affectu recreare contendi. Nam ecce psallunt, Deumque cum exultatione glorificant, qui virtutis vestrae sacratissima capita coelestibus coronis honoravit, summoque cum gaudio circumstant certaminis vestri reliquias, benedici cupientes, ac secum referre sancta animae corporisque remedia. Omnes ergo benedicite, ut boni discipuli benignissimi Domini et Salvatoris nostri. Ego item imbecillis, accepto vestris meritis ac precibus robore, cecini tota devotione animi ante sanctas reliquias vestras hymnum vestrae laudis et gloriae. Pro me igitur misero ante thronum majestatis assistite, ut vestris precibus salvari merear, ac vobiscum aeterna beatitudine perfrui, gratia et misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui est cum Patre et Spiritu Sancto honor et gloria in secula seculorum, Amen.

BEATI PETRI DAMIANI

SERMO IN FESTO OMNIUM SANCTORUM

§ 1. Hodie dies serenior arrisit nobis, et sol solito lucidior terris illuxit. Non enim unus, sed universi Sancti sanctificant eam, et splendoribus irradiant luminosis. Spectabilis illa coelorum solemnitas, quae non annuis, sed continuis gaudiis inclarescit; ubi lumen videtur in lumine, et ipsius Trinitatis substantia beatis oculis, oculo ad oculum aperitur. Ibi cognoscitur Gignentis, Genitique, et Procedentis ratio sempiterna, quae hic credi potest, comprehendi non potest. Illic Regina virginum virginibus innumeris comitata, mansiones perambulat Angelorum, et utrisque naturis gloriam ejus admirantibus dicit: « Quid me admiramini? Divinum est mysterium hoc, quod cernitis: divinum profecto, non humanum, nec humanis unquam rationibus comprehensum. » Ibi numerosus Angelorum exercitus sacratis divisionibus, insplendescit, et volitatorio delectatus obsequio, non velat, sed revelat Domini majestatem. Illic Patriarcharum electio primitiva, reverenda societas Prophetarum, gloriosus Apostolorum chorus, purpurea Martyrum multitudo, congregatio florida

Confessorum, candida Virginum turma, Monachorum numerus infinitus. Sedet in medio Dominus virtutum, et de refusione gloriae suae inebriat intuentes. *Inebriabuntur namque,* ait Propheta, *ab ubertate domus tuae* (*Ps.* 35). Ibi pax secura, requies voluptuosa, vita perpetua, sapientia mentis, agilitas corporis, cordis illuminatio. *Beati qui habitant in domo tua, Domine* (*Ps.* 83). Sicut laetantium omnium habitatio est in te, civitas Dei; et in plateis tuis vox exultationis dulcioribus modulis intonatur. *Quare tristis es, anima mea? et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi* (*Ps.* 41 *et* 42). Confitebor illi, ibi: nam hic stadium, illic praemium; hic pugna, ibi corona. Vanum est ante lucem surgere. Indurandus est animus, et a blandimentis voluptatum procul abstrahendus, et utriusque substantiae materia repurganda, si ad proprios ortus volumus evolare. Amanda est interim tenuitas paupertatis, sermo suspendendus amarior, elatio fugienda, sustinendi labores, cum vitiis congrediendum, eliminandae divitiae seculares.

§ 2. Hoc est, quod ille pauper et unicus, in hodierna sancti Evangelii lectione pauperibus, quos de mundi paupertate vocaverat, ait: *Beati pauperes spiritu* (*Matth.* v). Hae sunt octo, immo septem beatitudines, quia octava eadem, quae et prima. Felicissimi gradus, quibus itur ad Dominum, quos omnes in persona sua prius ascendit, qui ascendit in montem, et aperuit os suum, ut doceret discipulos suos. Denique quis pauperior illo qui non habuit, ubi caput suum reclinaret? Quis illo mitior, qui mitis est et humilis corde? Qui videns civitatem, flevit super illam, flevit Lazarum, justitiam docuit, justitiam fecit, in cujus ore non est inventus dolus? Quis illo misericordior, qui mulierem adulteram liberavit? Peccatricem sanavit septem daemonibus cumulatam? Quis mundior illo, qui peccatum non fecit? Pacificare venit et quae in coelis, et quae in terris: pacem reliquit discipulis suis, persecutionem pro justitia passus est, flagellatus in carne, suspensus in cruce, morte turpatus. Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare. Canta ergo canticum graduum, et gradatim ascende, nec praepropero saltu aliquem praetermittas: quia qui offenderit in uno, factus est omnium reus.

§ 3. Sis ergo pauper spiritu, nec putes hunc primum gradum leviter attingendum, cum multae sollicitudinis sit, mundum et mundana relinquere, et a consuetudinario cursu cor, corpus et studium revocare. Qui enim pauper est spiritu, vilitate gaudet, humilitatem amplectitur, desideria terrena conculcat. Sed quia illa paupertas execrabilis est, quae regio spiritu intumescens, discordias seminat, inservit litibus, detractoriis sermonibus jucundatur: evolandum est ad secundi gradus sublimitatem, ut sis mitis. Mitis est, qui nulli reddit malum pro malo. Laesus

veniam petit, et benefacit laedentibus. Nec plenam jactet victoriam, quisquis huc fortassis ascendit, cum sit omni lacrymarum fonte plangendum, quod tamdiu luto et lateri sub Pharaonis servierimus potestate: et ideo *Beati qui lugent*. Luctus autem sanctorum non est de diminutione rerum, de corporum infirmitate, de ferocitate sublimioris potestatis: lugent enim peccata vel propria, vel aliena, ruinam mundi, detrimentum fidei, contemptum justitiae, abundantiam iniquitatis, dilationem Regni. Nec hic consummationis terminus imponendus, cum perfecta justitia sit diligere proximum, sicut seipsum, et ejus excessus libera discretione, et discreta redarguere libertate. Qui enim pro persona, quam gerit, non resistit peccantibus, de suo se noverit silentio esse damnandum. Esurit ergo et sitit justitiam, qui vitia destruit, construit virtutes, sobrius sibi, justus proximo, pius Deo. Cujus animam urit zelus domus Dei: qui cantat cum justo: *Tabescere me fecit zelus tuus, quia obliti sunt verba tua inimici mei* (*Ps.* 118).

§ 4. Sed quia secundum vocem Oratoris, plerumque summum jus, summa malitia est, et inconsiderata justitia praecipitium parturit, ideo sequitur: *Beati misericordes*. Misericordia est speciosum humanae naturae ornamentum, cujus expers male degenerat, et hominem diffitetur. Est autem vera misericordia, cum superexaltatur misericordia judicio, cum vel largitate substantiae, vel bona voluntate, vel doctrina verbi, vel exemplo facti, proximi corpus et animam refovemus. Cum autem jam a claritate in claritatem sic coeperimus ambulare, a claritate cordis nostri ad clarificandum cor proximi, mundandi sumus ab omni inquinamento carnis et spiritus, ab omni hujus mundi adspersione pure presseque tergendi, sicut subjungitur: *Beati mundo corde*. Quis gloriabitur castum se habere cor? Pravum est cor hominis, et inscrutabile. Quis cognoscet illud? Difficile est illud mundare, cum in suis abditis delitescens, irruentium recipiat agmina cogitationum, plurimum etiam renitentibus nobis, sed nequaquam obniti valentibus. Ille igitur mundum cor habet, qui utriusque hominis motibus mitigatis, passiones non modo rèprimit, sed ignorat, naturali cursu bonorum operum communitus, crucifixus mundo; et cui crucifixus est mundus. Pauci autem, quibus se infuderit tantae gratiae plenitudo. Quicumque autem illi sunt, jam sunt prope palmam supernae vocationis, si pace, qua refecti sunt, pacificare studeant dissidentes, et dicere cum Propheta: *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus* (*Ps.* 119). Idcirco subinfertur: *Beati pacifici*: non solum pacati, sed pacifici, facientes pacem, concordiae semina seminantes. Sed quia saepius vel adulatione potentium, vel amore temporalium, justitiam aut dimittimus, aut non defendimus dimissam, ad metam cursus porrigenda est dextera, ut pro justitia non solum nostra, sed et alterius,

persecutionem patiamur, et resistamus usque ad sanguinem, vel usque ad mortem. Et hoc est, quod subsequitur: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* Post haec autem quid? Hic adhaeremus Domino, et unus cum eo spiritus efficimur. Hic disrumpitur nubes, et transit oratio. Hic revelata facie gloriam Domini speculamur. Hic dulcedo spiritus, cordis suavitas, jubilatio mentis. *Beatus populus qui scit jubilationem* (*Ps.* 88).

§ 5. Videamus, si forte aliqua sermonis consequentia beatitudines istas septem donis Sancti Spiritus possimus assignare. Paupertatem spiritus generat timor Dei, qui pungit animam, et sanguinem èlicit, et cogit nos quaerere medicinam. A timore tuo, Domine, concepimus, et parturivimus, spiritum salutis fecimus super terram, hoc est, spiritum paupertatis: dicit Isaias Propheta, immo per Isaiam Dominus (*Isa.* XXVI). Hic facit nos mundana vel relinquere, vel non concupiscere, clavus clavum expellens, et pertingens usque ad divisionem animae et spiritus. Pietas autem mites facit, dum nos dulciori spiritu superfusos, ad mansuetudinis thalamum introducit. Qui enim efferati sunt superbia, sublimes in oculis suis, ardentes invidia, invicem mordentes, et invicem consumpti, quomodo mitigatoria possunt indui pietate? Porro scientia luctum parit. Scimus enim, quia singularis scientia est, recogitare annos nostros in amaritudine animae nostrae, et multiplicibus lacrymarum rivulis propria deflere delicta. De fortitudine vero nascitur fames et sitis justitiae, cum virium sit non paucarum, pro libertate justitiae mori, nedum loqui, et ubi Deus in causa est, nec allici blanditiis, nec terrore moveri. Consilium autem misericordiam parit, cum summa totius consilii sit, consulere omnibus, et infirmitates tam animarum, quam corporum, benigna manu misericordiae sublevare. Munditia cordis ab intellectus puritate descendit, qui cordis receptacula purgat, et latebrosos ejus affectus acutissima circumspectionis falce succìdit. Porro pacificus ab ipsius Sapientiae nascitur summitate, conformis illi Sapientiae, quae pretio sanguinis sui et terram pacificavit, et coelum.

§ 6. Fortassis etiam, si diligentius perscrutemur, septem petitionibus, quae in oratione Dominica continentur, eas iterum concatenare poterimus. Illi etenim de timore Domini paupèrtatem spiritus amplectuntur, qui volunt ut sanctificetur in eis nomen Domini, et dicunt cum Psalmista: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum* (*Ps.* 85). Qui vero sunt mites, nisi quos pietas imbuit, qui cum patientia et mansuetudine frequenter postulant, ut adveniat regnum Dei, cupientes dissolvi, et esse cum Christo? Quorum universitati sanctus eructuat, dicens: *Exspecta Dominum, et custodi viam ejus, et exaltabit te, ut haereditate capias terram* (*Ps.* 36): terra enim viventium promittitur possidenda. Qui autem lugent, nisi quos instruit scientia salutaris, qui piarum undis

lacrymarum voluntatem Dei volunt fieri sicut in coelo, ita in terra: sicut in Angelis, ita in hominibus? Porro fames et sitis justitiae, de mentis fortitudine generatur, quae quotidianum panem ab ipsis Dei manibus quaerit, panem illum videlicet, qui cor hominis confirmat. Qui etiam misericordes sunt, nisi qui pro facultate consulunt omnibus, et audaci conscientia pactum faciunt cum Deo, dicentes: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris?* Mundum autem cor non nisi lucidissimus percipit intellectus, qui non inducitur in tentationem, rogans a Patre luminum, non ut tentetur, sed ut non inducatur, excutiens latrocinantium turmas negotiorum. Pacificatio vero a sapientia ipsa descendit, ubi liberamur a malo, et ab omnium iniquitatum mundamur influxu. Haec sunt septem beatitudines, septem dona, septem petitiones, septem candelabra, septem lucernae, septem infusoria, septem spicae, et si qua sunt alia, quae in arce septenarii numeri, scripturarum consecravit auctoritas.

§ 7. Adolescentulus ego ausus sum totam lectionis hujus seriem explanare, illorum rogatus, immo compulsus precibus et praecepto, quibus nec velle, nec posse fuerat obviare. Sed ut praesenti solemnitati aliquantulum insistamus, favorabili et mellita dulcedine redundans tanta festivitas est, in qua laudem dicunt Deo omnes Sancti ejus, et totus orbis clara voce resultat. Isti sunt advocati, quos apud Judicem habemus. Pro quo isti intercesserint, sententiam non timet capitalem. Confugiamus ergo ad probata suffragia, nec nos deterreat enormitas peccatorum: quia major est illorum pietas, quam impietas nostra. Consiliarii sunt Regis nostri, et ipsius irae saepe resistunt, nec nos deserunt in tempore malo. Sciunt enim, ubi nos reliquerint, quantis hostium insidiis pateamus. Suspiremus igitur ad illorum memoriam, ut protegant nos sub umbra alarum suarum, donec transeat iniquitas, et perducant nos ad sponsum Ecclesiae, qui est Deus benedictus in secula, Amen.

HISTORIA

S. BENIGNI PRESBYT. ET MART.

EX QUODAM SANE ANTIQUO MS. CODICE, PER LAUR. SURIUM, MUTATA NONNIHIL, UBI EXPEDIRE VISUM EST, STYLO DESCRIPTA. CONSENTIUNT VETUSTISSIMA MARTYROLOGIA, NISI QUOD A TERENTIO COMITE EUM OMNIA PERTULISSE AJUNT.

Martyrio donatus est sec. II.

§ 1. Eodem tempore Aurelius Imperator * ad castrum, quod Divionem ** vocant, advenit, ut videret muros novos, quos illic construxerant. Cumque fuisset ingressus, ait: « Bene muros hos constructos video. Aedificate nunc templum Jovi, Mercurio et Saturno, nec patiamini ullum, qui se Christianae legis affirmat, in locis istis residère, ne eorum vana religione populus noster evertatur. » Audiens haec Terentius Comes loci illius, ait: « An Christianus quispiam hic sit, invictissime Imperator, nos non novimus. Vidi autem quemdam hominem peregrinum capite tonso, cujus habitus differt ab habitu nostro, vitaque ejus nostrae dissimilis est, deorumque caeremonias rèfutat; populum nostrum abluit aqua, et balsamo linit; signa multa in populo facit, novum Deum patriae nostrae annunciat, et post mortem aliam vitam illi Deo credentibus promittit. » His auditis, Aurelius: « Quantum audio, inquit, hic, quem dicis, Christianus est. Inquirite eum, et alligatum in conspectum meum perducite: si enim hunc dimiserimus, magnum malum regioni nostrae accedet, et deorum nostrorum despectio existet. Non enim placet diis nostris ista conversatio, nec miscetur lex Christianorum legibus deorum nostrorum: sed ubi diis nostris ostensum fuerit signum illius Crucifixi illico tabescunt et fremunt dentibus, nec signum illud intueri sustinent. »

§ 2. His ab Aurelio dictis, Terentius Comes inquiri jussit sanctum Benignum: eumque repertum in villa, cui nomen est Spaniaco ***, ubi verbum Dei gentilibus praedicabat, vinctum ac caesum in conspectu Aurelii exhiberi praecepit. Eo viso, Aurelius ait: « Crucicola, si quidem Christianae legis te profiteris esse doctorem, me persecutorem habebis. Quod si ad interrogationes

* Marcus Aelius Aurelius Verus Antoninus, ab Antonino imperatore in filium adscitus, imperator cum Vero, anno 161, salutatus fuit; anno vero 169 solus remansit. Extremum diem clausit anno 180.

** Vulgo *Dijon*, urbs episcopalis.

*** Locus obscurus et mendosus.

meas non lacinioso sermone, nec verborum argumentis, sed antiquae legis et sacrificiis deorum offerre nolueris, diversis te poenis interimi jubebo, et non eripiet te de manibus meis Christi tui auxilium. » Sanctus Benignus respondit : « Sacratissima vox Christi est, ubi ait : *Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere* (*Matth.* x). » Aurelius ait : « Ex qua regione es, et quod est tibi nomen? » Sanctus Benignus respondit : « Ab Oriente venimus ego et fratres mei, quos tu jam occidisti, a sancto Polycarpo missi, ut verbum Dei et nomen Christi incorruptum gentilibus praedicemus : ut lux, quae illuminat omnem hominem, id est, Christus de coelo missus, omnibus innotescat. » Aurelius ait : « Si sermonibus meis obtemperaveris, magnum te sacerdotem deorum meorum constituam, et muneratum ex aerario publico, primum te in meo palatio esse jubebo. » Sanctus Benignus respondit : « Aurum et argentum tuum tecum confletur in perditionem, lupe rapax : primatum aut sacerdotium a te promissum non accipio, quia interitus aeternus est, et damnatio plenissima. Me vero non abduces a Christo, cui ego servio, qui est verbum Patris, et vita, et lux inenarrabilis, margarita splendens ; qui est a Patre missus coelitus, credentibus annunciatus ; qui in se credentibus vitam tribuit aeternam. Ipse est qui venturus est judicare vivos et mortuos : tuamque deteget insaniam, qua in Christi servos debaccharis, et tum, velis nolis, eum, quem negas, esse scies Deum tuum et omnium gentium. »

§ 2. Haec ut audivit Aurelius, nervis durissimis eum caedi praecepit, dicens : « Nisi hodie sacrificaverit, diversis eum poenis affligite. » Cumque Terentio Comiti traditus fuisset, ad trochleas extensus est, et cum caederetur, ait : « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quod propter nomen tuum haec pati merui. Praesta, Rex gloriae, ut sustineam omnem poenam, quam iniquissimus Caesar me pati vult. » Cum ergo caesus esset, et carceri mancipatus, Angelus eum confortans adeo pristinae reddidit sanitati, ac si prorsus nihil laesus fuisset. Altera die Aurelius suis eum jussit conspectibus praesentari, et ait : « Benigne, sacrificas diis, an non? » Sanctus Benignus respondit : « Non sacrifico. Agnosce, miser, quod dii tui nihil sunt ; qui signum auctoris nostri Jesu Christi si viderint, statim tabescent : sunt enim idola surda et muta ; neque vident, neque audiunt, neque ambulant, neque gressus habent : similes autem illis fiant qui faciunt ea, et omnes qui confidunt in eis. Tibi vero quomodo subvenient, qui sibi subvenire non possunt? » Tunc iratus Caesar, ad fanum eum quoddam adduci praecepit, et invito carnes immolatitias in os ingeri, persuasum habens, si eas carnes comederet, deinceps eum talia minime locuturum, sed deos illum suo servitio adhibituros. Cum autem id fieret, ille signo Crucis contra illas carnes èdito, cordeque sursum suspenso, et oculis in coelum sublatis : « Domine

Jesu Christe, ait, mundi instaurator, destructor daemonum, lux aeterna, adspice in hac hora, ut confundantur omnes qui adorant sculptilia, et gloriantur in simulacris suis, et sciant, quia tu es Deus aeternus. » Cum haec dixisset, et Crucis expressisset signum, mox idòla omnia lignea et lapidea, et vasa, in quibus sacrificia offerebantur, instar fumi evanuerunt. Tum vero sanctus Benignus gaudio magno affectus, ait: « Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quod me sacrificiis mutis contaminari non sinis; » ad Aurelium autem dixit: « Agnosce, miser, quo redactae sint effigies deorum tuorum, ut ad signum salutis evanuerint. Cognosce, infelix, Creatorem coeli et terrae. » Aurelius ait: « Et tu cognosce, Benigne, ut dii nostri tuam cupiant facere voluntatem. Si tu illis velis praebere assensum, magnum te apud nos videbis. » Sanctus Benignus respondit: « Stultum habes cor, nec oculis vides, quanta sit virtus Christi, quae deos tuos sic comminuit. Jam dixi tibi, diabole, auctor criminum, me non servire diis tuis, nec daemonum simulacra adorare. »

§ 4. His verbis commotus iniquissimus Imperator, in carcerem eum includi praecepit, et grande saxum idemque perforatum adduci, atque illi pedes ejus plumbo liquefacto inseri, et in digitos manuum ejus calentes sùbulas in longum defigi, atque per sex dies nullum ei nec cibum nec potum praeberi: porro etiam includi cum eo duodecim canes saevissimos, fame et siti affectos, ut ab illis discerperetur: carcerem quoque custodiri a militibus. Itaque sùbulas acutissimas in manus ejus infixerunt, et in lapide plumbo liquefacto, vel remisso pedes ejus incluserunt, canesque ferocissimos cum illo in carcere incluserunt. Cum autem ad carcerem duceretur, ait: « Audite me, Comites et tribuni: credite in Jesum Christum redemptorem nostrum, quia ipse spes et salus est in se credentium, ut deleantur peccata vestra. Ipse est lux mundi hujus, cujus odore mortui reviviscunt, cujus tactu confortantur infirmi, cujus gloria implet coelos, misericordia replet terram. » Ingressus vero in carcerem, per sex dies illic mansit, orationi vacans; Angeloque eum conservante, canes mansuefacti sunt, ita ut nec pilum capitis ejus, nec fimbriam vestimenti attingerent. Idemque Angelus Domini ei alimentum, id est, panem coelestem praebuit, et discutiens sùbulas de manibus, et plumbum a pedibus ejus, « Accipe, inquit, Christo dilectissime. » Ille vero accipiens panem, gratias egit, et manducavit. Sexto die Aurelius ait ad suos: « Aperite carcerem, et videte num sit a canibus dilaceratus, nec ne. » Apertâ itaque custodiâ, invenerunt eum ita illaesum, et tam integrum, ut ne una quidem plaga in ejus corpore apparèret. Quod cum Aurelio renunciassent, ille ait: « Vecte ferreo collum ejus in ipso carcere contundite, et lancea militis vitam ei crudeliter extorquete, ne vel vobis, vel diis nostris pergat irrogare injuriam. » Id cum factum esset, columba

nivea ex carcere a Christianis evolare visa est usque ad nubes, satis indicans, pretiosam Martyris animam ad coelos proficisci *. Tantae autem suavitatis odor eorum complevit nares, ut in Paradiso sibi versari viderentur. Postquam autem Aurelius inde recessit, Leonilla beatissima matrona nutu Dei eo veniens, sanctum corpus aromatibus condivit, et non longe ab ipso carcere condidit in sepulcro: ubi multis se virtutibus et miraculis manifeste declaravit. Acta sunt haec circa sanctum Dei Benignum presbyterum Calendis novembris, regnante Domino nostro Jesu Christo: cui est honor et gloria in secula seculorum, Amen.

MARTYRIUM

SS. CAESARII DIACONI ** ET JULIANI PRESB.

EX VETUSTIS SANE LIBRIS MSS. PER L. SURIUM PRESSIUS DESCRIPTA. SUFFRAGANTUR ANTIQUISS. MARTYROLOGIA.

Martyrio sunt decorati circa annum 100 — Probab. Itali.

§ 1. Tempore illo, quo Claudius *** necavit gladio matrem suam, furore arreptus, toto orbe Romano edicta proposuit, ut quicumque deos colere nollent, aut acerrimis subderentur poenis et suppliciis, aut solita offerrent sacrificia. Erat tum Taracinis ****, quae est Campaniae civitas, Firminus pontifex. Is satanico impulsus spiritu, hortabatur ignaros et veri Dei notitiâ destitutos, ut pro salute reipublicae nomen sibi immortale compararent crudelitate et audaciâ. Proponebat autem eis delicias et ornamenta, ut iis inescati, cum equis phaleratis et armis militaribus e monte se in mare praecipitarent, tamquam hoc crudelitatis genere patriam expiaturi. Et id quidem faciebat ille quotannis Calendis Januariis pro salute reipublicae et principum, et in laudem eorum, qui Taracinis morabantur. Erat autem in urbe illa juvenis formosus, Lucianus nomine, qui deliciis et lasciviis diffluens, ad Calendas Januarias huic praecipitio destinabatur.

§ 2. Eum juvenem conspicatus Caesarius Diaconus, qui tum ex Africa revertebatur, sciscitatus est ex civibus, quid sibi vellet

* Circa annum 179 S. Benignus martyrium perpessus est. Is autem Burgundiae (vulgo *Bourgogne*) primus Apostolus appellatur. Supra ejus sepulcrum Divione, seculis posterioribus coenobium extructum fuit, a suo nomine vocatum, quod singularem famae celebritatem obtinuit.

** De S. Caesario quaedam leguntur in Actis SS. Nerei et Achillei, quae vide in Vol. V Surii nostri. Verum S. Caesarium nec sub Claudio nec sub Nerone passum probat Baronius in Notis Martyrologio Rom.

*** Scilicet imperator Nero, qui et Claudius vocabatur. Is enim Agrippinam, matrem suam, impie et crudeliter interfecit.

**** Quae apud antiquos et *Anxur* appellabatur. Nunc *Terracina*.

ille ornatus. Responderunt illi : « Sic ille ornatus est in suum exitium. » Et Caesarius : « Per Deum, inquit, omnipotentem vos adjuro, ut hujus rei mihi rationem explicetis. » Responderunt cives : « Ad sex vel octo menses nutritur hic quispiam pro illius voluntate. Iis exactis mensibus, armatus et ornatus ascendit in montem, et pro salute reipublicae, et principum civiumque salute, atque ut immortale sibi paret nomen, cum equo se agit e monte praecipitem. Ejus vero cadaver honorifice admodum colligitur, et ad templum Apollinis perductum concrematur, cinisque ejus in templo pro civium et reipublicae salute reconditur. » Haec ut audivit Caesarius Diaconus : « O vos infelices, inquit, et miseros, qui hominum innoxiorum animas offertis daemonibus, neque hic, neque in futuro seculo vera vita potituri. » Deinde latuit ea in urbe usque ad Calendas Januarias apud quemdam Christianum Dei servum, in precibus et vigiliis cum illo serviens Deo et Domino nostro Jesu Christo.

§ 3. Ubi ventum est ad Calendas illas, cives ad templum Apollinis convenere, Lucianumque juvenem speciosissimum adduxerunt, ut offerret sacrificium. Obtulit ergo porcam pro salute civitatis et civium. Id cernens Caesarius Diaconus, exclamavit : « Viri sapientes, cur tanto vos scelere obstringitis ? Itane aequum vobis videtur, hominem innoxium pro vita vestra in mortem praecipitare ? » Oblato sacrificio, juvenis Lucianus conscendit equum, et furoris quodam oestro pèrcitus, ubi in montem pervenit, inde se praecipitem dedit, et mortuus est. Rursus ergo exclamans Caesarius Diaconus : « Vae reipublicae, inquit, et principibus ejus, qui laetantur alienis cruciatibus, et sanguine fundendo pascuntur. Quid ita perditis animas imposturis et persuasionibus malorum daemonum ? » Haec dicentem illum Firminus pontifex jussit summo studio comprehendi, et in custodiam publicam abduci. Porro corpus Luciani collegit, et pro more in templum Apollinis importatum combussit, templumque sacrificiis ornavit. Inde post dies octo Luxurius, vir primarius ejus civitatis, et Firminus pontifex Caesarium Diaconum e custodia in forum adduxerunt : rogaruntque Leontium consularem, qui per id tempus in Fundana civitate erat, ut Taracinas veniret. Ei venienti, triduanâ inediâ maceratum Caesarium in ipso foro tradiderunt. Is vero per praeconem sciscitatus est ex Caesario, quis vocaretur. Respondit ille : « Caesarius peccator vocor, Diaconus immeritus. » Leontius consularis dixit : « Servus es, an ingenuus ? » Caesarius respondit : « Servus sum Domini mei Jesu Christi. » Leontius consularis dixit : « Audisti quid jusserint Imperatores ? » Caesarius Diaconus respondit : « Jussa illorum ego nescio. » Leontius consularis ait : « Ut sacrificium offeras diis immortalibus. » Caesarius dixit : « Plane jusserunt illi, ut infelices. » Leontius consularis ait : « Quid ita ? an quia pro salute reipublicae ? »

Caesarius respondit: « Illa salus, non nisi exitium est.» Leontius consularis dixit: « Et tamen omnibus salutifera est. » Caesarius ait: « Et quaenam illa salus est, qua sic intereunt homines, ut vitae compotes esse non queant?

§ 4. Leontius Consularis dixit: « Fac quod dico, et sacrifica diis, alioqui mox daturus poenas.» Caesarius Diaconus respondit: « Poenae tuae nihil me movent: sed vos illa aeterna supplicia movebunt, quae sine fine persentietis. » Leontius Consularis dixit: « Eamus usque ad Apollinis sacratissimum templum.» Ductus est autem Caesarius vinctus, et quidem nudus ante carpentum Leontii. Cumque templo appropinquaret, in medio militum dixit: « Deus pater Domini nostri Jesu Christi, qui es in aeternum; tibi omnia cognita sunt: noli me derelinquere, sed respice in servum tuum sperantem in te. » Hoc cum dixisset, subito corruit templum, et pontificem Firminum oppressit. Tum vero accurrens Luxurius primus civitatis, «Audione, inquit, Consularis perfidum hunc Caesarium magica carmina promentem?» Leontius Consularis respondit: « Et nos id scimus; » versusque ad Caesarium Diaconum: « Hodie, inquit, in te exardescet ira mea.» Caesarius Diaconus ait: « Ego vero neque te, neque principem tuum timeo. Ut enim dixisti, ira tua hodie exardescet, et cras evanescet; cumque mortui fueritis, nihil ulterius eritis.» Exclamans autem Luxurius, dixit: « Audis hunc in principum injuriam verba jactantem, et adhuc cessas eum tollere e medio? » Leontius Consularis respondit: « Et quanam poena mulctandus est? » Luxurius ait: « Convocetur universa civitas ad templum, ubi suam magiam exercuit. » Id cum factum esset, ejecto Firmini pontificis cadavere, ita ad populum locutus est Luxurius: « Videtis perfidum hominem, qui nec deos timet, nec principem: qui pontificem extinxit, et incantationibus suis antiquitatis evertit templum? »

§ 5. Exclamans autem Caesarius Diaconus, ait: « Aequum ne est, fratres, hominem potius timere, quam rerum omnium praepotentem Deum, humanoque sanguine vestram expiari urbem? Admoneo igitur vos, ut agatis poenitentiam ob effusum innocentum sanguinem, credatisque in Christum filium Dei, eumque timeatis. » Exclamavit omnis populus: « Bonus homo justa loquitur. » Tum vero Luxurius eum e populo eductum, rursus in carcerem conjecit, ubi fuit annum integrum et mensem unum. Deinde jussit Luxurius eum e carcere produci, missaque ad Leontium legatione, perquisivit ex eo, quo pacto eum necandum censeret. Prodiit autem e custodia beatus Caesarius, macie confectus et nudus, sed capillis suis tectus. Angelus enim Domini nocte ac die custodiebat eum. Adductusque in medium forum, ait ad milites, qui eum catenis vinctum tenebant: « Quaeso, parumper me relaxate, ut gratias agam Domino meo Jesu Christo, qui me dignatus est adjungere servis suis; » moxque humi se abjiciens,

adoravit Dominum, ita dicens: « Domine Deus, pater Domini nostri Jesu Christi, ostende nobis misericordiam tuam. » Eadem hora corusca lux emicuit, protexitque illum. Id cernens Leontius Consularis, magna voce dixit: « Vere Dominus Deus est, quem praedicat Caesarius Diaconus;» mittensque se ad pedes beati Caesarii, exspoliavit se chlamyde sua, et induit eâ beatum Caesarium, rogavitque eum coram omni populo, ut se baptizaret. Dixit autem ei beatus Caesarius: « Tu crede, et mox lumen splendidum videbis: » acceptaque aquâ, baptizavit eum in nomine Patris et Filii et Spiritu Sancti; adveniensque Julianus Presbyter, porrexit ei corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Cumque sacramenta percepisset, beatus Julianus oravit super caput ejus: finitaque oratione, Leontius reddidit spiritum.

§ 6. Eodem die Luxurius tenuit Julianum presbyterum, tulitque sententiam in eum et Caesarium Diaconum, ut ambo in saccum inclusi, in mare praecipitarentur. Porro Leontii corpus collegerunt uxor et filii ejus, sepelieruntque prope civitatem in agro Verano tertio Calendas Novembris. Post triduum cum nocte ducerentur Julianus Presbyter et Caesarius Diaconus, ut praecipites acti in mare, submergerentur, beatus Caesarius dixit ad Luxurium: « Me quidem aqua, quae me regeneravit, tamquam filium suum ex se renatum suscipiet, ut me nunc martyrem efficiat cum patre meo Juliano, qui me antea fecit Christianum: te vero, Luxuri, hodie còmedet coluber, ut cognoscat omnis haec regio, quod vindicet Dominus sanguinem servorum suorum, et virginum, quas tu ignibus concremasti. » Deinde missi in saccum Julianus Presbyter et Caesarius Diaconus, in mare praecipitati sunt: sed eodem die in littus eorum corpora ejecta sunt, ubi jacebat Luxurius totus inflatus et tumidus, quippe a serpente percussus. Ierat enim ille èques ad villam suam, ibi pransurus: et quia festinabat, solus praecessit: cumque quamdam praeteriret arborem, ob maleficia ejus serpens quidam lapsus est per caput ejus inter collum et tunicam, atque inde ad ventrem ejus, lateraque morsibus lacerans, usque ad cor illius penetravit. Totus igitur intumescens, jacebat humi: sed tamen priusquam animam afflaret, vidit oculis suis psallentes Angelos, et admodum honorifice corpora sanctorum Juliani et Caesarii ex undis exportantes: quae quidam servus Dei, qui cum illis habitaverat, collegit, noctuque sepelivit apud Taracinas Calendis Novembris. Eusebius is dicebatur.

§ 7. Post dies autem quinque idem Eusebius inventus est eo loco, quo condiderat beatos Martyres, jejunans, et orans Dominum, et psallens. Id cum non pauci viderent Taracinenses cives, quod non longe ab urbe esset locus, accedebant ad beatum Eusebium, et conversi, a beato Felice presbytero baptizabantur. Id ubi comperit Leontius Leontii Consularis filius, furibundus ob

mortem patris, misit milites, qui tenerent Felicem presbyterum et Eusebium monachum, eosque in forum in populi conspectum perducerent. Atque ibi ille residens cum primoribus civium, ait ad eos: « Edicite nobis, servi ne an ingenui sitis.» Felix presbyter respondit: « Servi sumus Domini nostri Jesu Christi. » Leontius dixit: « Dicite qui vocemini. » Responderunt Sancti: « Felix et Eusebius appellamur.» Leontius ait: « Quid ita contra salutem reipublicae et principum, praedicatis insaniam? » Felix presbyter respondit: « Nos insaniam non praedicamus, sed sanam et veram doctrinam, ut timeatur Deus et cognoscatur: quem si vos cognoveritis, licebit vobis vitam obtinere aeternam.» Leontius dixit ad populum: « Ecquid vobis videtur? » Alii clamabant, bonam eam esse doctrinam, alii id negabant, dicentes ea populum seduci. Sic ergo illis altercantibus, Leontius eos jussit duci in custodiam. Nocte autem misit ad illos, qui eos compellerent sacrificare. Sed illi irridentes et contemnentes daemonum sacrificia, clamabant: « Gloria in excelsis Deo. » Eadem ergo nocte Leontius eos capite damnavit, jussitque corpora in flumen jactari. Ea vero per flumen perlata sunt in mare: claraque jam luce, ejecit illa mare in littus juxta pineta. Ecce autem quidam presbyter Capuanus, Quartus nomine, cum exiret ad agrum suum, invenit trunca sanctorum corpora, collegitque ea et posuit in vehiculum, duxitque in domum suam, capita eorum curiose perquirens. Quae quidem postera luce invenit incorrupta, junxitque ea corporibus sanctis, et sepelivit juxta corpus beati Caesarii Diaconi et martyris. Ubi orationibus eorum beneficia praestantur usque in praesentem diem, ad laudem et gloriam Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat in secula seculorum, Amen *.

* Romae, vetus est memoria S. Caesarii martyris. Ecclesia erat olim suo nomini dicata, quae postea conversa fuit in *Titulum*, et cui abbatia adjungebatur, una ex vigintiduabus quas notatas in antiquo Rituali, quod in Vaticana Bibliotheca habetur, Baronius vidit. Eâ dirutâ, corpus Martyris, quod ibi a Tarracina delatum erat, depositum fuit in basilica Heleniana, dicta alio nomine S. Crucis ad Jerusalem in Atrio Sessoriano, ubi hactenus religiosissime adservatur. Antiquam porro S. Caesarii ecclesiam restituendam, exornandamque curavit Clemens Pp. VIII (Ex Baronii Adnotat. ad Martyr. Rom.).

VITA SANCTI MARCELLI

PARISIENSIS EPISC.

AUCTORE FORTUNATO * EPISCOPO.

Obiit probab. seculo V ineunte — Patriâ Parisiensis.

PRAEFATIO AUCTORIS

AD S. GERMANUM ** EPISC. PARISIENSEM.

Domino sancto, et meritis obtinentibus Apostolico viro, in Christi charitate fundato, meo lumini praeponendo, domino et dulci patri Germano papae Fortunatus. Facundissima illustrium oratorum ingenia, sermonum flore variante distincta, et eloquii vernantibus pampinis obumbrata, solent sibi viles causas sterilemque materiam quaerere, ut magna dicendo de minimis, videantur ostendere sui fluminis ubertatem: quia habentes intra se fontes eloquentiae, de ipso sicco themate didicerunt undas haurire. Unde quicquid injungitur illis, carmine irriguo copiosius explicatur. Verum e contra quicumque angustae intelligentiae ariditate torrentur, nec habent affluentiam inundantis eloquii, per quam vel aliquos reficere, vel suae siccitatis possint inopiam temperare: tales non solum aliqua non per se dicere appetunt, verum etiam si quid eis injunctum fuerit, perhorrescunt: quoniam quantum doctis proloqui, tantum indoctis utile sit tacere. Nam illi de parvis magna disserere, isti de magnis nesciunt vel pauca proferre. Et ideo quod ab aliis quaeritur, ab aliis formidatur. Sic belligerator in armis damni esse deputat, si non possit integer invenire quod vincat. Sed sicut fortis requirit, unde ducat spolia: sic debilis metuit, ne ducatur in praedam: et quod acer invenire desiderat, iners vel audire formidat.

Cujus exempli gratia cum ipse sterilis scientiae convenienter accuser, nec sit in me aliquid, quod venusti sermonis ornamenta commendent, quid tibi visum fuerit, pater beatissime atque amantissime, constanter admiror, ut de sanctissimi viri Marcelli antistitis vita, nullo fine claudenda, et de illa coelesti lampade meae

* Venantius Fortunatus, ex Italia oriundus, S. Gregorio Turonensi episcopo apprime carus, anno 565, Pictavii (vulgo *Poitiers*) sacerdos, deinde episcopus consecratus fuit. Vir fuit ingenio, doctrina, morumque sanctitate praeclarus. Multa ejus servantur opera, partim solutâ, partim numeris adstrictâ oratione, inter quae notissimum est carmen sacrum quod incipit: *Vexilla regis prodeunt*. Decessit anno circiter 609: atque in Pictaviensi ecclesia festum ejus die 14 decembris celebratur. (E *Feller*, aliisque biographis).

** De S. Germano, Parisiorum episcopo, agitur die 28 maji. Consule igitur Surii nostri Vol. quintum.

quid dignum committeres scintillae: cum ego pauper ingenio, ille dives sit merito: ego humilis sermone, et ille sit egregius ercede: praesertim cum vobis multorum prudentium famosae undantiae sufficiat eloquentia, Gallico Gallicana, et quadratis ncturis verba trutinata procedant. Qui si velint, sermone posnt depingere, quicquid animus figuraverit: apud quos ipsum qui dictare sit, et quae vix corde concipitur, mox in pagina res rmetur. Cur itaque, ut dictum est, inter Gallicanos cothurnos lippata vilitas plano pede ire praesumat, ad quorum compationem velut inter rosas et lilia nostrae linguae vilis saliunca spirat? Accedit etiam ad difficultatem ingenii impediti res alra, quod de actibus beati Marcelli plurima sunt invisenda, temrum vetustate subrepta, nec facile memoria rècolit, quod ansitas numerosa fraudavit: quoniam quicquid in libris non figir, vento oblivionis aufertur. Pauca quidem de ejus gestis felicis sunt ad nostra tempora relatione vivente perducta, ne in um quod sui amatores in posterum quaererent, periret: quia si sancta membra jam dudum sepulcro sunt condita, non tamen iracula sunt sepulta: quae tanto clariora sunt, quanto plus emoria vivere meruere non scripta: quoniam licet non tenerenrin pagina, fixa sunt in cordis membrana.

Unde inter haec difficilia dubito quo convertar, utrum vel digitos mparem ad scribendum, cum dictare lingua formidet. Sed differre non licet, quod pater injungit, cum secum magis ipse punet, qui tibi repugnat: praesertim qui ut obedire me doceas, quod sustinere non valeo, libenter imponis. Major enim devotio re difficili comprobatur. Denique ibi plenus est affectus, ubi si virtus non tolerat, tamen animus non recusat: et ego magis ic venerer, quod charitas non leviter exigit, sed audacter extoruet. Denique ex hac parte mihi ipsi conveniat perficere, quia qui inora vituperat, ducere ad majora festinat. Quibus suggestis, lueram hoc opus aliorum lingua nitescere potius, quam nostra rdère. Sed quod primi differunt, vel ultimi prosequantur: quod m displicere videatur eloquio, placere videtur ex voto.

§ 1. Beatissimus igitur Marcellus antistes, natus Parisii, sed vis paradisi; in terris humilis, erectus in coelis; mediocris parentibus, sed meritis celsus. Cui hoc fuit nobilitatis insigne luen, Christo sine culpa servire: non degeneris intumescens surbia, sed habens de moribus ornamenta; nec sumens de pantali laude jactantiam, sed gratiam possidens in virtutis exemum: intra se suos thesauros retinens, Deum mundo corde mplectens. Sed cum Christo pauper iste regnavit, qui in humitatis conversatione, in charitatis ubertate, in castitatis lumine, jejuniorum pinguedine ita se totum coelesti tradidit discipliae, ut ab ipsa infantia maturus accederet, et positus in corpore,

quasi nihil de carne portaret. Hic itaque nobilissima institutione succinctus et venerandis operibus pene prius sacerdos, quam clericus, jamdudum dignus, qui susciperet dignitatem, antea paratus ad id, quod erat sine mora futurus: calcatâ pompâ mundi vel criminibus, cum divinis armis initiatus accingeretur, ad spem felicem, palmam de hoste publico relaturus, in militia Christi exercitando Lector effectus est, ac seipsum templo Christi primitus offerens, velut Abel sacrificium, hostia victae carnis et purae mentis, exceptus est.

§ 2. Qui clarior mercede, quam nomine, et merito major, quam gradu, sine offendiculo suum gerens officium, coepit in milite crescere, quod accepit a Rege. Cujus occultae diutius, velut vitis palmites, coeperunt fructificare virtutes; nec pertulit in eo sua dona abscondi, qui quod de sursum venerat, adeo humiliter eum videbat amplecti. Denique cum adhuc clericali tyrocinio celaretur, miraculis proditur, et signis coelestibus illustratur. Quadam vice accessit ad officinam fabrilem: qui despectus ab artefice, cogitur, ut extractam ferri de ardenti camino massam candentem manu sua attolleret, et quanti esset ponderis enarraret. Tunc vir beatissimus, non ignarus totum de Christo praesumere, et quantae virtutis causa sit in rebus non turpibus obedire, mox supposita manu ferrum altius elevavit, dicens: « De calore calet, sed novem pondera habet. » Quod postea tantum ad stateram inventum est, quantum ejus vox librata praedixerat. Sic in una specie duplex miraculum propagavit, ne eum foci calor exureret, nec ferri pondera fefellissent. Nam defaecatis vitiis in se libidinis vaporem non habuit, qui tam libere ignis incendia sine ustione evasit. Nam ut elementi ignem vinceret, ante flammas carnis extinxit: et ut in ipsa pensa non falleret, probavit ferrum pondere.

§ 3. Deinde in religionis ordine subdiaconus effectus est. Itaque cum subdiaconali ministerio fungeretur, in die Epiphaniorum hauriens aquam de fluvio Sequanae *, dum beato Prudentio Episcopo manibus abluendis offerret, mutatis elementis, vini sapor inventus est. Quo viso obstupescens pontifex, jussit ex ipso urceo in calicem sacrum fundi: unde universus populus, Missâ celebratâ, ad communionem accepit, et ipsum vas cum ad plebis multitudinem suffecisset, ac si non tactum et integrum, sic plenum permansit. Cujus vini mystico beneficio postea multi infirmi sanati sunt. Ecce virum sanctissimum, qui undam sumens a flumine, vina effudit in calicem. Sed unde tam nova miracula, unde ** portaret aquam, quodammodo quasi uvas exprimeret, nasceretur illi palmes in palma? Vere beatum Marcellum, summa veneratione colendum, in cujus manibus uno eodemque momento floruit vindemia, et torculata sunt vina. Videmus non uno in

* Gall. *Seine*, ital. *Senna*. ** Forte legendum est, *ut dum*.

loco beneficia divina concludi, dum quod praecessit Dominus in Galilaea, ille successit in Gallia. Ibi ad nuptialem mensam Christus aquas vertit in vina: hic, quae ad mensam Christi sufficerent, nova vina sumpsit altare. Illud praecessit tempore, hoc honore. Nam tunc quod dederunt sex hydriae, hic unum et modicum vas explevit. Sed tunc effecit, ut se Dominus proderet: nunc, ut famulum non celaret.

§ 4. Veniamus ad illud miraculum, secundum ordine, non honore. Itaque cum vir sanctissimus quadam vice ex sui officii servitute, aquam manibus venerabili Episcopo porrexisset, mox inde balsama coeperunt fragrare: et dum unda curreret, visa sunt chrismata respirare, ut pene pontifex crederet suas manus magis ungere, quam lavare, et alteras aquas quaereret, ut priores undas ablueret. Quo viso, sacerdos venerabiliter obstupescens, Deo gratias de comperto munere retulit, et beato Marcello reverentiam in religione servavit, dum eum non talem, qui serviret, sed potius cui serviretur, agnovit. Unde quis tantum subdiaconum admiraretur condigne, in cujus dextera ex aqua fiebant vina et balsama, et undarum pallor aut in ruborem conversus est, aut odorem? Jam tunc illis praefigurabatur indiciis futurus pontifex, qui dignus esset chrisma tractare. Sed cum adhuc subdiaconus hausisset chrisma de flumine, merito dignus erat, ut factus sacerdos, hoc sacrificaret in fonte.

§ 5. Illud quoque mysterium reticeri non debet, quod proficit auditori: quia de paucis, quae memoria recoluntur, quicquid dictum non fuerit, aut invideri creditur, aut contemni. Igitur quidam clericus, Mintucius nomine, annorum circiter decem, propter suavissimae vocis tintinnabulum, et dulcedinis organum de fauce prolatum, quia contingebat animos populi delectari, cum repercussa in auribus, solita et auribus blandiri: jussus est ab Archidiacono teneritate melliflua decantare. Quo facto, praecepit ipsum puerum Episcopus flagellari ob hoc, quia alterum jusserat ipse cantare. Itaque dum clericus caeditur, Episcopus linguâ damnatur. Mox enim ut clamor vapulantis in aurem sonuit, vox ejus ab ore discessit: et novo praedone sonum captivavit pontificis vox infantis. Sed si causa facti requiritur, cur contigerit, invenitur. Denique qui puerum cantare prohibuit, pertulit vocis dispendia, quia vocibus invidebat. Cui ergo non nocet invidia, si Episcopo non pepercit vindicta? Unde quod quis in altero videre non cupit, non habebit: immo hoc sibi perdit, quod alios habere non optat. Omnis enim qui alteri lapsum parat, jam cecidit, et antequam inducat in laqueum, tenetur ipse captivante peccato ligatus. Tum magis si proficere volumus, aliorum profectus, nostros esse credamus. Itaque idem sacerdos per triduum, etsi ambulabat per compita, tamen jacebat lingua sepulta. Non enim sonus poterat repercussa palati camera resultare, nec intra sepem dentium vox

lingua rotante disponi: sed totum quod perdiderat, ore muto prodebat. Tunc beatus Marcellus his verbis appellat pontificem: Licet intelligam, pastor bone, tibi talem casum de culpa venire, tamen quicquid vis, in nomine Domini sermone prorumpe. His dictis, adhuc beati Marcelli sermo volvebatur in ore, et jam quod imperaverat, obediebat. Deinde antequam iste explicaret, ille respondit, dicens: « Vos mihi fecistis, quorum jussio fuit, ut alter cantaret, quam ego praeceperam. » Et dum ista loquitur, amissae vocis gratia reformatur. O meritum subdiaconi, qui vocem restituit sacerdoti, et versa vice, quod accipere debuit, hoc indulsit: Qui debiles fauces armavit eloquio, et in ore alterius fudit verba per verbum. Quid diutius protraham? Semper tacuisset Episcopus, si nunquam requisisset Marcellus. Vere dignus beati Marcelli sermo, ut gregem Domini regeret, qui dedit pastori salutem.

§ 6. Operae pretium credimus etiam in paginis haec texere, quae multis sunt infixa sub corde. Quia etsi de re terribili in relatione metus est, in aedificatione fit fructus. Porro autem cum beatus Marcellus, quod semper possedit moribus, esset pontifex ordinatus, quam dignitatem sibi reputabat magis oneris, quam honoris: tunc quidam de populo dum vellet ad communionem accedere, manibus retro ligatis non poterat ad altare pertingere: sed cum omnes transirent, quasi meta coepit stare: ut videretur non ad communicandum, sed ad numerandum populum advenisse. Quem conspiciens pontifex, interrogavit quid fecerit. Respondit se peccasse. Cujus confessionem agnoscens, dixit ei: « Veni, accede, et ultra non pecces. » Qua jussione absolutus, ad communionem accessit, duplici beneficio muneratus, de praeterita culpa veniam consecutus, de futura vita correctus. Quanta huic erat in sanctae Trinitatis aequalitate fiducia, cujus mens sic libera, per singula verba proferebat miracula? Sed licet satis fuerit, religati catenas sermone dissolvere, tamen plus est laudabile, quod in Christi amore visus est peccata donare.

§ 7. Exequamur et illud triumphale mysterium, quod cum sit ultimum ordine, anteponitur in virtute. Matrona quaedam, prosapia quidem nobilis, opinione vilis, malo maculans crimine, quod fulgebat ex genere: postquam dies fugitivae vitae rapta luce conclusit, ad tumulum pompa comitante, sed non profutura, processit. Quo condita, horresco referens hoc contigisse post funera, quia duplex nascitur lamentatio de defuncta. Ergo ad consumendum ejus cadaver coepit serpens immanissimus frequentare, et ut dicam clarius, mulieri, cujus membra bestia devorabat, ipse draco factus est sepultura. Sic infelices exequias serpentinus bajulus impendebat, ut post mortem quiescere cadaveri non liceret: et cui vitae finis in uno loco jacère concesserat, semper mutabatur in poena. O casum execrabilem, et valde timendum! Mulier, quae conjugii integritatem non servavit in mundo, integra

non meruit jacere in sepulcro. Nam serpens, qui viventem in crimine traxerat, adhuc in cadaver desaeviebat. Tunc ex ejus familia, qui in civitate manebant, audientes strepitum, et pariter concurrentes, viderunt ingentem belluam de tumulosis anfractibus exeuntem, et vasta mole cadaver flagellante labentem. Quo nimis perterriti homines, de suis sedibus migraverunt. Hoc cognito, beatus Marcellus intelligens de hoste triumphum acquirere, collecta plebe, de civitate progreditur, et relictis civibus, in prospectu populi solus, Christo duce, ad locum pugnaturus accessit, et cum coluber de silva rediret ad tumulum, obviantes se invicem, dante orationem beato Marcello, ille capite supplici coepit veniam blandiente cauda precari. Tunc beatus Marcellus caput ejus baculo ter percutiens, missa in cervicem serpentis orario, triumphum suum ante civium oculos extrahebat. Sic in spiritali theatro spectante, solus cum dracone pugnavit. Hinc confortatus populus, cucurrit ad Episcopum, cupiens hostem suum videre captivum. Tunc praecedente pontifice, bestiam fere tribus millibus omnes prosecuti sunt, reddentes gratias Domino, et solventes exequias inimico. Deinde increpans eum beatus Marcellus, dixit: « Ab hac die aut deserta tene aut in mare te demerge. » Mox dimissâ belluâ, nulla ejus ulterius indicia sunt inventa. Ecce propugnaculum patriae in uno consistere sacerdote: qui fragili baculo fortius hostem edomuit, quam si balistae transisissent, nam sagittatus repercutere poterat, nisi vinceret res divina. O virum sanctissimum, in cujus levi baculo virtutis est pondus ostensum: cujus molles digiti fuerunt catena serpentis! Sic inimicum publicum vicerunt arma privata: plaudit in unius praeda generalis victoria. Si sanctorum virorum ex factis merita conferantur, miratur Marcellum Gallia dum Roma Silvestrum: nisi hoc distat in opere, quod draconem sigillavit ille, iste jactavit. Sed quis ejus valeat miracula per singula sermone comprehendere, vel voce proferre, quanta ille fecerit et celaverit, cum ea scripta sunt, quae de ipso, teste populo, claruerunt? His namque operibus sanctissimus Marcellus semper intentus, conversatione clarus, consummatione praecipuus, beatitudine gloriosus, remuneratione ditatus, cum Domino perpetuo regnaturus vincens mundi contagium, mundus migravit ad Christum die Calendarum Novembrium, regnante Domino nostro Jesu Christo: Cui est honor et gloria et virtus et potestas per cuncta seculorum secula, Amen *.

* Sacrae S. Marcelli episcopi exuviae Parisiis, in templo maximo, B. Mariae Virgini dicato, religiosissime adservantur.

HISTORIA BREVIS

S. MARIAE VIRG. ET MART.

QUAM VINCENTIUS IN SPECULO HISTORIALI
ANNOTAVIT EX GESTIS EJUS LIB. XI, CAP. LXXXVI ET LXXXVII.
ADSTIPULANTUR ANTIQUISSIMA MARTYROLOGIA.

Passa est anno 120 * — Patriâ incertâ.

§ 1. Beata Maria, ancilla quidem Tertulli principalis erat, sed nobilitatem domini, mentis benignitate vincebat, et Christo se probabat ingenuam. Natalem autem filii celebrante Tertullo, cum impuris vanisque simulacris hostias immolaret, Maria incumbebat jejuniis, et sociam suam, ne proderetur dominae, occulta simulatione fallebat. Diu tamen, insidiante conserva, latere non potuit. Prodita igitur, mox vocatur a domina, diciturque ei: « Quae est causa jejunii? An occasio tristitiae est, quod iratum tibi nuper dominum perhorrescis? » Respondit Maria: « Nunquid novum aliquid nunc usurpo? Semper mihi sunt haec observata jejunia. Christiana sum, Christiano nascor ex genere: haereditarius est mihi iste cultus Christi. » Tunc imperante domina, ut cibi aliquid hauriret, illa noluit. Et domina indignata, ei verbera gravia et poenam etiam mortis, si repugnaret, intentavit.

§ 2. Sed dum altercatio ista verborum esset cogentis dominae et repugnantis ancillae, pedem aforis referens Tertullus ingreditur; qui ab uxore rebus omnibus inquisitis, inauditam statim flagellari praecepit ancillam, et afflictam diutino verbere, detrudi in carcerem, administrato modico et vili cibo, quo non satiaretur fames, sed deficientis quotidie animae pars extrema servaretur. Sed devota mens pro Christo frangi hoc dolore non potuit: quin etiam quotidianis orationibus incumbebat, ut facultas esset major tolerandi. Emensis vero novendecim diebus, Praesidi nunciatur, Tertullum principalem illius civitatis, occultare in domo sua Christianae religionis ancillam, quod Imperatorum praecepta prohibebant. Stetit itaque adducta tandem, et quamvis contra judicem oculos tenderet, animum tamen habebat ad Christum. Clamor autem undique populi frementis attollitur, dicentis: « Viva dire crematur incendio. » Illa vero intrepida, quippe quae Dei sui nosset auxilium, coelum intuens, clamavit ad Dominum. Ait vero Praeses: « Sacrifica, si effugere tormenta festinas. » Respondit

* Ita Surius in postrema editione. Baronius vero annum 140 ponit: alii demum seculum tertium vel quartum. Hujus S. Virginis et Martyris Acta integre sunt edita a Baluzio.

Maria: «Supplicia quae minaris, nec longi temporis, nec gravis doloris sunt. Quaeso ergo, ne differas quae moliris. Christum habeo: ideo nihil timeo.»

§ 3. Tunc jussu Praesidis applicata tormentis, miserationem populi tantam adepta est, ut lacrymae quoque a circumstantibus funderentur. Nec mora, clamore summo venia virgini postulatur: sed crudelitas judicis accelerare tormenta mandavit. Et ecce secunda vox populi, judicium Praesidis castigantis, emergit. Vociferatio namque una pene erat totius coronae, injuste lacerari virginem crudelitate judicis, non culpa peccantis: agi contra leges omnia, nec aequitatis jura servari. Stupens vero Praeses, et sono tanti clamoris adactus (quippe qui praeter humanam vocem, ipsa etiam putasset tecta corruere), mox Mariam relaxari praecepit. Tunc servari eam sub custodia libera Praeses jubet; Maria virgo signo Domini se munivit, et levatis ad coelum oculis, post relictum tribunal oravit ad Dominum, viditque aciem Angelorum, et multitudinem sanctorum, atque Filium Dei sedentem ad dexteram Patris. Hinc tanta subito gratulatione perfusa est, ut jam se paradisum ingressam putaret.

§ 4. Hi vero, qui eam fugientem persequebantur, subito stupuere virtute. Sed ubi illa se circumdatam a persequentibus vidit, lacrymans clamavit ad Dominum: «Ne permittas, inquit, Domine, tradi ancillam tuam, et lacerari manibus impiorum: sed ostende misericordiam tuam: cito exaudi ancillam tuam, exaudi, Domine Rex coelestis.» Et dum ita oravit, petra, quae ante oculos ejus jacebat, Domino jubente, patefacta, rimam perfugii, qua virgo susciperetur, ostendit, et ad instar dulcissimae nutricis, vel carae matris, motu quodam anxiam amplexans, se praebuit: moxque suscepta virgine, latera ante aperta conclusit. Hoc cum carnifices perviderent, omnia loca petrae illius perscrutati sunt, sicubi erepta subito praeda ex oculis latitaret. Ibi adhaerentes exuviarum reliquias, et affixa saxo vestium frusta deprehendunt, atque incredibili stupore confusi, Praesidi gesta commemorant. Ille vero partim ira, partim admiratione commotus, jussit Philocomo principali Veronensium civitatis, ut ad praedictum locum festinus accedat, et ad eruendum lapidem innumeram secum multitudinem ducat. Statim igitur praeconis voce populus congregatur. Qui ubi primum ad praedictum locum cum eo, cui summa hujus operis fuerat assignata, pervenit, mox injicere manum lapidi tentaverunt, sed statim ab Oriente fulgor nimii splendoris exortus est. Nec mora, tonitruum et fragor quidam, ut putarentur cuncta corruere. Statim terra concussa est, et nutantia omnium corruere vestigia. Ecce autem duo equites, magno fulgore radiantes, a coelesti sede venientes, terras volatu nimio petunt: quorum sellae, frena et omnis ornatus ad instar lampadarum coelesti igne rutilabant.

§ 5. Hoc cum omnis illa quae convenerat, multitudo conspiceret, ita timore causa praesentis virtutis expavit, ut fugiente sensu pariter atque anima, in aeternam mortem oculi clauderentur. Caeteri vero, qui evaserant, ad profana templi simulacra fugientes, cum ad scelesta ingrederentur altaria, in ipsa perfugii sui sede ceciderunt: Neccorus ad ipsam templi januam spiritum fudit. Ubi vero templum omne repletum est, missus e coelo ignis, et populum exussit, et templum. Multifariae itaque mortis, tam a percussis quam incensis, numerus fuit duo millia septingenti. Pauci vero qui évaserant, civitatem petentes, magnis per omne iter vocibus conclamabant: Magnus Deus Mariae: magnus Deus Christianorum. Et crediderunt, perterriti eo timore, tria fere millia animarum. Passa est sancta virgo sub Adriano Imperatore *.

VITA S. VIGORIS EP. BAJOCENSIS

A LAUR. SURIO NONNIHIL CONTRACTA STYLO MUTATO. HABETUR IN ANTIQUIS MSS. CODICIBUS ABSQUE NOMINE AUCTORIS, SED VIDETUR FIDE DIGNA.

Floruit seculo VI — Gallus.

§ 1. Beatus Vigor in Atrebatensi ** territorio parentes habuit generis nobilitate et fide conspicuos. Cumque adhuc matris gestaretur utero, audivit illa ab Angelo in somnis habere ipsam in utero filium, quem Dominus sua gratia illustraturus esset. Regnante Childeberto Francorum Rege ***, educatus est intra monasterium beatissimi patris Vedasti, quod est in Atrebatensi territorio, ubi inter monachos in monastica religione degens, tanta obedientia et humilitate praeditus fuit, ut in ipsa pueritia et adolescentia aliis omnibus gratiosior videretur. At parentes ejus rebus locuplètes, non tam monachum, quam opum suarum haeredem, eum post se relinquere cupiebant. Ille vero non immemor sententiae Salvatoris, centuplum et vitam aeternam promittentis ei, qui reliquerit patrem et matrem et agros propter nomen ipsius, majori flagrabat rerum coelestium, quam terrenarum facultatum, desiderio.

§ 2. Itaque nuditatis et paupertatis studio, quicquid habere poterat in pauperes clam erogabat. Divino autem instinctu permotus, cum beatissimo patriarcha Abrahamo constituit exire e

* Et Antoninus, qui Adriano vita functo successit, et imperium tenuit ab anno 138 usque ad 161. *Adrianus* vocabatur.

** In territorio nempe cui *Artois* nomen est, cujus principalis urbs erat olim *Arras*.

*** Childebertus I *Catholicus*, qui obiit anno 558.

terra et cognatione sua : sed cum nesciret quonam iter intenderet, tandem ad Occidentem coepit proficisci assumpto itineris socio puero Theodemiro. Interim audit Angelum in somnis sibi dicentem : « Perge ire, quo coepisti, locus enim tibi a Deo paratus est, et multum populum ad veram traduces fidem. » Ita ergo divino fretus auxilio, pervenit in Bajocensem regionem * ad vicum quemdam, qui Redeverus dicitur, atque illic commoratus est. Erant vero loci ejus homines bruti, divini cultus ignari, sacrilegae superstitioni addicti, multis implicati erroribus, colentes daemonum simulacra, et Deum verum prorsus ignorantes. Coepit ergo vir Dei eis praedicare verbum Dei, extructoque oratorio, in vigiliis et precibus pernoctare, et assidue deprecari Dominum, ut ad cognoscendam veritatem corda paganorum sui spiritus gratia illustraret. Tantam autem ei gratiam contulit Deus, ut pene omnes ad Christum converteret praedicatione sua et multis sanctitatis exemplis.

§ 3. Volens ergo Christus militem illum suum in ea regione innotescere, hac ratione id effecit : Vir quidam, quem ipse converterat, filium habuit impense carum, qui febre correptus, excessit e vivis. Ejus corpusculum mater, acerbissime dolens, collocavit in lectulo : veniensque ad Virum Dei, cum ingenti ejulatu dixit : « Sancte Vigor, si vere servus Dei es, et si vera sunt quae in nomine Jesu Christi annuncias, veni, excita filium meum vitâ functum, et credemus missum te a Domino in regionem hanc ad illuminandos nos. » At Vir sanctus humi se prosternens, orabat Dominum cum lacrymis, ut puero vitam restitueret in illius populi salutem. Expleta oratione, ait ad mulierem : « Quid mihi molestiam exhibes? Dixi tibi : si credideris toto corde in Deum verum, quicquid petieris, ab illo te impetraturam. » Credidit mulier, et abiit : et ecce ubi accessit ad fores domus suae, videt filium suum prosilientem, laudantemque Deum et dicentem : « Laudo et magnifico Christum filium Dei, qui mihi per preces servi sui Vigoris, vitam et salutem reddidit. » Multo ille tempore postea supervixit incolumis. Propter hoc autem miraculum fama beati Viri longe lateque increbuit, et ad eum confluxere caeci, claudi, aliisque morbis afflicti, qui ejus precibus curati sunt.

§ 4. Per id tempus Volusianus quidam, homo opulentus, praediis et familia locuples, in eadem regione degens, venit ad Virum Dei, aitque illi : « Scio miraculis potentem te esse, quae per te Dominus efficit. Oro igitur, ut venias ad possessionem meam. Est enim illic in silva serpens immanis, qui flatu suo et homines et pecora multa adurit, ut nemo ausit in ejus loci circuitu quicquam attingere. Tu nos precibus tuis ab illo libera. » Respondit Vir Dei : « Non possum ego quicquam per me efficere,

* Cujus *Bayeux* praecipua erat civitas.

nisi Christus filius Dei, qui dedit discipulis suis potestatem calcandi super serpentes et scorpiones, et super omnem potestatem inimici, constantiam mihi praestet ad conterendam callidissimi serpentis nequitiam. Abi nunc igitur, et die tertio huc revertere, et si Deo visum erit, ibo tecum. » Suo ergo more Vir Dei in preces incumbens, et biduanâ inediâ se afficiens, multasque fundens lacrymas, implorabat Dei misericordiam. Inde tertio die accedens ad locum, reperit viam qua serpens ibat ad fontem, et rursus redibat ad specum suam. Eam autem viam antiquae maceriae et quaedam ingens arbor obtegebant. Propius igitur ad specum se adjungens, exclamat Vir Dei : « Serpens antique et satan, praecipio tibi in nomine Jesu Christi fili Dei vivi, qui servis suis dedit virtutem ambulandi super aspidem et basiliscum, et conculcandi leonem et draconem, ut exeas ab hac specu. » Mox prodit ille, stridens dentibus, et erecto capite flammas vomens, tamquam jam devoraturus hominem Dei. Fertur longus fuisse ad pedes quadraginta, adspectu terribilis. Postquam autem vidit Christi servum, mox contracto ore et abjectâ cervice, venit ad eum. At Vir sanctus sublata manu Crucis signum èxprimens, orarium suum injicit in collum ejus, eumque ligatum tradit discipulo suo ceu ovem mansuetam, dicens ei : « Duc eum ad littus maris, nec ultra liceat ei in hoc loco commorari. » Cernens haec populus, qui ad hoc spectaculum convenerat, in Dei laudes prorupit : « Revera, inquiens, Deus est in servo suo, per quem tale edidit miraculum sub oculis nostris. » Porro Volusianus abjiciens se ad pedes beati Viri, Dominum confitebatur mirabilem in sanctis suis : donavitque sancto Vigori locum, qui Cerisiacus dicitur, qui in circuitu ferme quinque et viginti viculos habuit.

§ 5. Alius etiam serpens exiit e loco, quem Cellam nominant : sed illum quoque Vir beatus profligavit. Sed et apud Cameronem trans fretum alius mirae magnitudinis egressus, audivit a Viro Dei : « Praecipio tibi draco, ne humum deinceps attingas, neque ulli homini nocere ausus sis ; » atque ita mox ille praeceps in mare ruit. Has ob causas, ea quae diximus, praedia Vir Dei dono accepit. Fama autem virtutum ejus in dies augescente, cum e vita abiisset Bajocensis civitatis Episcopus, Clerus omnis et populus sanctum Vigorem sibi petiit Episcopum. Dei ergo nutu et multorum Pontificum favore Episcopus ordinatus est. Eam vero dignitatem, virtutum studiis bonorumque omnium exercitatione ornavit. Nam deinceps operam dedit, ut magis magisque purum Domino exhiberet famulatum, die noctuque jejuniis, vigiliis, orationibus, divinis lectionibus et concionibus vacans. Ea tempestate, cum ad concionandum iret, venit in montem, qui tum quidem Phoenus appellabatur, nunc autem Chrismatus dicitur, milliario uno ab urbe. In eo monte erat saxea effigies mulieris, quam loci ejus incolae tamquam sacrum quiddam colebant. Cumque Vir Dei

suo more verbum Dei illis praedicaret, omnes rustici illi indignabundi cum multa injuria eum ejecerunt, dicentes : « Nos patrum nostrorum morem retinebimus, et neque a cultura deorum nostrorum unquam recedemus, neque tuis dictis obtemperabimus. » Quamobrem commotus Vir Dei, recessit inde. Postea vero ad Regem Childebertum se conferens, narravit ei quemadmodum regio Bajocensis ad fidem traducta sit, demptis ejus montis incolis, qui etiamnum profana superstitione diabolicis erroribus implicati tenerentur. Rex autem admirans sanctitatem et famam beati Viri, ait ad eum : « Novit sanctitas tua montem illum esse regiae ditionis, et priscis temporibus fiscum regalem fuisse. Ego vero illum cum omnibus quae ad eum spectant, tibi trado perpetuo possidendum, ut omnem illic idololatriam destruas, et in Christi nomine ecclesiam aedifices. » Itaque Episcopus locum illum repurgavit, Bajocensesque omnes strenuam illi in construenda ecclesia operam navarunt : locique habitatores, pii et religiosi effecti sunt, et mons Chrismati nomen accepit : decretumque est, ut ab illo die Episcopus Bajocensis in solemnitate Paschali tres ibi infantes baptizet, atque ita cum reliquiis, cum presbyteris et diaconis, sacris vestibus indutis, cum choro psallentium domum revertatur. Adveniebant etiam ad Virum Dei multi vicini Episcopi, et praedia atque possessiones ei largiebantur. Complures etiam Clerici eo in loco divinae se servituti subdebant.

§ 6. Porro Bertulphus Comes regionis illius, avaritiae facibus incensus, agrum quemdam beati Viri invadere conatus, cum armatis hominibus eum occupavit. At Vir Dei multa jam aetate fessus, et pene lumine destitutus, per nuncium rogavit eum, ut exiret ab haereditate, a Domino Jesu Christo ipsi per hominum religiosorum manus attributa ; addiditque, nisi id faceret, se rogaturum Dominum, ut suam haereditatem tueatur. Sed vir ille superbià tumidus, nuncium sancti Episcopi cum injuria abjecit, etiam minas intentans, ni ocius abscederet ; perrexitque agrum magna contentione colere. Ubi id renunciatum est Viro Dei, conscenso vehiculo suo, venit ad montem ; ingressusque in templum, oravit Dominum, ut defenderet haereditatem suam. Necdum vero preces finierat, cum ecce repente ab equo corruit, et fractis cervicibus expiravit, aeternas apud inferos daturus poenas. Qui autem cum eo venerant, ea re conspecta, celerrime domum abiere ; nec quisquam deinceps ausus est Viri Dei possessionem sibi vindicare. Multa alia per eum Dominus operatus est, quae ne fastidioso lectori molestiam afferamus, omittimus. E plurimis autem haec pauca annotavimus, ut prudens Lector ex iis plura possit colligere. Obiit Vir beatus, senex et plenus dierum Calendis Novembris, perfectus timore et fide Domini nostri Jesu Christi ; permultosque discipulos in fide sanctae Trinitatis educatos, post se

reliquit. Conditus autem est in monte Chrismato, ubi ipse monasterium sibi condiderat : ubi per ejus merita plurimae divinitus curationes et beneficia usque in hodiernum praestantur diem: largiente Domino nostro Jesu, qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat per cuncta secula seculorum, Amen.

S. JOANNIS DAMASCENI *

QUOD II QUI CUM FIDE EX HAC VITA EXCESSERUNT, VIVORUM MISSIS AC BENEFICIIS JUVENTUR.

ORATIO JACOBO BILLIO INTERPRETE.

§ 1. Suavibus et exquisitis cibis propositis, saepenumero non ii tantum qui fame laborant, ad edendum attrahuntur, sed nonnunquam etiam ii, quos jam satietas cepit, extimulantur: quemadmodum etiam poculis ingenti suavitate atque fragrantia praeditis non illi dumtaxat qui siti afficiuntur, sed illi quoque qui sitim expleverunt, ad bibendum illici solent. Atque item qui opum cupiditate flagrant, cum amplissimas divitias adepti sunt, amor tamen eos huc adigit, ut occasiones undecumque captent, quibus quotidie facultates suas augeant. Ad eundem igitur modum, o praestantissima et selecta Ecclesiae Dei membra, sacerdotes et patres, fratres, matres ac filii carissimi, nec divinorum oraculorum fames, nec sacrarum disciplinarum sitis, nec rursus divinae scientiae penuria, ut ad eas, quas nunc proponimus, sermonis epulas accumbatis efficit, verum cupiditas vere divino beneficio insita, quae de virtute in virtutem, et de gratia in gratiam, et de memoria in commemorationem nos provehit. Plerumque etenim usu venit, ut quod homines adulta aetate fugit, hoc puer inveniat; et quod eruditos praeteriit, indoctis in mentem veniat; et quod magistros fefellit, discipulis occurrat. Quamquam ne hac quidem oratione mihi ad vos uti licet. Quin potius, ut qui racemulum aliquem post vindemiam relictum, aut spicam post demessas segetes ob ingentem frugum copiam neglectam, aut denique poma aliquot, post collectos arborum fructus oblivione transmissa congesserunt: ita nos, Christo Deo vero adjuvante, ac sermonem per opera confirmante, eos qui voluerint, epulis accipiemus.

§ 2. Ergo serpens ille atque execrandus hostis, qui circa praeclaras ac Deo gratas actiones omnes et cogitationes serpit ac jugulatur, quique fraterna charitate perstringitur, et fide disrumpitur,

* Vita S. Joannis Damasceni Confessoris habetur in Surii nostri Vol. quinto.

et mutua commiseratione concutitur, ille inquam consceleratus ac nefarius novum quoddam et absurdum, sacrisque sanctionibus omnino contrarium dogma quibusdam in animum injecit, nempe pia omnia opera quae mortem sequuntur, nullam omnino defunctis utilitatem afferre. *Conclusit*, enim, inquit Scriptura, *Deus adversus eos* (*Job* XVI). Et: *Reportabit unusquisque per corpus, juxta id quod fecit, sive bonum, sive malum* (2. *Cor.* V). Et: *In inferno quis confitebitur tibi?* (*Ps.* 6). Et rursus, *Quia tu reddes unicuique juxta opera sua* (*Ps.* 61). Ac denique, *Quod quisque seminaverit, hoc et metet* (*Gal.* VI). At, o sapientes viri (sic enim eos alloquamur), pervigilate, quaeso, atque istud discite, magnum quidem Dei omnium Domini metum esse, verum multo majorem bonitatem: et horrendas quidem ac pertimescendas ipsius minas esse, caeterum ipsius benignitatem nulla conjectura pèrcipi posse; ac denique in ipsius sententiis ac suppliciis quamquam terroris multum insit, rursus tamen miserationum ipsius pelagus omnem orationis facultatem superare. Animadvertite enim, quid Scriptura sacra de Juda Machabaeo memoriae prodiderit *, nimirum eum in Sion Regis magni civitate, cum populum, cui praeerat, ab exteris hostibus caesum et obtruncatum vidisset, sinusque eorum excutiens, condita in ipsis Idola comperisset, statim expiandi hujusce sceleris causa Domino, ad misericordiam prompto atque propenso, pro unoquoque eorum munera obtulisse: in eaque re summae pietatis et charitatis munere perfunctum fuisse. Unde etiam factum est, ut divina Scriptura, quemadmodum omnibus aliis nominibus, ita hoc quoque nomine summis eum laudibus evexerit, ac mirifice commendarit.

§ 8. Porro autem Verbi discipuli atque conspectores, a quibus orbis universus captus est, illi inquam Salvatoris discipuli ac divini Apostoli, ut in tremendis ac puris vitamque afferentibus mysteriis, eorum qui cum fide diem vitae extremum clausissent, memoria fieret, instituerunt. Quod etiam firme atque constanter, ac sine ulla controversia Catholica et Apostolica Ecclesia, ab extremis finibus ad extremos usque fines, ab eo tempore ad hunc usque diem semper retinuit, ac tantisper dum mundus hic erit, retinebit. Nec vero inconsiderate ac temere et sine ratione hoc ab illis est institutum. Neque enim quicquam, quod utilitate careat, Christianorum religio, quae ab omni errore aliena est, suscepit, fixumque semper ac stabile retinuit: sed frugifera omnia, Deoque grata atque accepta, majoremque in modum utilia, atque ita comparata, ut maxima ex iis salus oriatur. Quocirca eruditissimus ille, atque in explicandis rebus divinis exercitatissimus Dionysius ** (libet enim, quo planius fiat id quod probandum institui, divina ac veneranda ipsius verba usurpare) in mystica sua de iis qui mortem obierunt contemplatione, diserte hoc asserit,

* In II. Machab. XII. ** *De Ecclesiast. Hierarch.*, cap. VII.

sanctorum preces in hac quoque vita, nedum post mortem, in iis qui sanctis precibus digni sunt, hoc est piis ac fide praeditis, efficaces esse. (Non est autem dubium, quin hoc loco per voculam hanc, *Nedum* nihil aliud intelligendum sit, quam, *quanto magis.*) *Non enim divinus pontifex, ac divinae justificationis interpres, ea unquam in animum induceret postulare quae Deo quam gratissima non essent, quaeque ipse se daturum minime recepisset. Ob idque profanis, hoc est, iis qui baptizati non sunt, cum e vita decesserint, ista haudquaquam precatur, atque optat.* Et rursus: *Divinus itaque pontifex, quae Deo grata sunt, postulat, quaeque ille prorsus daturus est.* Ac rursus: *Hoc igitur supplex a divina bonitate petit pontifex, ut errata per humanam imbecillitatem admissa, ei qui e vivis excessit, remittat, eumque in viventium regione collocet, in sinu Abrahae, Isaac et Jacob, in loco unde profugit dolor et tristitia et gemitus: dissimulante nimirum pro sua bonitate divina clementia maculas eas, quas is, qui vita abiit, ex humana fragilitate contraxit. Quandoquidem nemo, ut sacris oraculis proditum est *, mundus est a sorde.* Videsne, adversarie, quemadmodum preces eas utiles esse affirmet, quae pro iis adhibentur qui spe divina freti vitam cum morte commutarunt? Post hunc autem rursus Gregorius ille, qui a Theologia cognomentum traxit, in ea Oratione quam in Caesarii fratris funere habuit, de matre sua ad hunc modum loquitur. *Auditum est,* inquit, *praeconium dignum quod ad omnium aures perveniat. Ac matris moeror per egregiam ac sanctam pollicitationem, qua se filio, quicquid opum ipse habebat, ipsius nomine in parentale munus oblaturam recepit, exhauritur.* Et aliis quibusdam interjectis: *Atque haec sunt, quae a nobis proficiscuntur. Ac quaedam jam persolvimus, quaedam rursus persolvemus, anniversarios nimirum honores ac commemorationes offerentes.*

§ 4. Cernisne ut praeclara et pia ea munera esse asserat, quae eorum, qui vita functi sunt, nomine Deo offeruntur: anniversariasque commemorationes ab eo lubenter admitti? Deinceps ille vere aurea loquens, atque ab auro cognomentum nactus Joannes, ille inquam amoris erga pauperes ac poenitentiae dux et magister, in luculentissima sua enarratione in Epistolas ad Philippenses et Galatas his verbis utitur: *Nam cum Gentiles simul cum iis qui mortem obierunt, bona sua comburant, quanto tandem nequius est te, qui fide praeditus es, operam dare, ut ejus, qui fide praeditus erat, bona eum prosequantur; non ut ea in cinerem, velut illa, dilabantur: sed, ut majorem ipsi gloriam concilies, ac, si peccator erat is, qui fatis concessit, ejus peccata deleas: si autem probus ac justus, ea illi in mercedis ac remunerationis cumulum cedant.* Et rursus altera in Oratione **: *Excogitemus quemadmodum de iis qui obierunt, bene mereamur. Auxilium, quod nobis in*

* In Job xxv, 4. ** In Homilia III in *Epist. ad Philippenses.*

promptu est, ipsis offeramus, hoc est eleemosynas et oblationes. Id enim uberem fructum atque ingentem utilitatem ipsis accersit. Non enim haec frustra ac temere instituta, Ecclesiaeque Dei a sapientissimis ipsius discipulis tradita sunt, nimirum ut sacerdos, pro iis qui in fide obdormierunt, in tremendis mysteriis vota faciat. Probe siquidem norant hinc ingentem quaestum et utilitatem ad eos redire. His etiam adstipulatur doctissimus Gregorius Nyssenus ad hunc modum loquens: *Nihil inconsulte atque incassum a Christi praeconibus et discipulis proditum est, et in omnibus Dei Ecclesiis obtinuit: verum id utile ac Deo gratum est, nempe ut in divino ac splendidissimo sacro, eorum, qui e vita in recta fide discesserunt, memoriam agamus* *. Haec enim. *Tu reddes unicuique juxta operà sua* (*Ps.* 61, 13); et, *Quae quisque seminaverit, ea et metet* (*ad Gal.* VI), et quae his similia sunt, proculdubio de Creatoris adventu, et horrenda illius temporis sententia, atque hujusce mundi consummatione dicta sunt. Tum enim ferendi auxilii neutiquam tempus erit: verum omnis deprecatio frustra adhibebitur. Solutis enim nùndinis, negotiari jam atque quaestum facere non licet. Ubi enim tum pauperes existent? Ubi psalmorum cantiones? Ubi beneficia et probae actiones? Ac proinde ante horam illam id curemus, ut alii aliis opitulemur, ac benigno et hominum atque animarum amanti Deo ea, quae ex fraternae charitatis officio sunt, offeramus. Perlubenter enim id accipit, iisque, qui improvisos atque, ut ita dicam, imparati ex hac vita discesserunt, eas, quas propinqui ac familiares ipsi offerunt, praetermissi officii vices adscribit, perindeque reputat, ac si ipsimet his operibus functi fuissent. Sic enim facilis ille ac clemens Dominus a se postulari vult, eaque tribuere, quae ab iis quos creavit, ad salutem petuntur. Ac tum demum ad eorum preces omnino inflectitur, cum quis non modo pro animae suae salute contendit, sed proximi quoque causa operis aliquid navat (hac enim ratione Dei similitudinem in se expressam refert), aliorumque dona, ut sua beneficia, petit, ac perfectae charitatis metam attingit, beatitudinemque, dum de proximi anima bene meretur, quammaxime percipit.

§ 5. Quidnam autem est, quamobrem grave ac molestum hoc quibusdam videatur? An non ea **, quae martyrio prima perfuncta est, Falconillae vita functae salutem attulit? At dices fortasse, hanc merito, quia princeps martyr erat, hoc consecutam esse, aequumque fuisse preces ipsius exaudiri. Recte, inquam, ais, eam primam martyrem fuisse. Velim autem hoc rursus consideres, cujusnam causa postulabat. Nempe pro Gentili et Idolorum cultrice, profanaque prorsus opifice, atque a Christo

* Locus hic nusquam occurrit in S. Gregorii Nysseni editis.
** Videlicet S. Thecla. Liberatam esse ab inferis Falconillam significatur quidem in Actis S. Theclae. Brevem S. Theclae Historiam vide in Vol. IX Surii nostri.

aversa. Hic autem fidelis pro fideli ad eumdem Dominum preces fundit. Fac igitur alterum cum altero compares, ut res ipsa exaequetur. Confer te rursus ab his ad alia ejusdem generis et facultatis, nimirum ad Lausiacam illam Palladii historiam, in qua miracula a magno ac mirifico viro Macario edita verissime perscripta sunt. Is etenim de iis qui fatis concesserant, siccum quoddam cranium sciscitatus, omnia perdidicit. Cumque ex eo quaesivisset: Nunquamne igitur solatii aliquid invenitis? (Usitatum enim ac familiare sancto viro erat, pro iis qui e vita migraverant, vota facere, avebatque scire, an fructuosae illae atque utiles essent.) Hoc Dominus, cujus mirus erga animas amor est, servo suo indicare exploratumque reddere volens, veritatis sermonem sicco illo cranio inspiravit. *Quo tempore,* inquit, *mortuorum causa preces offers, tum sane nonnullius solatii sensu afficimur* *. Rursus. alii cuipiam e divinis Patribus, cujus discipulus quidam negligenter vitam instituebat, tandemque in ea incuria extremum vitae spiritum ediderat, ille singulari misericordia atque erga animas benevolentia praeditus Dominus, senis lacrymis precibusque commotus, eum instar divitis illius, de quo in Lazari historia mentio fit **, ad collum usque deflagrantem ei ostendit. Ac deinde, cum senex permultis sese laboribus afflixisset, Deumque cum lacrymis obsecrasset, ad zonam usque rursus demonstravit. Posteaque item, cum vir sanctus labores laboribus adjunxisset, liberum prorsus eum, atque ab ignis ardore vindicatum per visum seni ostendit. Et quisnam tot de his rebus testimonia, in Sanctorum vitis ac divinis revelationibus sita, ordine recensere possit, quibus id perspicue ostenditur, defunctis, etiam post mortem preces eas ac Missas et eleemosynas, quae pro illis fiunt, magnopere prodesse? Neque enim quicquam eorum quae Deo mutuo dantur, omnino interit: verum cum maximo foenore ab eo rependitur. Nam quod ad illud Prophetae attinet, *In inferno quis confitebitur tibi* (*Ps*. 6)? Superius jam a nobis dictum est, minas quidem illius omnium rerum inspectoris graves atque horrendas esse: verum eas ab ipsius humanitate, quam nulla oratio assequi potest, superari. Siquidem postquam haec Propheta locutus est, fuit profecto quibusdam in inferno confessionis locus, iis videlicet, qui in salutari Domini descensu fidem amplexi sunt. Neque enim ille vitae auctor omnibus sine exceptione salutem attulit: sed iis demum, qui illic quoque, uti dictum est, ipsius fidem amplexi sunt.

§ 6. Ac nonnulli quidem per eos qui ante crediderunt, Patres et Prophetas, et Judices, et Reges, ac principes intelligunt, aliosque nonnullos Hebraici populi, qui facile recenseri possunt, omnibusque noti ac perspicui sunt. Nos vero adversus eos, qui ita

* Historia haec in *Vitis Patrum*, Ruffino auctore, aliisque antiquis Scriptoribus reperitur. In qua explicanda operam suam posuit S. Thomas in 4 dist. 45, quaest. 2.
** In Luc. XVI, 23.

sentiunt, ad hunc modum disseremus. Nec beneficii loco ducendum, nec novum ac mirum hoc censendum est, iis nimirum, qui crediderint, salutem a Christo allatam esse: quippe cum solus ipse judex aequitate praestet, nec periturus sit, quisquis ipsius verbis fidem adhibuerit. Quocirca eos omnes salutem consequi, atque ad Dei ac Domini descensum inferni vinculis solvi, necesse erat. Id quod etiam ipsius providentia contigit. At vero cuncti illi, mea quidem sententia, sola ipsius benignitate ac misericordia salutem acceperunt, qui etiamsi alioqui vitae puritate excelluissent, atque optimis quibusque actionibus perfuncti fuissent, tenuiterque ac temperanter et caste vixissent, tamen puram ac divinam fidem haudquaquam perceperant, ut qui nulla omnino disciplina aut cujusquam magisterio eruditi excultique fuissent. Hos quippe ille omnium moderator ac Dominus retibus divinis inclusos sublime traxit, eisque cum divinorum radiorum splendorem injecisset, ac veritatis lumen ostendisset, ita eorum animos inflexit, ut in eum crederent. Neque enim ille natura misericors, tot labores frustra atque incassum ab ipsis susceptos fuisse sustinebat. Per difficilem enim et aerumnosam, ac, supra quam dici queat, angustam vitam duxerant. Nam et animi perturbationibus imperaverant, et voluptates respuerant, et paupertatem ac continentiam ad extremum usque coluerant, et vigiliis se confecerant, atque, ut paucis complectar, omnia virtutis munera, haud pie illi quidem, sed tamen expleverant, summaeque providentiae, ut quidem ipsis videbatur, praestantissime, tametsi nos sine erroris labe, cultum et venerationem adhibuerant. Quin fuerunt etiam nonnulli, qui divinam omnipotentis Trinitatis fidem, exiliter illi quidem ac perobscure, sed tamen perceperunt. Alii autem Verbi incarnationem, venerandosque ipsius cruciatus, reditumque ad vitam praedicarunt. Alii ortum ex virgine, atque adeo nomen ipsius enunciarunt. Maria enim, inquit, nomen puellae. Alii rursus eximia illa omnia, naturaeque vim excedentia, a Christo edita miracula vaticinati sunt, hoc est mortuorum excitationem, caecorum, mutorum, leprosorum, surdorum, febricitantium, hydropicorum, ac manus siccitate laborantium, paralyticorum, atque eorum, qui daemonum intemperiis vexabantur, curationem, obambulationem item in mari, et panum ac piscium benedictionem, rursusque aquae in vinum commutationem, haemorrhoissae denique ac curvae prorsus mulierculae sanationem, una cum quamplurimis aliis rebus praedicentes. Hos, inquam, divina Verbi potentia perire, optimarumque actionum fructu carere, minime sustinuit. Temporis enim pars, ipsi, ut diximus, commodata, in obscuritatem haudquaquam abit: verum omnibus iis qui vitae curriculum honeste confecerint, servata, cumulatiore postea mensura refertur. Contra, qui turpiter et scelerate vixerunt, nihilque omnino, quod cum virtute conjunctum esset, egerunt, nec semen

ullum aut fructum habuerunt: verum et vita, et sermone, et fide prorsus aberrarunt, nec, pluvia divina coelitus in eos fusa, ullum germen ediderunt (neque enim, ut jam a me dictum est, sementem ullam fecerunt), nec, ut prorsus steriles, illucente gloriae Sole maturuerunt, his profecto nullo modo Christus profuit, nec lapsos, ut opinor, secum excitavit, ut qui salute penitus indigni essent. Quin ne in ipsum quidem eos credidisse existimo. Primus etenim ille ex superbia in tenebras lapsus draco, quem a prima aetate coluerunt, mentes eorum ac spirituales cordis oculos caecavit, ut videntes non viderent, quemadmodum scriptum est, et intelligentes omnino non intelligerent. Reliqui autem omnes qui semen susceperunt, illapsa pluvia germen protulerunt, atque exorto Sole maturitatem contraxerunt. En quo nos oratio provexerit, ut rem pene opertam et occultam, juvante Deo, explicaremus, atque id non velut sententiam quamdam pronunciantes (neque enim id patitur nostra indignitas), sed rationibus atque conjecturis, ut charitas postulat, utentes. Hi sunt videlicet, ut quidem mea fert opinio, quibus Christus in inferno salutem attulit.

§ 7. Sic igitur a nobis, juvante Christo, demonstratum est, in inferno quoque confessionem extitisse. Nec vero haec eo commemoranda duximus, ut prophetiam evertamus (procul hoc Deus avertat), sed ut planum faciamus, illum bonitate omni praestantiorem Dominum ab humanitate sua clementiaque vinci: quemadmodum in *Ninive subvertetur* (*Jonae* III, 4): et tamen subversa ac deleta non est, verum judicii severitatem benignitas superavit. Et in Ezechia, *Dispone domui tuae*, *morieris enim et non vives* (4. *Reg*. XX): nec tamen morte abreptus est. Et in Achab, *Inducam*, inquit, *mala* (3. *Reg*. XXI): nec tamen induxit, verum his verbis usus est, *Vide quo pacto compunctus est Achab quamobrem in diebus ejus mala non inducam*. Hic quoque rursus benignitas latam sententiam vicit, quemadmodum et in plerisque aliis judiciis, semperque usque ad extremum referendae mercedis tempus superabit. Nam tum nundinae solventur, nec ferendi auxilii tempus erit: sed unusquisque sarcinam suam gestandam habebit. Nunc vero et opis ferendae tempus est, et tempus negotiandi, et tempus contrahendi, et tempus laboris et aerumnae. Ac beatus quidem ille, qui spe minime titubarit atque elanguerit. Beatior autem, qui et sua et proximi causa laborarit. Nam hoc etiam misericordem Dominum impensius oblectat et exhilarat, cum quisque ad proximum juvandum celebri cursu contendit. Hoc, inquam, misericors ille vult, gratumque habet, ut nos omnes, tum in vita, tum post confectum vitae curriculum, mutuo alii ab aliis juvemur. Neque enim alioqui ansam hanc nobis porrexisset, ut eorum qui e vita migrassent, in incruento sacrificio meminissemus, neque ut tertio et nono, et quadragesimo die, ac

denique anno vertente in eorum memoriam sacra obiremus (quae quidem citra ullam controversiam Catholica et Apostolica Ecclesia, divinitusque collectus ipsius populus, constanter ac sine ulla ambiguitate retinet), nisi hoc in ipsius oculis rectum esset. Non enim dubium est, quin, si ridiculum id esset, fructusque atque utilitatis expers, cum multi divino numine afflati sancti viri, Patriarchae, Patres, ac magistri extiterunt, hoc cuipiam eorum in animum injecisset, ut errorem comprimeret. Atqui nemo ipsorum ritum hunc sibi unquam convellendum et evertendum putavit: immo vero confirmavit: indiesque res haec augetur, ac novas subinde accessiones facit. Quod si alios insuper Historicos commemorare opus est, prodeat in medium Gregorius Dialogus * antiquioris Romae Episcopus, vir, ut omnes norunt, tum vitae sanctitate, tum eruditione clarus ac celebris, quem, cum sacris operaretur, coelestem ac divinum Angelum sacrosancti muneris socium habuisse narrant. Hic cum per locum lapidibus stratum aliquando iter faceret, deditâ operà constitit, intentissimasque pro peccatorum Trajani remissione preces ad animarum amantem et misericordem Dominum fudit, statimque vocem hujusmodi divinitus emissam audivit, *Preces tuas exaudivi, ac Trajano ignosco. Tu vero posthac caveto, ne mihi pro impiis supplex sis* **. Quodque istud verum sit, atque ab omni calumnia alienum, Oriens totus atque Occidens testantur. En hoc praestantius eo est, quod de Falconilla refertur. Illa enim praeter idolorum cultum nihil aliud sceleris perpetrarat: hic contra plurimos martyres crudelissima morte affecerat. Mirabilis es, Domine, et mirabilia opera tua: ac tuam omni sermonis facultate praestantiorem misericordiam laudibus vehimus: quoniam nunquam non ad benignitatem atque clementiam pronus es, tuisque servis, tum colendae mutuae inter se charitatis, tum firmae erga te fidei ac spei, occasionem praebes, nec frustra ac temere per servos tuos id nos edocuisti, ut mutuo alii pro aliis beneficia praestemus, expiationesque et holocausta, hymnosque item et psalmorum cantus atque orationes obeamus. Tu enim ab errore omni abes, distasque plurimum, atque ad largiendum promptus ac proclivis es, iisque qui in gloriam tuam quidvis offerunt, vicem infinitis partibus majorem rependis: nec quicquam omnino ex iis, quae nominis tui causa fiunt, fruge sua et utilitate caret.

§ 8. Quocirca ne quis hoc existimet, Fratres ac Patres, ea quae Deo cum fide offeruntur, non cum magno foenore referri Quemadmodum enim qui unguentum, aut aliud oleum sanctum aegroto admovere cupit, primum ungitur ipse, atque ita aegrotum deinde ungit: sic quisquis pro salute proximi laborat, primum

* Scilicet, *Dialogorum Auctor*. Hoc apud Graecos cognomen S. Gregorius Magnus obtinuit, ex quo Zacharias pontifex ejus dialogos in graecum sermonem transtulit.

** Haec quae de Trajano et S. Gregorio M. traduntur, inter commentitia et fabulosa esse rejicienda, nemo prorsus ignorat.

sibiipsi, ac deinde proximo, utilitatem affert. Neque enim injustus est Deus, ut boni operis obliviscatur, quemadmodum Apostolus loquitur. Quin magnus quoque Athanasius in elegantissima illa Oratione, quam de iis, qui e vita discesserunt, edidit, his verbis utitur: *Etiamsi in aëre collocatus sit ille, qui cum pietate diem vitae extremum egit, tamen implorata Christi Dei ope oleum ac ceram ad ipsius sepulcrum accendere ne recuses. Grata enim et accepta haec Deo sunt, ingensque ab eo praemium referunt. Oleum enim ac cera, holocausti instar sunt: incruentum autem sacrificium, Deum placat. Beneficentia denique erga pauperes, bonae omnis remunerationis incrementum est. Quamobrem ei, qui pro defuncto oblationem facit, idem sit propositum, quod illi, qui parvulum filium, ac prorsus infirmum et imbecillem habet: ac deinde eo morbo laborante cereos et suffitum cum oleo conjunctum ad divinum templum affert, eaque filii nomine àdolet atque absumit. Non enim haec puer ipse tenet, atque offert, quemadmodum nec renunciationes atque conjunctiones ipse obit, cum divinitus regeneratur. Consimilem in modum existimet eum, qui extremo vitae die in Domino perfunctus sit, cereos et oleum, eaque omnia quae pro ipsius redemptione offeruntur, et manibus tenere, et offerre. Hac enim ratione per Dei gratiam ab eo scopo, quem cum fide intuetur, haudquaquam aberrabit. Nam et divinarum rerum praecones Apostoli, et sacri magistri, et Spiritu Sancto inspirati Patres, ac numine divino, quantum fas est, correpti, potentiaeque ipsius, quae hominem extra se rapit, utcumque participes effecti, divino ore, uti Deo gratum erat, ista omnia, hoc est Missas et preces, ac psalmorum cantus, anniversariasque eorum, qui morte praerepti sunt, commemorationes instituerunt, atque sanxerunt. Quae quidem ad hunc usque diem benigni Dei gratia, ab Ortu Solis usque ad Occasum et Septentrionem ac Meridiem, in Domini Dei, qui regium in Reges imperium obtinet, laudem atque gloriam augentur, ac novis subinde accessionibus amplificantur.*

§ 9. At, inquit adversarius, si res ita se habet, omnes salutem consequentur, nec quisquam erit, qui ab ea aberret. Recte sane: atque utinam ita contingat! Hoc enim ipsum et sitit, et vult, et quaerit, et èxpetit, atque in hoc gaudet et oblectatur, ille bonitate omni sublimior Dominus, ut ne quis divinis ipsius beneficiis excidat. Quid enim? An praemia et coronas Angelis paravit? An ea de causa in terram venit, et ex virgine sine ulla corruptionis labe carnem suscepit, atque homo extitit, cruciatusque et mortem subiit, ut coelestibus Mentibus salutem afferret? An Angelis dicturus est, *Venite, benedicti Patris mei: percipite regnum quod vobis paratum est* (*Matth.* XXV, 24)? Hoc certe, o adversarie, dicere non potes. Verum quemadmodum hominis causa passus est, sic et omnia ipsius causa paravit. Ecquis enim est, qui cum epulas instruxerit, atque amicos invitarit, non omnes

ipsos venire, ac bonis suis satiari velit? Quorsum enim convivium instruxit, nisi ut amicos suos exciperet? Quod si hoc tantae apud nos curae est, quid de munifico illo ac solo natura quam optimo Deo dicemus, qui cum largitur ac tribuit, majore gaudio perfunditur, quam is qui accipit, ac salutem maximam sibi comparat? Hoc itaque tecum reputa, quisquis es, qui de iis quae a nobis dicta sunt, ancipitis animi es, quod quisquis ille sit mortalium, qui exiguum quidem virtutis fermentum collegit, caeterum non hoc consecutus est, ut panem ex eo conficeret, verum istud quidem in animo habuit, sed vel ob socordiam et incuriam, vel ob animi imbecillitatem, aut de die in diem dilationem, id nequiverit, morteque praeventus, ac praeter spem dissectus fuerit, hunc aequus ille Judex ac Dominus haudquaquam obliviscetur: verum ipsi, postquam e vita discesserit, propinquos ac necessarios excitabit, eorumque mentes reget, et corda trahet, et animos ad opem et auxilium ipsi ferendum inflectet. Atque ita, Domino divinitus ipsorum corda tangente atque impellente, summa cum festinatione in hoc incumbent, ut praetermissas ab eo, qui e vivis excessit, officii vices expleant. At quisquis rursus improbam ac flagitiosam vitam, atque undique spinis òbsitam, impurisque materiis confertam duxerit, neque unquam in instituenda vitae ratione conscientiam in consilium adhibuerit, verum sine ullo metu ac delectu in voluptatum coeno sese volutarit, omnibus carnis cupiditatibus obsequens, de anima autem ne tantillum quidem laborans, affectumque omnino carnalem habens, hic si ita hinc abreptus e vita migraverit, neminem prorsus habebit, qui manum ipsi porrigat: verum ea cónditione erit, ut ne ab uxore quidem, aut liberis, aut fratribus, aut cognatis, aut amicis, quoquo modo juvari queat: utpote quem ne Deus quidem ullo loco ac numero habeat. Mihi enimvero (iisque quibus ego carus sum) illud quidem, si fieri potest, contingat, ut mihi ipsi subsidium feram, nec ullam officii partem inchoatam relinquam.

§ 10. Quod si me fata ante interceperint, utinam saltem ille amplissima misericordia praeditus Dominus mihi propinquos et amicos inflectat, animasque ac corda eorum calore afficiat, ut per opera proba et Deo grata perquam lubenter ac prompte mihi suppetias ferant, et si quid, pro humana imbecillitate, officii praetermiserim, illud meo nomine post mortem meam expleant. Utinam inquam, Domine, qui miraculorum es Deus, iisque qui penuria conflictantur, liberalem manum porrigis, nihil in adventu tuo, quod vel mihi desit, vel cuiquam eorum, qui fiduciam suam in te sitam habent, reperiri queat. Sic quippe is etiam, cujus ante mentionem fecimus, divinus praeco Chrysostomus clara voce docet, ac vociferatur. Atque ut praeclarissima ac prorsus aurea ipsius verba rursus usurpem, *Si*, inquit, *cum adhuc superstes esses, non eo progressus es, ut animam tuam omni ex parte prope compositam*

haberes, sallem illud in vitae calce tuis manda. atque impera, ut post obitum tuum facultates tuas ad te transmittant, ac per opera bona, hoc est eleemosynas et oblationes, tibi subsidium ferant. Nam hinc quoque fiet, ut cum Redemptore in gratiam redeas. Haec enim ipsi grata sunt, et accommodata. Ac rursus idem alio loco: *In tuis*, inquit, *codicillis una cum liberis et cognatis cohaeredem quoque Dominum scribe. Charta tua Judicis nomen complectatur, nec pauperum memoriae sit expers. Atque ego horum fidejussorem me profiteor. Nec vero his verbis ansam atque occasionem cuiquam damus, ut, dum vivit, ab eleemosynis faciendis abstineat, easque post mortem servet. Absurdum enim omnino ac profanum id esset, atque a divina lege alienum. Quin potius id quidem pulcherrimum, Deoque gratissimum ac prorsus acceptissimum est, ut quilibet homo pius, Christique amore praeditus, per omnia probarum actionum genera sese purget, atque ab omni spurcitie cohibeat, clarissimisque Dei praeceptis arctissime haereat, ut cum ad vitae finem pervenerit, fidenti atque intrepido animo ad Dominum dicat: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum* (*Ps.* 107), *sicque adurgentibus Angelis laetus obviam prodeat.*

§ **11**. *Verum paucis istud ac raro contingit, quemadmodum ex his Domini verbis patet: Pauci sunt qui salvantur* (*Matth.* VII). *Quamquam non simpliciter et absolute istud a summa sapientia dictum est, verum perinde ac si quis per admirationem dicat: Quam pauci sunt qui salvantur! Hoc igitur cum nobis exploratum, perquam difficile esse, ut quispiam in prima classe reperiatur, secundam proinde, de Apostolorum ac Patrum sententia, necessario subjungimus, nimirum ut per Dei benignitatem iis qui in fata concesserint, utilitas afferatur, et charitas crescat, et resurrectionis spes confirmetur, et oratio fidesque in Deum robur concipiat, et crebrius, acrioribusque animis ad divina templa concursus fiat, et bene de pauperibus merendi studium amplificetur, latiusque sese porrigat.* En quot nominibus res haec utilis ac fructuosa fit, quotque rationibus nitatur ea utilitas, quae defunctis affertur. Siquidem ea omnia quae recensuimus, ex ea occasionem trahunt. Alioqui si causam sustuleris, nihil est quamobrem non ea quoque, quae ipsam sequuntur, simul tollas. Etenim quae tandem necessitas homines animi imbecillitate praeditos adducet, ut excitentur, atque istud munus expleant, nisi compertissimum habeant fore, ut de propinquis atque amicis suis bene mereantur? Quin pauperum quoque portiones in testamentis adscribi desinent, simulque etiam et Missae pro mortuis, et hymnorum ac psalmorum cantus finem habituri sunt, et quadragesima cum tertiis ac nonis, et anniversariae commemorationes et caeremoniae, quae quidem a magistris haud frustra inventae ac moribus receptae sunt. Absit autem ut quicquam horum ullo modo vel sentiamus, vel suscipiamus. Quod si quis pro peregrinis ac pauperibus, quique aliorum

subsidiaria opera carent, nec quicquam in Missas piasque erogationes relinquere possunt, ad hunc modum loquitur. Quid tandem iste ait? An quia ipsi opibus destituuntur, exterasque regiones incolunt, nulloque loco ac numero censentur, nec habent qui laboris socios sese illis adjungant, propterea salutem non assequentur? Iniquitas ergo in Deum cadet, siquidem habenti daturus est, non autem habenti nihil tribuet? Apagesis istud, quisquis ex ipso es. Justus enim est Deus ac Dominus, immo, ut verius loquar, justitia ipsa, et sapientia, et bonitas, et potentia vera, ac per se consistens. Quocirca pro sua justitia, pauperi, ac rerum omnium inopia laboranti, copias amplissimas rependet: pro sua sapientia id aget, ut ea quae ipsi desunt, permutatione suppleantur; pro sua potentia id quod robustum est franget, et quod infirmum est corroborabit; pro sua bonitate id quod manibus suis effinxit, conservabit: nisi quis perspicue deploratae improbitatis fuerit, rectamque fidem contempserit, in eaque causa sit, ut sinistra ipsius lanx deorsum prae gravitate majorem in modum propendeat.

§ 12. Narrant enim viri quidam divinitus illustrati, hominum actiones in extremo vitae spiritu, non secus atque in trutina perpendi. Ac siquidem dextra lanx supra alteram efferatur, non esse dubitandum, quin quisquis ille sit, inter dextros Angelos animam exhalet. Si autem paria utriusque lancis momenta sint, Dei clementiam proculdubio victoriam obtinere. Quin, ut a sanctissimis viris proditum est, etiamsi trutina nonnihil ad laevam vergat, tum tamen Dei quoque misericordia supplet id quod desideratur. Habes jam tres divinas Domini sententias, quarum prima justa est, altera benigna atque humanitatis plena, tertia bonitatem omnem excedit. Sequitur quarta, quae quidem tum denique locum habet, cum improbae et flagitiosae actiones nimium praeponderant. Eheu, Fratres: nam haec quoque justissima est, ut quae damnatis non nisi justa pronunciet. At illud quidam commemorabunt, quod ab illo orbis universi lumine beato Basilio dictum est: *Nolite errare, Deus non irridetur. Cadaver ad altare non adhibetur. Vivum enim,* inquit ille, *sacrificium tuum offer. Regis purpuratos ex mensae tuae reliquiis epulo accipere non potes. Etenim qui ex eo, quod redundat, offert, ut hujus munus grato animo accipiatur, fieri omnino nequit. Tu vero ea, quae post exactum totius vitae curriculum tibi superfuerunt, ei, qui te beneficiis affecit, offerre non dubitas?* Ad hoc nos ita respondemus: Praeclare magnus Basilius et loquitur et docet. Verum ad quos orationem habeas, animadvertas velim. Nimirum ad avaros, ad raptores, ad homines ab omni humanitatis foedere ac misericordia alienos: quemadmodum ipse testatur, cum ait: *Ad cor saxeum loquor.* Et rursus: *Quamdiu in vita versatus es, voluptatibus ac deliciis indulgens, ac luxu diffluens, pauperes ne contueri quidem sustinebas. Nunc autem*

haberes, saltem illud in vitae calce tuis manda, atque impera, ut post obitum tuum facultates tuas ad te transmittant, ac per opera bona, hoc est eleemosynas et oblationes, tibi subsidium ferant. Nam hinc quoque fiet, ut cum Redemptore in gratiam redeas. Haec enim ipsi grata sunt, et accommodata. Ac rursus idem alio loco: *In tuis,* inquit, *codicillis una cum liberis et cognatis cohaeredem quoque Dominum scribe. Charta tua Judicis nomen complectatur, nec pauperum memoriae sit expers. Atque ego horum fidejussorem me profiteor. Nec vero his verbis ansam atque occasionem cuiquam damus, ut, dum vivit, ab eleemosynis faciendis abstineat, easque post mortem servet. Absurdum enim omnino ac profanum id esset, atque a divina lege alienum. Quin potius id quidem pulcherrimum, Deoque gratissimum ac prorsus acceptissimum est, ut quilibet homo pius, Christique amore praeditus, per omnia probarum actionum genera sese purget, atque ab omni spurcitie cohibeat, clarissimisque Dei praeceptis arctissime haereat, ut cum ad vitae finem pervenerit, fidenti atque intrepido animo ad Dominum dicat: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum (Ps. 107), sicque adurgentibus Angelis laetus obviam prodeat.*

§ **11**. *Verum paucis istud ac raro contingit, quemadmodum ex his Domini verbis patet: Pauci sunt qui salvantur* (*Matth.* VII). *Quamquam non simpliciter et absolute istud a summa sapientia dictum est, verum perinde ac si quis per admirationem dicat: Quam pauci sunt qui salvantur! Hoc igitur cum nobis exploratum, perquam difficile esse, ut quispiam in prima classe reperiatur, secundam proinde, de Apostolorum ac Patrum sententia, necessario subjungimus, nimirum ut per Dei benignitatem iis qui in fata concesserint, utilitas afferatur, et charitas crescat, et resurrectionis spes confirmetur, et oratio fidesque in Deum robur concipiat, et crebrius, acrioribusque animis ad divina templa concursus fiat, et bene de pauperibus merendi studium amplificetur, latiusque sese porrigat.* En quot nominibus res haec utilis ac fructuosa fit, quotque rationibus nitatur ea utilitas, quae defunctis affertur. Siquidem ea omnia quae recensuimus, ex ea occasionem trahunt. Alioqui si causam sustuleris, nihil est quamobrem non ea quoque, quae ipsam sequuntur, simul tollas. Etenim quae tandem necessitas homines animi imbecillitate praeditos adducet, ut excitentur, atque istud munus expleant, nisi compertissimum habeant fore, ut de propinquis atque amicis suis bene mereantur? Quin pauperum quoque portiones in testamentis adscribi desinent, simulque etiam et Missae pro mortuis, et hymnorum ac psalmorum cantus finem habituri sunt, et quadragesima cum tertiis ac nonis, et anniversariae commemorationes et caeremoniae, quae quidem a magistris haud frustra inventae ac moribus receptae sunt. Absit autem ut quicquam horum ullo modo vel sentiamus, vel suscipiamus. Quod si quis pro peregrinis ac pauperibus, quique aliorum

subsidiaria opera carent, nec quicquam in Missas piasque erogationes relinquere possunt, ad hunc modum loquitur. Quid tandem iste ait? An quia ipsi opibus destituuntur, exterasque regiones incolunt, nulloque loco ac numero censentur, nec habent qui laboris socios sese illis adjungant, propterea salutem non assequentur? Iniquitas ergo in Deum cadet, siquidem habenti daturus est, non autem habenti nihil tribuet? Apagesis istud, quisquis ex ipso es. Justus enim est Deus ac Dominus, immo, ut verius loquar, justitia ipsa, et sapientia, et bonitas, et potentia vera, ac per se consistens. Quocirca pro sua justitia, pauperi, ac rerum omnium inopia laboranti, copias amplissimas rependet: pro sua sapientia id aget, ut ea quae ipsi desunt, permutatione suppleantur; pro sua potentia id quod robustum est franget, et quod infirmum est corroborabit; pro sua bonitate id quod manibus suis effinxit, conservabit: nisi quis perspicue deploratae improbitatis fuerit, rectamque fidem contempserit, in eaque causa sit, ut sinistra ipsius lanx deorsum prae gravitate majorem in modum propendeat.

§ 12. Narrant enim viri quidam divinitus illustrati, hominum actiones in extremo vitae spiritu, non secus atque in trutina perpendi. Ac siquidem dextra lanx supra alteram efferatur, non esse dubitandum, quin quisquis ille sit, inter dextros Angelos animam exhalet. Si autem paria utriusque lancis momenta sint, Dei clementiam proculdubio victoriam obtinere. Quin, ut a sanctissimis viris proditum est, etiamsi trutina nonnihil ad laevam vergat, tum tamen Dei quoque misericordia supplet id quod desideratur. Habes jam tres divinas Domini sententias, quarum prima justa est, altera benigna atque humanitatis plena, tertia bonitatem omnem excedit. Sequitur quarta, quae quidem tum denique locum habet, cum improbae et flagitiosae actiones nimium praeponderant. Eheu, Fratres: nam haec quoque justissima est, ut quae damnatis non nisi justa pronunciet. At illud quidam commemorabunt, quod ab illo orbis universi lumine beato Basilio dictum est: *Nolite errare, Deus non irridetur. Cadaver ad altare non adhibetur. Vivum enim,* inquit ille, *sacrificium tuum offer. Regis purpuratos ex mensae tuae reliquiis epulo accipere non potes. Etenim qui ex eo, quod redundat, offert, ut hujus munus grato animo accipiatur, fieri omnino nequit. Tu vero ea, quae post exactum totius vitae curriculum tibi superfuerunt, ei, qui te beneficiis affecit, offerre non dubitas?* Ad hoc nos ita respondemus: Praeclare magnus Basilius et loquitur et docet. Verum ad quos orationem habeas, animadvertas velim. Nimirum ad avaros, ad raptores, ad homines ab omni humanitatis foedere ac misericordia alienos: quemadmodum ipse testatur, cum ait: *Ad cor saxeum loquor.* Et rursus: *Quamdiu in vita versatus es, voluptatibus ac deliciis indulgens, ac luxu diffluens, pauperes ne contueri quidem sustinebas. Nunc autem*

cum e vita excessisti, quae tandem merces operi tuo debetur? Ac rursus: *Vicini domus luminibus meis officit.* Et: *Avarus nec tempus veretur, nec limites ullos agnoscit: sed ignis instar cuncta invadit ac populatur, et, rapidi fluminis in morem, impetu suo, quicquid occurrit, secum trahit* *. Et alia his similia, quae quidem ii omnes, qui in sanctissimum hujusce viri librum sedulo ac diligenter incubuerunt, adversus eos conferri non ignorant, qui pauperibus non modo nihil dederunt, sed ea etiam quae habebant, eripuerunt. Neque mihi quisquam hic dicat: Potestne reperiri quispiam homo ejusmodi, qui cum opibus circumfluant, pauperum tamen calamitate minime commoveatur? Ita certe inveniri potest, quemadmodum etiam, cum multis aliis temporibus, tum clarissimi quoque ac sanctissimi illius Joannis Eleemosynarii tempestate inventus est Petrus, quondam publicanus, qui ex summa inhumanitate ac morum truculentia ad summam ac numeris omnibus absolutam erga pauperes misericordiam sanctitatemque sese convertit. Cum enim aliquando, ut in beatissimae ipsius vitae libello proditum habetur, extra se raptus fuisset, suaque opera ad lancem expendi videret, siligneum panem unum, quem etiam ipsum in pauperis cujusdam faciem saxi loco iratus conjecerat, in dextera trutinae lance conspexisse dicitur. Quo viso commotus beatus hic Petrus ad summam pietatem evasisse compertus est.

§ **13**. En itaque sine dubio constat in quosnam Basilius sermonem habuerit. Nam eo tempore cum fames ingens et atrox exorta esset, divitesque nulla victi commiseratione opes suas comprimerent, pauperes egestate et fame confecti peribant. Eam ob rem divinus Pastor sermonibus, cum ad flectendos, tum etiam ad perfringendos animos accomodatissimis, divitum horrea patefecit. Ni enim hoc perorandi genus adhibuisset, nec pauperes levati, nec rursus divites inflexi ad misericordiam fuissent. Atque haec ille. Nos vero pro virili nostra provideamus, ne in horrendo illo formidabilique judicio, sive in secundo judicis nostri adventu, a necessariis nostris eo nomine accusemur, quod ea neglexerimus, quae pro illis praestanda nobis erant: in primis vero si res suas procurandas suaque deposita nobis commiserant. Neque enim hoc quisquam existimet, in tremenda illa concione aliis alios ignotos fore. Omnino plane suum quisque proximum agnoscet: non quidem ex corporis figura, sed perspicaci mentis oculo. Unde vis istud probemus? Audi Christum Dominum in pauperis parabola haec aperte dicentem: *Elevans*, inquit, *oculos suos dives, vidit Lazarum in sinu Abrahae sedentem* (*Luc*. XVI, 23): similiter proinde et Abraham agnovit. Nec quis dicat rem hanc parabolam esse, atque idcirco ea non demonstrari id quod nobis propositum est. Divinae siquidem Salvatoris nostrae parabolae rerum sunt

* S. Basilii Homilia in divites avaros.

quae perstant, quaeque contingere possunt, et quae palam extiterunt. Quinimmo, ut Joannes Chrysostomus ait: *Non eos dumtaxat, quos hic novimus, sed et illos quos nunquam vidimus, agnoscemus. Nec enim Abraham vidisti unquam, nec Isaac, nec Jacob, nec Patriarchas, nec Prophetas, nec Apostolos, nec Martyres: quos tamen in generali illo et tremendo coetu cum conspicies, protinus agnosces, et dices: En Abraham, et Isaac, et Jacob et reliqui Patriarchae.* Basilius item, divinarum rerum peritissimus, ad avaros orationem habens: *Non tibi*, inquit, *Christi tribunal ante oculos pones? cum illi quos injuria affeceris, undique te cingent, et clamoribus insequentur. Nam quocumque verteris oculos, perspicua scelerum simulacra cernes. Hinc pupillos, illinc viduas, aliunde pauperes quos male multasti, famulos quos flagris lacerasti, vicinos quorum animos offendisti, etc.*

§ 11. Quali autem pudore alioqui suffundi probrosi poterunt, nisi conspicui omnibus fiant? Tunc enim gravis et maximus est pudor, cum quispiam simul agnoscit et agnoscitur. Quisquis enim erubescit, ab iis qui se noverunt erubescit. Quia ille, qui inter ignotos ignotus versatur, vix erubescere possit, dum ignominiâ afficitur. Quod itaque vos omnes mutuo sumus agnituri, hoc extra dubitationem et controversiam prorsus est. Tuncque adeo quicumque inhoneste turpiterque vixerint, ante cunctorum oculos coarguentur. Eheu ergo omnibus qui mei similes erunt! Et, ut B. Ephraem verbis utar, vae illis qui sinistram partem sortientur! Contra beati ac summe beati, quos a dextris Dominus collocabit, quique benedictam vocem audient: quam nobis omnibus qui rectam fidem servavimus, divino munere contingat audire, universisque illis bonis impleri, quorum pulcritudinem nec mortalium oculos vidit, nec aures penitus audierunt, nec mens omnino cogitatione complexa est. Ita fiat, Domine, vitae largitor, intercedente purissima Matre tua, una cum incorporeis venerandisque coelestibus mentibus, et cunctis sanctis, qui simul omnes tibi, o Verbum Patris, ab orbe condito placuerunt. Amen.

CERTAMEN

SANCTORUM ET GLORIOSORUM MARTYRUM

ACINDYNI, PEGASII, ANEMPODISTI, APHTHONII ET ELPIDEPHORI

AUCTORE SIM. METAPHRASTE. HABETUR IN TOMIS ALOYSII.

Passi sunt sec. IV.

§ 1. Etiamsi Persae primi Christum natum ex Virgine adorarunt, et donis eum honorarunt, ii tamen postea Christi servos propter ipsum inhumane punierunt. Hoc autem cum ex multis aliis est evidens, tum ex argumento, quod nunc est propositum. Nam cum superbus ille Sàpores * sceptra teneret Persica, et declinasset ad tyrannidem, et ad Christianos qui erant in ejus potestate, persequendos fuisset incitatus, magna quaedam caligo Christi fuit offusa Ecclesiae, et ea repleta fuit tumultu et confusione. Nullus autem ex Persis erat negligens in acriter defendenda sua religione. Quamobrem eos, qui Christum colebant quotidie criminantes, manui regiae tradiderunt. Inter quas beatum quoque Acindynum, Pegasium et Anempodistum, qui latebant in quadam domuncula, Regi indicaverunt, ut qui et Christianorum tenerent opinionem, et multos ex iis qui ad ipsos ventitabant, Christi dogma docerent, et persuaderent, ut regia despicerent decreta. Ille autem valde iratus, jussit statim Sanctos comprehendi, et coram se sisti.

§ 2. Cum vero adfuissent, iram statim illinens ficta moderatione: « Filioli, inquit (quos paulo post erat excarnificaturus), dicite mihi, quaenam est vobis patria, unde genus ducitis, quodnam est vobis studium ? » Sancti autem responderunt: « Et patria, et genus, et studium est fides in Trinitatem, quae est unus Deus, a quo ad omnes qui sunt, essentia ; et ad eos qui vivunt, vita, tamquam a fonte aliquo perenni, derivatur. » Haec cum audivisset Tyrannus : « Ut videtur, inquit, mea lenitas et quod non

* Sapor II, Hormisdae II, Persarum regis, filius et successor, antequam in lucem prodiret, patre suo jam vita functo, Persidis rex acclamatus fuit. Is Arabibus bellum intulit; cum Romanis manus saepenumero conseruit, atque Julianum Apostatam superavit devicitque: ac, ab anno 34? usque ad 379, ad mortem suam videlicet, christianae fidei sectatores acerrime persecutus est. In illa immani Saporis II persecutione, circa 16000 martyres effecti leguntur. Ejus furorem praecipue experta fuit Edessa, urbs *sancta et benedicta*, ut veteres scriptores eam appellant: de aliquibus, qui ibi sanguine suo illustre fidei Deo reddidere testimonium, meminit Sozomenus.

sim proclivis ad supplicia, vos reddidit contumaces et audaces ad respondendum. » Dixit vero statim Acindynus : « Quaenam responsio facta fuit secus, quam oportet : aut quid tibi videmur non respondere ut convenit ? » — « Quoniam, inquit, alias respondistis, quam de quibus fuistis interrogati; sed nisi accedentes cito sacrificaveritis, poenitentiâ ducti frustra flebitis. » Sanctus Anempodistus libero verborum fluento dixit Tyranno : « Oportebat quidem, o Rex, nos de hoc verbo ne minimum quidem respondere, sed ferre silentio tuam in nos contumeliam: sed quoniam fervor fidei in Christum, non sinit nos tacere, audi nos haec tibi dicentes : Cur de patria, genere et studio curiose inquiris ? Haec enim omnia, ut prius diximus, est nobis Trinitas omnium architectatrix. Deos autem, quibus nos jubes sacrificare, nec novimus, nec sunt omnino. Oportet enim amare veritatem : daemones vero scimus esse deceptores, et animis afferre interitum. Qui cum a Deo creati essent, et ab eo qui fecerat defecissent, igni aeterno sunt damnati. » Tyrannus autem his ad iram accensus, eis mortem minatur acerbissimam. Cui sancti, perinde ac si bona esset pollicitus, non autem tormenta minatus, responderunt : « Vix tandem agnovisti id quod est nobis utile et salutare. »

§ 3. Tunc ergo jubet eos a quatuor viris extensos per totum corpus virgis caedi. Illi autem cum totam mentem ad Deum sustulissent, ita affecti erant, cum virgis caederentur, perinde ac si patientibus aliis, ipsi adessent spectatores. Propterea plagas quidem negligebant : conveniens autem canticum ad Deum psallebant, dicentes : « Vidisti, Domine, ne sileas, et ne discedas a nobis. » Deinde qui eos torquebant lictores, defessos jam, quod diutius producerentur tormenta, alii recentes excipiunt. Cum autem hanc, quae erat supra hominem, vidisset Tyrannus Martyrum tolerantiam, et eos tamquam inane quidpiam ferre plagas citra dolorem, in maximam adductus admirationem et correptus vertigine, statim cadit supinus, adeo ut qui aderant, putarent eum esse mortuum. Deinde cum ad se rediisset, licet non ad id, quod oportebat, et veritatem, cum ex athletarum quae superabat hominem, tolerantia oporteret eum deduci ad pietatem, apparuit ille magis ab ira superatus : et jubet Martyres funibus extendi in aëre, et ignem subter eis accendi : ut duplici tormento eorum animae celerius erumperent. Illi autem quovis ferro et quovis adamante fortiores, tamquam ad tormentum recentius etiam recentiorem ostentantes tolerantiam, et non in vivente corpore et dolorem sentiente, sed in quodam inanimo supplicium sustinentes, ipsum quidem negligebant ; ad preces vero linguam et mentem convertebant, dicentes : « Qui es illuminatio nostra, Christe Deus noster, qui propter nos passus est injurias, et in ligno fuisti extensus, et precatus es pro iis qui te interimebant, patientiae et tolerantiae decreta nobis proponens, adspice ad humilitatem nostram et

afflictionem, et libera nos a machinationibus scelerati animi hujus tyranni. Sciant omnes nos te habere Deum in coelis, qui potest omnia, et qui est sine principio, tuum Patrem, et adorandum tuum et sanctissimum Spiritum in secula. Amen. »

§ 4. Cum sic essent precati, in nostra forma apparens Dominus, solvit quidem vincula; ignem autem irrorat, quomodo pueris olim in Assyria; et sic Sancti illaesi et salvi producti sunt in conspectum Regis. Ille autem cum esset valde crassus et insipiens, neque admirabili spectaculo obstupefactus, neque Martyrum invictâ motus patientia: « Quid, inquit, vobis videtur, eos appellans nominatim, num haec vobis parva persuaserunt tormenta, ut a pernicioso quidem vestro errore discedatis, nostris autem edictis cedatis? an adhuc vultis permanere in errore, vestris freti praestigiis? » Respondit beatus Acindynus: « Praestigias quidem neque scimus, neque unquam didicimus, neque unquam talibus usi sumus imposturis. Sed quoniam Dei vires insuperabiles, et quae sunt supra naturam signa divina, putas esse praestigias, visioneque et non re vera haec fieri suspicaris, eris deinceps mutus et lingua impeditus, ut ex teipso testimonium feras Dei virtutis. Si potes ergo dicere, dic, quibusnam diis nos jubes sacrificare? » Non erat autem vox, neque auditio, sed erat mutus, non secus atque dii ejus, solo nutu indicans animi voluntatem. Cujus amentiam Christi servi arguentes et irridentes, dicebant « Recedimus, tu autem nihil nobis omnino dicis. »

§ 5. Cum autem finxissent Sancti se recedere, erat Rex mutus similiter, crebro defigens oculos in eos qui circumsistebant, et nutu jubens, ut Sancti comprehenderentur. Deinde cum ministri quod volebat, non possent intelligere, prae ira et dubitatione effectus semi insanus, rupit chlamydem, et id quod fibulatorium dicitur, humi disjecit, et sic eos qui aderant, vocabat ad misericordiam. Christi autem milites et ipsos et Tyrannos miserati propter amentiam: « O hominum caecitatem, dixerunt, quod sua sponte claudentes oculos, intueri nolunt lucem veritatis. Sed aperi, Domine, oculos cordis eorum, ut illuminentur luce Dei cognitionis, et tua considerent miracula, et adorandum et sanctum tuum nomen significent. » Cum haec autem essent precati, eis apparet exercitus angelorum, quorum splendorem ferre non valentes, qui oculis animae caligabant, humi ceciderunt. Sancti vero cum Dei consuetum sensissent auxilium, ei obtulerunt gratiarum actionem, dicentes: « Deus noster, refugium et virtus, adjutor in afflictionibus, quae invenerunt nos valde: sed surge, et nobis fer adhuc auxilium, et libera ab iis quae nos circumdant vexationibus propter nomen tuum. »

§ 6. Filius autem interitus ne tunc quidem intelligens, nec se effectus melior, sed quasi a se discessisset, gemitus et suspiria emittebat, et faciem pulsabat, et similis erat ei qui est animo

perplexo, et nescit quid agat. Quem cum benigni Christi benignus discipulus sic affectum adspexisset Acindynus, dolore oppressus, effusis propter ejus cordis caecitatem lacrymis, conversus: «Quoniam, inquit, neque Dei disciplina, o homo, fecit te ejus virtutem intelligere, sed tua sponte sic manes improbus, gaudens tenebris impietatis, et amplectens ignorantiam: sit tibi potestas loquendi citra impedimentum, et nihil sit, quod tuae linguae obsistat.» Illi autem protinus quidem solvuntur frena linguae: oculi vero animae minime solvuntur a nube quae eos obstruebat: sed perinde ac si nihil novi accidisset, neque quicquam esset passus, pergebat ea quae prius, exequi: et in eos qui circumsistebant prae animi dubitatione iram volens immittere, ut cujus animus esset plenus dedecore: « Acindynus quidem, inquit, et ejus socii, et Pegasius et Anempodistus eum, quem par est, finem jam accipient: porro autem vos quoque, o pessimi omnium ministri, nequaquam sinam: et sumam poenas, quas vestra meretur inobedientia.» Jubet ergo grabatos afferri ferreos, et ignis multum substerni, qui adspergatur adipe et pice et resina, et Sanctos recumbere super hos candentes grabatos. Illi autem perinde ac si in quodam roscido et florido prato essent recubaturi, constanti vultu magnoque et excelso animo insilierunt in grabatos. Deinde cum se multis horis extendissent, canebant Psalmum tempori convenientem.....

§ 7. Rex autem jussit tres afferri lebètes, et in eos injici plumbum, et maximum ignem in eis accendi: ex utraque autem parte lebètum stylos infigi, qui duo capita et ea divisa habebant superne, per quae dimissis catenis, et lumbis Sanctorum comprehensis, eos in lebètes demittere, et rursus sursum trahere. Hoc ergo horribile supplicium subeuntes, canticum canebat unusquisque sanctus, et suo nomini et poenae conveniens. Nam beatus quidem Pegasius: *Quoniam apud te est fons vitae*, dicebat, *in lumine tuo videbimus lumen* (*Ps.* 35). Insignis autem Anempodistus: *Pedes mei steterunt rectitudine, et lucerna pedibus meis lex tua, et lumen semitis meis* (*Ps.* 118). Divinus vero Acindynus: *Comprehenderunt nos dolores mortis, Pericula inferni invenerunt nos: sed etiamsi per ignem transivimus, ipse Domine educes nos in refrigerium* (*Ps.* 17 *et* 65). Qui erat autem anima occaecatus Imperator, cum vidit Sanctos a plumbo nihil pati, propius ad illos accedens: Novi, inquit, vestras praestigias, et cum catenas suis tetigisset manibus, demisit Sanctos in lebètes usque ad collum. Quorum submersione plumbum effusum supra lebètes, eos prope reliquit vacuos. Statim ergo dixerunt Sancti Tyranno: « Tu quidem cum tua manu velles nobis mortem afferre, a scopo excidisti, Deo nos omnino conservante: labor autem tuus in caput tuum convertetur, et colliges fructus dignos tuis operibus.» His autem haec dicentibus, ceciderunt quidem et dissolutae sunt catenae.

§ **8**. Unus autem ex ministris, admirabili obstupefactus spectaculo, exclamavit: « Magnus est Deus Christianorum; » et Tyranno dixit: « O crudelissime, quousque tuis jussis nos vexas, jubens nos àggredi ea quae sunt inutilia? Nos enim, qui tibi cedimus, videmus pati potius, quam Christi Martyres. » Tyrannus autem conturbatus repentina ejus mutatione, iram quidem apud se celat, sed mansuetudinem simulans apud Aphthonium (hoc enim erat nomen ei qui crediderat): « Jube eos, inquit, cito egredi ex lebetibus. » Illi vero salvi, non secus atque aurum ex fornace, repente emergentes, accesserunt ad Imperatorem. Egregius autem Aphthonius, recenter compactam fidem veluti confirmans: « Notum tibi sit, inquit, o Rex, quod Deum adoro, quem colunt Christiani, et ei soli servio, et me his Sanctis adjungo. » Ille autem magnâ ejus audaciâ et fiduciâ obstupefactus, bonis verbis et bonorum promissis eum conabatur potius inducere, dicens: « Ego tibi causa fui hujus mutationis, qui te tamdiu reliqui in ea, in qua fuisti collocatus, militia, et non sum te majoribus dignatus honoribus: sed si quid hucusque defecimus, id jam implere studebimus. Nihil ergo veritus, dic libere, quasnam cupias dignitates: tuam enim petitionem nequaquam omnino renuemus. » A Christo autem recens electus miles: « Desidero, inquit, o Rex, eam accipere militiam, quam ipse non potes praebere: sed solus Rex immortalis, qui scit etiam dona largiri immortalia. » Cum ergo ejus firmam et stabilem didicisset sententiam, eum statim condemnat, ut ei caput feriatur gladio, pro supplicio ea largitus, quae erant ei maxime optanda. Qui cum lubenter eam accepisset sententiam: « Ago tibi gratias, inquit, Domine, quod me servas, qui sum indignus, propter magnam tuam et ineffabilem misericordiam. Propterea anima mea te laudabit, et nomen sanctum tuum glorificabit, nunc et in secula. Amen. »....

§ **9**. Post haec Sanctis dicit Rex: « Ne existimetis, inquit, me vobis aeque levem ac facilem mortem allaturum, atque male perdendo Aphthonio. Nam paulatim acerbissimis tormentis carnes vestras consumens, miserabilem vobis mortem afferam. » Haec cum dixisset, bubulos jubet afferri culeos, et sanctos in eos injici Martyres: deinde in aquam immitti. Hoc autem cum factum esset maxima celeritate, eis beatus apparet Aphthonius simul cum tribus, indutis candidis vestibus, quorum divina virtute disrumpuntur culei, et terrae illaesi redduntur ab eis Martyres. Cum sic ergo conspecti fuissent a Tyranno, arbitrans ille non fuisse factum, quod ipse jusserat, statim surrexit ad supplicium sumendum de lictoribus, et statim jussit eorum manus amputari gladio. Erant autem quatuor numero. Deinde eos sic pro Sanctis immitti in profundum maris. Quod quidem cum fieret, et mari traderentur, exclamabant: « Domine, excipe nostros spiritus, et

cum sanctis tuis martyribus nos, etsi simus indigni, connumera.» Deo autem invisus et plane daemon Saporius, cum statim beatos viros, Acindynum, inquam, et Pegasium, et Anempodistum jussisset includi in carcere, ipse seipsum gravissime cruciabat, anxius propter res praesentes, et magnis animi fluctibus agitatus, et nec cibum quidem omnino sumere sustinens.

§ **10**. Iis ergo, qui primas partes apud eum obtinebant, convocatis: «Cur me solum, inquit, reliquistis in his, quae sunt proposita, laborare: ipsi autem otiosum delegistis silentium, nec verbo, nec facto ullam opem mihi ferentes? Sed si aliquid quidem novi et insoliti velim afferre, vos statim habeo resistentes et reluctantes. Nunc autem cum nihil novi introducatur, sed patrium nostrum dogma despiciatur, et ne cadat, veniat in periculum, et nulli vestrum veniat in mentem, ne vultu quidem dolorem prae se ferre, de summa rei plane venio in dubium et moerore enecor.» Ad haec Elpidephorus, qui tunc erat primus senatus, et fidei Christi ardens amator, et ad summam quidam Nicodemus, et Christi occultus discipulus: «Et quam tibi, inquit, o Rex, hac in re opem ferre possumus? Neque enim potentia tua nobis indiget, quae rerum experiéntia omnibus antecellit, et habes potestatem voluntati consequentem. Copia autem instrumentorum, quae sunt comparata ad torquendum, eorum quae sunt facienda, aperte suggerit tibi deliberationem.» Rursus dicit Tyrannus: «Quid vero? Ego ne solus possum latrare adversus hos impios?» Sanctus vero respondit: «Si hoc tibi videtur operosum ac difficile, sine, inquit, eos sua abire voluntate.» Immanissimus vero Sapores: «Sed quantum, inquit; das ex tuis verbis conjiciendum. videris illis potius, quam nobis, adhaerere. Nam mihi verba communiter ad omnes facienti, ipse solus das responsa: et suggeris, ut impios relinquam impunitos.»

§ **11**. His sic a Saporio dictis cum suspicione, beatus Elpidephorus: «Quoniam sum, inquit, princeps senatus, hi mihi merito concedunt primum dicendi locum Sed ii quoque dicant, quod videtur unicuique, quoniam vis, o Rex, omnino verum audire. Quidam autem unus ex senatoribus, habens animam divinâ gratiâ illuminatam: «Quid revera mirum est, inquit, o Rex, si Elpidephoro, qui est princeps senatus, et nihil insipiens respondet aut indecorum, nos dicere concedimus?» Rex autem cum id, quod erat, re vera deprehendisset: «Video, inquit, vestram mentem non recte affectam in nostram potentiam.» Quidam vero, nomine Philologus, aetate junior, ingenio acutissimo, zelo ardentissimus: «O Rex, inquit, mala, quae tuum animum de nobis invasit conjectura, non nobis in bonum exitum desinet. Es enim plenus suspicione, ut qui cogites omnibus tua condemnatione afferre exitium.» Tyrannus autem irâ repletus propter repentinam Philologi loquendi libertatem: «Quis, inquit, te delegit, ut dares

tam duram et asperam sententiam? » Ad haec vir ille egregius, non iram tyranni reveritus, nec de ejus potestate sollicitus: «Quid vero, quando verum dixerit quispiam, o Rex, te ne oportebit illico irasci? » Deinde etiam intuens ad omnes, qui aderant, senatores: « Per salutem, inquit, vestrum omnium, tali viro nihil oportet respondere. Quomodo enim veram accipiet orationem, quae furore repleta est, anima? » Propter haec Tyrannus irâ repletus, ira, inquam, ad similitudinem serpentis, ut dicit sanctus David, milites jubet stare pro foribus, ut eos, qui ei repugnabant, et primum omnium Elpidephorum, ense conficeret. Quidam autem Callistratus, cum esset Regi amicissimus, eum collo amplexus, orabat ut iram reprimeret. Omnes vero simul libere loquentes: « Miserrime Regum, dicebant, pulcre scies nos non eadem quae tu, sentire, neque similiter tueri impietatem. » Et haec cum dixissent, exierunt eo sic relicto. Sed ille, cum esset nox, et ad summam filius tenebrarum, habuit noctem, opem ferentem rebus pessimis, et cum primum illuxisset, sedens pro tribunali, jubet tres fossas effodi, et in eas immitti bestias et serpentes, et sanctum Acindynum cum suis in eas injici.

§ **12**. Postquam ergo Sanctos eo immisissent, *Deus, Deus noster, ad te de luce vigilamus*, psallebant Martyres, *sitivit te anima nostra, sitivit Deum vivum et fortem. Sed tu fac nobiscum convenienter tuae mansuetudini, et educ nos de l[illegible] miseriae. Quoniam benigna est misericordia tua, et bonitas qu[illegible] non potest exprimi.* Interim autem dum precarentur, splendidi accesserunt angeli, veluti quibusdam virgis ferreis bestias abigentes, et unumquemque e Sanctis manu accipientes, eos illaesos e fossis eduxerunt. Sed Rex cum oporteret rursus Christi intelligere potentiam, et cessare aliquando aggredi, quae non possunt effici, ille jussit Sanctos rursus suspensos caedi. Cum autem vidisset eorum carnes multis horis conscindi, fortique et generoso animo resistere certaminibus, jubet eos e lignis deponi, et eis capita amputari. Ipse enim magis erat defessus intentans supplicia, quam Martyres sustinentes ea quae intentabantur: et summa fortitudine vicerunt illi infinitam crudelitatem. Cum jam autem ad mortem abducerentur, qui ab eis illuminati fuerant ad pietatem, simul cum senatu, Dimittitis nos, dicebant, o doctores pietatis, super cathedram pestilentiae in medio ecclesiae malignantium, cum ad mensuram aetatis in Christo nondum pervenerimus. Beati autem illi eis responderunt: « Qui docet hominem scientiam Christus Deus noster, qui est illuminatio animarum nostrarum, ipse vos illuminabit et reddet intelligentes, firmosque faciet et stabiles fundamento suae fidei. »

§ **13**. Relata sunt haec Regi: et quod magna multitudo sequeretur Sanctos, eorum caedes prohibens. Ille autem statim emittit catervam militum in eos qui sequebantur Sanctos, cui

jussum fuerat ut eos expelleret: sed egregii illi viri, qui ad finem usque statuerant resistere peccato, hoc nihilfacientes, maluerunt potius mori cum Sanctis. Quorum constantiam cum tyrannus rursus intellexisset, jussit omnes simul cum Sanctis interfici, suae occidendi homines cupiditatis praetextum accipiens eorum amorem pietatis. Cum autem ei suggessissent quidam, quorum erat magnus zelus in simulacra, quod fuisset senatus causa horum malorum, jubet beatum adduci Elpidephorum, ut qui apud eum ferret primos honores. Ille autem conversus ad invictos Martyres, qui nondum erant consummati: « Rogate, dixit, pro me patres in spiritu, duces meae in Christum fidei, ut ego quoque a vestro coetu non èxcidam. » Cui Sancti: « Esto bono animo, dixerunt, o frater, esto bono animo, et ne sis animo anxius. Nos enim praecedes, primus sistendus coram coelesti Domino. » Cum eos ergo esset amplexus, ducebatur ad tyrannum: eum autem tres quoque alii consequebantur, qui erant ejusdem animi et instituti.

§ 14. Tyrannus autem: « Quid vobis, inquit, accidit, o stulti, ut deorum quidem patriam dimitteretis religionem, adhaereretis vero his impostoribus? Sed nisi cito resipiscentes, ad priora redieritis, vos excipiet acerbus vitae finis. » Cui Elpidephorus interrito et constanti animo: « Notum tibi sit, inquit, o Rex, quod deos, qui non sunt, non colimus, et tuo dogmati repugnamus. Fac ergo id quod tibi vidétur. » — « Quoniam hoc vobis placet, inquit Tyrannus, sequendo hos impios ejusdem quoque esse finis socios, neque nos vos vestro frustrabimur desiderio: sed vestra capita jubeo gladio amputari. » Cum autem Sancti hanc audivissent sententiam, laetique et exultantes ducerentur ad mortem, eos quoque consequentibus militibus, qui erant numero circiter trecenti, qui cum divino, inquam, Acindyno et ejus sociis mori maluerunt, et sic venire ad Christum, cujus misericordia est supra vitas, mortem gladio accipiunt, magnam animi alacritatem eis afferente Acindyno, et excitante, animosque addente ad martyrium.

§ 15. Jam autem interfectis militibus et senatoribus, quamprimum accersit tyrannus beatum Acindynum, Pegasiumque et Anempodistum. Deinde vulpina pelle indutus, clementiamque et mansuetudinem simulans perversissime: « Quaenam est, dicebat, talis vestra constantia, ut vitae praesentis sitis prodigi, et eam morte commutetis? Testis sit mihi sol, qui est jucundus omnibus, quod propter vestram mortem mihi scinduntur viscera et anima. Misereor enim vestrae aetatis et juventutis, et corporis quoque pulcritudinis, cujus vel misereretur bestia, et ei parceret. Credite ergo mihi, qui vestri magnam curam gero, et consulo quae sunt utilia. Videtis enim, quomodo nulli pepercerim senatori, nec militi. Vestri autem paterne curam gero, et vos

amplector, ut qui vestram didicerim virtutem et fortitudinem ex constantia in tormentis. Si enim mihi parueritis, vos primis dignabor honoribus, et concedam dona digna vestra virtute.» Sancti autem: «Nec tibi, dixerunt, nec nobis frustra labores exhibe. Sed nec tu nobis parcas, nec te nostri ulla moveat misericordia: mentem enim nostram nunquam flectes, aut bonorum promissis, aut minis malorum intentatis, aut metu mortis, quae est tibi terribilis. Quomodo enim mortem timuerint, quos hoc magis afficit molestia, quod semel et non millies possint mori pro Christo? Fac ergo cito id quod a te jam est judicatum. Nos enim exspectat chorus sanctorum: ut etiam magis tibi agamus gratias propter celerem consummationem.»

§ **16**. Ille autem, depositâ personâ, et fictâ ablatâ mansuetudine: «Non per deos, inquit, non assequemini id quod desideratis.» Jubet ergo eos, cum fuerint ferro vincti, in tutissima servari custodia. Ipse autem cum tota nocte considerasset, quanam morte eos afficeret, mane jubet in fornacem ignis ardentem divinos jacere martyres, ut omnino consumptis sanctis eorum corporibus, ne cinis quidem relinqueretur Christianis desiderii sui solatium. Qui cum mox educti fuissent e custodia, eis magna voce acclamavit tyrannus: «Ecce praemia vestrae inobedientiae, ostendens manu fornacem: quam nullus alius, sed vos vobis ipsis accendistis.» Acindynus ergo, beatus Christi martyr, cum intellexisset, quam esset malitiosus et versipellis tyrannus: «Forte, inquit, prophetice tibi nomen imposuit mater: id enim patrem daemonum significat. Tu autem non pater daemonum, sed es aperte filius ejus, qui fuit homicida ab initio: quoniam ejus opera imitaris, ut qui hominum sanguine, sicut ipse, delecteris.» Ille vero, cum verbi acerbitas ejus animum momordisset, matre sua accersita: «Quid mihi, inquit, o mater, nomen sibi vult?» Illa autem: «Scio, inquit, hoc esse tibi paternum. Quidnam vero possit significare, nescio.» Sapores autem: «Sed isti, inquit, cacodaemones dicunt hoc significare patrem daemonum. Quod si habeant veritatem in hoc sibi suffragantem, non illos, sed te prius tradam morti acerbae.» Illa vero subridens: «Omnino inquit, nisi hoc aperte nossent, non ita auderent loqui multis praesentibus.» Hinc factum est, ut ira, quae cohiberi non poterat, invaderet hunc execrandum; statimque cum simul cum Deo communem abnegasset naturam, et nec ipsum omnibus carum nomen matris esset reveritus, quod vel ipsis feris et animalibus rationis expertibus affert reverentiam, ei manus injicit manus (o divina justitia!) homo in matrem, et matrem jam vetulam, et filius matri impingit alapam, egregiam ei reddens mercedem nutritionis, aut potius lubenter dixeris, qui majorem jure erat redditurus, quod illa tale malum in lucem ediderit. Illa autem procidens ad pedes Sanctorum: «Servate meam senectutem

dixit cum multis lacrymis. Ipsum enim, ut video, satanam, illum ipsum ego genui. »

§ 17. Ille autem illam nihilipendens et repellens, intuens ad Martyres: « Vestra, inquit, in malis perseverantia, efficit, ut vobis fornax accendatur amplius. » Illi vero: « Tua mater, ajunt, curae tibi sit in praesentia. Quid enim animi habeamus, jam satis es expertus. » Tyrannus autem: « Quid ea, inquit, sit mihi curae? » — « Si tibi, inquiunt, remittetur scelus, qui injustas manus in ipsam matrem intulisti. » — « Sed si pro filio, inquit, mater precata fuerit, dii mei ignoscent. » Illa autem oculos statim in altum tollens: « Christe unigenite, inquit, Dei fili, filio meo ne remittas, neque in hoc seculo, neque in futuro. » Ille autem rursus iniquus: « Longa, inquit, ut videtur, et multorum annorum senectus tuam mutavit et corrupit mentem; et ideo tam facile induceris, ut nobis male preceris.» Ad haec anus illa sapiens: « Sed si ego, inquit, qui te genui, sum inops mentis, tu qui ab ea es genitus, quomodo salvam mentem habere existimaberis? » — « Non ergo, inquit Tyrannus, ab eo, quod decet aberravi: qui tibi, quae es ejusmodi, talem intuli tibi alapam, impingens contumeliam. » Illa autem: « Tibi, inquit, testificor, quod Dei, qui omnia adspicit, oculum et justum illius judicium non effugies. »

§ 18. Cum ea sic respondisset, mutus evasit sceleratus: vix tandem autem dixit iis qui aderant: « Hinc tollantur impii, et in ardentem fornacem injiciantur: quoniam contendunt non parere nostris jussis. Hanc vere, quae abjuravit se meam esse matrem, et violavit jus naturae, relinquite eam sua voluntate ambulare. » Illa autem beata: « Deum, inquit, juro, me esse morituram cum hac trinitate Martyrum, et neque morte, neque ulla re alia me unquam ab his esse sejungendam. » Tyrannus vero, bonae terrae malum germen praeter exspectationem: « Haec res, inquit, non est mihi magnae curae: fac, ut tu volueris. » Cum ergo Martyres fornaci appropinquassent, tollentes in coelum oculos, dixerunt: « Domine Jesu Christe, vera lux, quae ante secula e paterna affulsit gloria, agimus tibi gratias, quod nos corroborasti, ut ferremus pro te certamen: et non permisisti, ut comprehenderemur a laqueo venantium: sed tamquam passerem animam nostram ex eo liberasti. Et nunc confirma nostros animos, ut possimus adversus hunc ignem nos fortiter gerere. Nobis quoque adsis in tempore excelsus ex hoc abjecto corpore, et defende nostras animas. Te enim freti et tua virtute, hanc flammam ascendimus. »

§ 19. Cum itaque fuissent milites prope os fornacis, et intolerabilem ejus ardorem non possent sustinere, Sancti qui eos viderant territos: « Quid statis, dicebant, quod jussi estis, non facientes? Si hic, qui est conservus et est ad tempus ignis, vobis

visus est tam terribilis: ignis ille gehennae, qui nunquam desinit, et nunquam extinguitur, quemadmodum a vobis tolerabitur? » — « Et quomodo, dixerunt illi, potuerimus effugere, quod vos dicitis, supplicium? » — « Nisi abnegato cultu idolorum, dixerunt Sancti, Christo vero Deo vere credideritis, non poteritis illa effugere supplicia. » Ad haec milites: « Quando, dixerunt, Regis jussui servientes, vobis inferebamus supplicia, contremiscebamus et timore afficiebamur, ut qui exspectaremus nos aliquid grave esse passuros. Nunc autem vestram consecuti doctrinam et admonitionem, sumus tranquillis animis, aliquam spem salutis, ut par est, exspectantes: sed vos cum in nos feceritis, quae oportet et vult vestra fides, ad Regem aeternum adducite: hunc enim, in quem cadit interitus, jam sumus abominati. » Propter haec Martyres repleti laetitia: « Dominum, dixerunt, una voce laudemus, quoniam bonus; et suavis evadat ei nostra laudatio qui aedificat animas eorum, qui ad ipsum fide accedunt, et gaudio propter eorum salutem implet coelestia. Excipe Domine eos, quos hora undecima convocasti ad vineam tui martyrii: et da eis mercedem dignam tua bonitate, eos referens in numerum priorum tuorum decertatorum. »

§ **20**. Milites ergo veluti quibusdam armis inexpugnabilibus, Christi muniti signaculo, simul cum sanctis Acindyno, Pegasio et Anempodisto fornacem ingressi sunt, cum essent numero viginti et octo, ne ipsa quidem tyranni matre relicta, sed cum eis simul ingressa. Chorus autem Angelorum circa fornacem Sanctos videbatur excipiens, et cum eis hymnum canens. Martyres autem cum sacras animas apud Deum per ignem deposuissent secundo die Novembris, locum repleverunt odore ineffabili: adeo ut qui illic aderant Christiani, quae dici non potest, voluptatem senserint, et eum laudarint, qui re ipsa implet quae dicit divinus David, et in sanctis suis se ostendit mirabilem. Quorum sacrae et pretiosae reliquiae depositae sunt in loco, qui dicitur Irenessus, ex quibus manat maxima gratia ad eos qui accedunt. Ad gloriam Domini nostri Jesu Christi: quem decet majestas et laudatio cum ejus principio carente patre, et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

VITA

S. HUBERTI EPISC. LEODIENSIS

AUCTORE QUODAM EJUS DISCIPULO VEL FAMILIARI,
UT IPSA HISTORIA SATIS INDICAT.
EXTAT IN ANTIQUIS MSS. CODICIBUS.

Obiit anno 727 – Ex Aquitania.

§ 1. Post gloriosum beatissimi ac praecellentissimi antistitis Lamberti * a rebus humanis excessum, qui Pontificalem apicem apud urbem Tungrensem quadraginta annis strenue ferens, vitae quidem exempla, posteris dereliquit: mortis autem acerbae viriliter ferendo discrimina, et summi pastoris vestigiis inhaesit, et quantum amoris circa Dominicas oves haberet, aperuit: utpote quibus et vivens vitae contulit pascua, et pro quibus non metuit mortis subire dispendia: Hubertus venerandus praesul ejus sedi subrogatur Episcopus **, cui non erat virtute secundus. Namque Pastor ille pius, qui devicto mortis tyranno, oves suas consolari dignatus est, dicendo: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* (*Matth.* XXVIII); eidem gregi talem ac tantum praetulit pastorem, per cujus opera, vera esse sua verba ostenderet, virtusque in eo pollens, Christum in se et loqui, et operari clamaret. Egitque, ut assolet, divina provisio, ut quia optimi pastoris destituebantur solatio, non rictibus luporum territae, per diversa dispergerentur, dentibusque lacerarentur: sed succederet pastor, qui humilis gregis curam gerens, fessas sublevaret, fractas alligaret, emaceratas sanaret, luporumque rabiem ab eorum insectatione procul proturbaret: nec jam Ecclesia Dei fieret lustrum ferale, sed expiatum a sorde nocentium, et serenatum ab angore luporum, redderetur Domino templum herile.

§ 2. Juvabatur namque praedictus Domini famulus non modo Christi exemplis, sed et praedecessoris sui nuperrimis institutis: quia et humanam mentem non tam instruunt prisca, quantum praesentia: nec eo infirmi convalescunt exemplo multo sibi

* Vulgo *Lambrecht*. Ejus praeclara gesta, mortemque gloriosam, atque sacri ejusdem corporis translationem vide in Surio nostro (Vol. IX, pag. 403, etc.).

** S. Hubertum, *Tungrensem* (*Tongres*) Martyrologium Romanum, *Leodiensem* episcopum biographus suus appellant. Tungrensis antistes revera a Sergio Pp. I (687-701) is fuit consecratus: at quum deinde, anno, ut fertur, 721, Leodii (*Liège*), ubi S. Lamberti ossa quiescebant, sedem suam constituisset, Leodiensis nuncupatur. Videtur tamen eum Tungrensem praesulem sese vocare solitum fuisse. Quum porro et S. Huberti successores Leodii constitissent, coepit ille pagus in dies augeri, ita ut demum urbs conspicua evasisset.

superiorum, quo ad aemulationem provocantur ex visione coaequalium. Unde actum est, ut idem Vir venerandus et lectione Scripturarum, quae sibi agenda forent, addisceret, opusque lectionis, paterna aemulando opera, perageret, operisque pastoralis non segnis executor existeret, atque ideo officii episcopalis non incongruus minister fieret. Igitur ut vox veridica, veritatis ore prolata, compleretur, dicentis: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII): consensu unanimi fidelium, talis ac tantus Vir cathedra, ut dictum est, praesulatus Dominici gregis donatur: ut qui eatenus sibi tantum profuerat, et sub schemate privatorum degens delituerat, candelabro Dei quasi quidam clarissimus lychnus imponeretur, quatenus ejus exemplo cunctis in domo Dei positis, luminis claritas praeberetur.

§ **3**. Sciens namque memoratus et saepe memorandus Vir, aliam legem esse subditorum, aliamque praelatorum: scilicet ut subditus quisque curet, ne pereat, neve suo exemplo alios perdat: praelatus autem non solum intendat suae, sed et judex provisorque cogatur vitae fieri alienae: non ei sufficiebant ea quae sibi olim sectanda proposuerat: sed in arctiora tendens, magnopere studebat antiquorum patrum sectari vestigia. Unde non quemlibet sibi in aemulatione proposuit, aut virtutum ignobilitate degenerem, aut inscientia vecordem, aut mollitia segnem: sed illos potissimum, qui voce Domini audita, dicentis: *Si vis perfectus esse, vade: vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me* (*Matth.* XIX); studuerunt nihil mundiale appetere, sed, explosis terrenis cupiditatibus, si quid rei familiaris superfluit, curaverunt sub uno congerere, et singulis pro necessitate subministrare. Unde factum est, ut initium ejus praesulatus talibus tantisque dedicaretur auspiciis, in quibus non initium bonae intentionis, sed perfectio fulgeret operis. Distractis igitur si qua ei superfuere in re privata, studebat ea non sub cavo terrae cespite abscondere, aut aerugini consumenda tradere, furibusque diripienda derelinquere: sed amicos evangelicos de his conquirere qui se in aeterna tabernacula valerent recipere.

§ **4**. Erat namque largus erga indigentiam inopum, refocillator pauperum, et secundum Scripturam pater orphanorum, et pro viro matribus eorum. Oppressis adminiculabatur, inopum miserebatur, suaque pro Domino derelinquentibus pio affectu patrocinabatur. Tribulationem patientibus strenuus consolator aderat, et carcere praeclusis, necnon divalium poenâ subactis, ejus visitatio atque subministratio non deerat: sed et quocumque pedem ferre libuisset, in manu illius eleemosyna desudabat, quo usque pauper occurreret, cui eam tamquam Christo committere. Et quia moris est proficientium, praeterita boni operis exercitia mentis acie subducere, quo acutius ad ea, quae sunt arctiora

mentem valeant defricatam ignire, atque jamjamque fessam, appetitu novi operis recreare: viro beato non satis erat, talibus ac tantis virtutum insignibus cluere, sed reminiscens perfectionis decessoris sui, ardebat cupiditate martyrii, minus se deputans habere perfectionis, qui nondum pro Domino tradidisset morti etiam officia corporis. Doloris namque illius interni amaritudinisque animi, quo flagrabat amore martyrii, testes erant lacrymae, quae solent prodere intima conscientiae, quas in recordationem beati Lamberti solitus erat dolor elicere, genarumque orbes assidua humectatione alluere. Unde inter pias exuberationes fletuum alta suspiria pulmonum, crebro talia conquestus est: « O me infelicem, terque miserandum, cujus se peccata in tantam sustulere congeriem, ut non idoneus dignusque possim reperiri consortio tanti viri, martyrii triumphum subeuntis, palmamque victoriae invadentis! » Sic sic nimirum imperfectionis sese arguebat, ut quo magis perfectus, eo sibimet videretur exiguus: minusque oculum mentis tendebat in his quae in se jam et victore Christo subegerat, et satore bona nutriverat: sed ad ea capessenda irreverberato tendebat obtutu, quae nondum, ob conservationem humilitatis, Christi ei discreta largitas attribuerat, attendens illud quod a sancta Scriptura praecipitur: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli.* III). His igitur et talibus exercitiis in gymnasio sanctae Ecclesiae per annos duodecim exercitatus, his palaestricis certaminibus contra carnis hostes, aërisque principes est proeliatus.

§ 5. Anno autem ordinationis ejus duodecimo crebras sibi prodidit oblatas sub noctis quiete visiones, quibus se commonitum fatebatur, uti a Trajectensi * oppido ossa sancti levaret Lamberti, et in loco, quo celebratam ejus passionem nosset, iterum humanda reduceret. Quarum admonitio ejus animum inaestimabili recreavit gaudio. Attamen in quodam meditullio positus, cum neque visioni certam fidem tribueret, quod sibi occultum erat, judicavit a Domino quaerendum. Nam indicto cunctis tam monasterialibus, quam e civitatis clericis, necnon et laicis jejunio, quae sibi divina voluntas de his agere praeciperet, magnopere requirere studuit. Tandemque edoctus, ancipiti submota sententia, tertiodecimo anno sui praesulatus coetu clericorum sibi adjuncto, necnon populari agmine coacto, accitis etiam venerabilibus Episcopis et sacerdotibus, tumulum venerandi viri adiit: ibidemque spirituales observantes excubias, divinitatemque pulsantes precibus, honorantes laudibus, rogabant, ut qui antistiti suo facienda mandaverat, quo perficerentur, coeptis annueret, secundosque proventus attribuendo, suam voluntatem ut taliter fierent, cunctis palam ostenderet. Quorum piis votis omnipotentiae Divinitatis annuere libuit. Nam cum maxima veneratione urnam, qua

* Scilicet, *Trajectum ad Mosam*, quod vulgo *Maëstricht* nuncupatur.

sanctissimus cinis conditus servabatur, adeuntes, absque aliqua difficultate busta beati Viri ex loculo protulere: et cum magno gaudio, qua venerant, pedem referentes, in loco, quo passus est, terrae mandavere. Quantis autem, qualibusve miraculis suum velle Dominus in tali facto per omne iter reversionis eorum commendarit, schedula gestorum ejusdem sancti pontificis annotata continet.

§ 6. Fabrica autem ejusdem basilicae, qua beati viri conditae sunt reliquiae, qualiter ab eodem sancto viro Huberto ordinata sit, quia oculis videntium se offert, de ea aliquid dicere supersedi. His peractis, vir Domini Hubertus, ut Scriptura clamat, de virtute in virtutem proficiscens, ardebat videre Deum deorum in Sion. Et sciens dictum ab Apostolo, *Ea, quae retro sunt, oblitus, in ea vero, quae ante sunt, extendens me, persequor ad bravìum supernae vocationis* (*ad Philipp.* III); magis magisque jejunio et vigiliae, castitatique animi et corporis operam dabat: et subditorum curam gerens, tamquam fidelissimus dispensator verbi triticum conservis suis toto nisu subministrabat: nec tamen Dominici immemor exempli, de quo legitur: *Coepit Jesus facere et docere* (*Luc.* XII): ea quae discipulis observanda voce praedicabat, qua diligentia operanda essent, suis actibus praetendebat. Instabatque, juxta Apostoli mandatum, praedicans opportune, importune: tantaque eum gratia verbi, et dulcedine sermonis virtus Spiritus Sancti donaverat, ut non modo e vicinis, verum etiam e longinquis, et a se valde semotis locis, ad eum populi concurrerent, ac de potestate faucibusque diaboli se erui, atque in regnum Christi, gremiumque sanctae Ecclesiae per baptismi gratiam transferri, gauderent: idolorumque cultum, necnon profanum eorum observationis ritum, cum auctoribus eorum respuerent: atque olim sibi veneranda templa, terrae coaequarent, pulveremque eorum veluti immunditiam detestantes, per diversa dispergerent. Omnem namque Arduennam *, hisce cultibus hactenus mancipatam, in brevi sacrilega servitute liberam, famulitio Domini subjugavit. Si qui autem, facessente generali idolorum cultu, superessent, qui more sacrilego aut pulveris eorum reverentiam haberent, vel caetera hujusmodi observari debere usu nefando putarent, hos ad se deductos, triennii poenitentia plectebat: sicque proeliator Domini strenue adversarias insequendo ac proterendo virtutes, imperium Domini in fines eorum longe lateque ampliavit, ita ut Toxandria ** et Brachbante, eorum detegendo insidias, eos penitus annullaret, effigiesque eorum populi, Christi gratia illuminati, confringerent, et penitus abdicarent. Ab iis autem, a

* *Arduennam Silvam* nempe, quae nunc *les Ardennes* dicuntur. S. Hubertus autem, ob magnos suos labores in Evangelio illis in locis praedicando exantlatis, Arduennae Apostolus jure meritoque meruit vocari.

** *Toxandria*, in Medii Aevi scriptoribus, nunc pro Brabantiae parte, nunc pro Brabantia universa accipitur.

quibus deorum, immo daemoniorum, templa subvertebantur, Christo Domino praeclara in honore sanctorum Martyrum templa, per S. Hubertum construebantur et honorabantur. Sicque vir Domini circumquaque Christi praedicando mysteria, populos ab atra caecitate levatos, lumine scientiae reddidit conspicuos: ut de eis veracissime dici posset: *Populus qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam: habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis* (*Isa.* IX); regnoque Francorum a Deo donatus lucerna luminis, ei superadderet ornamenta salutis.

§ 7. Interea dum sacratissimus Domini famulus curam gregis gerens, parochiamque suam circumiens, ovili sibi commisso invigilaret. ne qua luporum versutia aditum in eo inveniret, et in villam, cui Vivoch vocabulum est, devenisset, et secunda Dominica temporis Quadragesimalis adesset, mulieris cujusdam pulsatus est necessitate, ut et cum quanta reverentia dies resurrectionis Dominicae coli debeat, Dominus ostenderet, et cujus sanctitatis idem praesul esset, declararet. Nam cum jam dicta mulier, posthabitâ Dominici diei reverentiâ, panifico, quamquam jussa, deserviret ministerio, manus illae, quae sacram solemnitatem insolenter temerare tentaverant, subito obriguere: arescentibusque a sanguinis humectatione venis, ac nervis siccitate contractis, adeo stupidae sunt redditae, ut ungues ejus palmis ambabus viderentur infixi. Quae tanta necessitate adstricta, unum sibi solummodo restare remedium credidit, ut virum Dei adiens, cujusmodi urgeretur necessitate, exponeret: atque eas, quas sibi temeritas abstulerat, per ejus orationem sibi reddi manus flagitaret. Neque spes eam fefellit. Nam exeunti viro Dei ab ecclesia, obvia mulier ad pedes proruit: quae eam necessitas urgeret. exposuit: subsidiumque, quo ab eo possit erui, postulavit. Cui Vir Dei: « Vade, inquit, et deinceps tali praesumptione abstineto, et emendationem tuam sanitas consequetur. » Cujus promissionem non Dominus in longum distulit, sed statim opere complevit. Nam manus illius, dudum pallido perfusae colore, in genuinum sunt revocatae repente, siccitasque peregrina sospitati cessit: et recepta sanitate pristina, Creatori omnium benedixit, atque Dei famulo pro se oranti, gratias reddidit...

§ 8. Alio itidem tempore cum jejunium triduanum, quod more sanctae Ecclesiae universaliter celebratur, et Graeco vocabulo Litaniae, Latine vero Rogationes nominatur, instaret, gloriosus Domini pontifex, juxta consuetudinem suae Ecclesiae, per oppida et castella coepit discurrere, sememque verbi Dei in agro cordis audientium seminare: veniensque Trajectum, juxta consuetudinem, cum clericis populique agmine, et victoriosissimis Salvatoris insignibus, Crucis videlicet vexillis, necnon et sanctorum piis reliquiis ab oppido egreditur, peragraturus cum precibus agros, ut Deum tanto precaretur ambitiosius, quanto id

faceret humilius. Cum igitur solito verbum Domini seminator egregius in agro cordis humani jaceret, intonando salubriter : « Si me, inquit, superni judicis praeconem attenta cordis aure audieritis, et ea quae vobis, auctore Deo, supernaque gratia administrante, dixero, sanctorum operum executione compleveritis, nulli dubium, quin aeternae patriae haereditatem sorte felicissima mecum adepturi sitis ; » repente invidus ille verbi Dei inimicus, qui illud aut funditus volucrum more rapere, aut certe ei zizania solet interserere, quantum sibi ea quae a servo Dei gerebantur, displicerent, coactus est, invidiâ cogente, monstrare. Nam subito vas olim sibi appetibile, mulierem scilicet, per praevaricationem primam amicissimam, ingressus, magnis inconditisque vocibus coepit perstrepere, et silentium, quo verbum Dei audiebatur, sui importunitate clamoris perturbare. Hac itaque vociferatione tetrica, Vir Dei, audita et cognita, ad se quidem accurrenti primo signum Crucis objecit : deinde alapam eidem impressit, atque silentium imposuit. Statimque mulier in terram corruit, ita ut crederetur exanimis. Sed cum diutius jaceret, ab ore ejus quaedam sanies diu profluxit, atque post haec daemone caruit...

§ **9**. Igitur cum sciret imminere tempus, quo anima ejus ergastulo corporis absolvenda foret, discurrens per memoriam sanctorum, et loca orationum, per eorum intercessionem Domino commendabat suam resolutionem. Nam veniens ante sepulcrum beati Lamberti in basilicam, quam ipse condiderat, et pia ossa inibi terrae mandaverat, orationi diutissime incubuit, solitoque fonte lacrymarum genas rigavit, oculis lacrymis perfusis, aramque deosculans, fratribus circumstantibus semet humiliter commendavit. Progrediensque inde, basilicam, quam ipse sub honore beati Petri principis Apostolorum Domino dicaverat, oraturus adiit. Inde etiam ante altare, quod in honore beati Albini in eadem basilica Domino consecraverat, diutius curvatis genibus orationem profudit : moxque ab oratione surgens, dixit : *In memoria aeterna erit justus*, etc. (*Ps.* 111); conversusque ad parietem, et protensis per eum brachiis, locum sepulcri sui permensus, ait : « Hic defossa humo locus meae sepulturae pareturae. Nam istud corpus miserrimum istic collocari disposui, precorque ut meae migrationi vestris precibus adminiculemini. Instat enim tempus, quo haec torpentia membra spiritus relinquat, judicique suo praesentandus occurrat. » Non multum igitur temporis interfluxit, juxta quod vir Dei super sepulturae suae celebratione ore praesago actitandum forte disposuerat, nos fidelissimi ac devotissimi ejus famuli flebiliter executi sumus : quoniam triginta dierum spatio evoluto, spiritu ejus in astra feliciter ab Angelis evecto *, sacrum corpus ejus ad eundem tumulandum adveximus locum.....

* Diem supremum obiit sanctissimus Antistes Hubertus loco, qui nunc Tervueren dicitur.

§ **10**. Ejus autem migratio intulit superno conventui gaudium: eis autem, qui ejus consortio eatenus fruiti fuerant, gravem et pene interminabilem luctum. Eratque videre pauperum fletibus ora rigata, et pastoris se conquerentium destitutos opima praesentia: monachorum quoque greges, jejuniis pallida ora gerentes, incultoque habitu despectum mundum protestantes, ad viri Dei inferiarum exequias deducendas concurrere, quamque pie et sancte pontificis sui vita decurrerit, sedulum officium eorum altaque devotio testabatur. Sane eo spiritum reddente, evangelium Christi perlegitur: et eo perlecto, quae mortuis, piae officia sepulturae praestantur. Etenim corpus ejus ablutum lymphis, atque circumdatum peplis, loculo superponunt, atque elatum e loco ejus obitus, qui vocatur Fura, Leodium transfertur. Quae loca a se differunt millibus triginta. Sane per omne corpus reversionis, piae oves funebria exuviasque sui audientes deferri pastoris, ex omnibus villis et locis confluentes, ultimum vale dicturi, adveniunt. Omnis aetas, uterque sexus, curvus arator, pannosusque bubulcus dolorem lacrymis confessi, accedentes atque eminus salutantes, pugnis etiam pectora verberantes, proclamabant: « Heu heu, quid nobis jamnunc restat salutis? En destituimur periclitantes benignissimo periculorum nostrorum propulsatore, qui doloribus nostris consolator aderat, inopiaeque miserator, orphanorum altor, defensor viduarum, doctrinaeque coelestis eximius doctor. Hujus praesentia fugabatur diaboli saevitia, seculi calcabatur pompa, et in uno isto omnia nobis erant doctrinae atque operis sancta emolumenta. » Hisce vocibus planctibusque similes jungebantur querimoniae, quousque suprascripto emenso spatio, in locum destinatum sancti ossa advexere praesulis.

§ **11**. Cum autem prope eundem locum adventarent, plebis multitudo gradusque omnis Ecclesiasticus, cum reverendo habitu obviam sanctis processere exequiis, ferentes Crucis vexilla *, sanctorumque patrocinia, necnon candelabra lumine radiantia, sed et aromata in thymiamateriis redolentia, psallentes, quae moris est talibus officiis decantari, carmina. Dum autem feretro viri Dei se junxerunt, dolor intolerabilis canticum cunctis interdixit, et luctum indixit, ita ut a fletu nemo posset temperare: sed conquerebantur de sui pastoris, dolore magistro dictante, intempestiva subtractione.... His et similibus dolori satisfacientes, sanctissima membra in B. Petri basilicam intulere, quam ipse beatus vir sua construxit munificentia: ibique facibus accensis, pervigilem noctem ducentes, Davidicisque canticis operam dantes, usquequo sol jubare suo poli terraeque faciem perfunderet, perseveravere psallentes. Post haec autem induunt eum, prout erat

apud Bruxellas: quo anno, incertum. Teste Sigeberto, anno 735 e vita excessit; ad Aegidius Bucherius, cui Feller aliique plures consentiunt, ponit annum 727.

* Vide antiquam Christianorum devotionem.

faceret humilius. Cum igitur solito verbum Domini seminator egregius in agro cordis humani jaceret, intonando salubriter : « Si me, inquit, superni judicis praeconem attenta cordis aure audieritis, et ea quae vobis, auctore Deo, supernaque gratia administrante, dixero, sanctorum operum executione compleveritis, nulli dubium, quin aeternae patriae haereditatem sorte felicissima mecum adepturi sitis ; » repente invidus ille verbi Dei inimicus, qui illud aut funditus volucrum more rapere, aut certe ei zizania solet interserere, quantum sibi ea quae a servo Dei gerebantur, displicerent, coactus est, invidiâ cogente, monstrare. Nam subito vas olim sibi appetibile, mulierem scilicet, per praevaricationem primam amicissimam, ingressus, magnis inconditisque vocibus coepit perstrepere, et silentium, quo verbum Dei audiebatur, sui importunitate clamoris perturbare. Hac itaque vociferatione tetrica, Vir Dei, audita et cognita, ad se quidem accurrenti primo signum Crucis objecit : deinde alapam eidem impressit, atque silentium imposuit. Statimque mulier in terram corruit, ita ut crederetur exanimis. Sed cum diutius jaceret, ab ore ejus quaedam sanies diu profluxit, atque post haec daemone caruit...

§ 9. Igitur cum sciret imminere tempus, quo anima ejus ergastulo corporis absolvenda foret, discurrens per memoriam sanctorum, et loca orationum, per eorum intercessionem Domino commendabat suam resolutionem. Nam veniens ante sepulcrum beati Lamberti in basilicam, quam ipse condiderat, et pia ossa inibi terrae mandaverat, orationi diutissime incubuit, solitoque fonte lacrymarum genas rigavit, oculis lacrymis perfusis, aramque deosculans, fratribus circumstantibus semet humiliter commendavit. Progrediensque inde, basilicam, quam ipse sub honore beati Petri principis Apostolorum Domino dicaverat, oraturus adiit. Inde etiam ante altare, quod in honore beati Albini in eadem basilica Domino consecraverat, diutius curvatis genibus orationem profudit : moxque ab oratione surgens, dixit : *In memoria aeterna erit justus*, etc. (*Ps.* 111); conversusque ad parietem, et protensis per eum brachiis, locum sepulcri sui permensus, ait : « Hic defossa humo locus meae sepulturae pareturae. Nam istud corpus miserrimum istic collocari disposui, precorque ut meae migrationi vestris precibus adminiculemini. Instat enim tempus, quo haec torpentia membra spiritus relinquat, judicique suo praesentandus occurrat. » Non multum igitur temporis interfluxit, juxta quod vir Dei super sepulturae suae celebratione ore praesago actitandum forte disposuerat, nos fidelissimi ac devotissimi ejus famuli flebiliter executi sumus : quoniam triginta dierum spatio evoluto, spiritu ejus in astra feliciter ab Angelis evecto *, sacrum corpus ejus ad eundem tumulandum adveximus locum.....

* Diem supremum obiit sanctissimus Antistes Hubertus loco, qui nunc Tervueren dicitur,

§ **10**. Ejus autem migratio intulit superno conventui gaudium: eis autem, qui ejus consortio eatenus fruiti fuerant, gravem et pene interminabilem luctum. Eratque videre pauperum fletibus ora rigata, et pastoris se conquerentium destitutos opima praesentia: monachorum quoque greges, jejuniis pallida ora gerentes, incultoque habitu despectum mundum protestantes, ad viri Dei inferiarum exequias deducendas concurrere, quamque pie et sancte pontificis sui vita decurrerit, sedulum officium eorum altaque devotio testabatur. Sane eo spiritum reddente, evangelium Christi perlegitur: et eo perlecto, quae mortuis, piae officia sepulturae praestantur. Etenim corpus ejus ablutum lymphis, atque circumdatum peplis, loculo superponunt, atque elatum e loco ejus obitus, qui vocatur Fura, Leodium transfertur. Quae loca a se differunt millibus triginta. Sane per omne corpus reversionis, piae oves funebria exuviasque sui audientes deferri pastoris, ex omnibus villis et locis confluentes, ultimum vale dicturi, adveniunt. Omnis aetas, uterque sexus, curvus arator, pannosusque bubulcus dolorem lacrymis confessi, accedentes atque eminus salutantes, pugnis etiam pectora verberantes, proclamabant: « Heu heu, quid nobis jamnunc restat salutis? En destituimur periclitantes benignissimo periculorum nostrorum propulsatore, qui doloribus nostris consolator aderat, inopiaeque miserator, orphanorum altor, defensor viduarum, doctrinaeque coelestis eximius doctor. Hujus praesentia fugabatur diaboli saevitia, seculi calcabatur pompa, et in uno isto omnia nobis erant doctrinae atque operis sancta emolumenta. » Hisce vocibus planctibusque similes jungebantur querimoniae, quousque suprascripto emenso spatio, in locum destinatum sancti ossa advexere praesulis.

§ **11**. Cum autem prope eundem locum adventarent, plebis multitudo gradusque omnis Ecclesiasticus, cum reverendo habitu obviam sanctis processere exequiis, ferentes Crucis vexilla *, sanctorumque patrocinia, necnon candelabra lumine radiantia, sed et aromata in thymiamateriis redolentia, psallentes, quae moris est talibus officiis decantari, carmina. Dum autem feretro viri Dei se junxerunt, dolor intolerabilis canticum cunctis interdixit, et luctum indixit, ita ut a fletu nemo posset temperare: sed conquerebantur de sui pastoris, dolore magistro dictante, intempestiva subtractione.... His et similibus dolori satisfacientes, sanctissima membra in B. Petri basilicam intulere, quam ipse beatus vir sua construxit munificentia: ibique facibus accensis, pervigilem noctem ducentes, Davidicisque canticis operam dantes, usquequo sol jubare suo poli terraeque faciem perfunderet, perseveravere psallentes. Post haec autem induunt eum, prout erat

apud Bruxellas: quo anno, incertum. Teste Sigeberto, anno 735 e vita excessit; ad Aegidius Bucherius, cui Feller aliique plures consentiunt, ponit annum 727.

* Vide antiquam Christianorum devotionem.

tam duram et asperam sententiam? » Ad haec vir ille egregius, non iram tyranni reveritus, nec de ejus potestate sollicitus: «Quid vero, quando verum dixerit quispiam, o Rex, te ne oportebit illico irasci? » Deinde etiam intuens ad omnes, qui aderant, senatores: « Per salutem, inquit, vestrum omnium, tali viro nihil oportet respondere. Quomodo enim veram accipiet orationem, quae furore repleta est, anima? » Propter haec Tyrannus irâ repletus, ira, inquam, ad similitudinem serpentis, ut dicit sanctus David, milites jubet stare pro foribus, ut eos, qui ei repugnabant, et primum omnium Elpidephorum, ense conficeret. Quidam autem Callistratus, cum esset Regi amicissimus, eum collo amplexus, orabat ut iram reprimeret. Omnes vero simul libere loquentes: « Miserrime Regum, dicebant, pulcre scies nos non eadem, quae tu, sentire, neque similiter tueri impietatem.» Et haec cum dixissent, exierunt eo sic relicto. Sed ille, cum esset nox, et ad summam filius tenebrarum, habuit noctem, opem ferentem rebus pessimis, et cum primum illuxisset, sedens pro tribunali, jubet tres fossas effodi, et in eas immitti bestias et serpentes, et sanctum Acindynum cum suis in eas injici.

§ **12**. Postquam ergo Sanctos eo immisissent, *Deus, Deus noster, ad te de luce vigilamus*, psallebant Martyres, *sitivit te anima nostra, sitivit Deum vivum et fortem. Sed tu fac nobiscum convenienter tuae mansuetudini, et educ nos de lacu miseriae. Quoniam benigna est misericordia tua, et bonitas quae non potest exprimi.* Interim autem dum precarentur, splendidi accesserunt angeli, veluti quibusdam virgis ferreis bestias abigentes, et unumquemque e Sanctis manu accipientes, eos illaesos e fossis eduxerunt. Sed Rex cum oporteret rursus Christi intelligere potentiam, et cessare aliquando aggredi, quae non possunt effici, ille jussit Sanctos rursus suspensos caedi. Cum autem vidisset eorum carnes multis horis conscindi, fortique et generoso animo resistere certaminibus, jubet eos e lignis deponi, et eis capita amputari. Ipse enim magis erat defessus intentans supplicia, quam Martyres sustinentes ea quae intentabantur: et summa fortitudine vicerunt illi infinitam crudelitatem. Cum jam autem ad mortem abducerentur, qui ab eis illuminati fuerant ad pietatem, simul cum senatu, Dimittitis nos, dicebant, o doctores pietatis, super cathedram pestilentiae in medio ecclesiae malignantium, cum ad mensuram aetatis in Christo nondum pervenerimus. Beati autem illi eis responderunt: « Qui docet hominem scientiam Christus Deus noster, qui est illuminatio animarum nostrarum, ipse vos illuminabit et reddet intelligentes, firmosque faciet et stabiles fundamento suae fidei. »

§ **13**. Relata sunt haec Regi: et quod magna multitudo sequeretur Sanctos, eorum caedes prohibens. Ille autem statim emittit catervam militum in eos qui sequebantur Sanctos, cui

jussum fuerat ut eos expelleret: sed egregii illi viri, qui ad finem usque statuerant resistere peccato, hoc nihilfacientes, maluerunt potius mori cum Sanctis. Quorum constantiam cum tyrannus rursus intellexisset, jussit omnes simul cum Sanctis interfici, suae occidendi homines cupiditatis praetextum accipiens eorum amorem pietatis. Cum autem ei suggessissent quidam, quorum erat magnus zelus in simulacra, quod fuisset senatus causa horum malorum, jubet beatum adduci Elpidephorum, ut qui apud eum ferret primos honores. Ille autem conversus ad invictos Martyres, qui nondum erant consummati: « Rogate, dixit, pro me patres in spiritu, duces meae in Christum fidei, ut ego quoque a vestro coetu non èxcidam. » Cui Sancti: « Esto bono animo, dixerunt, o frater, esto bono animo, et ne sis animo anxius. Nos enim praecedes, primus sistendus coram coelesti Domino. » Cum eos ergo esset amplexus, ducebatur ad tyrannum: eum autem tres quoque alii consequebantur, qui erant ejusdem animi et instituti.

§ 14. Tyrannus autem: « Quid vobis, inquit, accidit, o stulti, ut deorum quidem patriam dimitteretis religionem, adhaereretis vero his impostoribus? Sed nisi cito resipiscentes, ad priora redieritis, vos excipiet acerbus vitae finis. » Cui Elpidephorus interrito et constanti animo: « Notum tibi sit, inquit, o Rex, quod deos, qui non sunt, non colimus, et tuo dogmati repugnamus. Fac ergo id quod tibi vidétur. » — « Quoniam hoc vobis placet, inquit Tyrannus, sequendo hos impios ejusdem quoque esse finis socios, neque nos vos vestro frustrabimur desiderio: sed vestra capita jubeo gladio amputari. » Cum autem Sancti hanc audivissent sententiam, laetique et exultantes ducerentur ad mortem, eos quoque consequentibus militibus, qui erant numero circiter trecenti, qui cum divino, inquam, Acindyno et ejus sociis mori maluerunt, et sic venire ad Christum, cujus misericordia est supra vitas, mortem gladio accipiunt, magnam animi alacritatem eis afferente Acindyno, et excitante, animosque addente ad martyrium.

§ 15. Jam autem interfectis militibus et senatoribus, quamprimum accersit tyrannus beatum Acindynum, Pegasiumque et Anempodistum. Deinde vulpina pelle indutus, clementiamque et mansuetudinem simulans perversissime: « Quaenam est, dicebat, talis vestra constantia, ut vitae praesentis sitis prodigi, et eam morte commutetis? Testis sit mihi sol, qui est jucundus omnibus, quod propter vestram mortem mihi scinduntur viscera et anima. Misereor enim vestrae aetatis et juventutis, et corporis quoque pulcritudinis, cujus vel misereretur bestia, et ei parceret. Credite ergo mihi, qui vestri magnam curam gero, et consulo quae sunt utilia. Videtis enim, quomodo nulli pepercerim senatori, nec militi. Vestri autem paterne curam gero, et vos

amplector, ut qui vestram didicerim virtutem et fortitudinem ex constantia in tormentis. Si enim mihi parueritis, vos primis dignabor honoribus, et concedam dona digna vestra virtute.» Sancti autem: « Nec tibi, dixerunt, nec nobis frustra labores exhibe. Sed nec tu nobis parcas, nec te nostri ulla moveat misericordia: mentem enim nostram nunquam flectes, aut bonorum promissis, aut minis malorum intentatis, aut metu mortis, quae est tibi terribilis. Quomodo enim mortem timuerint, quos hoc magis afficit molestia, quod semel et non millies possint mori pro Christo? Fac ergo cito id quod a te jam est judicatum. Nos enim exspectat chorus sanctorum: ut etiam magis tibi agamus gratias propter celerem consummationem.»

§ **16**. Ille autem, depositâ personâ, et fictâ ablatâ mansuetudine: « Non per deos, inquit, non assequemini id quod desideratis.» Jubet ergo eos, cum fuerint ferro vincti, in tutissima servari custodia. Ipse autem cum tota nocte considerasset, quanam morte eos afficeret, mane jubet in fornacem ignis ardentem divinos jacere martyres, ut omnino consumptis sanctis eorum corporibus, ne cinis quidem relinqueretur Christianis desiderii sui solatium. Qui cum mox educti fuissent e custodia, eis magna voce acclamavit tyrannus: « Ecce praemia vestrae inobedientiae, ostendens manu fornacem: quam nullus alius, sed vos vobisipsis accendistis.» Acindynus ergo, beatus Christi martyr, cum intellexisset, quam esset malitiosus et versipellis tyrannus: « Forte, inquit, prophetice tibi nomen imposuit mater: id enim patrem daemonum significat. Tu autem non pater daemonum, sed es aperte filius ejus, qui fuit homicida ab initio: quoniam ejus opera imitaris, ut qui hominum sanguine, sicut ipse, delecteris.» Ille vero, cum verbi acerbitas ejus animum momordisset, matre sua accersita: « Quid mihi, inquit, o mater, nomen sibi vult?» Illa autem: « Scio, inquit, hoc esse tibi paternum. Quidnam vero possit significare, nescio.» Sapores autem: « Sed isti, inquit, cacodaemones dicunt hoc significare patrem daemonum. Quod si habeant veritatem in hoc sibi suffragantem, non illos, sed te prius tradam morti acerbae.» Illa vero subridens: « Omnino, inquit, nisi hoc aperte nossent, non ita auderent loqui multis praesentibus.» Hinc factum est, ut ira, quae cohiberi non poterat, invaderet hunc execrandum; statimque cum simul cum Deo communem abnegasset naturam, et nec ipsum omnibus carum nomen matris esset reveritus, quod vel ipsis feris et animalibus rationis expertibus affert reverentiam, ei manus injicit, manus (o divina justitia!) homo in matrem, et matrem jam vetulam, et filius matri impingit alapam, egregiam ei reddens mercedem nutritionis, aut potius lubenter dixeris, qui majorem jure erat redditurus, quod illa tale malum in lucem ediderit. Illa autem procidens ad pedes Sanctorum: « Servate meam senectutem,

dixit cum multis lacrymis. Ipsum enim, ut video, satanam, illum ipsum ego genui. »

§ 17. Ille autem illam nihilipendens et repellens, intuens ad Martyres: « Vestra, inquit, in malis perseverantia, efficit, ut vobis fornax accendatur amplius. » Illi vero: « Tua mater, ajunt, curae tibi sit in praesentia. Quid enim animi habeamus, jam satis es expertus. » Tyrannus autem: « Quid ea, inquit, sit mihi curae? » — « Si tibi, inquiunt, remittetur scelus, qui injustas manus in ipsam matrem intulisti. » — « Sed si pro filio, inquit, mater precata fuerit, dii mei ignoscent. » Illa autem oculos statim in altum tollens: « Christe unigenite, inquit, Dei fili, filio meo ne remittas, neque in hoc seculo, neque in futuro. » Ille autem rursus iniquus: « Longa, inquit, ut videtur, et multorum annorum senectus tuam mutavit et corrupit mentem; et ideo tam facile induceris, ut nobis male preceris. » Ad haec anus illa sapiens: « Sed si ego, inquit, qui te genui, sum inops mentis, tu qui ab ea es genitus, quomodo salvam mentem habere existimaberis? » — « Non ergo, inquit Tyrannus, ab eo, quod decet aberravi: qui tibi, quae es ejusmodi, talem intuli tibi alapam, impingens contumeliam. » Illa autem: « Tibi, inquit, testificor, quod Dei, qui omnia adspicit, oculum et justum illius judicium non effugies. »

§ 18. Cum ea sic respondisset, mutus evasit sceleratus: vix tandem autem dixit iis qui aderant: « Hinc tollantur impii, et in ardentem fornacem injiciantur: quoniam contendunt non parere nostris jussis. Hanc vere, quae abjuravit se meam esse matrem, et violavit jus naturae, relinquite eam sua voluntate ambulare. » Illa autem beata: « Deum, inquit, juro, me esse morituram cum hac trinitate Martyrum, et neque morte, neque ulla re alia me unquam ab his esse sejungendam. » Tyrannus vero, bonae terrae malum germen praeter exspectationem: « Haec res, inquit, non est mihi magnae curae: fac, ut tu volueris. » Cum ergo Martyres fornaci appropinquassent, tollentes in coelum oculos, dixerunt: « Domine Jesu Christe, vera lux, quae ante secula e paterna affulsit gloria, agimus tibi gratias, quod nos corroborasti, ut ferremus pro te certamen: et non permisisti, ut comprehenderemur a laqueo venantium: sed tamquam passerem animam nostram ex eo liberasti. Et nunc confirma nostros animos, ut possimus adversus hunc ignem nos fortiter gerere. Nobis quoque adsis in tempore excelsus ex hoc abjecto corpore, et defende nostras animas. Te enim freti et tua virtute, hanc flammam ascendimus. »

§ 19. Cum itaque fuissent milites prope os fornacis, et intolerabilem ejus ardorem non possent sustinere, Sancti qui eos viderant territos: « Quid statis, dicebant, quod jussi estis, non facientes? Si hic, qui est conservus et est ad tempus ignis, vobis

visus est tam terribilis: ignis ille gehennae, qui nunquam desinit, et nunquam extinguitur, quemadmodum a vobis tolerabitur?» — « Et quomodo, dixerunt illi, potuerimus effugere, quod vos dicitis, supplicium?» — « Nisi abnegato cultu idolorum, dixerunt Sancti, Christo vero Deo vere credideritis, non poteritis illa effugere supplicia.» Ad haec milites: « Quando, dixerunt, Regis jussui servientes, vobis inferebamus supplicia, contremiscebamus et timore afficiebamur, ut qui exspectaremus nos aliquid grave esse passuros. Nunc autem vestram consecuti doctrinam et admonitionem, sumus tranquillis animis, aliquam spem salutis, ut par est, exspectantes: sed vos cum in nos feceritis, quae oportet et vult vestra fides, ad Regem aeternum adducite: hunc enim, in quem cadit interitus, jam sumus abominati.» Propter haec Martyres repleti laetitia: « Dominum, dixerunt, una voce laudemus, quoniam bonus; et suavis evadat ei nostra laudatio qui aedificat animas eorum, qui ad ipsum fide accedunt, et gaudio propter eorum salutem implet coelestia. Excipe Domine eos, quos hora undecima convocasti ad vineam tui martyrii: et da eis mercedem dignam tua bonitate, eos referens in numerum priorum tuorum decertatorum.»

§ **20**. Milites ergo veluti quibusdam armis inexpugnabilibus, Christi muniti signaculo, simul cum sanctis Acindyno, Pegasio et Anempodisto fornacem ingressi sunt, cum essent numero viginti et octo, ne ipsa quidem tyranni matre relicta, sed cum eis simul ingressa. Chorus autem Angelorum circa fornacem Sanctos videbatur excipiens, et cum eis hymnum canens. Martyres autem cum sacras animas apud Deum per ignem deposuissent secundo die Novembris, locum repleverunt odore ineffabili: adeo ut qui illic aderant Christiani, quae dici non potest, voluptatem senserint, et eum laudarint, qui re ipsa implet quae dicit divinus David, et in sanctis suis se ostendit mirabilem. Quorum sacrae et pretiosae reliquiae depositae sunt in loco, qui dicitur Irenessus, ex quibus manat maxima gratia ad eos qui accedunt. Ad gloriam Domini nostri Jesu Christi: quem decet majestas et laudatio cum ejus principio carente patre, et vivifico Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

VITA

S. HUBERTI EPISC. LEODIENSIS

AUCTORE QUODAM EJUS DISCIPULO VEL FAMILIARI,
UT IPSA HISTORIA SATIS INDICAT.
EXTAT IN ANTIQUIS MSS. CODICIBUS.

Obiit anno 727 – Ex Aquitania.

§ 1. Post gloriosum beatissimi ac praecellentissimi antistitis Lamberti * a rebus humanis excessum, qui Pontificalem apicem apud urbem Tungrensem quadraginta annis strenue ferens, vitae quidem exempla, posteris dereliquit: mortis autem acerbae viriliter ferendo discrimina, et summi pastoris vestigiis inhaesit, et quantum amoris circa Dominicas oves haberet, aperuit: utpote quibus et vivens vitae contulit pascua, et pro quibus non metuit mortis subire dispendia: Hubertus venerandus praesul ejus sedi subrogatur Episcopus **, cui non erat virtute secundus. Namque Pastor ille pius, qui devicto mortis tyranno, oves suas consolari dignatus est, dicendo: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* (*Matth.* XXVIII); eidem gregi talem ac tantum praetulit pastorem, per cujus opera, vera esse sua verba ostenderet, virtusque in eo pollens, Christum in se et loqui, et operari clamaret. Egitque, ut assolet. divina provisio, ut quia optimi pastoris destituebantur solatio, non rictibus luporum territae, per diversa dispergerentur, dentibusque lacerarentur: sed succederet pastor, qui humilis gregis curam gerens, fessas sublevaret, fractas alligaret emaceratas sanaret, luporumque rabiem ab eorum insectatione procul proturbaret: nec jam Ecclesia Dei fieret lustrum ferale, sed expiatum a sorde nocentium, et serenatum ab angore luporum, redderetur Domino templum herile.

§ 2. Juvabatur namque praedictus Domini famulus non modo Christi exemplis, sed et praedecessoris sui nuperrimis institutis: quia et humanam mentem non tam instruunt prisca, quantum praesentia: nec eo infirmi convalescunt exemplo multo sibi

* Vulgo *Lambrecht*. Ejus praeclara gesta, mortemque gloriosam, atque sacri ejusdem corporis translationem vide in Surio nostro (Vol. IX, pag. 403, etc.).

** S. Hubertum, *Tungrensem* (*Tongres*) Martyrologium Romanum, *Leodiensem* episcopum biographus suus appellant. Tungrensis antistes revera a Sergio Pp. I (687-701) is fuit consecratus: at quum deinde, anno, ut fertur, 721, Leodii (*Liège*), ubi S. Lamberti ossa quiescebant, sedem suam constituisset. Leodiensis nuncupatur. Videtur tamen eum Tungrensem praesulem sese vocare solitum fuisse. Quum porro et S. Huberti successores Leodii constitissent, coepit ille pagus in dies augeri, ita ut demum urbs conspicua evasisset.

superiorum, quo ad aemulationem provocantur ex visione coaequalium. Unde actum est, ut idem Vir venerandus et lectione Scripturarum, quae sibi agenda forent, addisceret, opusque lectionis, paterna aemulando opera, perageret, operisque pastoralis non segnis executor existeret, atque ideo officii episcopalis non incongruus minister fieret. Igitur ut vox veridica, veritatis ore prolata, compleretur, dicentis: *Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum* (*Matth.* XVIII): consensu unanimi fidelium, talis ac tantus Vir cathedra, ut dictum est, praesulatus Dominici gregis donatur: ut qui eatenus sibi tantum profuerat, et sub schemate privatorum degens delituerat, candelabro Dei quasi quidam clarissimus lychnus imponeretur, quatenus ejus exemplo cunctis in domo Dei positis, luminis claritas praeberetur.

§ **3**. Sciens namque memoratus et saepe memorandus Vir, aliam legem esse subditorum, aliamque praelatorum: scilicet ut subditus quisque curet, ne pereat, neve suo exemplo alios perdat: praelatus autem non solum intendat suae, sed et judex provisorque cogatur vitae fieri alienae: non ei sufficiebant ea quae sibi olim sectanda proposuerat: sed in arctiora tendens, magnopere studebat antiquorum patrum sectari vestigia. Unde non quemlibet sibi in aemulatione proposuit, aut virtutum ignobilitate degenerem, aut inscientia vecordem, aut mollitia segnem: sed illos potissimum, qui voce Domini audita, dicentis: *Si vis perfectus esse, vade: vende omnia quae habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in coelo: et veni, sequere me* (*Matth.* XIX); studuerunt nihil mundiale appetere, sed, explosis terrenis cupiditatibus, si quid rei familiaris superfluit, curaverunt sub uno congerere, et singulis pro necessitate subministrare. Unde factum est, ut initium ejus praesulatus talibus tantisque dedicaretur auspiciis, in quibus non initium bonae intentionis, sed perfectio fulgeret operis. Distractis igitur si qua ei superfuere in re privata, studebat ea non sub cavo terrae cespite abscondere, aut aerugini consumenda tradere, furibusque diripienda derelinquere: sed amicos evangelicos de his conquirere, qui se in aeterna tabernacula valerent recipere.

§ **4**. Erat namque largus erga indigentiam inopum, refocillator pauperum, et secundum Scripturam pater orphanorum, et pro viro matribus eorum. Oppressis adminiculabatur, inopum miserebatur, suaque pro Domino derelinquentibus pio affectu patrocinabatur. Tribulationem patientibus strenuus consolator aderat, et carcere praeclusis, necnon divalium poenâ subactis, ejus visitatio atque subministratio non deerat: sed et quocumque pedem ferre libuisset, in manu illius eleemosyna desudabat, quousque pauper occurreret, cui eam tamquam Christo committeret. Et quia moris est proficientium, praeterita boni operis exercitia a mentis acie subducere, quo acutius ad ea, quae sunt arctiora

mentem valeant defricatam ignire, atque jamjamque fessam, appetitu novi operis recreare: viro beato non satis erat, talibus ac tantis virtutum insignibus cluere, sed reminiscens perfectionis decessoris sui, ardebat cupiditate martyrii, minus se deputans habere perfectionis, qui nondum pro Domino tradidisset morti etiam officia corporis. Doloris namque illius interni amaritudinisque animi, quo flagrabat amore martyrii, testes erant lacrymae, quae solent prodere intima conscientiae, quas in recordationem beati Lamberti solitus erat dolor elicere, genarumque orbes assidua humectatione alluere. Unde inter pias exuberationes fletuum alta suspiria pulmonum, crebro talia conquestus est: « O me infelicem, terque miserandum, cujus se peccata in tantam sustulere congeriem, ut non idoneus dignusque possim reperiri consortio tanti viri, martyrii triumphum subeuntis, palmamque victoriae invadentis! » Sic sic nimirum imperfectionis sese arguebat, ut quo magis perfectus, eo sibimet videretur exiguus: minusque oculum mentis tendebat in his quae in se jam et victore Christo subegerat, et satore bona nutriverat: sed ad ea capessenda irreverberato tendebat obtutu, quae nondum, ob conservationem humilitatis, Christi ei discreta largitas attribuerat, attendens illud quod a sancta Scriptura praecipitur: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, et coram Deo invenies gratiam* (*Eccli.* III). His igitur et talibus exercitiis in gymnasio sanctae Ecclesiae per annos duodecim exercitatus, his palaestricis certaminibus contra carnis hostes, aërisque principes est proeliatus.

§ 5. Anno autem ordinationis ejus duodecimo crebras sibi prodidit oblatas sub noctis quiete visiones, quibus se commonitum fatebatur, uti a Trajectensi * oppido ossa sancti levaret Lamberti, et in loco, quo celebratam ejus passionem nosset, iterum humanda reduceret. Quarum admonitio ejus animum inaestimabili recreavit gaudio. Attamen in quodam meditullio positus, cum neque visioni certam fidem tribueret, quod sibi occultum erat, judicavit a Domino quaerendum. Nam indicto cunctis tam monasterialibus, quam e civitatis clericis, necnon et laicis jejunio, quae sibi divina voluntas de his agere praeciperet, magnopere requirere studuit. Tandemque edoctus, ancipiti submota sententia, tertiodecimo anno sui praesulatus coetu clericorum sibi adjuncto, necnon populari agmine coacto, accitis etiam venerabilibus Episcopis et sacerdotibus, tumulum venerandi viri adiit: ibidemque spirituales observantes excubias, divinitatemque pulsantes precibus, honorantes laudibus, rogabant, ut qui antistiti suo facienda mandaverat, quo perficerentur, coeptis annueret, secundosque proventus attribuendo, suam voluntatem ut taliter fierent, cunctis palam ostenderet. Quorum piis votis omnipotentiae Divinitatis annuere libuit. Nam cum maxima veneratione urnam, qua

* Scilicet, *Trajectum ad Mosam*, quod vulgo *Maestricht* nuncupatur.

sanctissimus cinis conditus servabatur, adeuntes, absque aliqua difficultate busta beati Viri ex loculo protulere: et cum magno gaudio, qua venerant, pedem referentes, in loco, quo passus est, terrae mandavere. Quantis autem, qualibusve miraculis suum velle Dominus in tali facto per omne iter reversionis eorum commendarit, schedula gestorum ejusdem sancti pontificis annotata continet.

§ 6. Fabrica autem ejusdem basilicae, qua beati viri conditae sunt reliquiae, qualiter ab eodem sancto viro Huberto ordinata sit, quia oculis videntium se offert, de ea aliquid dicere supersedi. His peractis, vir Domini Hubertus, ut Scriptura clamat, de virtute in virtutem proficiscens, ardebat videre Deum deorum in Sion. Et sciens dictum ab Apostolo, *Ea, quae retro sunt, oblitus, in ea vero, quae ante sunt, extendens me, persequor ad bravìum supernae vocationis* (*ad Philipp.* III); magis magisque jejunio et vigiliae, castitatique animi et corporis operam dabat: et subditorum curam gerens, tamquam fidelissimus dispensator verbi triticum conservis suis toto nisu subministrabat: nec tamen Dominici immemor exempli, de quo legitur: *Coepit Jesus facere et docere* (*Luc.* XII): ea quae discipulis observanda voce praedicabat, qua diligentia operanda essent, suis actibus praetendebat. Instabatque, juxta Apostoli mandatum, praedicans opportune, importune: tantaque eum gratia verbi, et dulcedine sermonis virtus Spiritus Sancti donaverat, ut non modo e vicinis, verum etiam e longinquis, et a se valde semotis locis, ad eum populi concurrerent, ac de potestate faucibusque diaboli se erui, atque in regnum Christi, gremiumque sanctae Ecclesiae per baptismi gratiam transferri, gauderent: idolorumque cultum, necnon profanum eorum observationis ritum, cum auctoribus eorum respuerent: atque olim sibi veneranda templa, terrae coaequarent, pulveremque eorum veluti immunditiam detestantes, per diversa dispergerent. Omnem namque Arduennam *, hisce cultibus hactenus mancipatam, in brevi sacrilega servitute liberam, famulitio Domini subjugavit. Si qui autem, facessente generali idolorum cultu, superessent, qui more sacrilego aut pulveris eorum reverentiam haberent, vel caetera hujusmodi observari debere usu nefando putarent, hos ad se deductos, triennii poenitentia plectebat: sicque proeliator Domini strenue adversarias insequendo ac proterendo virtutes, imperium Domini in fines eorum longe lateque ampliavit, ita ut Toxandria ** et Brachbante, eorum detegendo insidias, eos penitus annullaret, effigiesque eorum populi, Christi gratia illuminati, confringerent, et penitus abdicarent. Ab iis autem, a

* *Arduennam Silvam* nempe, quae nunc *les Ardennes* dicuntur. S. Hubertus autem, ob magnos suos labores in Evangelio illis in locis praedicando exantlatis, Arduennae Apostolus jure meritoque meruit vocari.

** *Toxandria*, in Medii Aevi scriptoribus, nunc pro Brabantiae parte, nunc pro Brabantia universa accipitur.

quibus deorum, immo daemoniorum, templa subvertebantur, Christo Domino praeclara in honore sanctorum Martyrum templa, per S. Hubertum construebantur et honorabantur. Sicque vir Domini circumquaque Christi praedicando mysteria, populos ab atra caecitate levatos, lumine scientiae reddidit conspicuos: ut de eis veracissime dici posset: *Populus qui sedebat in tenebris, lucem vidit magnam: habitantibus in regione umbrae mortis, lux orta est eis* (*Isa.* IX); regnoque Francorum a Deo donatus lucerna luminis, ei superadderet ornamenta salutis.

§ 7. Interea dum sacratissimus Domini famulus curam gregis gerens, parochiamque suam circumiens, ovili sibi commisso invigilaret, ne qua luporum versutia aditum in eo inveniret, et in villam, cui Vivoch vocabulum est, devenisset, et secunda Dominica temporis Quadragesimalis adesset, mulieris cujusdam pulsatus est necessitate, ut et cum quanta reverentia dies resurrectionis Dominicae coli debeat, Dominus ostenderet, et cujus sanctitatis idem praesul esset, declararet. Nam cum jam dicta mulier, posthabitâ Dominici diei reverentiâ, panifico, quamquam jussa, deserviret ministerio, manus illae, quae sacram solemnitatem insolenter temerare tentaverant, subito obriguere: arescentibusque a sanguinis humectatione venis, ac nervis siccitate contractis, adeo stupidae sunt redditae, ut ungues ejus palmis ambabus viderentur infixi. Quae tanta necessitate adstricta, unum sibi solummodo restare remedium credidit, ut virum Dei adiens, cujusmodi urgeretur necessitate, exponeret: atque eas, quas sibi temeritas abstulerat, per ejus orationem sibi reddi manus flagitaret. Neque spes eam fefellit. Nam exeunti viro Dei ab ecclesia, obvia mulier ad pedes proruit: quae eam necessitas urgeret, exposuit: subsidiumque, quo ab eo possit erui, postulavit. Cui Vir Dei: « Vade, inquit, et deinceps tali praesumptione abstineto, et emendationem tuam sanitas consequetur. » Cujus promissionem non Dominus in longum distulit, sed statim opere complevit. Nam manus illius, dudum pallido perfusae colore, in genuinum sunt revocatae repente, siccitasque peregrina sospitati cessit: et recepta sanitate pristina, Creatori omnium benedixit, atque Dei famulo pro se oranti, gratias reddidit...

§ 8. Alio itidem tempore cum jejunium triduanum, quod more sanctae Ecclesiae universaliter celebratur, et Graeco vocabulo Litaniae, Latine vero Rogationes nominatur, instaret, gloriosus Domini pontifex, juxta consuetudinem suae Ecclesiae, per oppida et castella coepit discurrere, sememque verbi Dei in agro cordis audientium seminare: veniensque Trajectum, juxta consuetudinem, cum clericis populique agmine, et victoriosissimis Salvatoris insignibus, Crucis videlicet vexillis, necnon et sanctorum piis reliquiis ab oppido egreditur, peragraturus cum precibus agros, ut Deum tanto precaretur ambitiosius, quanto id

faceret humilius. Cum igitur solito verbum Domini seminator egregius in agro cordis humani jaceret, intonando salubriter : « Si me, inquit, superni judicis praeconem attenta cordis aure audieritis, et ea quae vobis, auctore Deo, supernaque gratia administrante, dixero, sanctorum operum executione compleveritis, nulli dubium, quin aeternae patriae haereditatem sorte felicissima mecum adepturi sitis ; » repente invidus ille verbi Dei inimicus, qui illud aut funditus volucrum more rapere, aut certe ei zizania solet interserere, quantum sibi ea quae a servo Dei gerebantur, displicerent, coactus est, invidiâ cogente, monstrare. Nam subito vas olim sibi appetibile, mulierem scilicet, per praevaricationem primam amicissimam, ingressus, magnis inconditisque vocibus coepit perstrepere, et silentium, quo verbum Dei audiebatur, sui importunitate clamoris perturbare. Hac itaque vociferatione tetrica, Vir Dei, audita et cognita, ad se quidem accurrenti primo signum Crucis objecit : deinde alapam eidem impressit, atque silentium imposuit. Statimque mulier in terram corruit, ita ut crederetur exanimis. Sed cum diutius jaceret, ab ore ejus quaedam sanies diu profluxit, atque post haec daemone caruit...

§ **9**. Igitur cum sciret imminere tempus, quo anima ejus ergastulo corporis absolvenda foret, discurrens per memoriam sanctorum, et loca orationum, per eorum intercessionem Domino commendabat suam resolutionem. Nam veniens ante sepulcrum beati Lamberti in basilicam, quam ipse condiderat, et pia ossa inibi terrae mandaverat, orationi diutissime incubuit, solitoque fonte lacrymarum genas rigavit, oculis lacrymis perfusis, aramque deosculans, fratribus circumstantibus semet humiliter commendavit. Progrediensque inde, basilicam, quam ipse sub honore beati Petri principis Apostolorum Domino dicaverat, oraturus adiit. Inde etiam ante altare, quod in honore beati Albini in eadem basilica Domino consecraverat, diutius curvatis genibus orationem profudit : moxque ab oratione surgens, dixit : *In memoria aeterna erit justus*, etc. (*Ps.* 111); conversusque ad parietem, et protensis per eum brachiis, locum sepulcri sui permensus, ait : « Hic defossa humo locus meae sepulturae pareturae. Nam istud corpus miserrimum istic collocari disposui, precorque ut meae migrationi vestris precibus adminiculemini. Instat enim tempus, quo haec torpentia membra spiritus relinquat, judicique suo praesentandus occurrat. » Non multum igitur temporis interfluxit, juxta quod vir Dei super sepulturae suae celebratione ore praesago actitandum forte disposuerat, nos fidelissimi ac devotissimi ejus famuli flebiliter executi sumus : quoniam triginta dierum spatio evoluto, spiritu ejus in astra feliciter ab Angelis evecto *, sacrum corpus ejus ad eundem tumulandum adveximus locum.....

* Diem supremum obiit sanctissimus Antistes Hubertus loco, qui nunc Tervueren dicitur.

§ 10. Ejus autem migratio intulit superno conventui gaudium: eis autem, qui ejus consortio eatenus fruiti fuerant, gravem et pene interminabilem luctum. Eratque videre pauperum fletibus ora rigata, et pastoris se conquerentium destitutos opima praesentia: monachorum quoque greges, jejuniis pallida ora gerentes, incultoque habitu despectum mundum protestantes, ad viri Dei inferiarum exequias deducendas concurrere, quamque pie et sancte pontificis sui vita decurrerit, sedulum officium eorum altaque devotio testabatur. Sane eo spiritum reddente, evangelium Christi perlegitur: et eo perlecto, quae mortuis, piae officia sepulturae praestantur. Etenim corpus ejus ablutum lymphis, atque circumdatum peplis, loculo superponunt, atque elatum e loco ejus obitus, qui vocatur Fura, Leodium transfertur. Quae loca a se differunt millibus triginta. Sane per omne corpus reversionis, piae oves funebria exuviasque sui audientes deferri pastoris, ex omnibus villis et locis confluentes, ultimum vale dicturi, adveniunt. Omnis aetas, uterque sexus, curvus arator, pannosusque bubulcus dolorem lacrymis confessi, accedentes atque eminus salutantes, pugnis etiam pectora verberantes, proclamabant: « Heu heu, quid nobis jamnunc restat salutis? En destituimur periclitantes benignissimo periculorum nostrorum propulsatore, qui doloribus nostris consolator aderat, inopiaeque miserator, orphanorum altor, defensor viduarum, doctrinaeque coelestis eximius doctor. Hujus praesentia fugabatur diaboli saevitia, seculi calcabatur pompa, et in uno isto omnia nobis erant doctrinae atque operis sancta emolumenta. » Hisce vocibus planctibusque similes jungebantur querimoniae, quousque suprascripto emenso spatio, in locum destinatum sancti ossa advexere praesulis.

§ 11. Cum autem prope eundem locum adventarent, plebis multitudo gradusque omnis Ecclesiasticus, cum reverendo habitu obviam sanctis processere exequiis, ferentes Crucis vexilla *, sanctorumque patrocinia, necnon candelabra lumine radiantia, sed et aromata in thymiamateriis redolentia, psallentes, quae moris est talibus officiis decantari, carmina. Dum autem feretro viri Dei se junxerunt, dolor intolerabilis canticum cunctis interdixit, et luctum indixit, ita ut a fletu nemo posset temperare: sed conquerebantur de sui pastoris, dolore magistro dictante, intempestiva subtractione.... His et similibus dolori satisfacientes, sanctissima membra in B. Petri basilicam intulere, quam ipse beatus vir sua construxit munificentia: ibique facibus accensis, pervigilem noctem ducentes, Davidicisque canticis operam dantes, usquequo sol jubare suo poli terraeque faciem perfunderet, perseveravere psallentes. Post haec autem induunt eum, prout erat

apud Bruxellas: quo anno, incertum. Teste Sigeberto, anno 735 e vita excessit; ad Aegidius Bucherius, cui Feller aliique plures consentiunt, ponit annum 727.

* Vide antiquam Christianorum devotionem.

solitus indui, divino altari assistens, subucula scilicet, atque linea planeta. Tanta autem vultui ejus inerat pulcritudinis gratia, ut potior videretur atque venustior mortuus, quam olim fuerat vivus. Quae cum fierent, discipulique ejus vultum sibi dudum optabilem atque amantissimum oculis perlustrarent, internum amorem animi non ferentes, lacrymis testabantur. Omnes etiam adstantes, genibus curvatis, cervicibusque submissis, plantis ejus grata oscula libant, et quia doctrinae ejus segnes executores fuerint, proclamant, ob idque sibi indulgentiam dari suppliciter postulant. Deinde officia, prout res postulat, super eum peragunt, cantionemque aptam depromunt, odoramentisque et lampadibus cum omni honestate, ut res funebria postulat, praeeuntibus, loculo quo ipse praedixerat, humandus inducitur. Ut autem divinitas cunctis palam ostenderet, semper apud se vivere, quem ab oculis hominum occulerat, terra sub arido caespite lucum sepulcri ejus tali dignata est miraculo venustare. Virga namque super sepulcrum ejus incisa est: quia ita res exigebat, contractior tamen, quam utilitas poposcerat: sed postea inventa est duorum palmorum longitudine supercrevisse. Quam nos ob ampliandam Christi gloriam et sancti viri perpetuam memoriam, ab eodem loco levatam, parieti inservimus conservandam.

§ **12**. Post haec autem coeperunt sancti viri reliquiae virtutibus florere, locusque ejus sepulturae crebris miraculis enitère. Nam creberrime quidam inter diurnum nocturnumque officium inibi peragentes, crebro se confessi sunt voces exaudisse de tumulo. Quas, uti humanae imbecillitati moris est, audientes, timore nimio perterriti, fugae sese credidere, timorisque magnitudinem mutationem loci declinavere. Quod nos audientes, innumeras Christo Domino persolvimus grates, qui tali modo voluit commendare pretiosam mortem praesulis sui, videntes quod eum alta beatitudine donaverat, quem tanta praerogativa signorum commendabat.

§ **13**. Anno autem decimosexto felicissimi ejus excessus, ut vox Salvatoris vera probaretur, dicentis: *Nihil opertum, quod non reveletur: et occultum, quod non sciatur* (*Matth.* x): pastor pastorum vicarium suum, quanti apud se esset meriti, voluit ostendere, quatenus lux virtutum ejus coram hominibus fulgeret, et populi perfruentes suavitate signorum, glorificarent Deum, patratorem tantorum operum: et quia membrum parsque magna erit civitatis supernae, noluit eum Dominus delitescere, sed cunctis ejus civibus in exemplum proferre. Nam Carlomanno Rege, tertio jam anno regni Francorum sceptra regente, aeditui basilicae, qua sancti viri membra tegebantur, detexere sibi mandatum fuisse coelitus, uti corporis beati viri busta inde levarentur: nec soli illi tali sibi referebant mandata divinitus, sed et aliae complures personae spectabiles, et nobilitate humi praestantes.

Quique ad alterutrum ea, quae viritim viderant, conferentes, quaesitu ne opus esset dicebant, quod sibi in talibus consilium, quidve foret agendum. Et diu quaquaversum sententiam potuere, trutinantes, ad id tandem consilii ventum est, ut divinitas super his consuleretur, et super hac re ejus voluntas atque sententia praestolaretur. Igitur ad amica sibi subsidia se vertentes, orationi atque jejunio sese triduano mancipavere, utque voluntatem super hoc negotio Domini nosse possent, ab eo totis nisibus poposcere. Ac tertio tandem jejunii die instante, duos libros super altare deposuere: quorum unus sacratissimi Evangelii retinebat textum, alter vero benedictiones atque consecrationes, quibus Missarum peragunt sacramentum, scilicet ut a divinis libris addiscerent, quae sibi de his agenda forent. Reseratum evangelium, hanc primum legenti sententiam obtulit: *Ne timeas Maria: invenisti gratiam apud Dominum* (*Luc.* I). Liber etiam sacramentorum in sui apertione hoc primum videnti objecit: *Dirige viam famuli tui* *. Quibus peractis, noctem supervenientem vigiliarum celebratione, hymnorumque decantatione reddunt festivam. Adveniente autem die, sacerdotes quique, sibi junctis aliorum Ecclesiasticorum graduum turmis, itemque populi ac procerum palatii agminibus, primo mane Dominica illucescente, basilicam beati Petri adeunt, ubi sanctissimi viri membra silicea continebat urna, ferentes in manibus vexilla Crucis et candelabra, sed et diversa odoramentorum genera. Quo pervenientes, operculum a sarcophago sustulere: attamen gravitate pavorem cum reverentia indicente, non audebant plenius locum sepulturae ejus oculis visitare. Putabant namque, more mortalium, illud sacratissimum corpus a soliditatis compage sejunctum, et pulveri redditum. Ne tamen, quia tantum opus coeperant, si relinquerent, imperfectionis argui possent, gravitate magistra, leniter quoque accesserunt, et introspicientes, gloriosum ejus corpus nulla detrimenta passum, illaesum a dissolutione atque putredine repererunt, et pro tabo atque putredine, quae mos est mortalium corpora defuncta contrahere, aromatum more illud senserunt odorifico odore fervere. Caput autem illius perlustrantes oculis, vident vultum ejus (quod dictu quoque mirabile est) sudore perfusum, et velut noctis opacae roscidulis perfusum guttulis. Coronam vero capillorum alienam prorsus ab omni laesione, caesariemque auctam et prolixitate et pulcritudine. Neque enim candore senili albebat, sed colore et visione sui, juvenis caput repromittebat. Quod videntes omnes qui aderant, gaudio inaestimabili corde concepto etiam vocibus conclamabant: « O mundi fabricae inaestimabilis conditor, o fili Dei, generis humani in initio mundi, patris socia virtute factor, ejusdemque in fine redemptor, quisnam tibi similis in misericordia,

* En tibi unum ex illis experimentis, ab Ecclesia semper improbatis rejectisque, quae *ordaliae* vocabantur, quibus cognoscere Dei consilia, voluntatesque existimabatur.

qui non solum animas servorum tuorum in paradisi sedibus collocans, aeternam eis felicitatem attribuis, sed etiam corpora eorum, naturae quodammodo vim afferens, illibata custodis? Ecce enim ad augmentandam tui nominis magnificentiam, non modo corporis integritas, vultusque venustas, sed et indumentorum ejus conservata est pulcritudo, et quodammodo antiqua novitas.»

§ **11**. Eodem vero die hujus rei fama circumquaque decucurrit, et per cunctorum ora volitans, ad palatium usque pervenit. Venit enim et illuc nuncius, referens beati viri corpus in conditorio, quo olim exanime est conditum, nunc oculis visentium se offerri, ab omni prorsus corruptela alienum, vestesque illius tamquam miraculi participes, nequaquam reperiri aliqua deformitate degeneres. Quod postquam, fama vulgante, per cunctorum aures disseminatum est, certatim tam proximi, quam et longinqui quique viri studuerunt illuc adventare, et miraculum, quod Christus in servi sui corpore monstraverat, intueri. Ut autem in tanto miraculo Domini potentia potissimum magnificaretur, et virtus nota redderetur, pars permaxima princeps clarissimus atque orthodoxus extitit Carlomannus. Qui talibus auditis, regali solio exilivit una cum uxore et primoribus palatii sui, et ad viri Dei corpus pervidendum accessit. Et admirans potentiam Domini, virtutem ejus magnificavit, misericordiam collaudavit, et quia in diebus suis talia ostendere dignatus sit, gloriosum nomen ejus benedixit : nimioque gaudio permotus, inter pias laudes et gratiarum actiones gaudio eliciente lacrymas fudit. Sed et advenientium itidem quisque fecit: gaudebantque osculari manus et pedes beatissimi viri, quem Dominus honorare dignatus est tanti praerogativa miraculi. Rex interea memorabilis Carlomannus una cum optimatibus suis proceribusque sui palatii, sanctissimi viri membra, suavissimis et (ut ita dixerim) inenarrabilibus odoribus redolentia, sustulit ex vase sepulcri, et loculo imposuit, et cum magna laetitia atque honore, necnon hymnorum decantatione, sed et candelabrorum lumine, aromatumque suavissimo odore detulit ante sacrum altare, ibidemque maxima munera devovit atque attribuit, vasa scilicet argentea, et pallia peregrino opere elaborata, necnon fundos fundorumque redditus, itemque servos praediorumque dederat incolas. Quae singula testamento mandavit, et ecclesiae, in quam sanctum corpus intulit, in perpetuam haereditatem delegavit, sanctique viri ossa nobiliter ibi collocavit. Per cujus intercessionem, piamque interventionem tuam, Domine, supplices exposcimus pietatem, ut qui nostris gravamur excessibus, tua gratissima opitulatione a reproborum numero secerni, justissimaque damnatione liberari, atque in electorum consortio mereamur connumerari: cui est honor et imperium, potestas summa, pietas immensa, bonitas inexhausta: quem decet laus et gloria per cuncta seculorum secula, Amen.

§ 15. Haec de vita et mirabilibus beati Huberti antistitis almi, et de his quae circa corpus ejus ob ipsius reverentiam et Domini immensam gloriam praedicandam, priscis temporibus celebrata sunt, quamquam infacundo, fideli tamen, stylo exarata, ad nos scripta commearunt. Abhinc autem quomodo qualiterve, monente, immo compellente Christi honore et amore, crescente etiam atque flagrante erga divinum cultum piissimamque sanctorum Dei venerationem fidelium devotione, sub piissimo Deique amantissimo Ludovico Imperatore, in transferendo memorati et saepe memorandi sanctissimi viri corpore sit actum, breviter fideliterque constat esse subnexum. Anno siquidem octingentesimo undecimo felicissimae incarnationis Domini nostri Jesu Christi, exempto rebus humanis famosissimo Imperatore Carolo, victoriosissimo piissimo Augusto, qui regni Francorum spatia longe lateque dilatavit, et Christi gloriam in suis finibus ampliavit, insuper et multarum gentium caecitatem quanta potuit virtute perculit, ereptasque profundis tenebris, lucis claritate conspicuas reddidit; Ludovicus gloriosus filius ejus, sceptra imperialia sibi debita atque ab eo tradita, post eum feliciter suscepit. Decebat quippe Christum, talem ac tantum imperio suo praeficere principem, in quo non modo aviti specimen eluceret imperii, sed et qui mentis nobilitate insignis, prudentia singularis, moribusque innocuus, cunctis sibi subjectis fieret tot virtutum excellentia imitabilis.

§ 16. Hic ergo imperii sui primordia talibus tantisque dedicare instituit auspiciis, ut incorrecta corrigerentur, bona collapsa erigerentur, et quisque ordo in regno sibi tradito non passim levitate jactatus a propria regula exorbitaret: sed laicus ordo justitiae deserviret, atque armis pacem sanctae Ecclesiae defenderet; monasticus ordo quietem diligeret, orationi vacaret, et qui se a seculi fastibus secrevisset, eisdem iterum nec voluptate, nec necessitate semet subderet; Episcopalis autem ordo, ut his omnibus superintenderet; scilicet, ut si qui ab his aut voluntate, aut necessitate deviarent, eorum solerti judicio prudentique consilio ad lineam rectitudinis correcti redirent. In quibus, ut revera decet, cum multi imitatione dignissima talibus ejus monitis praeberent obtemperantiam, pars horum non minima extitit Walcandus venerandus Episcopus. Is enim partim divinitatis instinctu, et mercedis intuitu; partim vero hujus sacratissimi principis talibus monitionibus incitatus, studebat magnopere plebem sibi a Domino traditam, bonorum operum exercitiis nobilitare, et de bonis ad meliora semper evehere, ac si quid in episcopio suo resedisset emendatione dignum, totis nisibus in meliorem statum recuperare. Unde inter caetera, quae emendationem postulabant, obtulit se ejus munificentiae cella quaedam, antiquo nomine vocata Andagium, quae olim quidem inhabitatoribus pene

fuerat annullata. Haec ergo se materiam quandam obtulit ejus munificentiae, in qua liberalitatis suae laxatis habenis, quam vacuus tenacitate esset, non inanibus verbis, sed executione operis ostendit. Namque hanc pene a fundamentis restauratam, in melioremque statum denuo renovatam, posthabita avaritia, nobiliter ejus statum composuit, aedificiis honestis nobilitavit, et exemptis praediis, quae olim religio sanctorum virorum largitate possedit, alia de episcopio suo superaddidit, incolasque loci illius, monachos esse voluit. Qui ne nullius rei inopes, indigentiae manus darent, atque a proposito sancto deficerent, ut dictum est, praevidit et nobiliter ordinavit. Egit namque, ut quae vitae forent necessaria, nulla deessent: procuravitque ut quia visibus eorum necessaria subministrabat, ipsi quoque quae divinae forent grata voluntati, peragerent, et quantum sibi posse divinitus conferret, nequaquam ab ea declinarent. Adductis namque regularis vitae optimis praeceptoribus, monasticae ordinem vitae eos edocuit, et bonorum operum exercitiis operam dare, tam voce propria, quam et lectione divina, suasit. Unde factum est, ut ejus studium non inani labore cassaretur: sed super optimam terram jactato verbi semine, citius centuplicato verbi foenore fructus multiplicaretur.

§ 17. Coeperunt igitur undiquaque in eundem locum religiositatis cultores confluere, et maxime nobiles viri ex monasterio sancti Lamberti, qui Apostolicae vitae desiderio accensi erant, illuc convolare, viriliter ejus ordinis vitam morum actuumque probitate tenere. Qui postquam detrita sanctae conversationis via, quae olim sibi fuerant aspera, Christo ductore coeperunt fieri levia, augmenta suae perfectionis et devotionis requirentes, adierunt praefatum venerabilem antistitem Walcandum, uti beatissimi Huberti praesulis ossa eis a loco sepulturae permitteret transferre, et in cellam suae habitationis ob sui consolationem, et confessoris Domini ampliorem honorem, transportare. Qui vocis eorum petitionem, ut pius pater, clementer audivit, indignumque locum, in quo sancta membra jacebant, tanto confessore judicavit. Sed piam petitionem eorum impleri posse atque debere, non abnuit: attamen ne incaute ac passim, levitatis errore dictante, id fecisse videretur, ferme tribus annis eorum petitionem distulit. Sed cum ab ipsis venerandis viris magnopere, ut id eis concederet, exigeretur, prudenti consilio cuncta peragens, Adebaldum venerabilem virum metropolitem suum super hac re consuluit. Qui et ipse in tanta re consilium suum, ut decebat summae humilitatis virum, reputans minimum, ratum duxit, ut una Christianissimum atque orthodoxum principem Ludovicum Imperatorem adirent, et quae eos pulsaret fratrum petitio, pariter edissererent. Qui et ipse gloriosus atque invictus Augustus, considerans rem pergrandem, atque paucorum vires magnitudine sui transcendentem, ad concilium

venerabile Episcoporum, quod tunc temporis apud Aquas congregatum erat, statuit conferendum, et quid eis esset gerendum, a sententia sancti conventus magnopere flagitandum. Idem autem venerabilis, ac prorsus Deo amabilis conventus, consideratis undique partibus, scilicet qui et quare peterent, sed et reverentia Domini confessoris, sanxerunt tot religiosorum virorum voto, sancti viri ossa omitti, et in monasterio supradicto, ubi religiosius honorarentur, collocari. Quorum sententiae saepedictus pontifex obedientiam praebuit, consilio assensit, et petentibus jamdictis viris venerandis, sanctissimi viri Huberti corpus attribuit. Nam anno ordinationis ipsius decimosexto, qui est incarnationis Dominicae octingentesimus vicesimusquintus, XI Calendas Octobris, ad beatissimi confessoris ventum est urnam, atque a sacerdotibus cum maxima reverentia a loco sepulturae ejus effossa, inde cum religiosi populi gradusque Ecclesiastici frequentia, in beati Lamberti ecclesiam, sancti ossa sunt viri transvecta. Ubi triduo orationibus et vigiliis prosecuta, undecimo Calendas Octobris ad memoratum monasterium cum loculo suo sunt perlata, ibidemque Christo annuente, ut tanto confessori competebat, mirifice condita.

§ 18. Sed quoniam insignia Christi miracula, quibus multifarie sanctos suos glorificat, nullo modo sunt occulenda, sed magis magisque, quantum mortalibus fari datur, ob ejus gloriam et laudem propagandam fideliter praeconanda: valde indecens indignumque judicavimus, ut ejus magnificentiam, quae nostro seculo circa memorati sancti viri cadaver mirabiliter effulsit, silentio tegamus. Verum, sicut dicti venerabilis antistitis Walcandi, et quorumdam aliorum religiosorum virorum veraci relatu didicimus, prorsus ab illa corruptione, quae ob praevaricationem primi parentis justissimae humanae naturae poenaliter inflicta est, ejusdem beatissimi viri totius corporis compago ita aliena immunisque est reperta, quemadmodum tempore Carlomanni Regis legitur inventa fuisse, et terrae mandata. Quod quantum sub ipsius principis tempore, erga praefati sancti viri corpus, per tot elapsa tempora incorrupte servatum virtus divina claruerit seriem hujus libelli paulo superius repetendo perspicaciter legat, ibique quanto honore, quantave illaesione et incorruptione protectio divina illud donaverit, rationabiliter comprehensum fideliterque annotatum, perfacile colligere quibit. Cum igitur nil detrimenti, nilque corruptionis in corporis ejusdem sancti viri prima translatione quae facta est sub memorato principe, compertum fuisse didicerit, nullo modo, quod in hac secunda quae facta est a Walcando praesule sub piissimo Deoque amabili Ludovico Caesare, saepedicti sancti viri corpus solidum illaesumque, eadem Christi gratia protegente, invenire quiverit, dubitabit. Ac per hoc totius ambiguitatis nubilo exutus, veritatisque perspicuae luce perfusus, nil nisi quod miretur, et unde divinae potentiae multiplices grates

digne persolvat inveniens, Deum proculdubio mirabilem gloriosumque, sicut in caeteris sanctis suis, ita quoque in hujus fidelissimi servi sui corpore, tot tantorumque donorum praerogativis, legi naturae vim inferentibus, honorato et glorificato, toto annisu praedicandum cernuis vocibus exclamabit. Interfluxit autem spatium temporis a prima usque ad secundam translationem, annorum circiter septuagintaquinque, regnante Domino nostro Jesu Christo, et pollicente suis se usque ad consummationem seculi affuturum fidelibus, eorumque agonibus misericorditer opitulante, triumphosque feliciter atque ineffabiliter remunerante: Qui vivit cum Patre in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

§ **19**. Hactenus ex MSS. vetusto codice. Sunt autem qui scribant beatum Hubertum filium fuisse Bertrandi ducis Aquitaniae, et ei adhuc pagano venationi operam danti, inter cervi cornua Christum apparuisse, et ut ad Lambertum Episcopum iret, admonuisse. Ab eo vero humaniter acceptum, in fide instructum, atque undis salutaribus expiatum esse. Inde Romam profectum ad visitanda Apostolorum limina. Interim vero peremptum sanctum Lambertum, atque in ejus locum beatum Hubertum subrogatum*.

VITA S. MALACHIAE EP. HIBERNIAE

EDITA A BEATISSIMO BERNARDO ** ABBATE CLARAVALLENSI.

Obiit anno 1148 — Hibernus.

PRAEFATIO AUCTORIS.

Semper quidem operae pretium fuit illustres Sanctorum describere vitas; ut sint in speculum et exemplum, ac quoddam veluti condimentum vitae hominum super terram. Per hoc enim quodammodo apud nos etiam post mortem vivunt, multosque ex his qui viventes mortui sunt, ad veram provocant et revocant vitam. Verum nunc maxime id requirit raritas sanctitatis, et nostra plane aetas inops virorum. Quam sane inopiam super nos adeo invaluisse sentimus, ut nulli sit dubium illa sententia nos feriri: *Quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum* (*Matth*. XXIV). Et ut suspicor ego, aut praesto, aut prope est, de quo scriptum est: *Faciem ejus praecedet egestas* (*Job* XLI). Ni fallor, Antichristus est

* Antiquior Ordinum Equestrium, qui sunt in Bavariae regno, a nostro S. Huberto nomen ducit. Fuit enim institutus anno 1444 a Gerhardo V, qui hostes suos, apud Ravensberg, in ipso S. Huberti die festo contuderat.

** S. Bernardi Vita in Vol. VIII Surii nostri habetur.

iste, quem fames et sterilitas totius boni, et praeit, et comitatur. Sive igitur nuncia jam praesentis, sive jamjamque adfuturi praenuncia, egestas in evidenti est... Unde quoniam a terra defecit sanctus, videor mihi non supervacue ex his qui empti sunt de terra, revocare ad medium Malachiam Episcopum, virum vere sanctum, et nostrorum quidem temporum singularis sapientiae et virtutis. Iste erat lucerna ardens et lucens, nec extincta est tamen, sed submota. Quis mihi jure succenseat, si readmovero eam? Immo vero non est quod mihi ingrati esse mei seculi homines debeant, et omnis deinceps generatio ventura, si quem conditio tulit, revocem stylo: si mundo restituam quo dignus non erat mundus: si servem memoriae hominum hominem, cujus memoria in benedictione sit omnibus qui legere dignabuntur: si me excitante amicum dormientem, vox turturis audita fuerit in terra nostra, dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi* (*Matth.* XXVIII, 20). Deinde sepultus apud nos est, nobis specialiter hoc opus incumbit. Quid quod me inter speciales amicos sanctus ille habebat, et eo loci, ut nulli in hac parte gloriae secundum fuisse me credam? Nec mercede vacat mihi tantae familiaritas sanctitatis. Primitias jam accepi. In extremis positus erat, immo in principiis, juxta illud: *Cum consummatus fuerit homo, tunc incipit* (*Eccli.* XVIII). Accucurri ego, ut benedictio morituri super me veniret. At ille cum jam membra alia movere non posset, fortis ad dandam benedictionem, elevatis sanctis manibus super caput meum, benedixit mihi, et benedictionem haereditate possideo: et quomodo ego illum silere queam? Postremo tu id mihi, Abba Congane, injungis, reverendus frater, et dulcis amicus meus, ac tecum pariter (ut ex Hibernia scribis) vestra illa omnis Ecclesia sanctorum. Libens obedio: praesertim quod non eloquium exigitis, sed narrationem. Dabo vero operam, ut ea sit pura et luculenta, devotos informans, fastidiosos non onerans. Sane narrationis veritas secura apud me est, intimata a vobis, haud alia proculdubio protestantibus, quam quae certissime comperta sunt vobis.

§ 1. Malachias noster, ortus Hibernia * de populo barbaro, ibi educatus, ibi litteras edoctus est. Caeterum de natali barbarie traxit nihil, non magis, quam de sale materno pisces maris. Quam vero suave, quod inculta nobis barbaries tam urbanum protulit civem sanctorum, et domesticum Dei? Qui producit mel de petra, oleumque de saxo durissimo, ipse fecit hoc. Parentes tamen illi fuere genere et potentia magni, juxta nomen magnorum qui sunt in terra. At mater mente, quam sanguine, generosior, satagebat in ipso initio viarum suarum, notas parvulo

* Ital. *Irlanda*, quae, ut saepius adnotavimus, Medii Aevi saeculis et *Scotia Major* vocabatur, quum ibi Scotorum gens habitasset.

facere vias vitae : hanc pluris illi existimans ventosa scientia litteraturae secularis. Ad utramque tamen huic non defuit ingenium pro aetate : in scholis litteras, domi timorem Domini docebatur, et quotidianis profectibus respondebant ambobus satis, magistro et matri. Nempe a principio spiritum sortitus est bonum, per quem erat puer docilis, et amabilis valde, mire admodum omnibus per omnia gratiosus. Bibebat autem pro lacte de pectore materno aquas sapientiae salutaris, et fiebat in dies seipso prudentior. Prudentior, dicam, an sanctior? utrumque si dixero, non me poenitebit. Veritatem enim dicam. Agebat senem moribus, annis puer, expers lasciviae puerilis.... Non est dicere omnia quae ejus principia colore bonae indolis decoravere; ad majora, atque utiliora currendum. Unum tamen refero adhuc, quod hoc, meo quidem judicio, non modo bonae, sed et magnae in puero dederit insigne spei. Excitus aliquando opinione cujusdam magistri (erat enim famosus in disciplinis, quas dicunt liberales), adivit illum discendi cupiditate. Quippe extrema jam pueritiae captans, ad eas litteras anhelabat. Intrans vero domum, vidit virum ludentem subula, crebrisque sulcantem tractibus nescio quo notabili modo parietem. Et solo visu offensus puer serius, quod levitatem redolèret, resilivit ab eo, ac deinceps illuc nec videre curavit. Ita cum esset studiosissimus litterarum, prae honesto tamen sprevit eas virtutis amator. Tali quodam praeludio puer praeparabatur ad eum qui se manebat in fortiori aetate, conflictum : jamque ipse adversarium provocabat. Et Malachiae quidem pueritia sic erat. Porro adolescentiam simili transivit simplicitate et puritate: nisi quod crescente aetate, crescebat simul illi sapientia et gratia apud Deum et homines.

§ 2. Hinc jam, id est, ab ineunte adolescentia ejus, coepit manifestius apparere, quid esset in homine, et gratia Dei in illo vacua non videri. Videns enim industrius adolescens, quod in maligno mundus positus sit, et cogitans qualem spiritum accepisset, dicebat intra se : « Non est spiritus hujus mundi iste. Quid isti, et illi? Non est societas alteri ad alterum, non plus quam luci ad tenebras. Meus ex Deo est, et scio quae in illo donata sunt mihi. Inde mihi interim adhuc innocentia vitae, inde continentiae decus, inde justitiae fames, inde quoque illa eo securior, quo secretior, gloria mea est testimonium conscientiae meae. Nil horum mihi tutum sub principe mundi. Deinde habeo thesaurum hunc in fictili vase. Verendum ne impingat, et frangatur, et effundatur oleum laetitiae, quod porto. Et quidem non impingere inter saxa et scopulos distortae et anfractuosae viae et vitae hujus, difficillimum. Itane in momento perdam simul omnes, quibus ab initio praeventus sum, benedictiones dulcedinis? Resigno illi potius, a quo sunt, et me pariter. Et ego enim ipsius. Perdo ipsam ad tempus animam meam, ne perdam in aeternum. Et quod sum, et quae habeo

omnia, ubi mihi aeque salva, ut in manu auctoris? Quis ita ad servandum sollicitus, ad retinendum potens, ad restituendum fidelis? Servabit tuto, restituet opportune. Sine retractione me do ad serviendum illi de donis suis. Non potest mihi perire ex omnibus quae in opus pietatis expendero. Forte et sperare plus aliquid licet. Solet reddere cum usura, quae dat gratis. Ita est. Etiam cumulabit, et multiplicabit in anima mea virtutem. » Haec cogitavit, et fecit, sciens absque facto vanas esse cogitationes hominum.

§ 8. Erat homo in civitate Ardinacha * (ipsa est, in qua alitus est Malachias), et homo ille sanctus, et austerae admodum vitae, inexorabilis castigator corporis sui, cellam habens juxta ecclesiam. In ea manebat, jejuniis et obsecrationibus serviens die ac nocte. Ad hunc se contulit Malachias, formam vitae accepturus ab eo, qui vivum se tali damnaverat sepultura. Et vide humilitatem. A primaeva aetate in sancta arte magistrum (quod dubium non est) habuerat Deum; et ecce factus est denuo discipulus hominis, homo mitis et humilis corde. Si nesciebamus, hoc vel solo nobis ipse probavit. Legant hoc, qui docere, quae non didicere, conantur, discipulos sibi coacervantes, qui nunquam discipuli extitere, caeci duces caecorum. Malachias doctus a Deo, doctorem nihilominus quaesivit hominem, et quidem caute et sapienter. Quid simile, quaeso, afferre quibat, in quo aeque daret caperetque experimentum profectus sui? Si Malachiae exemplum eis pro minimo est, Pauli opus attendant. Nonne Evangelium suum, quod non ab homine acceperat, sed a Christo, cum hominibus tamen censuit conferendum, ne forte in vacuum curreret, aut cucurrisset? Ubi ille securus non est, nec ego. Si quis hoc scit, viderit, ne non tam securitas sit, quam temeritas. Sed haec alterius temporis. Nunc vero sonuit in civitate, quod factum est, et commota est universa ad inopinatam novitatem. Stupebant autem omnes, et virtutem mirabantur, eoque amplius, quo minus usitatam in gente fera. Videres tunc revelari ex multorum cordibus cogitationes. Plerique humano affectu pensantes factum, plangere et dolere quod dilectus omnibus, delicatusque adolescens, duris se adeo laboribus mancipasset. Alii suspicati levitatem propter aetatem, diffidere de perseverantia, timere de casu. Nonnulli temeritatem causantes, indignari et fremere in eum, quod supra aetatem et vires inconsulte rem arduam fuisset aggressus. Verum ille sine consilio egit nihil. Nam habuit consilium a propheta, qui ait: *Bonum est homini, si portaverit jugum ab adolescentia*. Et addit: *Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se supra se* (*Jerem. Thr.* III). Sedebat ibi juvenculus secus pedes Imarii (hoc enim nomen viro), et aut discebat obedientiam, aut se didicisse docebat. Sedebat ut quietus, ut mansuetus, ut humilis. Sedebat, et tacebat, sciens secundum

* *Armagh*, olim totius insulae metropolis. A S. Patricio condita fertur.

prophetam, cultum justitiae esse silentium: sedebat ut perseverans, tacebat ut verecundus, nisi quod suo illo silentio in Dei auribus loquebatur cum sancto David: *Adolescentulus sum ego, et contemptus: justificationes tuas non sum oblitus* (*Ps.* 118). Et sedebat interim solitarius, quia et sine socio, et sine exemplo. Quis enim ante Malachiam districtissimum viri propositum vel cogitaret attentare? Nempe mirabile omnibus habebatur, non imitabile. Malachias imitabile persuasit, sedendo dumtaxat, et tacendo. Intra paucos dies habuit imitatores non paucos, provocatos exemplo sui. Ita qui primo solitarius sedit, et unicus patris sui, fit jam unus ex multis, fit ex unigenito primogenitus in multis fratribus. Et ut prior in conversione, ita in conversatione sublimior: et qui ante omnes venit, omnium judicio supra omnes emicuit in virtute. Et dignus visus est Episcopo pariter et magistro, qui ad Diaconii gradum promoveretur. Et coëgerunt eum.

§ 4. Hinc jam Levita Domini publice se ad omne opus pietatis accinxit: plus vero ad eas res, in quibus aliqua injuria videretur. Denique cura erat ei maxima in sepeliendis defunctis pauperibus, quod hoc sibi non minus humilitatem saperet, quam humanitatem. Nec defuit novo nostro Tobiae rediviva a muliere tentatio, immo a serpente per mulierem. Germana ejus indignitatem (ut sibi videbatur) officii exhorrens: « Quid facis (inquit), o insane? Dimitte mortuos sepelire mortuos suos. » Et hoc illi quotidie exprobrans ingerebat. Sed respondebatur mulieri stultae juxta stultitiam suam: « Misera, tu eloquii caste vocem tenes, sed virtutem ignoras. » Ita ministerium, ad quod coactus accesserat, devotus tenuit, indefessus exercuit. Unde et censuerunt etiam sacerdotale officium imponendum illi. Et factum est ita. Erat autem, cum sacerdos ordinatus est, annos natus quasi vigintiquinque. In qua ejus utraque ordinatione, si quid praeter canonum formam processisse videtur, ut vere videtur (siquidem infra vicesimumquintum annum Leviticum ministerium, infra tricesimum adeptus est sacerdotii dignitatem), donandum sane tum zelo ordinatoris, tum meritis ordinati. Ego vero istud nec in sancto redarguendum, nec usurpandum consulo ei qui sanctus non fuerit. Nec contentus Episcopus, etiam vices suas commisit ei, seminare semen sanctum in gente non sancta: et dare rudi populo et sine lege viventi, legem vitae et disciplinae. Suscepit ille mandatum in omni alacritate, sicut erat spiritu fervens: nec talentis incubans, sed inhians lucris. Et ecce linguae sarculo coepit evellere, destruere, dissipare, de die in diem factitans prava in directa, et aspera in vias planas. Exultabat ut gigas ad discurrendum ubique. Diceres ignem urentem in consumendo criminum vepres. Diceres securim, vel asciam in dejiciendo plantationes malas, extirpare barbaricos ritus, plantare Ecclesiasticos. Veternosas omnes (neque enim paucae inveniebantur) abolebat superstitiones; seu qualisbet,

ubicumque deprehendisset, malignitates, immissas per angelos malos. Denique quicquid incompositum, quicquid indecorum, quicquid distortum obvium habuisset, non parcebat oculus ejus: sed velut grando grossos eficubus, et sicut pulverem ventus a facie terrae: sicut coram facie sua ejusmodi nitebatur totum pro viribus exturbare, ac delere de populo suo. Et pro his omnibus tradebat jura coelestia optimus legislator. Leges dabat plenas justitiae, plenas modestiae et honesti: sed et Apostolicas sanctiones, ac decreta sanctorum Patrum, praecipue consuetudines sanctae Romanae Ecclesiae, in cunctis ecclesiis statuebat. Hinc est, quod hodie in illis ad horas canonicas cantatur et psallitur, juxta morem universae terrae. Nam minime id ante fiebat, ne in civitate quidem. Ipse vero in adolescentia cantum didicerat: et in suo coenobio mox cantari fecit: cum necdum in civitate, seu in Episcopatu universo cantare scirent, vel vellent. Deinde usum saluberrimum confessionis, sacramentum confirmationis, contractum conjugiorum, quae omnia aut ignorabant, aut negligebant, Malachias de novo instituit. Et de his ista pro exemplo sufficiant. Nam et per totum historiae textum, brevitatis studio plurima praeterimus.

§ 5. Cum esset illi studium et zelus maximus circa cultum divinorum, et venerationem sacramentorum: ne forte de his aliquid constitueret, vel doceret secus, quam ritus haberet universalis Ecclesiae, subiit animum adire Episcopum Malchum, qui se plenus de omnibus informaret. Hic erat senex plenus dierum et virtutum: et sapientia Dei erat in illo. Natione quidem Hibernus, sed in Anglia conversatus fuerat in habitu et proposito monachali in Vintoniensi monasterio. De quo assumptus est in Episcopum in Lesmor civitatem Mumoniae *: et ipsa nobilior inter caeteras regni illius. Ibi tanta ei desuper collata est gratia, ut non modo vita et doctrina, sed et signis clareret... Pro his, atque hujusmodi fama crebrescente, nomen grande adeptus est: ita ut ad eum Scoti, Hibernique confluerent, et tamquam unus omnium pater ab omnibus coleretur. Ad hunc ergo Malachias, accepta benedictione patris Imarii, et ab Episcopo missus, cum prospere pervenisset, benigne a sene susceptus est. Qui annos aliquot cum eo mansit, ut per hanc temporis moram hauriret plenius de pectore veterano, sciens scriptum, Quia in antiquis est sapientia. Sed nec hoc quoque ad causam defuisse reor: quod magnus ille provisor universorum, voluit servum suum Malachiam in loco tam celebri notum fieri omnibus, qui erat omnibus profuturus. Nec enim poterat non esse gratus, quibus notus fuisset. Denique unum interim accidit, per quod ex aliqua parte, quod notum Deo erat in illo, manifestum fecit hominibus. Inter Regem Mumoniae (quae est Hiberniae pars Australis) et germanum ejus orta simultate, et fratre facto superiori, Rex pulsus regno, confugit ad Episcopum

* Vulgo *Moun* vel *Munster* in Hibernia.

Malchum. Non tamen, ut ope illius regnum recuperaret: sed magis princeps devotus dedit locum irae, et necessitatem in virtutem convertit, privatam eligens ducere vitam. Cumque Episcopus Regem suscipere debito honore pararet, abnuit ille, se malle inquiens. tamquam unum ex illis esse pauperibus fratribus qui illi adhaererent: regium fastum deponere, et communi paupertate fore contentum, exspectare potius Domini voluntatem, quam per vim recipere regnum: nec velle pro suo honore terreno sanguinem humanum effundere, qui contra se clamet ad Deum de terra. Quo audito, exultat Episcopus: et admiratus devotionem, satisfacit voto. Quid plura? Traditur Regi paupercula domus ad habitandum, et Malachias in magistrum, ad victum panis cum sale et aqua. Porro ad delicias sufficiebat Regi, Malachiae praesentia, vita atque doctrina: ita ut diceret ei: *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo* (*Ps.* 118). Ad haec per singulas noctes lacrymis suis stratum suum rigabat; sed et quotidiano aquae frigidae balneo male calentem extinguebat in carne libidinem. Et orans Rex, cum Rege dicebat: *Vide humilitatem meam, et laborem meum, et dimitte universa delicta mea* (*Ps.* 24). Et non amovit Deus orationem ejus, et misericordiam suam ab eo. Et exaudita est oratio ejus: etsi secus, quam intenderet ipse. Nam is quidem sollicitus erat pro anima sua: sed vindex innocentiae Deus, hominibus ostendere volens, quoniam sunt reliquiae homini pacifico, parabat interim facere judicium injuriam patienti, quod ille penitus non sperabat. Et suscitavit Deus spiritum vicini Regis (neque enim unum est Hibernia regnum, sed divisa in plura). Hic itaque videns quae facta sunt, repletus est zelo: et hinc quidem indignans praedonum libertati, et insolentiae superborum, inde vero miserans regni desolationem, et Regis dejectionem, descendit ad cellulam pauperis: suadet reditum, sed non persuadet. Instat tamen, spondet opem, de effectu non diffidere monet, Deum affuturum promittit, cui non poterunt resistere omnes adversarii ejus. Proponit etiam oppressionem pauperum; patriae vastationem, et non proficit. Caeterum accedente mandato Episcopi, et Malachiae consilio, de quibus ille pendebat totus, vix tandem acquiescit. Sequitur Rex Regem, et juxta verbum Regis, sicut fuerat voluntas in coelo, tota facilitate pulsis praedonibus, reducitur homo in sua cum exultatione suorum, regnoque restituitur suo. Dilexit extunc Rex ille, et semper reveritus est Malachiam: eoque propensius, quo plenius in sancto viro digna veneratione et amore compererat. Cujus enim tantam meruit in sua adversitate familiaritatem, sanctitatem ignorare non potuit. Propterea magis in sua prosperitate perpetuis illum amicitiis, devotisque colebat obsequiis: et libenter audiebat eum, et audito eo, multa faciebat. Et de his satis. Verumtamen non fortuitu factum reor, quod ita jam tunc magnificavit eum Dominus in

conspectu Regum: sed quia vas electionis sibi erat ille, portaturus nomen suum coram Regibus et principibus.

§ 6. Mortua est interim soror ejus illa, quam praefati sumus. Nec praetereundae visiones, quas vidit de ea. Hujus siquidem sanctus carnalem exhorruerat vitam, et tanto zelo, ut se devoverit non visurum eam in carne viventem. At illa carne soluta, solutum est votum: et coepit videre in spiritu, quam in corpore noluit. Quadam nocte audivit per somnium vocem sibi dicentis, sororem ejus stare foras in atrio, et ecce per totos triginta dies nihil gustasse. Qui, evigilans, cito intellexit, cujus escae inedia marcèret. Et diligenter discusso numero dierum quem audierat, ipsum esse reperit, ex quo pro ea panem de coelo vivum non obtulisset. Tum ille, qui sororis non animam oderat, sed peccatum, beneficentiam, quam intermiserat, rursum adoritur. Neque id frustra. Non multo post visa est illi pervenisse ad limen ecclesiae, necdum tamen posse intrare: apparere etiam in veste pulla. Cumque ille perseveraret, curans ne qua die solita stipe frustraretur: secundo vidit eam in veste subcandida, admissam quidem intra ecclesiam, sed altare contingere non permitti. Tertio tandem visa est aggregari coetui candidatorum, et in veste candida. Vides, lector, quantum valeat deprecatio justi assidua?...

§ 7. Et Dominus quidem in regione Lesmorensi sic praeparabat dilectum suum Malachiam ad gloriam nominis sui. Verum qui miserant eum, minime jam ferentes absentiam ejus, missis epistolis revocant illum. Quo reddito suis, et quidem instructiore de omnibus quae oportebat: en opus a Deo paratum, et servatum Malachiae. Vir dives et potens, qui locum Benchor *, et possessiones ejus tenebat, inspiratus a Deo, confestim in manu ejus sua omnia dedit, et se quoque. Et is avunculus ejus. Sed Malachiae spiritus, quam carnis, propinquitas pluris fuit. Ipsum quoque locum Benchor, de quo cognominabatur, tradidit ei princeps, ut aedificaret ibi monasterium, vel potius reaedificaret. Nempe nobilissimum extiterat ante sub primo patre Congello, multa millia monachorum generans, multorum monasteriorum caput. Locus vero sanctus fecundusque sanctorum, copiosissime fructificans Deo, ita ut unus ex filiis sanctae illius congregationis, nomine Luanus, centum solum monasteriorum fundator extitisse feratur. Quod idcirco dixerim, ut ex hoc uno conjiciat lector, quam ingens fuerit reliqua multitudo..... Nec modo in praefatas, sed in exteras etiam regiones, quasi inundatione facta, illa se sanctorum examina effuderunt. E quibus ad has nostras Gallicanas partes sanctus Columbanus ascendens, Luxoviense ** construxit monasterium, factus ibi in gentem magnam. Ajunt tam magnam fuisse, ut succedentibus sibi vicissim choris, continuarentur

* Vulgo *Bangor*.
** Vulgo *Luxeuil*, in Gallia. Vide S. Columbani Vitam in hoc Vol. sub die 21.

solemnia divinorum, ita ut ne momentum quidem diei aut noctis vacaret a laudibus. Haec de antiqua dicta sint Benchorensis monasterii gloria. Hoc olim destructum a piratis, ob insigne dignitatis antiquae Malachias, veluti quandam replantaturus paradisum, amplexus est, et quia multa corpora sanctorum dormirent ibi. Nam ut taceam illa quae in pace sepulta sunt, ferunt nongentos simul una die a piratis occisos. Erat quidem ingens loci illius possessio, sed Malachias solo contentus loco sancto, totas possessiones et terras alteri cessit. Siquidem a tempore, quo destructum est monasterium, non defuit qui illud teneret cum possessionibus suis. Nam et constituebantur per electionem etiam, et Abbates appellabantur, servantes nomine, et si non re, quod olim extiterat. Cumque suaderent multi non alienare possessiones, sed totum simul retinere sibi, non acquievit paupertatis amator, sed fecit eligi juxta morem qui eas teneret, loco (ut praediximus) retento sibi, et suis. Et fortassis consultius, ut post apparuit, integrum retinuisset, si non magis suae prospexisset humilitati, quam paci. Itaque ex mandato patris Imarii assumptis secum decem circiter fratribus, veniens ad locum, coepit aedificare. Ubi quadam die cum in securi ipse secaret, casu ex operariis unus, illo vibrante in aëra securim, locum incaute occupavit, quo ictus destinabatur: et cecidit super spinam dorsi ejus, tanto utique impetu, quanto ille conatu impingere valuit. Corruit ille: accurrêre omnes, putantes aut percussum, aut mortuum. Et tunica quidem scissa a summo usque deorsum, homo vero illaesus inventus est, tam modice et summatim perstricta cute, ut vix in superficie vestigium appareret. Stabat homo incolumis, quem securis prostraverat, intuentibus et stupentibus qui circumstabant. Unde et facti alacriores, promptiores exinde ad opus inventi sunt. Et hoc initium signorum Malachiae. Porro oratorium intra paucos dies consummatum est, de lignis quidem laevigatis, sed apte firmiterque contextum, opus Scoticum, pulcrum satis. Et exinde servitur Deo in eo, sicut in diebus antiquis, simili quidem devotione, etsi non pari numero. Praefuit Malachias loco illi tempore aliquanto, patre Imario ita constituente: ipse rector, ipse regula fratrum. Legebant in vita ejus, quomodo conversarentur, et ipse ante illos praeibat in justitia et sanctitate coram Deo: nisi quod praeter instituta communia, multa singulariter faciebat, in quibus potius praeibat omnes, et aliorum nemo illum poterat ad tam ardua sequi...

§ 8. Vacabat tunc temporis Episcopalis sedes, et jamdiu vacarat, Malachia nolente assentire. Siquidem ipsum elegerant. Persistentibus tamen illis, tandem aliquando cessit, accedente ad vim faciendam mandato magistri sui, necnon et Metropolitani. Tricesimo ferme aetatis suae anno, Malachias consecratus Episcopus introducitur Connereth: hoc enim nomen civitatis. Cum autem

coepisset pro officio suo agere, tunc intellexit homo Dei, non ad homines se, sed ad bestias destinatum. Nusquam adhuc tales expertus fuerat in quantacumque barbarie. Nusquam repererat sic protervos ad mores, sic ferales ad ritus, sic ad fidem impios, ad leges barbaros, cervicosos ad disciplinam, spurcos ad vitam. Christiani nomine, re pagani. Non decimas, non primitias dare, non legitima inire conjugia, non facere confessiones, poenitentias nec qui peteret, nec qui daret, penitus inveniri. Ministri altaris pauci admodum erant. Sed enim quid opus plurium, ubi ipsa paucitas inter laicos propemodum otiosa vacaret? Non erat quod de suis fructificarent officiis in populo nequam. Nec enim in ecclesiis aut praedicantis vox, aut cantantis audiebatur. Quid faceret athleta Domini? Aut cedendum turpiter, aut periculose certandum. Sed qui se pastorem, et non mercenarium agnoscebat, elegit stare, quam fugere: paratus et animam suam dare pro ovibus, si oportuerit. Et quamquam omnes lupi, et oves nullae, stetit in medio luporum pastor intrepidus, omnimodis argumentosus, quomodo faceret oves de lupis. Monere communiter: secreto arguere: flere per singulos: nunc aspere, nunc leniter convenire, prout cuique expedire videbat. In quibus per haec minus profecisset, cor contritum et humiliatum offerebat pro eis. Quoties noctes totas pervigiles duxit, extendens manus in oratione? Et cum venire ad ecclesiam nollent, per vicos et plateas occurrebat invitis: et circumiens civitatem, perquirebat anhelus, quem Christo acquireret. Sed et foris rura et oppida nihilominus saepius percurrebat, cum sancto illo comitatu discipulorum suorum, qui nunquam deerant lateri ejus. Ibat, et erogabat vel ingratis coelestis tritici mensuram. Nec vehebatur equo, sed pedes ibat, et in hoc virum se Apostolicum probans. Jesu bone, quanta passus est pro nomine tuo bellator tuus a filiis sceleratis? Quanta sustinuit ab his ipsis, quibus, et pro quibus loquebatur bona tibi? Quis digne exprimat, in quantis vexatus, quibus affectus sit contumeliis, quibus injuriis lacessitus, quoties lassatus inedia, quoties afflictus in frigore et nuditate? Attamen cum his, qui oderunt pacem, erat pacificus, instans nihilominus opportune, importune. Blasphematus, obsecrabat: injuriatus, opponebat scutum patientiae, et vincebat in bono malum. Quidni vicisset? Perseveravit pulsans, et secundum promissionem, tandem aliquando pulsanti apertum est. Quomodo poterat non sequi, quod veritas praenunciaverat secuturum? Dextera Domini fecit virtutem, quia os Domini locutum est veritatem. Cessit duritia, quievit barbaries: et domus exasperans, paulatim leniri coepit, paulatim correptionem admittere, recipere disciplinam. Fiunt de medio barbaricae leges, Romanae introducuntur. Recipiuntur ubique Ecclesiasticae consuetudines, contrariae rejiciuntur. Reaedificantur basilicae, ordinatur clerus in illis: sacramentorum rite solemnia celebrantur. Confessiones fiunt, ad ecclesiam

conveniunt plebes, concubinatus honestat celebritas nuptiarum. Postremo sic mutata in melius omnia, ut hodie illi genti conveniat, quod Dominus per Prophetam dicit: *Qui ante non populus meus, nunc populus meus* (*Osee* II).

§ **9**. Contigit post annos aliquot destrui civitatem a Rege Aquilonaris partis Hiberniae: quia ab Aquilone panditur omne malum. Et forte malum illud bene utentibus bonum fuit. Quis scit enim, si tali flagello Deus delere voluit mala antiqua populi sui? Istiusmodi Malachias necessitate compulsus, et ipse exiit cum turba discipulorum suorum. Nec otiosus exitus ejus. Hac occasione monasterium Ibracense constructum est, eunte illo Malachia cum suis numero centum viginti fratribus. Ibi occurrit ei Cormacus Rex. Ipse est, qui olim regno pulsus, sub cura Malachiae de misericordia Dei consolationem accepit. Et locus ille situs in regno ejus. Gavisus est Rex viso Malachia, se et omnia sua exponens ei, et his qui cum eo erant: utpote non ingratus, nec immemor beneficii. Adducta incontinenti animalia multa ad usus fratrum: multa insuper in auro et argento ad sumptum aedificiorum pro regia liberalitate collata. Ipse quoque erat intrans et exiens cum eis sedulus et officiosus habitu quidem Rex, sed animo discipulus Malachiae. Et benedixit loco illi Dominus propter Malachiam. Et in brevi factus est magnus rebus, possessionibus et personis. Ubi velut de novo inchoans, legem et disciplinam, quam aliis imponebat, magis ipse portabat Episcopus et magister. Ipse in ordine vicis suae, coquinae ministerio inserviebat: ipse fratribus, cum recumberent, ministrabat. Inter succedentes invicem fratres ad cantandum, legendumve in ecclesia, non se praeteriri patiebatur, strenue implens et ipse officium loco suo, tamquam unus ex illis. Sanctae paupertatis non modo participem, sed et principem se exhibebat, ipsius praecipue super omnes abundantius aemulator existens.

§ **10**. Dum haec ita aguntur, contigit infirmari Archiepiscopum Celsum; et ipse est, qui Malachiam in Diaconem, Presbyterum, Episcopumque ordinavit. Et cognoscens, quia moreretur, fecit quasi testamentum: quatenus Malachias deberet succedere sibi, quod nullus alius videretur dignior, qui episcoparetur in sede prima. Hoc praesentibus indixit, hoc mandavit absentibus, hoc specialiter ambobus Mumoniae Regibus, et majoribus terrae sancti Patricii auctoritate praecepit. Cujus reverentia et honore, tamquam Apostoli illius gentis, qui totam patriam convertisset ad fidem, sedes illa, in qua et vivens praefuit, et mortuus requiescit, in tanta ab initio cuncti veneratione habetur: ut non modo Episcopi, et sacerdotes, et qui de clero sunt, sed etiam Regum ac principum universitas subjecta sit Metropolitano in omni obedientia, et unus ipse omnibus praesit. Verum mos pessimus inoleverat quorumdam diabolica ambitione potentum, sedem

sanctam obtentum iri haereditaria successione. Nec enim patiebantur episcopari, nisi qui essent de tribu et familia sua. Nec parum processerat execranda successio, decursis jam in hac malitia quasi generationibus quindecim. Et eousque firmaverat sibi jus pravum, immo omni morte puniendam injuriam, generatio mala et adultera, ut etsi interdum defecissent clerici de sanguine illo, sed Episcopi nunquam. Denique jam octo extiterant ante Celsum viri uxorati, et absque ordinibus, litterati tamen. Inde tota illa per universám Hiberniam, de qua superius diximus, dissolutio Ecclesiasticae disciplinae, censurae enervatio, religionis evacuatio. Inde illa ubique pro mansuetudine Christiana, saeva subintroducta barbaries, immo paganismus quidam inductus sub nomine Christiano. Nam quod inauditum est ab ipso Christianitatis initio, sine ordine, sine ratione mutabantur et multiplicabantur Episcopi pro libitu Metropolitani, ita ut unus Episcopatus uno non esset contentus, sed singulae pene Ecclesiae singulos haberent Episcopos. Nec mirum. Nam quomodo tam morbidi capitis membra valerent? Pro his Celsus, atque hujusmodi malis populi sui vehementer dolens (erat enim vir bonus et timoratus), curavit omnimodo habere sibi successorem Malachiam: quod per ipsum confideret posse explantari male radicatam successionem: qui carus esset omnibus, et quem omnes aemularentur, et Dominus erat cum eo. Nec frustratus est a spe sua. Nam, illo mortuo, substitutus est Malachia, non tamen mox, neque id facile. Ecce enim de semine nequam, qui occupet locum, Mauricius nomine. Is per quinquennium, fretus potentia seculari, incubavit Ecclesiae, non Episcopus, sed Tyrannus. Nam vota piorum magis in Malachiam convenerant. Denique suadebant eum subire onus juxta constitutionem Celsi: sed ille, qui omne sublime haud secus quam suum praecipitium declinabant, bonam sibi videbatur nactus occasionem excusandi, quod per id temporis introitus ejus pacificus esse non posset. Instabant tam sancto operi, et sollicitabant omnes: duo potissimum Episcopi Malchus et Gillebertus. Quorum prior, ipse est senior Lesmorensis, de quo supra mentio facta est: alter, quem ajunt prima functum legatione Apostolicae Sedis per universam Hiberniam. Qui, triennio jam decurso in hac praesumptione Mauricii, et Malachiae dissimulatione, non ferentes ultra Ecclesiae adulterium, dedecus Christi, convocatis Episcopis et principibus terrae. uno spiritu adeunt Málachiam, parati vim facere. At ille renuere primum.... Verum illis e contrario instantibus, et clamantibus, quia a Domino sermo egressus est: sed et tota auctoritate jubentibus subire onus, atque intentantibus anathema: « Ad mortem, inquit, ducitis me: sed obedio spe martyrii, hac tamen conditione, ut si juxta fidem vestram res in melius cedat, et vindicet sibi Deus suam haereditatem a diripentibus eam, tunc demum, omnibus consummatis,

et Ecclesia pacem habente, liceat redire ad priorem sponsam meam, et amicam, de qua rapior, paupertatem: et pro me illic alium substituere, qui tunc forte repertus idoneus fuerit. » Spondentibus illis, demum acquievit voluntati eorum, vel potius Dei.

§ 11. Verumtamen civitatem non intravit, quamdiu ille incubator vixit: ne hac occasione contingeret mori quemquam ex his quibus vitam magis ministraturus veniebat. Ita per biennium (nam id temporis supervixit ille) agens extra urbem, strenue in universa provincia opus Episcopale exercuit. Illo igitur celeri morte facto de medio, rursum Nigellus quidam, immo vero nigerrimus, sedem praeripuit. Et in hoc animae suae Mauricius adhuc vivens providerat, ut hunc haberet haeredem: in quo qui damnandus exibat, operibus adjicere damnationis persisteret. Erat enim et ipse ex damnata progenie cognatus Mauricii. Caeterum Rex, et Episcopi, et fideles terrae nihilominus convenerunt, ut introducerent Malachiam. Et ecce consilium malignantium ex adverso. Quidam de filiis Belial promptus ad malitiam, potens in iniquitate, sciens locum, ubi pariter convenire decrevissent, multis aggregatis sibi, latenter vicinum occupat collem eminentem e regione: unde illis tractantibus alia, repentino impetu super incautos irruerent, et interficerent innocentes. Condixerant enim etiam Regem cum Episcopo trucidare, ut non esset, qui vindicaret sanguinem justum. Res innotuit Malachiae, et intrans Ecclesiam (erat enim prope), elevatis manibus, oravit ad Dominum. Et ecce nubes et caligo, sed et tenebrosa aqua in nubibus aëris diem verterunt in noctem. Fulgura quoque et tonitrua, et horribiles spiritus procellarum, diem ultimum minitantur, vicinamque elementa intentant omnia mortem. Et ut scias lector, quod oratio Malachiae concusserit elementa, solos intercepit tempestas, qui quaerebant animam ejus: solos turbo tenebrosus involvit, qui paraverant opera tenebrarum. Denique ipse, qui princeps extiterat tanti mali, fulmine percussus, interiit cum tribus aliis: et fuere consortes mortis, qui fuerant participes sceleris. Quorum sequenti die inventa sunt corpora semiusta, et putrida, haerentia ramis arborum, ubi quemque spiritus elevans allisisset. Alii quoque tres semivivi inventi sunt. Caeteri omnes circumquaque dispersi. Illos autem, qui cum Malachia erant, quamvis proximos loco, tempestas omnino non tetigit, nec quicquam molestiae intulit.

§ 12. Anno aetatis suae tricesimo octavo pauper Malachias, pulso incubatore, intravit Ardinacha pontifex et metropolitanus totius Hiberniae. Rege vero caeterisque, qui introduxerant eum, ad propria remeantibus, ipse remanet in manu Dei: et remanet illi fortis pugnae, intus timores. Nam ecce viperea soboles frendens et vociferans se exhaeredari, tota se intus et foris suscitat adversus Dominum et adversus Christum ejus. Porro Nigellus videns sibi imminere fugam, tulit secum insignia quaedam sedis

illius, textum scilicet Evangeliorum, qui fuit beati Patritii, baculumque auro tectum, et gemmis pretiosissimis adornatum, quem nominant baculum Jesu: eo quod ipse Dominus (ut fert opinio) eum suis manibus tenuerit, atque formaverit. Et haec summae dignitatis et venerationis in gente illa. Nempe notissima sunt, celeberrimaque in populis, atque in ea reverentia apud omnes, ut qui illa habere visus fuerit, ipsum habeat Episcopum populus stultus et insipiens. Ibat homo gyrovagus, et alter satanas circuibat terram, et perambulabat eam, insignia sacra circumferens. Quae ubique ostentans, ubique eorum gratia receptabatur, concilians sibi per haec animos omnium, et a Malachia, quosque potuisset, avertens. Haec ille. Erat autem princeps quidam de potentioribus iniquae progeniei, quem Rex priusquam civitatem exiret, jurare coëgerat pacem tenere Episcopo, acceptis ab eo insuper obsidibus multis. Is post Regis exitum, nihilominus civitatem ingressus, consilium habuit cum propinquis et amicis, quomodo sanctum dolo tenerent, et occiderent: timebant vero plebem. Et conjurantes in necem Malachiae, constituere locum et diem: et traditor dedit eis signum. Ipso die cum vespertina jam solemnia in Ecclesia celebraret antistes cum universo clero, et multitudine populi, mittit ad ipsum nequam ille in verbis pacificis in dolo, rogans quatenus ad se dignetur descendere, ut faciat pacem. Respondentibus qui assistebant, ipsum potius ad Episcopum debere venire, Ecclesiam esse competentiorem locum firmandae pacis: siquidem praesenserant dolum. Subjungunt qui missi erant, hoc tutum non esse Principi, timere eum capiti suo, nec se credere turbis, quae se ante hos dies causa Episcopi propemodum interemissent. Contendentibus in hunc modum, illis quidem, ut iret: estis vero, ne iret: Episcopus cupidus pacis, et mortis non timidus: « Sinite, inquit, fratres, sinite me imitari magistrum meum. Sine causa sum Christianus, si Christum non sequor. Forte flecto humilitate tyrannum, et si non, vinco tamen exhibens ovi pastor, sacerdos laico, quod mihi ille debuerat: vos quoque, quod in me est, non parum aedifico exemplo tali. Quid enim si contingat occidit? Non recuso mori, ut vos vitae ex me teneatis exemplum.» Et surgens, coepit ire, flentibus cunctis et supplicantibus, ne tantum cuperet pro Christo mori, ut tantum Christi gregem desolatum relinqueret. Verum ille totam spem suam ponens in Domino, tota alacritate perrexit, tribus tantum comitatus discipulis, paratis mori cum eo. Qui ut, calcato limine domus repente se medio intulit armatorum, scuto fidei ipse munitus, concidere facies omnium, quia pavor irruit super eos, ita ut dicere posset Episcopus: *Qui tribulant me inimici mei, ipsi infirmati sunt et ceciderunt* (*Ps.* 26). Hoc verbum verum est. Videres hostiam stantem, carnifices ferro armatis manibus undique circumstantes: et qui immolaret, non erat. Putares stupere lacertos: sic non fuit, qui

extenderet manum. Nam et is quoque, qui caput malitiae videbatur, assurgit ei potius, quam insurgit. Res mira! pacem offerunt, qui necem paraverant. Non est, quod abnuat, qui et vitae periculo quaesierat eam. Itaque facta est pax, et tam firma, ut ab illa die hostem sacerdos non modo pacatum habuerit, sed subditum, sed devotum. Quo audito, fideles quique gavisi sunt, quod non modo salvatus sit sanguis innoxius in die illa, sed et nocentium multorum animae, Malachiae meritis evaserint ad salutem.

§ **13**. His ita peractis, coepit jam in civitate Episcopus tota libertate disponere et ordinare de omnibus pertinentibus ad ministerium suum, non tamen sine continuo discrimine vitae suae. Nam etsi jam nemo, quia palam noceret, ab insidiantibus tamen nec locus satis tutus Episcopo erat, nec tempus feriatum. Et deputati sunt ei viri armati ad custodiam die et nocte: sed ille magis in Domino confidebat. Fuit vero consilium, praefatum schismaticum insequi, eo quod seduceret multos ex insignibus quae ferebat, suadens omnibus Episcopum esse debere, et sic sollicitans plebes adversus Malachiam, atque Ecclesiae unitatem. Et fecit sic, et sine difficultate ita in brevi universas sepivit vias ejus per gratiam sibi a Domino datam, et quam habebat ad omnes, ut malignus ille coactus sit dare manus, reddere insignia, et quiescere de reliquo in omni subjectione. Ita Malachias, licet per multa pericula et labores, prosperabatur in dies, et confortabatur magis ac magis, abundans in spe et virtute Spiritus Sancti.....

§ **14**. Igitur Malachias intra triennium reddita retributione superbis, et libertate Ecclesiae restituta, pulsa barbarie, et reformatis ubique moribus Christianae religionis, videns omnia in pace esse, coepit cogitare de sua pace. Et memor propositi sui, constituit pro se Gelasium virum bonum, et dignum tali honore, convenientibus clero et populo, quin potius sustinentibus propter pactum. Nam alias durum visum omnino. Quo consecrato, Regibusque ac principibus attentius commendato, ipse clarus miraculis et triumphis, ad suam parochiam redit: non tamen Connereth: et audi causam dignam relatu. Dioecesis illa duas fertur habuisse antiquitus Episcopales sedes, et duos extitisse Episcopatus. Id visum melius Malachiae. Itaque quos ambitio conflavit in unum, Malachias revocavit in duos, partem alteri Episcopo cedens, partem retinens sibi. Et propterea non venit Connereth, quod in ea jam Episcopum ordinasset, sed Dunum se contulit, disterminans parochias, sicut in diebus antiquis. O purum cor! O oculum columbinum! Locum tradidit novo Episcopo, qui videretur paratior, principalior haberetur: locum, in quo sederat ipse. Ubi sunt, qui de terminis litigant, pro uno viculo perpetes adinvicem inimicitias exercentes? Nescio si quod genus hominum magis, quam istos, antiquum vaticinium tangat: *Secuerunt*

praegnantes Galaad ad dilatandum terminos suos (*Amos* I). Sed hoc alias.

§ 15. Malachias factus Dunensis * Episcopus, confestim more suo curavit asciscere ad solatium sibi de filiis suis conventum regularium clericorum. Et ecce rursus accingitur quasi novus Christi tyro ad spiritale certamen: rursus induitur arma potentia Deo, sanctae paupertatis humilitatem, rigorem disciplinae coenobialis, ocium contemplandi, orandi assiduitatem. Quae tamen omnia voto magis valuit diu tenere, quam actu. Etenim universi confluebant ad eum: nec modo mediocres, sed et nobiles et potentes, illius se sapientiae et sanctitati instruendos, corrigendos ac regendos committere festinabant. Et ipse interdum ibat, et exibat seminare semen suum, disponens et decernens tota auctoritate de rebus Ecclesiasticis, tamquam ex Apostolis unus. Et nemo illi dicebat: « In qua potestate haec facis? » videntibus cunctis signa et prodigia quae faciebat: et quia ubi spiritus Domini, ibi libertas. Visum tamen sibi, non tute satis actitari ista absque sedis Apostolicae auctoritate, et Romam proficisci deliberat: maximeque quod metropolicae sedi deerat adhuc, et defuerat ab initio pallii usus, quod est plenitudo honoris. Et visum est bonum in oculis ejus, si Ecclesia, pro qua tantum laborarat, quem hactenus non habuerat, suo acquirerent studio et labore. Erat et altera metropolica sedes, quam de novo constituerat Celsus: primae tamen sedi, et illius Archiepiscopo subdita, tamquam primati. Et huic quoque optabat nihilominus pallium Malachias, confirmarique auctoritate sedis Apostolicae praerogativam, quam beneficio Celsi adipisci meruerat. Innotescente proposito, displicuit, fratribus, necnon et magnatibus, et populo terrae. Omnes enim intolerabilem sibi judicabant tam diutinam omnium pii parentis absentiam, et quod metuerent de morte ipsius. Contigit interea mori germanum ejus, Christianum nomine, virum bonum, plenum gratiae et virtutis. Episcopus erat, illi quidem secundus in celebri opinione, sed vitae sanctimonia et justitiae zelo forte non impar. Hujus decessus magis terruit universos, et discessum Malachiae reddidit molestiorem. Dicebant autem nullo modo assentiendum unici peregrinationi patroni, ut non desoletur omnis terra, si duabus tantis columnis sub uno momento temporis destituatur. Ergo omnes pariter contradicunt. Et vim faciebant, cum ille divinam ultionem minatus est. Non tamen destitere illi, nisi missa sorte, prius Dei voluntas super hoc interrogaretur. Prohibente illo, nihilominus mittunt: sed illa pro Malachiae parte ter respondisse inventa est. Nec enim una contenti vice fuere, cupidi retinendi eum. Demum cedentes, dimittunt illum, non tamen sine ploratu et ululatu multo. Sed ne quid imperfectum relinqueret, tractare coepit, quomodo defuncti fratris semen suscitaret.

* *Down*, in Hiberniae provincia, quae *Ulster* nuncupatur.

Et accersitis ad se tribus discipulis suis, anxius aestuabat quisnam dignior ad hoc opus, sive utilior videretur. Et diligenter intuitus singulos: « Tu, inquit, o Edane (sic enim vocabatur unus), suscipe onus.» Illo cunctante, et flente: « Ne timeas, ait, tu enim mihi a Domino designatus es: quia annulum aureum, quo desponsandus es, jamnunc praevidi in digito tuo. » Acquievit ille, et Malachias, eo consecrato, proficiscitur. Cumque egressus de Scotia, pervenisset Eboracum *, sacerdos quidam Sycarus nomine, intuitus eum agnovit. Nec enim faciem ejus viderat ante: sed cum haberet spiritum prophetiae, revelatum fuerat ei jampridem de illo. Et nunc incunctanter circumstantibus digito eum demonstrans: « Hic est, inquit, de quo dixeram: quia de Hibernia sanctus veniet Pontifex, qui scit cogitationes hominum. » Sic non potuit latere lucerna sub modio, prodente eam per os Sycari Spiritu Sancto, qui illam accenderat. Nam et multa secreta de esse suo suorumque, dicta sunt ei a Sycaro, quae ita esse, vel fuisse, omnia recognovit. Sed et sociis Malachiae percontantibus de suo reditu, respondit Sycarus incunctanter (quod post rei probavit eventus), paucos videlicet admodum de numero illo cum Episcopo redituros. Illi audito hoc, suspicati sunt mortem: sed Deus aliter adimplevit. Nempe rediens ab Urbe, quibusdam apud nos, quibusdam et in aliis locis ad discendam conversationis formam relictis, juxta verbum Sycari, cum paucis admodum repatriavit. Haec de Sycaro.....

§ **16**. Et ego vicissim, peccator licet, invèni gratiam in oculis ejus extunc, et deinceps usque ad obitum ipsius, sicut in prooemio praefatus sum. Ipse etiam dignatus divertere ad Claramvallem, visis fratribus, compunctus est: et illi non mediocriter aedificati in praesentia et sermone ejus. Et acceptans locum, et nos, atque intimis visceribus colligens, valedixit nobis, et abiit. Qui transalpinans, cum venisset Iporiam ** civitatem Italiae, hospitis sui parvulum filium, qui male habens moriturus erat, continuo sanavit. Erat tunc temporis in sede Apostolica felicis memoriae Innocentius secundus *** Papa: qui eum benigne suscepit, humane satis illi super longa peregrinatione compassus. Et primo quidem Malachias, quod altius infixerat animo, cum multis lacrymis implorabat, licère sibi vivere, et mori in Claravalle, permissu et benedictione summi Pontificis. Et petiit hoc, non oblitus ad quod venerat, sed affectus, quo venerat, desiderio Claraevallis. Non

* *York*.

** Ital. *Ivrea*, antiquissima Italiae urbs, sede episcopali insignita.

*** Innocentius II, Romanus, e nobili Papareschi familia genitus, Papa electus fuit anno 1130. Ab Anacleto II, antipapa, Roma expulsus, in Gallias se recepit, et Rhemis concilio coacto, Anacletum anathemate percussit. A Lothario II, Germaniae rege, Romae restitutus est; ibique Lotharium in imperatorem coronavit. Januensem episcopum, qui sub Mediolanensi archiepiscopo erat, archiepiscopi juribus honoribusque insignivit; itemque Pisanum episcopum in Tusciae archiepiscopum, totiusque Sardiniae in primatem erexit. Romae, concilium secundum Lateranum, quod est decimum inter oecumenica, celebravit. Supremum diem obiit anno 1144, et in ecclesia Laterana, in concha porphyrica, sepultus est.

n obtinuit, quod vir Apostolicus lucris potius uberioribus oc-ndum decerneret. Nec tamen omnino frustratus est a desiderio is sui, cui mori ibi, etsi non vivere, donatum est. Mensem grum fecit in Urbe, loca sancta perambulans, et frequentans a orationis. Cumque per id temporis saepe ac diligenter ab et ab his qui cum eo erant, summus Pontifex inquisisset, patriae, mores gentis, statum Ecclesiarum, et quanta in terra s per eum operatus fuisset: paranti jam repatriare commisit s suas, per universam Hiberniam legatum illum constituens. iificatum siquidem erat ei ab Episcopo Gilleberto, qui, ut su-memoravimus, tunc legatus extiterat, quod jam non posset e senio et debilitate corporis villicare. Post haec petit Mala-s confirmari novae metropolis constitutionem et utriusque s pallia sibi dari. Et confirmationis quidem privilegium mox epit: « De palliis autem (ait summus Pontifex) oportet solem-s agi. Convocatis Episcopis, et Clericis, et majoribus terrae, brabis generale concilium: et sic conniventia et communi universorum per honestas personas requiretis pallium, et itur vobis. » Deinde tollens mithram de capite suo, imposuit iti ejus: sed et stolam cum manipulo dedit illi, quibus uti r offerendum solebat. Et salutatum in osculo pacis dimisit a, Apostolica fultum benedictione et auctoritate. Qui revertens Claramvallem, suam secundam nobis largitus est benedictio-n. Et alta suspiria trahens, quod non liceret sibi pro suo de-erio remanere: « Hos, inquit, interim pro me, oro, ut retinea-qui a vobis discant, quod nos postmodum doceant. » Et in-: « Erunt nobis in semen, et in semine isto benedicentur tes, et illae gentes, quae a diebus antiquis monachi quidem aen audierunt, monachum non viderunt. » Et dimissis quatuor tere suo, abiit. Qui probati, et digni inventi, monachi facti t. Post aliquod tempus, cum jam sanctus esset in terra sua, it alios, et de illis factum est similiter. Quibus per aliquan-tempus instructis, et eruditis corde in sapientia, dato eis in em sancto fratre Christiano, qui erat unus ex ipsis, emisimus adjungentes de nostris, quanti sufficerent ad numerum Ab-ae. Quae concepit, et peperit filias quinque: et sic multipli-semine, augescit indies numerus monachorum, juxta desi-ium et vaticinium Malachiae. Nunc jam repetamus ordinem rationis.

17. Malachias profectus a nobis, prospere pervenit in Sco-n.... Perveniens vero ad portum Lapasperi, transitum ibi per uot dies praestolabatur: sed mora minime transiit otiosa. Con-itur interim de virgis in sepem textis oratorium, ipso ju-te, ipso operante pariter. Consummatum circumdedit vallo: ie interjacens spatium in coemeterium benedixit. Sane merita edicentis, miracula satis declarant: quae usque hodie ibi

Et accèrsitis ad se tribus discipulis suis, anxius aestuabat quisnam dignior ad hoc opus, sive utilior videretur. Et diligenter intuitus singulos : « Tu, inquit, o Edane (sic enim vocabatur unus), suscipe onus.» Illo cunctante, et flente : « Ne timeas, ait, tu enim mihi a Domino designatus es : quia annulum aureum, quo desponsandus es, jamnunc praevidi in digito tuo. » Acquievit ille, et Malachias, eo consecrato, proficiscitur. Cumque egressus de Scotia, pervenisset Eboracum *, sacerdos quidam Sycarus nomine, intuitus eum agnovit. Nec enim faciem ejus viderat ante : sed cum haberet spiritum prophetiae, revelatum fuerat ei jampridem de illo. Et nunc incunctanter circumstantibus digito eum demonstrans : « Hic est, inquit, de quo dixeram: quia de Hibernia sanctus veniet Pontifex, qui scit cogitationes hominum. » Sic non potuit latere lucerna sub modio, prodente eam per os Sycari Spiritu Sancto, qui illam accenderat. Nam et multa secreta de esse suo suorumque, dicta sunt ei a Sycaro, quae ita esse, vel fuisse, omnia recognovit. Sed et sociis Malachiae percontantibus de suo reditu, respondit Sycarus incunctanter (quod post rei probavit eventus), paucos videlicet admodum de numero illo cum Episcopo redituros. Illi audito hoc, suspicati sunt mortem: sed Deus aliter adimplevit. Nempe rediens ab Urbe, quibusdam apud nos, quibusdam et in aliis locis ad discendam conversationis formam relictis, juxta verbum Sycari, cum paucis admodum repatriavit. Haec de Sycaro.....

§ **16**. Et ego vicissim, peccator licet, invèni gratiam in oculis ejus extunc, et deinceps usque ad obitum ipsius, sicut in prooemio praefatus sum. Ipse etiam dignatus divertere ad Claramvallem, visis fratribus, compunctus est : et illi non mediocriter aedificati in praesentia et sermone ejus. Et acceptans locum, et nos, atque intimis visceribus colligens, valedixit nobis, et abiit. Qui transalpinans, cum venisset Iporiam ** civitatem Italiae, hospitis sui parvulum filium, qui male habens moriturus erat, continuo sanavit. Erat tunc temporis in sede Apostolica felicis memoriae Innocentius secundus *** Papa: qui eum benigne suscepit, humane satis illi super longa peregrinatione compassus. Et primo quidem Malachias, quod altius infixerat animo, cum multis lacrymis implorabat, licère sibi vivere, et mori in Claravalle, permissu et benedictione summi Pontificis. Et petiit hoc, non oblitus ad quod venerat, sed affectus, quo venerat, desiderio Claraevallis. Non

* *York*.

** Ital. *Ivrea*, antiquissima Italiae urbs, sede episcopali insignita.

*** Innocentius II, Romanus, e nobili Papareschi familia genitus, Papa electus fuit anno 1130. Ab Anacleto II, antipapa, Roma expulsus, in Gallias se recepit, et Rhemis concilio coacto, Anacletum anathemate percussit. A Lothario II, Germaniae rege, Romae restitutus est ; ibique Lotharium in imperatorem coronavit. Januensem episcopum, qui sub Mediolanensi archiepiscopo erat, archiepiscopi juribus honoribusque insignivit ; itemque Pisanum episcopum in Tusciae archiepiscopum, totiusque Sardiniae in primatem erexit. Romae, concilium secundum Lateranum, quod est decimum inter oecumenica, celebravit. Supremum diem obiit anno 1144, et in ecclesia Laterana, in concha porphyrica, sepultus est.

tem obtinuit, quod vir Apostolicus lucris potius uberioribus occupandum decerneret. Nec tamen omnino frustratus est a desiderio rdis sui, cui mori ibi, etsi non vivere, donatum est. Mensem egrum fecit in Urbe, loca sancta perambulans, et frequentans usa orationis. Cumque per id temporis saepe ac diligenter ab , et ab his qui cum eo erant, summus Pontifex inquisisset, e patriae, mores gentis, statum Ecclesiarum, et quanta in terra us per eum operatus fuisset: paranti jam repatriare commisit es suas, per universam Hiberniam legatum illum constituens. gnificatum siquidem erat ei ab Episcopo Gilleberto, qui, ut supra memoravimus, tunc legatus extiterat, quod jam non posset ae senio et debilitate corporis villicare. Post haec petit Malachias confirmari novae metropolis constitutionem et utriusque dis pallia sibi dari. Et confirmationis quidem privilegium mox cepit: « De palliis autem (ait summus Pontifex) oportet solemius agi. Convocatis Episcopis, et Clericis, et majoribus terrae, lebrabis generale concilium: et sic conniventia et communi to universorum per honestas personas requiretis pallium, et bitur vobis. » Deinde tollens mithram de capite suo, imposuit piti ejus: sed et stolam cum manipulo dedit illi, quibus uti ter offerendum solebat. Et salutatum in osculo pacis dimisit m, Apostolica fultum benedictione et auctoritate. Qui revertens r Claramvallem, suam secundam nobis largitus est benedictionem. Et alta suspiria trahens, quod non liceret sibi pro suo desiderio remanere: « Hos, inquit, interim pro me, oro, ut retinea, qui a vobis discant, quod nos postmodum doceant. » Et init: « Erunt nobis in semen, et in semine isto benedicentur ntes, et illae gentes, quae a diebus antiquis monachi quidem men audierunt, monachum non viderunt.» Et dimissis quatuor latere suo, abiit. Qui probati, et digni inventi, monachi facti nt. Post aliquod tempus, cum jam sanctus esset in terra sua, isit alios, et de illis factum est similiter. Quibus per aliquanm tempus instructis, et eruditis corde in sapientia, dato eis in trem sancto fratre Christiano, qui erat unus ex ipsis, emisimus s, adjungentes de nostris, quanti sufficerent ad numerum Abtiae. Quae concepit, et peperit filias quinque: et sic multiplito semine, augescit indies numerus monachorum, juxta desirium et vaticinium Malachiae. Nunc jam repetamus ordinem rrationis.

§ 17. Malachias profectus a nobis, prospere pervenit in Scoim.... Perveniens vero ad portum Lapasperi, transitum ibi per iquot dies praestolabatur: sed mora minime transiit otiosa. Conruitur interim de virgis in sepem textis oratorium, ipso junte, ipso operante pariter. Consummatum circumdedit vallo: que interjacens spatium in coemeterium benedixit. Sane merita nedicentis, miracula satis declarant: quae usque hodie ibi

actitari ferentur. Inde est, quod de finitimis locis infirmos et male habentes, illo portare consueverunt: et sanantur multi. Ascendit Malachias navem, et prospere navigans, applicuit monasterio suo Benchorensi, ut primi filii primam reciperent gratiam. Quid animi putas gessisse illos, sano de via tam longa recepto patre, et illo patre? Nec mirum, si se tota in gaudium effuderunt viscera eorum in reditu ejus, quando et exteris circumquaque gentibus incredibilem mox laetitiam velox rumor invexit. Denique de civitatibus, et castellis, et vicis occurrunt ei: et quocumque divertat, suscipitur exultatione universae terrae. Verumtamen non sapit honor: opus exercetur legationis. Multis in locis celebrantur conventus multi, ne qua regio, seu portio regionis, legationis fructu et utilitate fraudetur. Seminatur super omnes aquas: non est qui se abscondat ab opera sollicitudinis ejus. Non sexus, non aetas, non conditio, non professio reputatur. Ubique semen spargitur salutare: ubique intonat tuba coelestis. Ubique discurrit, ubique irrumpit, evaginato gladio linguae ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. In conciliis, quae passim celebrantur, repetuntur antiquae traditiones, quas tamen bonas fuisse constiterit, abolitas vero negligenia sacerdotum. Nec modo vetera instaurantur, cuduntur et nova. Et quaecumque promulgaverit, tamquam coelitus edita acceptantur, tenentur, scripto mandantur ad memoriam posterorum. Quidni coelitus missa crederentur, quae tot coelestia confirmant miracula? Et ut fidem dictis faciam, perstringam nonnulla paucis. Quis enim cuncta enumeret? Quamquam libentius, fateor, imitandis immorer, quam admirandis.

§ 18. Et meo quidem judicio primum et maximum miraculum, quod fecit, ipse erat. Ut enim taceam interiorem hominem ejus, cujus pulcritudinem, fortitudinem, puritatem satis indicabant mores ipsius et vita: ipsum exteriorem ita uno semper modo, ipsoque modestissimo et decentissimo gessit, ut nil prorsus appareret in eo, quod posset offendere intuentes. Et quidem qui non offendit in verbo, ille perfectus est vir. At vero in Malachia quis unquam, etiamsi curiosus observarit, deprehendit otiosum non dico verbum, sed nutum? Quis manum, pedemve moventem frustra? Immo quid non aedificans in ejus incessu, adspectu, habitu, vultu? Denique vultus hilaritatem nec fuscavit moeror, nec levigavit risus. Totum in eo disciplinatum, totum insigne virtutis, perfectionis forma. Per omnia serius, sed non austerus. Remissus interdum, dissolutus nunquam. Negligens nihil, etsi pro tempore multa dissimulans. Quietus saepe, sed minime aliquando otiosus. A die primo conversionis suae usque ad extremum vitae, sine proprio vixit. Non servos, non ancillas, non villas, non viculos, non denique quicquam redituum ecclesiasticorum seculariumve, vel in ipso habuit Episcopatu. Mensae

Episcopali nihil prorsus constitutum, vel assignatum, unde Episcopus viveret. Nec enim vel domum propriam habuit. Erat autem pene incessanter circumiens parochias omnes, Evangelio serviens, et de Evangelio vivens, sicut constituit ei Dominus : *Dignus est*, inquiens, *operarius mercede sua* (*Luc.* x). Nisi quod frequentius ipsum Evangelium sine sumpto ponens, de laboribus suis suorumque ferebat, unde se et alios, qui secum laborabant in opere ministerii, sustentaret. Porro si interdum quiescere oporteret, in sanctis hoc faciebat locis ; quae ipse per Hiberniam sparserat universam. Apud quos vero moram facere libuisset, illorum se conformavit moribus et observantiis, communi contentus vita et mensa. Non fuit in victu, non fuit in vestitu, in quo potuisset Malachias dignosci inter caeteros fratres. Intantum cum major esset, humiliavit se in omnibus. Denique cum exiret ad praedicandum, cum peditibus pedes et ipse ibat, Episcopus et Legatus. Forma Apostolica haec : et inde magis mira in Malachia, quo rara nimis in aliis. Verus profecto Apostolorum haeres est iste qui talia agit. Quid ergo mirum, si mira est operatus sic mirabilis ipse ? Immo vero non ipse, sed Deus in ipso. Alioquin, *Tu es Deus*, inquit, *qui facis mirabilia* (*Ps*. 76)...

[illegible]. Fuit quidam clericus in Lesmor, probabilis, ut fertur, vitae, sed fidei non ita. Is sciolus in oculis suis, praesumpsit dicere, in Eucharistia esse tantummodo sacramentum, et non rem sacramenti, id est, solam sanctificationem, et non corporis veritatem. Super quo a Malachia secreto, et saepe conventus, sed incassum, vocatus ad medium est : seorsum tamen a laicis, ut, si fieri posset, sanaretur, et non confunderetur. Itaque in conventu clericorum data facultas homini est pro sua sententia respondendi. Cumque totis ingenii viribus, quo non mediocriter callebat, asserere et defendere conaretur errorem, Malachia contra disputante et convincente, judicio omnium superatus, de conventu confusus quidem exiit, sed non correctus. Dicebat autem se non ratione victum, sed Episcopi pressum auctoritate : « Et tu, inquit, o Malachia, sine causa me hodie confudisti, adversus profecto veritatem locutus, et contra tuam ipsius conscientiam. » Moestus Malachias pro homine sic indurato, sed magis fidei dolens injuriam, timens periculum, Ecclesiam convocat, errantem publice arguit, publice monet, ut resipiscat. Suadentibus hoc ipsum Episcopis, et universo clero, cum non acquiesceret, contumaci anathema dicunt, haereticum protestantes. Nec sic evigilans : « Omnes, inquit, favetis homini potius, quam veritati. Ego personam non accipio, ut deseram veritatem. » Ad hoc verbum substomachans sanctus : « Dominus, inquit, fateri te veritatem faciat vel ex necessitate. » Quo respondente, *Amen*, solvitur conventus. Tali ille inustus cauterio, fugam meditatur, infamis atque inhonorus fore non sustinens. Et continuo sua tollens exibat, cum ecce

subita correptus infirmitate, sistit gradum, viribusque deficiens, eodem loco jactat se super solum anhelus et fessus. Forte incidens in id loci vagabundus insanus, offendit hominem: quidnam ibi agat, percontatur. Respondet, gravi se infirmitate teneri, et neque procedere, neque redire valentem. Et ille: « Infirmitas ista haud alia, inquit, quam ipsa mors est. » Hoc autem non dixit a semetipso: sed pulcre Dominus per insanum corripuit eum, qui sanis acquiescere noluit consiliis sensatorum. Et addit: « Revertere domum: ego te juvabo. » Denique ipso duce, revertitur in civitatem: redit ad cor, et ad misericordiam Domini. Eàdem hora accitur Episcopus, agnoscitur veritas: abjicitur error, confessus reatum, absolvitur, petit viaticum, datur reconciliatio, et uno pene momento perfidia ore abdicatur, et morte diluitur. Ita mirantibus cunctis, sub omni celeritate completus est sermo Malachiae, et Scripturae pariter dicentis, quia vexatio dat intellectum auditui.

§ **20**. Inter populos quarumdam regionum orta aliquando gravis discordia est. Interpellatur Malachias de componenda pace inter eos. Et cum esset alias impeditus, injungit negotium hoc uni Episcoporum. Illo excusante, et negante, et dicente, Malachiam, non se, quaesitum: se contemptum iri, frustra fatigari nolle: « Vade, inquit, et Dominus erit tecum. » Et ille: « Acquiesco, sed si me non audierint, scito me ad tuam paternitatem appellaturum. » Subridens Malachias: *Fiat*, inquit. Tunc Episcopus, convocatis partibus, dictat formam pacis: acquiescunt, reconciliantur ad invicem: fide hinc inde data, stabilitur pax: et sic dimisit eos. At pars una videns hostes factos securos, imparatos esse: quippe qui, pace facta, mali nihili suspicarentur: loquebatur mutuo, et dicebat homo ad proximum suum: Quid volumus facere? Victoria prae manibus est, et vitio de inimicis Et coeperunt insequi illos. Innotuit Episcopo, quod fiebat: et accurrens convenit ducem eorum super iniquitate et dolo: sed spretus ab illo est. Invocavit nomen Malachiae adversus eum, et nihili pendit. Irridensque Episcopum: « Putasne, inquit, propter te amittere debeamus malefactores nostros, quos Deus tradidit in manus nostras? » Et recordatus verbi sui Episcopus, quod habuerat cum Malachia, flens et ejulans verso vultu ad monasterium ejus: « Ubi es, ait, homo Dei? ubi es? Nonne hoc est, Pater mi, quod tibi dicebam? Heu, heu, veni, ut facerem bonum, et non malum: et ecce per me omnes, illi in corpore, isti in anima, pereunt. » Multa in hunc modum loquebatur lamentans et plangens, et quasi praesentem sollicitans et compellans Malachiam adversus malignantes. Interim vero impii, cum quibus fecerant pacem, insequi non desistebant ad perdendum eos. Et ecce spiritus mendax in ore quorumdam virorum qui eos deciperet. Et occurrerunt illis in via viri nunciantes, factam irruptionem in terras ipsorum ab

adversariis : in ore gladii consumi omnia, et diripi bona eorum : uxores quoque ac liberos tolli et abduci. His auditis, reversi sunt festinanter. Sequebantur ultimi primos, quo irent, aut quid acciderit, nescientes. Nec enim omnes audierant viros loquentes. Cumque venissent, et invenissent nihil horum quae nunciata erant, confusi sunt, deprehensi in malitia sua. Et cognoverunt spiritui erroris se traditos propter nuncium Malachiae, quem deceperunt, et nomen ejus, quod spreverunt. Porro Episcopus audiens frustratos proditores in iniquitate sua, quam cogitaverant, cum gaudio remeavit ad Malachiam, referens omnia per ordinem quae acciderant sibi.

§ 21. Sciens Malachias ejusmodi occasione pacem esse turbatam, nactus opportunum tempus, pacem per semet inter ipsos denuo reformare curavit, et firmare reformatam, datis et receptis utrinsecus fide et juramento. Verum illi, quibus ante pax fracta fuit, injuriae memores, neglecto pacto et praecepto Malachiae, tractaverunt de vice reddenda. Et congregati omnes in unum, ibant ut imparatos praeoccuparent, redderentque in caput eorum malum, quod sibi facere cogitassent. Et magno flumine, quod interat, facillime transvadato, fluviolo, quem non procul ab illo offendere, retenti sunt. Neque enim jam fluviolus, sed plane fluvius ingens apparuit, ubique sui transire volentibus transitum negans. Mirari omnes tantum nunc esse, tantillum antehac fuisse scientes, et loqui inter se: « Unde inundatio haec? Aër serenus est, imbres non sunt, nec proxime fuisse meminimus. Et si multum pluisset, quis nostrum unquam hactenus meminit in quantacumque illuvie ita intumuisse, ut operiret terram, sata et prata pervaderet? Digitus Dei est iste : et Dominus sepit vias nostras propter sanctum suum Malachiam, cujus sumus praevaricati pactum, transgressi mandatum. » Ita et hi infecto negotio, ad sua aeque confusi repedaverunt. Divulgatum est verbum per universam regionem, et benedicebant Deum, qui comprehendit sapientes in astutia sua, et confringens cornua peccatorum, sublimavit cornu Christi sui...

§ 22. Habes diligens lector in Malachia quid mireris, habes et quid imiteris. Nunc jam quid tibi ex his sperandum sit, studiosus attende. Nam finis horum, pretiosa mors est. Percontatus aliquando, quonam in loco, si optio detur, extremum malit agere diem (de hoc siquidem fratres quaerebant inter se, quem sibi quisque deligeret), cunctatur, et non respondet. Instantibus illis : « Si hinc migro, inquit, nusquam libentius, quam unde una cum nostro Apostolo resurgere possim. (Dicebat autem sanctum Patricium.) Si peregrinari oporteret, et ita permittit Deus, Claramvallem delegi. » Requisitus item de tempore, diem respondit solemnem omnium defunctorum. Si simplex votum putatur, impletum est. Si prophetia, ne jota praeteriit. Sicut audivimus, sic vidimus

de loco pariter, et de die. Dicamus breviter, quo ordine istud, quave occasione provenerit. Aegre satis ferebat, Hiberniam usque adhuc pallio caruisse, utpote aemulator sacramentorum: quorum ne uno quolibet gentem suam vellet omnino fraudari. Et recordatus sibi a Papa Innocentio fuisse promissum, inde magis tristari, quod dum adhuc ille superfuit, non fuit missum pro eo. Et nactus occasionem, quod Papa Eugenius * summam regiminis teneret, et eo temporis usque in Franciam appropiasse nunciaretur, opportunitatem requirendi se invenisse gavisus est. Praesumebat autem de illo, utique viro tali, et de tali assumpto professione. Magis vero, quod suae Claraevallis specialis filius extitisset, nec timeret apud illum se ullam sustinere difficultatem. Itaque convocantur Episcopi, concilium cogitur: tractata triduo, quae tempori imminerent: die quarto aperitur consilium de pallio requirendo. Placet, sed si per alium requiratur. Tamen quia brevior via, et ob hoc tolerabilior peregrinatio videretur, non fuit qui ejus obviare praesumeret consilio et voluntati. Et Malachias, soluto concilio, arripit iter. Prosequuntur eum qui convenerant fratres, usque ad litus, non multi tamen, ipso nimirum prohibente. Ad quem unus illorum, Catholicus nomine, flebili voce et fletu: « Heu tu abis, inquit, et in quanta pene quotidiana vexatione me deseris, non ignoras, nec fers opem misertus mei. Si ego dignus qui patior, fratres quid peccaverunt, qui vix diem, noctemve ullam a tam laboriosa cura et custodia mei feriatam habere sinuntur? » His verbis et lacrymis filii (flebat enim) paterna viscera concussa sunt, et amplexatus est eum blandiendo, impressoque pectori ejus signo Crucis: « Certus esto, inquit, te ejusmodi nil passurum, donec redeam. » Erat autem epilecticus, et cadebat frequenter, ita ut interdum non semel, sed saepius pateretur in die. Hoc jam per sex annos morbo horrido laborabat, sed ad verbum Malachiae, perfecte convaluit. Ab illa hora nil tale perpessus est, nil tale (ut confidimus) deinceps perpessurus, quia Malachias deinceps rediturus non est.

§ **23**. In ipso ascensu navis accedunt duo ex his, qui illis familiarius adhaerebant, audentes, et petentes aliquid ab eo. Quibus ille: « Quid vultis ? » — « Non dicimus, inquiunt, nisi spondeas te daturum. » Spondet. Et illi: « Volumus nobis certo promitti a tua dignatione, te in Hiberniam incolumem reversurum. » Instare et caeteri omnes. Tum ille parumper deliberans, poenitere primo, quod se alligasset, qua exiret, non inveniens. Angustiae undique, dum nil occurreret ab alterutro tutum periculo, voti videlicet, aut promissi. Visum est tandem id potius eligendum, quod in praesentiarum plus urgeret, reliquum supernae committendum

* Hujus nominis tertius. Is patriâ fuit Pisanus; monachus autem Claraevallis Cisterciensis Ordinis, discipulusque S. Bernardi. Ad Summum Pontificatum inopinanter et omnino praeter spem, anno 1145, annos VIII sedit. Secundum Crucesignatorum bellum (1147-1149) strenue promovit. In Beatorum Albo conscriptus est.

dispositioni. Annuit tristis quidem: sed magis illos noluit contristare: et respondens eis, ut volunt, ascendit navem. Et cum jam fere medium iter aequoreum peregissent, subito contrarius ventus navem repellit, et reducit in terram Hiberniae. Descendens de navi, in ipso portu in quadam sua ecclesia pernoctavit. Et laetus, gratias egit divinae consilio providentiae: quo factum est, ut jam fecerit satis pro sua promissione. Mane vero intrans navem, ipsa die prospero cursu transfretavit, et venit in Scotiam. Die tertia pervenit ad locum, qui *Viride stagnum* dicitur: quem fecerat praeparari, ut ibi statueret Abbatiam. Et relicto illic de filiis suis fratribus nostris, monachorum conventu et Abbate (nam secum ad hoc ipsum eos adduxerat), valedicens eis, profectus est. Et cum transiret, occurrit ei Rex David, a quo receptus cum gaudio, et retentus per aliquot dies, multaque operatus placita Deo, inchoatum repetit iter. Et pertransiens Scotiam, in ipso introitu Angliae divertit ad ecclesiam Gisisburnensem, ubi habitant viri religiosi, canonicam ducentes vitam, ab antiquo familiares ei pro sua religiositate et honestate. Ibi adducta est ad eum mulier patiens morbum, quem cancrum vulgo appellant, ipso horrendum visu, et sanavit eam. Nam ubi aqua, cui benedixit, adspersa sunt ulcerum loca, dolorem non sensit. Die vero sequenti vix ulcera apparebant. Abiens inde, ad mare venit: sed negatur transitus. Causa (ni fallor) fuit, orta simultas quaedam inter summum Pontificem et Regem Angliae, quod Rex nescio quid mali suspicaretur de bono illo homine, si transiret. Nam neque alios Episcopos transire sinebat. Quod quidem impedimentum, etsi fuit contrarium Malachiae voluntati, sed non voto. Dolebat differri a desiderio suo, nesciens magis per hoc impletum iri. Nam si in continente transisset, oportebat transire etiam Claramvallem, ut summum Pontificem sequeretur. Jam enim abierat, et erat Romae, aut prope Romam. Nunc vero intercedente dilatione factum est, ut tardius transfretans, ad locum et horam sanctissimi sui obitus opportune occurreret.

§ **24**. Qui a nobis susceptus est, tamquam verus ab Occidente veniens, visitans nos oriens ex alto. O quantum nostrae Claraevalli irradians sol ille claritatis adauxit! Quam jucundus ad ejus introitum dies festus illuxit nobis! Haec dies, quam fecit Dominus, exultatum et laetatum in ea. Quam celer et saliens, tremulus ac debilis mox ipse occurri! Quam laetus in oscula rui! Quam laetis brachiis missam mihi coelitus amplexatus sum gratiam! Quam alacri vultu et animo, mi pater, introduxi te in domum matris meae, et in cubiculum genitricis meae! Quam festivos deinde tecum duxi dies, sed paucos! Quid vero ille vicissim nobis? Nempe hilarem, nempe affabilem peregrinus noster omnibus se praebebat, omnibus incredibiliter gratum. Quam bonum, et quam jucundum agebat hospitem apud eos, quos

nimirum videre venerat a finibus terrae, non auditurus Salomonem, sed exhibiturus! Denique audivimus sapientiam ejus, tenuimus praesentiam ejus, et tenemus. Jam quatuor aut quinque dies hujus nostrae solemnitatis defluxerant, cum ecce die solemni beati Lucae Evangelistae, Missa in conventu sua illa sancta devotione celebrata, febre correptus, lecto decubuit, et nos cum illo omnes. Extrema gaudii nostri moeror occupat, moderatior tamen, quod levior interim febris esse videretur. Videres discurrere fratres, dandi avidos, vel accipiendi. Cui non dulce videre illum? Cui non dulcius ministrare illi? Utrumque suave, utrumque salutare. Et humanitatis erat praebere obsequium, et profectus cuique sui, cum gratiam reportaret. Assistere omnes, omnes solliciti erant circa frequens ministerium; medicamenta perquirere, adhibere fomenta, urgere saepius ad gustandum. Ad quos ille: « Sine causa, inquit, haec: sed charitate vestri facio, quicquid injungitis. » Sciebat enim imminere tempus suae migrationis. Cumque fratres, qui cum eo venerant, fidentius instarent, dicentes, non oportere diffidere de vita: nec enim signa mortis in eo aliqua apparent: « Oportet, inquit, hoc anno Malachiam exire de corpore. » Et infert: « Ecce appropinquat dies, quem, ut optime nostis, optavi semper ipsum forem diem resolutionis meae. Scio cui credidi, et certus sum: non fraudabor reliquo desiderii mei, qui partem jam teneo. Qui me sua misericordia perduxit ad locum, quem petii: terminum, quem aeque volui, non negabit. Quod ad hoc corpusculum attinet, hic requies mea; quod ad animam, Dominus providebit, qui salvos facit sperantes in se. Nec parum spei repositum mihi in die illa, qua mortuus tanta a vivis beneficia impenduntur. » Nec longe aberat dies ipsa, cum talia loqueretur. Interea jubet se sacro oleo ungi. Exeunte conventu fratrum, ut solemniter fieret, non sustinuit ut ad se ascenderent: ipse descendit ad eos. Jacebat siquidem in solario, domo superiori. Ungitur, et sumpto viatico, fratrum se orationibus, et fratres commendans Deo, ad lectum revertitur. Alto de solio descendebat pedibus suis, et rursum nihilominus suis pedibus ascendebat; et dicebat mortem esse in januis. Quis hunc hominem crederet moriturum? Solus ipse, et Deus id scire poterat. Non vultus pallidior, non macilentior videbatur, non rugata frons, non reconditi oculi, non nares extenuatae, non contracta labia, non adusti dentes, non collum exesum et gracile, non curvi humeri, non caro exinanita in corpore reliquo. Haec erat gratia corporis ejus, et haec gloria vultus ejus, quae non evacuatur, ne morte quidem. Talis quoad vixit, talis et mortuus apparebat viventi similior.

§ **25**. Cucurrimus usque huc, sed modo haeremus, quia Malachias cursum consummavit. Stat ille, et nos pariter stamus cum eo. Alioquin quis libenter currat ad mortem? Praesertim tuam, Pater sancte, quis referre possit? quis velit audire? Attamen

dileximus nos in vita, in morte non separabimur. Fratres, non relinquamus in morte, quem in vita prosecuti sumus. Ab ulteriori Scotia usque huc cucurrit ille ad mortem. Eamus et nos, et moriamur cum eo. Oportet, oportet dicere, quam cernere necesse fuit. Adest omnium sanctorum clara ubique celebritas: sed juxta veterem sententiam, *Musica in luctu importuna narratio est* (*Eccli.* XXII). Adsumus, canimus vel inviti. Flendo cantamus, et cantando flemus. Malachias etsi non cantat, non plorat tamen. Quid enim ploret, qui appropinquat ad gaudium? Nobis, qui relinquimur, relinquitur luctus: solus Malachias festum facit. Quod enim non potest corpore, facit mente, sicut scriptum est: *Cogitatio hominis confitebitur tibi, et reliquiae cogitationis diem festum agent tibi* (*Ps.* 75). Deficiente illi corporis instrumento, silente organo oris, officio vocis cessante, reliquum est, ut mentis jubilo solemnizet. Quidni solemnizet sanctus, qui sanctorum ducitur ad solemnitatem? Exhibet illis, quod mox sibi debebitur. Adhuc modicum, et ipse unus ex ipsis est. Sub noctis crepusculo, cum jam utcumque diei a nobis expleta celebritas foret, Malachias appropinquaverat non crepusculo, sed aurorae. An non illi aurora, cui nox praecessit, dies autem appropinquavit? Itaque febre invalescente, coepit ex intimis ardens per omne corpus erumpere sudor, ut quodammodo transiens per ignem et aquam, educeretur in refrigerium. Jam desperatur de vita ejus: jam quisque suum judicium reprehendit: jam nulli dubium, Malachiae sententiam praevalere. Vocamur: adsumus. Et ille oculos levans in circumstantes: « Desiderio desideravi, inquit, hoc pascha manducare apud vos. Gratias ago supernae pietati. Non sum fraudatus a desiderio meo. » Vides hominem securum in morte, et nedum mortuum, jam certum de vita? Nec mirum. Videns adesse noctem, quam exspectaverat, et in ipsa diescere sibi, quasi de nocte triumphans, videtur insultare tenebris, et quodammodo loqui; « Jam non dicam, Forsitan tenebrae conculcabunt me: quia haec nox illuminatio mea in deliciis meis. » Et blande nos consolans: « Habete, inquit, curam mei; ego vestri, si licuerit, non obliviscar. Licebit autem. Credidi in Deum, et omnia possibilia credenti. Amavi Deum: amavi vos: et charitas nunquam excidit. » Et suspiciens in coelum: « Deus, inquit, serva eos in nomine tuo. Non solum autem eos, sed et omnes qui per verbum ac ministerium meum tuo se mancipavere servitio. » Deinde imponens manus singulis, et benedicens omnibus, pausatum ire jubet, quia nondum venerat hora ejus. Imus, redimus circa medium noctis: nam ea hora lux lucere in tenebris nunciatur. Impletur domus: adest congregatio tota: Abbates quoque multi, qui convenerant. Psalmis, et hymnis, et canticis spiritualibus prosequimur amicum repatriantem. Anno aetatis suae quinquagesimo quarto, loco et tempore, quo praeelegit, et praedixit Malachias Episcopus, et Legatus

sanctae Apostolicae sedis, velut e manibus nostris assumptus ab Angelis, feliciter obdormivit in Domino *. Et vere obdormivit. Vultus placidus, placidi exitus indicium fuit. Et quidem omnium oculi fixi in eum: nemo tamen, qui quando exivit, advertere potuisset. Mortuus vivere, et vivens mortuus putabatur: adeo nil intercidit, quod alterutrum disterminaret. Eadem vivacitas vultus, serenitas eadem, qualis apparere solet in dormiente. Diceres mortem nihil horum tulisse, magis auxisse plurimum. Non est mutatus, sed ipse mutavit omnes. Mirum in modum luctus et gemitus omnium subito conquiescit: mutatur in gaudium moeror, planctum cantus excludit. Effertur, feruntur in coelum voces, infertur oratorio Abbatum humeris. Vicit fides; triumphat affectus; res in suum devenit statum: cuncta geruntur ex ordine; cuncta ex ratione procedunt.

§ **26**. Et revera quid rationis habet immoderatius plangere Malachiam, quasi non sit pretiosa mors ejus, quasi non sit magis somnus, quam mors: quasi non sit mortis portus, et porta vitae? Malachias amicus noster dormit, et ego lugeam? Luctus iste usu se, non ratione, tuetur. Si Dominus dedit dilecto suo somnum, et talem somnum, in quo haereditas Domini, filii merces, fructus ventris: quid horum videtur fletum indicere? Egone fleam illum, qui fletum evasit? Ille tripudiat, ille triumphat; ille introductus est in gaudium Domini sui, et ego eum plangam? Cupio mihi haec, non illi invideo. Interim parantur exequiae; offertur pro eo sacrificium; consummantur ex more omnia cum summa devotione. Stabat eminus puer, cui emortuum pendebat a latere brachium, magis illi impedimento, quam usui. Quo comperto, innui, ut accederet, et apprehensam aridam manum, applicui ad manum Episcopi: et vivificavit eam. Nempe vivebat in mortuo gratia sanitatum; et manus ejus fuit mortuae manui, quod mortuo homini Eliseus. Puer ille de longe venerat, et manum, quam pendentem attulerat, sanam in patriam reportavit. Jam omnibus rite peractis, in ipso oratorio sanctae Dei genitricis Mariae, in quo sibi bene complacuit, Malachias traditur sepulturae, anno ab incarnatione Domini millesimo, centesimo, quadragesimo-octavo, quarto Nonas Novembris. Tuum est, Jesu bone, depositum, quod nobis creditum est: tuus thesaurus, qui reconditur penes nos. Servamus illum resignandum in tempore, quo reposcendum censueris, tantum ut absque contubernalibus suis non egrediatur: sed quem habuimus hospitem, habeamus ducem, tecum et cum ipso pariter regnaturi in secula seculorum, Amen **.

* Anno, ut superius jam adnotavimus, 1148.

** S. Malachias a Papa Clemente III, anno 1189, inter Coelites adnumeratus est.— Hic observandum nobis videtur, quasdam obscuras ambiguasque prophetias, quae sub S. Malachiae nomine prodierunt, minime prorsus ab eo prolatas fuisse. Non enim eas S. Bernardus, qui omni ex parte S. Malachiae Vitam virtutesque explicavit, meminit. Ipsas porro Baronius, Bzovius, Spondanus, Raynaldus, etc., parvi pendunt. Papebrochius eas vocat *operosas nugas et vana figmenta*. Concinnatas fuisse seculo decimosexto nonnulli eas existimant. Certum est anno 1595 primum ipsas ad lucem prodiisse.

VITA ET RES GESTAE

SANCTI CAROLI BORROMEI

S. R. E. CARDINALIS,

TITULI S. PRAXEDIS, ET ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS

CAROLO A BASILICAPETRI, PRAEPOSITO GENERALI CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM SANCTI PAULI, POSTEA EPISCOPO NOVARIENSI *, AUCTORE.

LIBER PRIMUS.

§ 1. Borromeae gentis antiquitatem, aut splendorem, non est, ut equidem existimo, cur hoc loco demonstrare coner: nam et satis per se nota res est; et ea cura parum convenire videtur de Borromeo illo scribenti, qui admirabili quadam christiani animi celsitudine, fluxa, et caduca omnia hujus vitae ornamenta contempsit. De ejus vero parentibus aliquid est attingendum; ut in iis agnoscas, quod divinitus traditum est: parentes, qui justam, simplicemque vitam agunt, beatos relinquere filios. Gibertus igitur Federici filius Borromeus, Mediolanensis, una cum tribus fratribus, Julio Caesare, Francisco, et Dionysio Aronae Comes, in ea parte ditionis Mediolanensis, quae est circa Verbanum lacum, praeter Aronam ipsam, vicos, castellaque multa habuit in sua potestate. Is Carolum inter alios, de quo scribere instituimus, ex Margarita suscepit, sorore Pii Quarti Pont. Max. et Joan. Jacobi Medicis, illius clarissimi bellatoris, cujus res gestae magnam fere apud omnes Europae nationes habent admirationem.....

* Carolus, qui Francisci nomen, in baptismo, accepit, Mediolani, anno 1550, nobilissimo loco natus est. Cum, Ticini, juris lauream obtinuisset, Mediolani, in Doctorum Collegium cooptatus fuit. Verum profanae vitae et exercitationis jurisperitorum pericula timens, S. Carolo Borromeo sese tradidit, apud eum commorans, qui ipsum et sacerdotio insignivit et ecclesiae cathedralis canonicum elegit atque ut historiam ecclesiasticam impensius coleret, excitavit inflammavitque. Anno 1578, in Clericorum Regularium S. Pauli, qui et *Barnabitae* vocantur, Ordine conscribi ac deinde votis solemnibus huic se devovere petiit, impetravitque. Cum autem, religionis causâ, de more, ei nomen mutandum esset, illud *Caroli* sibi imponi curavit, ad suum amorem et gratum animum erga tantum patronum ac patrem testandum. Universo sui Ordini ter praefuit. Anno demum 1593 a Clemente Pp. VIII Episcopus Novariensis factus fuit. Decessit anno 1615. In episcopatu, S. Caroli Borromei virtutes egregie aemulatus est. Ecclesiam suam praesens semper administravit, excepto solum temporis spatio, quo Romam ob gravia negotia se contulit. Ut S. Carolus inter Sanctos adscisceretur, valde adlaboravit. Sanctitatis et doctrinae ejus plura, eximia sane, monumenta extant. Ut de caeteris ipsius scriptis taceam, hac S. Caroli Vita aliam perfectionem, sive quod orationis latinae puritatem venustatemque, sive quod narrationis veritatem attinet, vix profecto reperies. Ex ea Romanae Rotae Judices articulos deprompserunt ad Acta congerenda in ejusdem S. Caroli canonizatione. Ipsam porro summis laudibus extulere Cardinales Fridericus Borromeus, et Paleottus, S. Franciscus Salesius, Boterus, Merlo-Horst, Possevinus aliique quamplurimi. Nos vero piget, brevitatis, qua premimur, causâ, integram hic referre eam, non posse. — Notandum est, hujus historiae interpunctionem aliquantisper nobis emendatam fuisse

§ 2. Natus est Carolus in arce Aronae, postridie Cal. Octobris anno salutis MDXXXVIII, quem adhuc puerum, clericali vestitu, ad ejus mores valde accommodato, pater indui curavit. A primo aetatis tempore non obscura solidae pietatis signa dedit; cum enim tempus, quod dabatur litterariis exercitationibus vacuum, socii in puerilibus ludis ponerent, ipse divino cultui multo libentius, eo spatio operam dabat: vagabantur alii per urbem animi gratia; ille vero, de eorum se societate subducens, vel religiosiores ecclesias adibat, vel domi pie precabatur, et divini cultus imaginem quamdam, parvis altaribus constituendis, ornandisque puerili quodam pietatis studio, et oblectatione referebat. Cum aetate paulo magis processisset, ecclesiae sanctorum Gratiniani, et Felini Aronensis sacerdotium, Abbatiae nomine, quod dudum in familia Borromea permanebat, accepit. Atque cum humanioribus litteris satis operae dedisse videretur, Ticinum*, ut civilium legum, et sacrorum canonum studia coleret sese patris jussu contulit**. Tantula aetate cum esset, sacerdotii sui fructus sacros esse reputans, quorum sibi, utpote Abbati, Deo reddenda ratio esset, patrem, cujus alioqui voluntati obsequi diligenter studebat, modeste monuit, qui una cum ceteris facultatibus suis adhuc Abbatiae res dispensabat, minime id sibi justum, neutriusque saluti consentaneum videri; qui fructus sibi superessent, eos in rem familiarem converti, ac non potius dari pauperibus: quod pius pater, tantum abest, ut moleste acceperit, ut filii religione, praeclaraque indole laetus, ac prae gaudio lacrymans, administrationem ei sine mora reliquerit; quod si patri aliquid ex iis, necessarii sumptus caussâ, opus erat, mutuum dabat filius; quod ei postea, vel egenis restitueretur.

§ 3. Ticini nec ab aequalium suorum vitae cultu abhorruit; et pietatem, honestatemque coluit diligenter. Ne insignes in litteris progressus habere videretur, ingenii motus ad explicandum haud satis expediti faciebant. Nuper ex ejus sociis quidam narrabat, eo se tempore saepius Caroli patientiam esse admiratum; quod neque adverso aliquo ludi eventu, neque famuli cujusquam ignaviâ commotus, quidquam faceret aut loqueretur unquam, quod contumeliam, aut liberiorem indignationem prae sê ferret; eluxisse quoque in ejus moribus addebat animum excelsum, ac mentem ab humanis cupiditatibus, ambitioneque alienam; cum ei ultimo fere juris studiorum tempore, Jo. Angelus Cardinalis Medices avunculus Abbatiam Romanianam contulisset, et praeterea Calventianum, ut appellant, Prioratum, se collegio ex iis opibus Ticini constituendo jam tum cogitare, ac loqui coepit: seque ajebat, modico sumptu, procul ab humano splendore, etiam ruri

* Decimum sextum vitae annum agebat S. Carolus, quum Ticinum missus est.
** Condiscipulum habuit in ejusmodi studiis Carolum Franciscum Bonhomium, Cremonensem, doctrinâ virtutibusque ornatissimum, Vercellensem deinde episcopum.

vitam libenter acturum; modo talis collegii commodum, atque ornamentum familiae, patriaeque afferret suae: quod alia ratione postea praeclare factum vidimus. Eam animi moderationem, atque aequabilitatem, haud maxima praesertim ingenii celeritate conjunctam, quidam quasi tarditatem, abjectionem despicere videbantur: cum tamen et ipsius adolescentiae acta non obscure, et posterioris temporis res gestae multo illustrius, longe aliter se rem habuisse demonstrarint. At enim moderari animo; non capi caducis rebus; et quae vere magna sunt, reique publicae utilia amare, et quaerere; non tardi, vel abjecti, sed praestantis ingenii est. Non confecerat Abbas juris disciplinae cursum, cum ejus pater ex hac vita migravit, annos natus quadraginta septem*: qua de re, licet Federicus frater esset natu major, rerum familiarium summa, propter prudentiam, morumque gravitatem ad ejus judicium rediit; quam curam ea cum laude gessit, cum sororum gubernatione conjunctam, ut si. quemadmodum Apostolus monet, ab administratione domestica ducamus argumentum, ecclesiam quoque illi quandoque recte committi posse, jam tum liceret facile judicare.

§ 4. Ad continuanda juris scientiae studia, impedimenti aliquid Abbati ejusmodi administratio sine dubio attulit: sed ob id quoque intermittendus fuit juris discendi labor; quod studiorum suorum cursus cito conficiendi desiderio, quasi aestu quodam, ad vigilias, et nimias litterarum occupationes delatus, in periculosam valetudinem, pituita ex capite distillante, incidit; quae curationem procul a libris omnino postulabat. Ea pluribus mensibus temperantia fere, commodaque vitae ratione Mediolani adhibita, quamquam gravius malum, fortasse etiam vitae discrimen, avertere visa est, non effecit tamen, quin pituita itidem flueret, usque ad postremos fere illius vitae annos; quo tempore illa assiduo jejunio valde imminuta, in proverbii fere consuetudinem Caroli remedium induxit. Dum curaretur, a medicis praescripta musici cantus oblectatione, quae natura tamen erat ei valde jucunda, eo temporis spatio tantum utebatur, quod medicinae caussa ii necessarium judicaverant; ac ea tum verecundia fuit, ut si quid carminum canendum esset, quod ad lasciviam pertineret, rejiciendum ille quidem curaret prius, si animadvertisset; sin autem, verba saltem omitteret, vocumque modos tantum exprimeret. Digna certe clerico modestia; quemadmodum ea quoque, quod rogatus, ut pilae ludum in paternae domus platea spectaret, ad januam, fenestramve ita consistere recusabat, ut a ceteris spectatoribus videri posset. At disciplinae sacrae studium non mediocre ostendit, in veteribus monachis quibusdam ecclesiae suae Aronensis corrigendis; qui quidem a beati Benedicti instituto

* Quem S. Carolus humi, non vero in excelsis familiae suae sepulcralibus urnis condi jussit, utpote qui jam tum ab omni fastu vehementer abhorreret.

tam longe aberant, ut vix ipsius monastici vestitus vestigium retinerent. quorum licentiam, cum sibi minime ferendam adolescens Abbas judicaret, alios victus asperitate, alios arcta custodia punivit, et in officio continuit: quamquam nullo ejus generis tunc proposito exemplo, quod sequeretur. Quinto, ex quo juri studere coeperat, anno exacto, uti juris utriusque peritus, doctoris insignia publice Ticini suscepit, Francisco Alciato tradente, qui discipuli officio postea Cardinalis creatus est.

§ 5. Obitu Pauli IV, vacabat eo tempore Pontifice Romana Sedes; tum Cardinalis Medices Margaritae frater, electus est; et Pius ejus nominis quartus appellatus; anno salutis MDLX ineunte. Allato Mediolanum nuncio, ad duos Comites, ut Pontificis sororis filios, salutandos, domum convenere statim Magistratus, civitatisque principes; cognati, ut fit, notique omnes; sed illos neque spei magnitudo, nec elatae cogitationes impedierunt, quin sese pie colligentes, Deo gratias agerent, et peccata sua confessi, sanctissimaque sumpta Eucharistia, christianum jacerent status ejusmodi fundamentum. Federicus sine mora Romam contendit. Carolus, paucis interjectis diebus, Pontificio jussu accersitus, secutus est. Alterius sororis filios Pontifex habebat, Marcum postea Cardinalem, et Annibalem, Sitticos, Altaempsii Comites; Serbellonos item consobrinos; quos omnes dilexit, magnisque honoribus, et amplitudinis Pontificiae beneficiis auxit. Sed hos tamen praecipue sibi ornandos ille constituit. Federicum statim quibus potuit maximis, ditionis ecclesiasticae titulis ornavit; qui Philippi quoque Hispaniarum Regis liberali voluntate, opibus, atque honoribus valde honestatus est. Carolum Protonotarium primo creavit; ac libellis referendis praefecit; post mensem autem, et Cardinalem fecit*; et, quamvis annum ageret tantummodo XXII, Mediolanensem detulit Archiepiscopatum. Praeterea Romanae ditionis administrationem illi mandavit; de qua, viris gravibus in consilium adhibitis, assidue consultaret, supplices libellos, ac mandata omnia, quaecumque essent, pro se subnotare jussit. Auctoritatis pontificiae munera gravissima, negotiaque quotidie detulit; et omnium curarum suarum, consiliorumque participem fecit, ac administrum: nam et ipse miram in publica negotia, gravissimasque res gerendas ostendit ab initio propensionem; eo factum est, ut nullus fere apud cognatum Pontificem Cardinalis majore auctoritate, atque administratione unquam fuisse videretur. Addidit amplissimas facultates; quibus ille splendore plane regio, contra quam ejus natura, consuetudoque ferret, vitam instituit. Maximus domesticorum numerus; in his viri litteris, nobilitate, titulis ornatissimi. Praesules aliique nobilissimi viri quotidiani convivae;

* Romanâ purpurâ ornavit S. Carolum avunculus Pontifex die ultima januarii anno MDLX. Mediolanensi archiepiscopatus possessionem iniit per Antonium Robertum, ejus procuratorem. mense majo ejusdem anni.

pretiosissima supellex; quotidianas etiam oblectationes quasdam sacrae disciplinae non satis consentaneas admittebat.

§ 6. Magna porro, repentinaque dignitatis amplificatio, si praesertim exempla, et instigationes accedant, saepe mores, ac naturam ipsam perturbat. At tantis copiarum blandimentis delinitus, ad perfectiorem tamen vitae disciplinam oculos retorquebat: et ad humana omnia contemnenda se ipse frequenter excitabat. Cumque multos post annos Dei beneficia secum reputaret, commemorare solitus fuit, inusitata se ratione ad sanctiora pietatis officia, religiosioremque vitam fuisse perductum: neque enim angustas, asperasve res, ut plerumque fit, Deum adhibuisse; sed prosperas, maximeque florentes: ut in iis rerum humanarum levitatem, inanitatemque divino lumine perspiciens, ad ea, quae solida, gravia, aeternaque sunt, animum adjiceret. Interim non solum aliquid amplius, ut humanum est, ex opibus Ecclesiae quotidie sibi addi non postulabat, sed etiam ultro a Pontifice tradita, propemodum accipiebat invitus: quod ex cogitatis nonnulli, et alii, qui ex eo pendebant, valde querebantur; et quod virtutis erat, ut humana perversitas est, angusto, parvoque animo tribuebant. Virginalem modestiam, quae semper in ejus moribus eluxerat, exquisite retinuit: et in eo genere non modo quidquam male appetere nunquam ulli visus est; sed insidias quoque non semel paratas sancte admodum vitavit. Praestitit in mandatis muneribus summam fidem, incredibilemque diligentiam; tum mentem prorsus incorruptam: quae neque cupiditate, neque ullius gratia unquam moveretur; sed in omni re consultanda et dijudicanda, quod justissimum esset, id spectaret, et exequeretur semper; pristinam item patientiam ut nullius errato, vel molestiâ commotus, quidquam faceret, aut diceret in quemquam contumeliosum. Cum autem plerique amplitudinis, divitiarumque splendore, commodoque capti, delicatiores fiant, laboresque dignitati conjunctos fugiant: contra hic adolescens sese patientissimum praestabat: multum scribendi, dictandique laborem suscipiebat; diuturnam iis, qui alloqui vellent, operam dabat. In suos, pauperesque, si liberalissimus initio non fuit, ita se tamen comparavit, ut in ejus animo liberalitas in dies, calore divini spiritus augescens, ad praeclaram illam effusionis plane christianae maturitatem tandem perveniret. Pauperibus multa donavit, tum Romae, tum in iis maxime locis, unde sacras pecunias accipiebat. Aronae praesertim multa distribuit, ac Mediolani: ubi si qua de caussa in rebus ecclesiae constituendis, gregeque ad rectam viam reducendo, sumptu opus esse viderat; de suo liberaliter jussit suppeditari: ut nihil penitus ex ipsius ecclesiae fructibus ipse Romae tunc existimetur percepisse.

§ 7. Humaniora litterarum studia coluit; cumque viros eruditissimos in eo genere plures apud se haberet, ex eis, aliisque

nobilem instituit Academiam, cujus exercitationes noctes appellavit Vaticanas; quoniam publicis, plerumque negotiis interdiu occupatus, certas eis dabat ipsius intempestae noctis horas. Valebant ea studia, ad doctrinam morum, facultatemque dicendi comparandam; tum memoriam quoque exercendam: dum posita quaestione, quae ad mores pertineret, in utramque partem, quam poterant ornate, copiose, atque eleganter disserebant. Ad animorum vero relaxationem aliquid etiam admiscere liberalis joci solebant, ac leporis. Ex horum numero, et ex eis, quos in consultationibus adhibebat, viri fuerunt, tum litteris, tum dignitate clarissimi; qui magno fuerunt, partimque adhuc sunt reipublicae christianae usui, atque ornamento: ex quibus Episcopi, Cardinales, et ipse quoque Gregorius XIII extitere. Curabat ille, per eas exercitationes, non solum ejusmodi doctrinae praecepta, dicendique usum assequi, sed etiam, quae in loquendo sentiebat, impedimenta naturae superare: concisas enim sententias, immo etiam verba ipsa imminuta, habitu quodam nimiae celeritatis pronunciare solebat; quibus in rebus, quantum profecerit, tum illius judicium in scribendo, alienisque scriptis corrigendis postea indicavit, tum frequentissimae conciones declararunt. Atque hujusmodi studia non parum ad ejus quoque salutaria consilia valuisse postea fatebatur; cum enim illi Stoicorum sententia in Academia impugnanda quandoque obvenisset, contra potius sese ad eos aliquo modo sequendos, hoc est ad perturbationes comprimendas, dum ei rei studeret, animique perfectam moderationem comparandam, sensit incitari; ex quo Epicteti philosophi libellum frequenter in manibus habere, ejusque praecepta valde observare, per ea tempora visus est.

§ 8. Redeamus ad Carolum, cujus sanctioris vitae desiderium triennii fere spatio, sive negotiorum, curarumque magnitudine, sive humano, falsoque pudore quodam retardatum, tum ardentius excitatum est, clariusque multo enituit, cum Federicus frater diem suum obiit, mense Novembri anni MDLXII. Florentissimi juvenis interitus, qui dum ad summos honoris, atque amplitudinis gradus gloriose ingrederetur, de medio praeter omnium opinionem sublatus est, magnopere valuit; ut Carolus tum ipse vehementius commotus, tum aliorum animos factos ad humanarum rerum imbecillitatem praesenti casu attentiores, conspicatus, ad praeclaram vitae hujus despicientiam, sacramque illam optimae vitae disciplinam, quae jam diu ei proposita erat, sese aperte, strenueque converteret. Affuit assidue fratri laboranti; et quae tali tempore homini christiano pia officia debentur, omnia, quantum potuit, cumulate praestitit usque ad mortem *. Dum autem alii, et ipse Pontifex in primis, afflicti, Federicum diutius lugerent,

* Et fratri Federico S. Carolus funebria omnia persolvit, omni fastu remoto; corpusque ejus, Mediolanum transvectum, noctu sine exequiali pompa humari jussit.

ipse, accersito sacerdote, cui peccata sua solebat confiteri, de insigni morum mutatione cum eo egit, ac decrevit. Dictitabant eo tempore multi, Carolum nullo fratre, neque fratris filio, clericalem vitam relicturum, et uxore ducta, profanis honoribus et negotiis implicandum; et vero etiam fuisse dicuntur, qui aperte significarent, ac incitarent; idque non sine eorum auctoritate, qui plurimum poterant: ille autem ut omni se interpellatione liberaret, non multis post mensibus ad sacrum presbyteratus gradum ascendit. Personam ex eo tempore visus est longe diversam induere: eaque fuit in moribus, omnique vitae consuetudine gravitas, ut ad austeritatem quoque perveniret, quemadmodum saepe solet initio vitae religiosioris evenire. Non cetera solum oblectamenta dimisit; sed cum exercitatione corporis ad id tempus valetudinis gratia magnopere delectatus esset, eam quoque respuit; quoniam Aegidius Fuscararius, religiosissimus Episcopus Mutinensis, quem plurimi faciebat, eam sibi consuetudinem in juvene minime probari dixerat: augeri enim calorem nimis, qui suapte natura, tali aetate, maxime viget; inde cibus, potusque multos: ex quo multum somno, parum contemplationi, litterarumque studio dari temporis, necesse est; praeter alia, quae animae facile consequuntur incommoda. Civiles Academiae exercitationes, studiaque dicendi, ad spiritualem traduxit rationem, jam tum, ut puto, cogitans de grege suo coram custodiendo, concionibusque sacris pascendo. Alia studia litterarum, egregia illa assiduitate, patientiaque sua coluit: doctorumque virorum quotidianas disputationes sua manu scribens, diu satis excepit: ut merito mireris, Carolum per eos annos, tantis occupationum pressum oneribus, logicae, philosophiae, Theologiaeque, quamquam non ad perfectam scientiam, operam dare potuisse. Sed multo magis mirum, varie illum, graviterque oppugnatum, quorundam suasionibus, insidiis, obtrectationibus sollicitatum, stetisse tamen, piaque sua consilia atque instituta constanter retinuisse. Mutatio ejusmodi plerisque non probabatur; ejus causam, ut quisque sibi prudentissimus videbatur, ita in rebus humanis, ut fit, acute investigabant; multi palam improbabant; simulationemque dicebant. At multi etiam veritatis, divinique spiritus vi permoti, tum sincerum ejus animi sensum agnoscebant, dignumque imitatione judicabant, tum ejus exempla sequebantur. Plures ex litteratis Academiae, domusque suae viris, ad sacra studia, vitamque puriorem ejus exemplo se retulerunt; omnino plurimi, ejus imitatione, vitam, actionesque suas conformarunt.

§ 9. Tunc oecumenica synodus Pii Pontificis auctoritate, jussuque Tridentini habebatur; cujus acta, progressionesque cum antea Carolus magno studio, ac pietate curasset, tum eo tempore studiosissime coepit tueri; atque cum de ea dissolvenda quodam tempore ageretur, pluresque ex principibus assentirentur, immo

quidam urgerent, ille Pontificis in eo voluntati consentiens, omn auctoritatis suae conatu restitit, perficiendamque curavit *. Ad eo rum cognitionem, quae synodi decretis opus erant, Gulielm Sirleto plurimum usus est: cujus doctrina, cum antiquae di sciplinae, graecaeque linguae cognitione, tum vero eximia pieta conjuncta, adeo est delectatus, ut hominem semper plurimi fe cerit, neque destiterit, donec eum postea perduceret ad Cardina latus gradum. Ad sui ipsius, suorumque meliorem vitae rationem multa Carolus a morte fratris cum instituisset, sancitis demu anno MDLXIII, Tridentinae synodi decretis, ea studiosius est ex cutus; adjecitque etiam sanctiora. Circiter octoginta de domo su missos fecit uno tempore; eos fere omnes, qui clericali vitae m nus apti videbantur, quos benigne admodum, liberaliterque tr ctatos dimisit; serica indumenta non sibi solum, sed familiarib omnibus interdixit; qui neminem ex eis antea sine sericis sple didisque vestimentis admittebat. De corpore suo nihil adhu severius statuit, quam ut uno die singulis hebdomadis pane aqua tantum vesceretur. Molesta coepit esse gravissimarum o cupationum assiduitas: quibus ne a divinarum rerum contempl tione abstraheretur, in aediculam quandam, quam sibi remo loco ad id constituerat, sese abdere certis horis coepit; paul timque se prorsus a rebus agendis subtrahere velle videbatur; n quem vehementer observavit, Bartholomaeus Archiepiscopus Br charensis ex ordine Dominicano magna sanctitate Praesul, a monuisset, Ecclesiae, Carolique ipsius conscientiae periculosu sibi videri, defugere munera, occupationesque illas, quae faci in homines longe diversae sententiae recidere possent; quae r fecit, ut consuetos labores, atque onera pergeret sustinere. Vir rum pietate, disciplina ecclesiastica, doctrinaque praestantiu assidua consuetudine, consilioque utebatur: inter quos alii era boni sacerdotes Hispani; qui nuper ex civitate Tridentina, Co cilio absoluto, venerant, ex eodem numero Franciscus Forerius fu egregius Theologus itidem Dominicani ordinis, quem Carolus apu se retinuit, et de rebus Theologicis quotidie disserentem diu a divit. Atque propius jam ad Episcopi munus accedens, quod grave admodum sustinere sentiebat, et ad salutem sui gregis di ligenter exequi cupiebat, in sacris concionibus publice habendis de quo gravissime Concilium constituerat, se coepit exercere remotioribus tamen locis, fereque ad virginum coenobia; quam quam et in suas brevi prodiit tum S. Mariae, cujus erat Archi presbyter, tum S. Praxedis **, cujus titulum habebat, eccle sias. Inusitata multis saeculis in tali persona muneris functio

* S. Caroli suasionibus, orationibusque impulsus, Concilium Tridentinum Pius Pp. IV restitui anno 1562.

** Quoad S. Praxedis aedem pertinet, S. Carolus tectu ejusdem renovavit, Monachorum cell decentius refecit. Plura autem alia fana, Romae vel e fundamentis restituit, vel magnificenti exornavit.

concionator haud aptissimus; tali loco, quos in hominum sermones venerint, non est opus explicare; quibus rebus tamen, ejus optimum studium superari, tardarive non potuit. At vero fecit ea tota morum conversio, constansque in ea voluntas, ut illum tandem vereri quodammodo summi, infimi inciperent, et ipse Pontifex ejus causa quibusdam rebus utiliter abstineret. Solidae virtutis vis haec est admirabilis; quae plurimos a vitiis deterret, et ad ea quae recta sunt impellit; quam ipsi quoque summo loco constituti non possunt non subire. Incidit per id tempus in morbum Carolus, qui divino quodam munere, luminis ei plurimum, coelestisque suavitatis attulit; atque ita mentem ad superorum desiderium acuit, ut terrena omnia magis ac magis despiciens, mortem concupisceret, atque adeo culpam in eo suam timeret, quod ab humanarum rerum taedio nimis refugere, et ita Deo se totum minime permittere, sibi videretur.

§ **10**. Quod antea de sua dioecesi visenda, colendaque cogitaverat, id perficere quamprimum curabat; sed cum id moleste ferret Pontifex, senemque se quereretur ab eo deseri, quem ut filium carissimum amabat, suum in Insubriam adventum, non ille quidem dimisit, qui eum in animo defixum habebat, sed ...lum distulit. Statuit vero interim ecclesiae suae longe accu...tius, quam antea sine mora prospicere: ubi plurima corrigenda, ...stituenda, ordinanda esse, et probe sciebat, et quotidie audiebat. ...e superioribus quidem annis Vicarium * ibi habuerat; immo Episcopalis quoque ordinis hominem, qui pontificalia munera obiret; ...nnihil item ad clericalis disciplinae conformationem pertinens ...eperat. Verum ad sanctiorem, illustrioremque tunc administra...onem, quem Mediolanum cum potestate mitteret, praestantissi...mum sibi virum perquirendum statuit; de quo sollicitus cum ...vestigaret, sapientissimo consilio fecit, ut Joannis Matthaei Gi...berti olim Veronensis Episcopi alumnum deligeret. Cum enim vir ...le, clericalis vitae, ac administrationis episcopalis egregia laude ...on multis ante annis floruisset, et ante Concilium Tridentinum ...uisset ecclesiasticae disciplinae eo seculo in Italia restituendae ...cile princeps, nihil aptius, meliusve cogitare Carolus posse vi...debatur, quam, ut virum tanti Episcopi consiliorum participem, ...ctionum adjutorem, institutorum peritum sibi adscisceret: ut ...onsilia sua, ex sacris Concilii praeceptis, et ex praecipuo illo ...nimi sui lumine concepta, cum iis conjungens, praestantissimam ...ficeret, Domino in primis juvante, regendae ecclesiae rationem. ...ccersivit igitur, Cardinali Navagerio Veronensi Episcopo conce...dente, Nicolaum Ormanetum presbyterum, et jurisconsultum Ve...ronensem; qui non solum fuerat Joannis Matthaei Vicarius, sed ...cum Reginaldo Polo Cardinali sedis Apostolicae Legato, in Anglia,

* Is Antonius Robertus fuit, cujus opera in Urbe quinquennium usus est, et ad Mediolanensis ...dis *possessionem* ineundam miserat.

rebus illius ecclesiae componendis operam dederat, et Concilii Tridentini actionibus interfuerat: tunc autem ab humanis cupiditatibus alienus, populum quemdam in dioecesi Veronensi sacra regebat auctoritate; et parvum gregem bonus pastor, sancte, quieteque pascebat. Sed eum Dominus nihil ejusmodi cogitantem evocari, ejusque virtutem ad Mediolanensis, atque adeo universae Ecclesiae utilitatem, in apertum proferri voluit. Romam cum venisset, Carolus amantissime accepit; et pro sua ardenti gregis charitate, de ecclesia administranda, deque omni sacra disciplina; ex Tridentinis praecipue decretis restituenda, cum illo plene, assidueque communicavit; ut plerique iis diebus mirarentur, id temporis cum ejusmodi homine consumere, qui orbis Christiani tot, tantaque negotia sustineret.

§ 11. Inde illum Mediolanum dimisit: quo jam anno ante clericos miserat ex societate Jesu, Benedictum Palmium in primis, magno ardore, atque eloquentia concionatorem; qui omnes tamquam excitati milites procurrerent in sua quisque muneris functione Duci viam pararent bellique initia susciperent; quod gravissimum et turbulentum cum depravatis hominibus, daemonibusque futurum erat. Plurimi enim ex omni genere vitiis erant contaminati; rerumque salutarium tota ratio in civitate, in agro, in omni denique provincia maxime perturbata; nam continuata, paucis annis exceptis, circiter octoginta annos Pastorum absentia; magnam ad diripiendum, dilaniandumque gregem, aditum bestiis immanibus reliquerat; obscuratis ubique praesertim ex diuturna temporum calamitate, sacrae disciplinae custodiendae, tuendaeque luminibus; Ecclesiastica administratio, animarum curatione fere praetermissa, ad jurisdicendi munus, litigiosorumque clericorum controversias dirimendas, redacta erat; atque uni Vicario, tantum otii scilicet a negotiis dabatur, ut etiam rebus ludicris frequenter posset operam dare: sed ipsa quoque jurisdictio, judicum, sive incuria, sive ignavia, violata magna ex parte fuerat, ac imminuta. Cleri mores in universum, sive domos spectares, sive ecclesias, misere corrupti: luxuries adeo libera, ut cautionem contemneret; sacerdotiorum multorum vectigalia uni assignata; eaque ad profanum splendorem pro cujusque gratia expetita: sacra munera ab iis, quorum essent, neglecta; ab aliis ad egestatem sustentandam non tam pro viribus, quam pro inopia quaesita; utraque saepe vitio, contraque sacrorum canonum praescriptiones impetrata; si quae litterae, non ad salutem, divinarumve rerum scientiam; sed ad lites, et judicia comparatae; sacrorum munerum functionibus, sacrificiisque ipsis obeundis, tamquam vulgarium clericorum officiis, nobiliores abstinere: profanis negotiis implicari; aedes sacrae ex parte maxima deformatae debitoque divinorum officiorum cultu destitutae; sordida supellex; reliquiae, aliaeque sacrae res indignis modis habitae. Concionatores ad eas res fere

...i, quae, ut Apostolus monet, ad concertationes potius, quam ...ctam vitae institutionem valent. Haec omnia qualis populi ...consequatur, ignorat nemo; annuus tantummodo sacramen... usus; ac in plurimis ne annuus quidem; sacra officia, ... ecclesiae ipsae parum a clericis, multo minus a laicis fre...ate; criminum, quae sacra potestate puniuntur magna li...; adulteria multa, concubinatus, usurae; sed ejus temporis ...riae distinctius ex Caroli gestis apparebunt. Manebat certe ...lanensium illa proclivis ad virtutem natura: erant piorum ...um sodalitia, aliaque vetera instituta multa; quae singu... ...ujusdam bonitatis ac pietatis significationem dabant; ex... ...e hominibus a Carolo missis magnae erant admirationi. ...osorum hominum congregationes multa salutis habebant ...enta. Clerici, qui Paulo Apostolo duce ac patrono, coeno...m vitam apud ecclesiam sancti Barnabae jam instituerant, ...osae, spiritualisque vitae rationem praecipuo studio revo... ...atque inducere conabantur; rerum caducarum contemptum ...olum verbis publice faciendis; sed etiam severa admodum ...ratione docebant: et eorum, quae Deus pro nobis pertulit ...ione, acriter saepenumero inflammati, ea publice faciebant, ...d homines praesentium bonorum amantes acriter commo...s, vehementer valerent. Verum, ut hi magnum numerum ...timas christianae vitae exercitationes adduxissent; nullo ... publicae potestatis subsidio; plerisque etiam repugnanti... vix quidquam consequi potuerant, quod universae civitatis ... immutaret; nam et ipsi religiosi ordines homines ejus... vitae spiritualis instaurationi, novitatis nomine saepe sunt ...ati: tanta vis est pravae ac inveteratae consuetudinis, quae ...issima quoque pietatis officia, ut res nuper inventas ma... respuit, ac aspernatur; ex caeteris quoque civitatis bonis, ...m extabat fructus salutaris; at non is tamen, qui tam ma... tollere corruptelas posset. Commodissime autem videtur ...sse, priusquam ipse Carolus veniret, Ormanetum ad eccle... administrandam mitti: ut cum multa ex iis, quae aequiora ...dubio essent, ille assequeretur, multa etiam dissimulare, ...a tolerare, leniter omnino ad reliquam, perfectioremque ...rmationem animos praeparare posset: nam plena, repenti...e correctio sine magna perturbatione, ac periculo induci ...e vix videtur. Carolum autem ipsum praesentem in multis, ...ibusque connivere; tum ejus amplitudine, potestateque indi...m erat; tum futurae etiam administrationi non mediocriter ...ommodum: quae ex severis, acribusque initiis multo facilior ...ura erat; quemadmodum exitus comprobavit...

12. Carolus autem suum urgere discessum non desistebat; ...e Episcoporum provinciae Mediolanensis concilio, per anti...rem Episcopum saltem, si per se non posset, celebrando,

omnino constitutum habebat; in quo sacris antiquis legibus nuper eo de genere Tridenti renovatis pareret; provinciae statum perfectius cognosceret, et de emendatione, constitutioneque rerum omnium, quae opus erant, quaeque jam magnam partem in animo habebat, auctoritate concilii plene decerneret. At post moras, impedimentaque varia, obtinuit a Pontifice tandem, quod diu cupiebat. Id ut honorificentius ei, atque facilius eveniret, non solum Pontifex Legati dignitatem in Bononiensi ditione, provincia Romandiolae, ac Exarchatu Ravennae contulit, quam antea quoque tenuerat: sed in tota quoque Italia Legatum a latere suo dimisit. Hic minime alienum existimo, reliquos item Caroli honores, munera, facultatesque recensere; quibus, cum haberet, insignis fuit, et cum dimisisset, insignior. Cardinalis igitur, Legatus, idemque Archiepiscopus noster, ecclesias non minus duodecim in variis regionibus Abbatis, Commendatariive nomine tenebat: et ecclesiae S. Mariae Majoris Urbis erat Archipresbyter. Amplas pensiones variis in provinciis, aliasque sacras facultates obtinebat. Calventianum sacerdotium addixerat jam fabricae collegii Ticinensis, quam ante annum opere magnifico coeperat; supremo paulo post sacrae poenitentiae muneri a Pontifice praeesse jussus est, summa omnium approbatione: qui tali Praefecto, sacrosancti Magistratus optimam administrationem maximo per universam Ecclesiam pietatis fructu, restituendam, sperabant; neque eos fefellit opinio; omnes enim ejus partes, multo tempore, licet absens, opera eorum qui Romae res ejus gerebant, et Pontificia in primis auctoritate, religiose conformavit. Delatum est etiam a Pontifice quandoque Camerarii Apostolici munus: quod ille, amicis nonnullis tacite indignantibus, pia de causa recusavit. Aronae Comes cum esset, Uritanae quoque urbis, ditionisque a Philippo Rege, Princeps erat, dum viveret, constitutus: unde aureorum circiter decem millia annua exigebat. Romaniani Marchionatum Federico Ferrerio cognato ante donaverat. Instructas triremes, quae in eum a Federici fratris morte pervenerant, quaeque stipendia in classe Philippi Regis, ad viginti millia aureorum merebantur, tamquam a suis studiis valde alienas jam vendiderat. Lusitaniae Regnum, et Helveticae gentis septem pagi catholici in ejus erant clientela; quibus non multo post Germania inferior addita est. Universus ordo Franciscanorum, Carmelitarum, Humiliatorum, et item Canonicorum regularium sanctae Crucis Conymbricensis; praeterea sacri milites, tum Jerosolymitani, tum Jesu Christi Lusitaniae, ejus tutelae fuerunt commendati. Annuorum redituum summa, quae per id tempus fuerit, non satis definire potest affirmari. et emolumentorum tamen omnium habita ratione, ad nonaginta millia aureorum nummum videtur quandoque pervenisse. At modestum animi sensum, ejus litterae, tunc ad Ormanetum scriptae ostendebant: quibus de

vitae suae ratione in itinere, Mediolanique tenenda singillatim monebat, et praescribebat: cupere se comitatu modico, cultuque modesto Mediolani esse; ubi, ut Episcopus, exemplo caeteris esse deberet, ad inania humanae vitae studia fugienda. Si ibi daretur permanere, progressurum se multo magis in usitato vitae cultu extenuando: sed Romam redeundum cum esset, mediam quamdam viam sibi tenendam; et ejus tamen vitae, ac disciplinae specimen esse dandum, quam sibi jam constanter proposuerat; non posse familiares suos, tunc quidem, cum minorem comitatum superet, tamen non secum ducere variis de causis amplius centum; velle, sibi duo tantum, aut ad summum tria loca pannis ornari minime pretiosis; non argenteis vasis in mensa, sed fictilibus uti; et ciborum rationem ad frugalitatis, temperantiaeque formam moderari. Episcopos omnes sibi statuisse hospitio suscipiendos; tum quia commodius id esset ad synodi negotia tractanda; tum quia hospitalitatis officium sibi, utpote Episcopo, maxime convenire intelligebat; praesertim erga fratres suos: quos quemadmodum nullo ambitioso apparatu excipere volebat, ita cupiebat omnibus fraternae charitatis officiis amplecti. Ad omnia admirabili diligentia paravit, quae opus erant; ad urbis ingressum, Episcoporum convocationem, vitae rationem, hospitum commoditatem, concilii actiones. Constitutionum synodalium materiam maxima ex parte, tum ipse Romae iisdem consiliariis adjuvantibus paraverat, tum Mediolani per Ormanetum ex praesenti rerum statu colligi jusserat. Plures Theologos ex variis religiosis ordinibus, tum alios juris pontificii peritissimos, ad se accersivit; in iis Scipionem Lancilotum, nunc Cardinalem; Joannem Baptistam Castellium, et Michaëlem Thomasium, postea Episcopos; qui in Concilii Tridentini actionibus cogniti et probati erant: quorum omnium praestanti doctrina, quae in Concilii decretis conficiendis oporteret, explanarentur; adduxit etiam familiares suos, viros eruditione, ac eloquentia praestantes; Silvium Antonianum, valde sibi carum, cujus virtute ac doctrina nunc utitur in gravissimis rebus Apostolica Sedes; Joannem Baptistam Amalthaeum, Julium Pogianum.

§ 13. Roma * igitur profectus, Bononiae multa de munitionibus, de finibus, de publicis judiciis, ad ejus urbis et ditionis utilitatem auctoritate Legati triduo constituit: ad Nonantulanam ecclesiam venit, et quasi synodum clericorum habuit; ut si quid opus esset, pro suo Abbatis munere constitueret, corrigeretve. Toto itinere, summo licet honore Principum et privatorum officiis exceptus; Praesules, et ecclesias suo intentus muneri circumspiciens, quid absentia pastorum incommodi, quid praesentia fructus afferret, observabat: in quo et disceret ipse, et si quid iis opus esset, Pontifici referret. Singulari demum, et pene incredibili

* Anno 1565.

amoris et observantiae significatione, civis et Pastor exceptu est a Mediolanensibus suis; praecipua namque laetitia quaedam atque hilaritas ejus adventus, ingressusque tempore, in o mnium vultu, atque ore versari videbatur; ac memini me tu adolescentulum áudiisse, qui eo civitatem ingrediente praedic rent, alterum Mediolanensibus Ambrosium advenisse. Urbem in gressus est die dominico IX Cal. Octob. anni a sal. MDLXV cu XXVI aetatis annum ageret *. Triumphales portas, symbola, el giaque honorificentissima, ac viarum ornatus, non est opus e plicare: e Basilica Regum, quae nunc Eustorgiana est, de mo mitra et caeteris Pontificalibus indumentis ornatus prodiit; al equo, stragulis coloris ejusdem sericis adhibitis, insidebat. Co faloneriae familiae, cujus illud est jus et institutum, nobil viri, rubeo et splendido vestitu pedites eum cingebant: seric umbraculum itidem album, sublime super eum ferebant; cleric et monachis ordine praeeuntibus, ad majorem ecclesiam sacra s lemni pompa processit. Dux ** cum Senatu et aliis Magistratib et omni fere nobilitate comitatus est: universa civitas concurr reliqua acta, atque adhibita pro ritu consueto. Proxima die do nica, celeberrima sacrosanctae Missae solemnia cum, ut par er maxima omnium ordinum frequentia, in majori templo perager ad altare sedens concionem habuit, novo plane ejus tempo exemplo, de rebus salutaribus ad populum. Interim quae syno causa oportebat, inter assiduas civium salutationes magno labo curavit; quarum rerum causa jam tum coepit, neque somn neque caeteris vitae commoditatibus parcere...

§ 11. His rebus celeriter gestis, Carolo quamprimum Roma erat redeundum, ita jubente Pontifice in primis; sed postula tibus etiam rebus ipsis, negotiisque ad universam Ecclesiam pe tinentibus: in quibus illud praecipuum erat et gravissimum, in Tridentini concilii decreta conservanda, contra frequentes, a dentesque multorum postulationes incumberet... Circiter Non Decembris *** accepit de gravi admodum Pontificis morbo; tu relictis omnibus, cursu Romam contendit: atque ita mature pe venit, ut avunculo adhuc vivo, non modo extremum suae pra sentiae solatium afferre, sed ipsa divina salutis instrumen necessario tempore potuerit adhibere. Ibi dicitur ante omnia stati medicos ad se vocasse, petiisseque, num spes vitae reliqua esse quibus negantibus, tum adiisse Pontificem, dixisseque: nihil pe tiisse antea unquam, quod ab ejus benignitate non accepisse unum adhuc petere, quod omnium minime sibi negari velle Cum annuisset Pontifex, enixe petit atque obsecrat, quand spes vitae prorogandae omnis erepta esset, nihil aliud penitus e

* Mediolanum S. Carolus reversus est, sexto postquam hinc discesserat anno.
** Gabriel a Cueva, Dux Albuquercii, provinciae Mediolanensis Gubernator.
*** Ejusdem anni 1565.

pore vellet, quam quae ad animae salutem pertinerent, cogitare; vero effecit, ne alius quisquam, ut saepenumero fit, aliena reret, molestiamve exhiberet; ac piis sermonibus, mira animi itudine, eum consolatus, sacra divini viatici et extremae ionis subsidia praebuit: neque aliquo pietatis officio defuit, e ad extremum spiritum. In quo et accommodatam summo itentiario muneris functionem; et egregiam in avunculum, emque summum pietatem; tum vero praeclaram juvenis hua cuncta despicientis constantiam licuit agnoscere. Pontifice id. mensis ejusdem mortuo *; ad novi Pontificis creationem e convertit, ut incommodorum suorum, quibus pro humana itione vehementer angi debuerat, prorsus videretur oblitus. autem praecipua illius in eo negotio auctoritas, ob magnum rimis Cardinalium numerum, qui a Pio creati, ejus ductum t de more secuturi. Atque ita se ille comparavit, ut neque inum voluntatis, quicumque illi essent, sive Principes sive alii; e utilitatis propriae sibi rationem esse habendam statueret; divinae gloriae, ac communibus Ecclesiae commodis inser-; remque omnium gravissimam castissime administraret. e et in itinere, cum tentaretur a Principibus amicisque viris, uam agere penitus recusavit; religione sacrarum legum im- se affirmans, ne vivo Pontifice de successore ageret: neque ortuo, eos audire voluit, qui rationes, utilitatesque humanas viderentur: quamvis homines vulgari prudentiae, cupiditaque dediti, factum ejus reprehenderent, pertinaciaeque sci-, aut immoderato religionis studio id tribuerent.

15. Antequam sacrum ingrederetur Conclave, plures ille em animo sibi proposuit, qui viderentur Pontificatu digni; e eum, qui postea electus est, ut ejus intimi deinde cognot, praetermisit; sed tamen mentem suam patefecit nemini: o Francisco Crasso Cardinali, cum intraret, quaerenti, quem ent Pontificem: quem Deus elegerit, respondit, nihilque prae- aliud. Ingressus vero, quotidianis sacrificiis, assiduisque ibus, quantum poterat, opem a Deo in re tanta petebat; atque et proprio, et communi aliorum quorundam Cardinalium io, quibusdam nominationibus satisfecisset, omne demum ium, curam, operamque in eo posuit, ut Pontifex Ecclesiae tur, qui pietate, vitae sanctitate, doctrinaque plurimum proet: qualem, inter alios, Michaelem Ghislerium ordinis Domiani, Cardinalem Alexandrinum, cognoverat; nam et eum ama-, et plurimi fecit semper, et de vitae, atque ecclesiae suae onibus saepe consuluit. Itaque, nulla habita ratione, quid afarum ille caussâ facere fortasse posset, qui a Paulo IV rdinalis esset factus, quodve Pio ejus avunculo parum gratus

* Pius Pp. IV diem suum obiit, annum agens suae aetatis 66, pontificatus vero sextum non grum. Et avunculi sepulcrum instrui jussit S. Carolus quam modestissimum.

fuisset; Marco Sittico Cardinali Altempsio secum adnitente, in ejus omni conatu creationem incubuit; collegis qui sese ad eum applicaverant, idem persuasit, et eosdem, cum res prope perficeretur, secum retinuit, ne sibi forte quis eriperetur; atque ita quod volebat, Deo in primis efficiente, celeriter obtinuit. Creatus est VII Idus Januarii, anno MDLVI, et Pius V appellatus. Carolum in eo administrationis genere non satis peritum sese ostendisse, aut solertem, ideoque quod alii, non quod ipse mallet, evenisse, nonnulli judicarunt; sed eorum qui diversa sentiunt, spectantque, diversum oportet esse judicium; minus sagaciter, vel etiam prudenter eum curasse aliquid, et ideo non obtinuisse putamus interdum, qui sibi aequo animo passus id fuerit eripi: contra, nec opinantem, et pene coactum admisisse, quod consulto sit secutus, ac non libenti solum, sed gaudenti etiam animo exceperit: id quod iis saepissime evenit, qui perturbationis liberi, divina, non humana ratione ducuntur, plusque divinae providentiae tribuunt, quam humanis artibus. Illud certum est, Pontificem sanctissimum, vel cum rerum suarum jactura Carolum quaesivisse; ac demum etiam Dei benignitate fuisse consecutum. Ejus electionis causa magna fuit piorum omnium laetitia, magna Caroli probitatis commendatio; et ei Principes, Reges, privati homines ea de re undique sunt gratulati. Ipse vero tali electione laetus, nihil habuit tamen antiquius, quam ut ad ecclesiam suam quamprimum pro veteri suo desiderio, et ex Concilii Tridentini constitutione, posset reverti: licet ejus animi paucos imitatores collegas haberet. A Pontifice maxime diligebatur, muneribus amplissimis in Urbe praepositus erat. Principes eandem erga illum voluntatem conservabant, neque enim potestatis amplitudine, sed virtute nitebatur: nam et Rex Catholicus Germaniae inferioris clientelam ei tunc demum ultro detulit. Sed nihilominus secedere potius, et commissum sibi gregem custodire, simulque spirituali, ac episcopali disciplina sese utilius exercere maluit; immo licet opportunum tempus Romae, per singularem Pontificis pietatem offerretur, multa constituendi, quae salutari essent toti Ecclesiae documento, jamque nonnulla essent in manibus; immo Pontifex ipse manere propemodum juberet: tamen reputans, quanti referret ad ceteros omnes in eo genere commovendos, primarios Ecclesiae pastores apud greges suos, uti recenti etiam Tridentino decreto sancitum erat, residere, debitumque illis officium coram praestare, lectissimorum etiam virorum consilio confirmatus, posthabitis aliis omnibus, constituit ad Mediolanensem gregem redire: concedente interim ea conditione Pontifice, ut proximo reverteretur autumno; qua se ille conditione, bona deinde Pontificis ipsius venia, rursus invitatus, exsolvit. Prius vero quam discederet, Catechismum, quem avunculi jam auctoritate jusserat inchoari, perficiendum, et Breviarium item Missalemque librum

restituendum curavit; nonnulla, quae in provinciae suae concilio statuerat, ut auctoritate pontificia confirmarentur, effecit, quo majori essent robore, eorumque latius pateret auctoritas; de quibus ipsae pontificiae constitutiones extant. Litteras quoque Pontificis obtinuit ad Principes, in quorum ditione provinciae Mediolanensis ecclesiae sunt, ut rerum decretarum usum, et totum conformandae ecclesiae negotium juvarent. Quae quidem omnia, ut obtinerentur, parum habebant difficultatis; cum ipse per se Pontifex ad omnes rectae disciplinae partes restituendas animo valde paratus esset, et Carolum plurimi faceret; immo vero eorum occasione, quae Mediolani confirmanda erant, plura constituit Ecclesiae Catholicae maxime profutura; ea quoque Carolus Pontifici, memoriam ejus potius, quam voluntatem juvans, monita libere suppeditavit, quae utilia in primis judicabat Ecclesiae Dei. Hujusmodi fuerunt, quae ab amico Pontifice Cardinalis optime de illo meritus recenti creatione sibi suisque postulavit, atque impetravit. Illud etiam in discessu fecit, jam disciplinae omnis exequendae, majori quam antea desiderio accensus, ut novum familiae delectum haberet, eamque fere ad homines ei disciplinae, quam sibi proposuerat, accommodatos redigeret: quorum mores, ex episcopali domo, quasi ex edito quodam loco ceteris exemplo esse possent; quique non tam gratiam hominum, suasque utilitates, quam res Deo gratas, sibique et aliis vere salutares sequerentur: quae res fecit, ut magna veteris familiae pars ab eo discederet; aliqui etiam Mediolanum profecti, postea Romam redirent; sed ille sibi jam, id quod necesse est, humana omnia posthabenda constituerat, ut perfectam sequeretur episcopalis vitae degendae rationem.

§ 16. Mediolanum venit, Nonis Aprilis; ac ad ea perficienda, quae in provinciae concilio anno superiore constituta erant, et ad ecclesiam in omnes partes, ex Tridentinae synodi decretis recte componendam sese coepit exercere. Jucundissima Carolo erat ea cura; quo tamquam ex maximis fluctibus in portum confugerat, non otii quidem, sed ejus tamen negotii; quo sicuti nunquam aliud magis operosum, assiduumque se habuisse, ita nullum quoque suavius se expertum commemorabat. Mirum autem capiebat ex eo fructum; quod ad meliorem cleri, populique disciplinam, ad divini cultus incrementum, ad domus suae piam gubernationem, non mediocres fieri quotidie progressiones videbat; ideoque tum voce, tum litteris, quod antea semper affirmaverat, fructus uberrimos, quos Episcopi in ecclesiis suis residentes ad crediti gregis salutem percipere possent, tunc maxime coepit praedicare. Divinorum officiorum cultum, in Metropolitana praesertim ecclesia, mirum in modum diminutum, coepit restituere; sacrosanctae communionis in primis frequentiam quantum per idoneos sacerdotes efficere poterat, inducere studuit; in ecclesiis

passim conciones sacras haberi constituit; tum in aedium suarum sacello vesperi tractatus luculentos, supplicatione, musicaque suavitate conditos; quo magnum ex nobiliori juventute numerum, ut pie commoveretur, alliciebat; ex primariis viris conflavit praeclarum sodalitium in ecclesia sancti Joannis, cujus institutum esset, misericordiae nomine, reos condemnatos consolari, pieque dum ad mortem ducerentur, comitari. His rebus clerum ad officia sua revocabat; confidebatque fore, ut ad pietatem diligentius colendam ita populus incitaretur, paulatimque sese vitiis expediret, ac brevi quidem frequentem ad res sacras divinasque, non multitudinis solum, sed optimatum quoque conventum festis diebus effecit: nam et exemplo suo, rebusque ipsis invitabat omnes; et principes viros, senatores, magistratus, qui tunc ejus domum frequentabant, amiceque ac pie sectabantur, cohortationibus excitabat. Eodem tempore multa conabatur, quae ad vitia, corruptelasque publicas tollendas plurimum valerent; rursus de modo sumptibus adhibendo; de Academia, vel alia laudabili otiosae juventutis exercitatione instituenda; de ganeis quibusdam ex urbe et suburbiis tollendis, in quibus magnum erat vitiorum seminarium; aliisque eodem pertinentibus. Ecclesias, clerumque civitatis lustravit; et clerum quidem improviso, atque ita celeriter, ut dispositis per urbis regiones viris, omnia clericorum domicilia, quatuor horarum spatio diligenter inspicerentur. Deinde, Septembri mense, post Virginis solemnia natalitia, exiit ad visendas agri ecclesias; ubi plurima passim invenit, quae extremo egere viderentur auxilio: ut tum dolore commotus interdum lacrymaret, tum laetaretur etiam in dolore; datum sibi tandem, ut afflictis patriae rebus subvenire, rerumque sacrarum dignitatem, quemadmodum concupierat, in antiquum statum restituere posset; quod efficere, cohortatione, jussis, animadversionibus, sacris vinculis pro sua potestate solvendis; tum ea cura maxime studebat, ut bonos sacerdotes sibi ascisceret, ac undique accersiret, eisdemque, quantae satis ad vitam, munusque essent, facultates attribueret, ut fructuose possent saluti populorum variis muneribus inservire: magnum enimvero, ac praecipuum rectae administrationis momentum, idoneos habere administros, quos non gratia, vel aliena utilitas obtulerit, sed rectoris ipsius studium, et prudentia delegerit *.

* Hoc erat Caroli tempore vulgo usurpatum adagium: *tot ante annis Vicarii unius, et aliquamdiu otiosi operâ administratam tantam Metropolim, cui regendae, Borromeo sedente, vix quadringenti solertissimi administri pares esse videbantur.*

LIBER SECUNDUS

§ 17. Carolo quamquam ipsis initiis prospera fere omnia, faciliaque Mediolani evenirent, exspectandae tamen erant eae difficultates, eaque certamina, quae paulo virtutis, ac pietatis illustriorem viam ingredienti, nedum incumbenti Episcopo ad corruptos amplissimae civitatis mores emendandos, solent offerri... Carolus igitur ad ecclesiae suae ordinationem, emendationemque quotidie propius accedens, cum laicos homines nonnullos ex criminibus ad forum suum pertinentibus, vocari, aliquos etiam in custodiam dari per suos lictores juberet, minime jus Episcopo esse quidam dixerunt, laicos absque Magistratuum auctoritate vinciri jubere, qui faceret, ab eo regium jus occupari; immo vero neque licere affirmabant lictoribus suis multis uti, neque ullis omnino, armorum genere quodam instructis, quae ceteris erant prohibita. Ac cum publice tamen aut scriptura minime resistendum existimaretur, ipsis privatim sacri tribunalis hominibus verbo interdictum est, ne laicum quemquam auderent comprehendere; neque arma ceteris prohibita gestare. Ad haec, cum edere Carolus synodi suae constitutiones curaret, in quibus reperiri multa necesse erat ad laicos pertinentia, id minime ferendum esse, palam dicebatur. Praeterea nescio quid a se concessus petendum prius Magistratus asseverabant, quam Apostolicis litteris, jussisve quis uteretur, aut promulgaret. Quarum omnium rerum facultatem ad se pertinere, consilio jurisperitorum adhibito, Carolus judicabat, tum ecclesiasticorum canonum auctoritate, tum quia sine ea potestas ecclesiastica minime libera videbatur; neque plene poterat vitiorum licentia coërceri, aut episcopale munus administrari, ut autem omnem perturbationem, quae publice posset existere, quoad fieri posset, impediret; simul, ut opinor, apud se quodammodo magistratus excusans, qui non satis antea plene vim et effectum sacrae potestatis experti essent, privatis, amicisque tantum officiis jus suum demonstrare tuerique studebat; ac Ducis in primis pietate perfecit, ut neque litteris pontificiis quidquam inferretur impedimenti, neque constitutionum synodalium editioni, promulgationique quisquam resisteret. Harum volumina undique postulata, et toto pene christiano orbe, brevi tempore disseminata, magno ubique usui fuerunt, ad concilia per ecclesias celebranda, optimasque leges, clericis, populisque eorum imitatione scribendas, quibus christiani mores, religiosaque vita restitueretur. Omnes enim quicumque ecclesiasticae disciplinae studiosi erant, eas cupide legebant; et ex eo quasi fonte Episcopi suarum constitutionum scriptionem, gubernationisque rationem deducebant. Pius ipse Pontifex decreta omnia probavit, laudavitque; ac non exiguam eorum partem a religiosis quoque

viris servari jussit, Archiepiscopali potestate solutis. Et vero inter omnia, quae Carolus postea edidit, provincialium constitutionum volumina, illud non minus rerum multitudine ac gravitate, tum explicandi etiam ratione, quam loco, reliquis praestare omnibus existimatur: tam multa enim libro illo, tamque praeclara Carolus complexus est, de officio, cultuque Deo, divinisque rebus debito, sive conservando, sive restituendo; de retinendae christianae fidei cura; de sacrorum munerum functionibus rite, decoreque obeundis; de Episcoporum, clericorumque omnium vita, moribus, officiis; de virginum disciplina; de foro Ecclesiastico; de certis criminibus et corruptelis in populo tollendis; eaque omnia tam eleganter explicata sunt; ut mirarentur omnes, tanta celeritate Carolum tantam rem conficere potuisse.

§ **18**. Praeter ea quae ad corporis duritiem pertinebant, quibus sese magis in dies exercebat, mensam et omnem vitae domusque suae cultum, ita conformavit, ut provincialis concilii decreta longe jam superaret. Qui ei propius inserviebant, eos tunc quidem clericali habitu, saltem cum ministrarent, esse statuit. Cum in aliis omnibus ad sanctorum virorum tenuitatem, paupertatemque quotidie propius accederet, in apparatu quoque itineris, et comitatu idem faciebat. Cum enim ad viginti duos equites, pedites multos secum haberet, cum ad dioecesanas ecclesias visendas profectus est, praeter mulos, qui supellectilem portarent, nimiumque id existimaret, paulatim numerum ita minuit, ut in reditu non amplius omnino quam duodecim, unumque clitellarium mulum duxerit. Supellectili illa sua pretiosissima, planeque regia sese spoliavit; plurima Romae et Mediolani per ecclesias distribuit; peristromata, lectorum conopea, umbracula, quae solent amplitudinis caussa in aulis haberi, instrumenta, vasaque argentea. Statuas, earumve partes plurimas, antiquae artis pulcherrima monumenta, sacris item locis addixit, ut venderentur; reliqua ipse vendi jussit, pretiumque in sacros piosque usus erogari; extant ex donis illis inter alia in ecclesia majore Mediolanensi, aulaea ad celebriorem ejus ornatum, sericis, aureisque filis contexta; figurisque sacras veteris testamenti historias referentibus, variata; vasa argentea aurata maxima, ad Pontificalium sacrorum apparatum exponenda; instrumentum pacis rite in ecclesia dandae pulcherrimum et pretiosissimum. Sacerdotiis item se abdicare instituit, quia propter animarum curam, vel monasteriorum rectionem, aut juris dicendi munus, integre illi administrationi satisfacere sibi non posse videbatur: simul bonos, eruditosque viros ea ratione remuneraturus, quorum fideli, fructuosaque opera diu usus erat: omnino, ut quod de pluribus non habendis beneficiis, tum antiquis, tum novis Ecclesiae legibus sancitum erat, ex amplissimis ipse Ecclesiae sanctae principibus, ad plurimorum documentum, plenius exequeretur. Ea igitur

pleraque Pontificis auctoritate quibusdam familiaribus suis distribuit; viris probitate, litteris, ingenioque admodum probatis, de quibus alius erit singillatim dicendi locus, nonnulla ex monasticis, quae commendationis ei nomine tributa fuerant, monachis ipsis libere dimisit; reliquis familiaribus, prout justum esse judicavit; tum litteratis aliis viris, et Cardinalibus item egentibus, varias ex fructibus constitui curavit pensiones; quibus ex sacris vectigalibus dandas non existimavit, iis ex patrimonio suo statuit pensitari. Dimittebat ea sacerdotia libere Pontifici, virosque tantum nominabat, quibus ea conferri probaret, qui quidem sacro muneri apti, et ad loca, ecclesiasve ipsas incolendas, ut opus erat, essent expediti. Pontifex autem ejus minime obsecrantis testimonio, voluntatique facile assentiebat; quibusdam etiam, nemine demonstrato, cum cessisset, Pontifex quibus visum fuisset, assignabat. Pensiones praeterea nonnullas, quas ex variis ecclesiis in Italia, Lusitania, Belgio solebat exigere, liberaliter ecclesiarum commodo, quae tenues habebant fructus, remisit.

§ 19. Quamquam autem eo jurisdictionis gravissimo negotio Carolus erat occupatus; quae tamen ad suos regendos, rebusque salutaribus juvandos pertinerent, eorum nihil omittebat. Atque cum alias dioecesis partes, aut per se, aut per alios peragrare, visereque ad id tempus perseverasset; ad eam ipse initio Octobris anni MDLXVII profectus est, quae in rebus profanis paret imperio trium pagorum Helvetiorum. Continetur ea pars tribus vallibus, Levantina, Brennia et Riparia, et ad montem sancti Gothardi pertingit. Primo igitur Carolus certiores de suo adventu pagorum principes fecit; et quoniam eorum imperium plurimum non modo apud laicos, sed etiam apud clericos valebat, legatos mitti petiit, qui in ea regione lustranda eum comitarentur. Illi, ut tres pagi erant, tres primarios viros ita miserunt, quos humanissime habitos Carolus secum adduxit. Tanto temporis spatio regiones illae Archiepiscopum, aut ejus administros non viderant, ut pene a rectis omnibus Ecclesiae institutis, atque adeo ab ipsa, quam Archiepiscopo praestare debebant, fide atque obedientia discessissent, solosque propemodum Helvetios dominos in omnibus agnoscerent. Populus quidem natura minime malus et simplex, ignorantia peccabat; sed clerus vita erat, vitiis, flagitiisque plurimis cooperta; divinae res, et ipsa praesertim sanctissima Eucharistia indignissime habebatur; qua de re Carolum quandoque lacrymantem comites viderunt; multa erat ignoratio rerum illarum, quae ad sacra ministeria, non dicam utiles, sed omnino necessariae sunt; beneficia plerique vitiose obtinebant, tum pecunia interveniente, tum deficiente Archiepiscopi auctoritate; ipsi parochi turpibus lucris, sordidisque negotiationibus operam dabant; concubinas, liberosque ex eis susceptos domi palam habere non verebantur; adulteria, incesta, sacrilegia multa; apud

quosdam etiam non parvum catholicae fidei discrimen. Ipsi autem pagorum principes et magistratus licet catholici, nemine contradicente, aut aliud docente, omnem fere in rebus ecclesiasticis auctoritatem sibi sumpserant. Ibi Carolus singulas ecclesias visere; presbyteros et alios incolas diligenter interrogare; angusta loca, difficilia, asperaque adire; montium altitudinem, praerupta saxa, silvestrium locorum penuriam non vereri; nullius vitae commoditatis, neque valetudinis rationem habere; nullo diei noctisve tempori parcere; omnino spatio mensis adeo profecit, ut ejus ecclesiae tota pene facies immutaretur. Multa passim decrevit: plures presbyteros mulctavit, punivit; sacerdotiis, sacrisque officiis movit; tantum se continuit, ne vinctos Mediolanum deduceret. Principibus Helvetiis persuasit, ut multa in dandis beneficiis, et in rebus judicandis, quae ad clericos pertinerent, sacrae permitterent potestati, quae illi Caroli sese virtuti, sanctitatique dare publice testabantur; quamquam contra Carolus suadebat, non sibi, sed sanctae Ecclesiae, Deoque esse tribuenda. Postremo, universo clero in unum convocato, quae opus erant, graviter, pieque monuit, et cohortatus est: quod idem praestari jussit per religiosum virum, qui gravissimam concionem ad eum coetum habuit. Sed valuere plurimum verba, quae aliorum quoque nomine unus ex legatis ad clerum fecit: « Quamquam Helvetiis consilium non erat, privilegia sua dimittere, quibus in earum vallium administratione utebantur, agnoscere tamen, ea quandoque rectores attigisse, quae fas non esset; sed fecisse coactos malefactis clericorum, Pastorumque incuria, qui eam regionem neglexerant; in posterum longe aliter fore; in Concilio Tridentino se affuisse, illudque pagorum nomine recepisse; velle omnino Principes, ejus decreta servari; palam se denunciare omnibus; nemini posthac apud ipsos perfugium fore, quin a Cardinali plene regerentur; et quemadmodum oporteret, corrigerentur. » Demum clerus Concilii Tridentini decreta publice recepit; concilii provincialis constitutiones servandas suscepit; tum catholicam fidem stata formula singillatim professus est. Ita Caroli dolorem, quem ex tanta pravitate coeperat, emendationis remedium, spesque melioris in dies progressus non mediocriter levavit; simul vero illud, quod prae finitimarum ecclesiarum de quibus cognoverat, conditione, suas bono statu satis esse intellexit. Litteras autem discedens ad gentis consilia dedit; quibus et delegatorum opera gratias egit; et monita multa iis de rebus addidit; quibus verae pietatis religionisque caussa, in regione gubernanda illis abstinendum esset. Atque jam tum, christiana gentis charitate motus, cum eam praesertim in sua jam habuisset clientela, cogitare coepit, quemadmodum aliis item ecclesiis, quae in ditione Helvetiorum essent, consulere posset; verum nihil eo tempore publice tentandum arbitratus; privatis officiis oppida castellaque multa, maxime suae dioecesis

itima, juvare non destitit; tum pueris ad clericalem vitam Me-
olani educandis, tum concionatoribus mittendis, qui fidem ca-
olicam tuerentur, christianosque mores suaderent, tum aliis
bus ad eorum salutem accommodatis. Sed minime praetereun-
m videtur, tres eas valles, quatuor ex Canonicis Mediolanen-
bus Comitum titulo tenuisse, et utraque potestate, sacra, profa-
que administrasse; eas autem Helvetios cum Philippo Mediolani
ce bellum gerentes occupasse, cumque de pace ageretur; nescio
o animo, Dux, ut facilius transigeret, valles non suas permisit
lvetiis; earumque loco Canonicis universi Sepriensis agri ve-
gal quoddam assignavit. Ecclesiasticam vero administrationem,
am ut oportebat, canonici tueri, et ab improborum audacia,
tentiumque viribus defendere non poterant, Carolus suscepit:
i tamen alioqui, ut loca intra suam dioecesim posita, neque
alium Episcopum pertinentia recognoscere; quae opus essent,
sacris sanctionibus decernere, facultas erat. Jus porro, quod
sacerdotiis dandis consistit, canonici retinuere.

§ 20. Praeter Mediolanensis ecclesiae negotia, Carolus alia
oque gravissima suscipere non omittens, nova semper ad ho-
inum salutem, et ad ecclesiae fructum exempla proferebat.
nfecit eodem anno priusquam exiret, negotium inter alia cor-
ctionis ordinis Humiliatorum. Instituerant illum Mediolanenses
im nonnulli; cum enim Conradus Imperator * eorum plurimos
pisset, et in Germaniam duxisset, primarios quidem securi
rcussit, alios autem reservavit; qui periculo commoti, divino
cultui totos dedere constituerunt: et ut primum, Conrado
ortuo, ab Henrico successore reditum in patriam obtinuerunt;
onasticam auctoritate Pontificia religionis disciplinam, ex sancti
enedicti institutis, cum albis indumentis susceperunt, Humilia-
rumque sibi nomen imposuerunt. Ii plurimis in Italia fundatis
onasteriis, annorum amplius quingentorum spatio a prima
sciplina, ut humana est imbecillitas, longe admodum in multis
scesserant. Viderat Carolus, ordinis patronus et judex, corre-
ione opus esse; atque jam antea per Ormanetum, cum is Medio-
ni esset, aliquam ejus rationem tentaverat. O qui cum eorum
mitiis praefuisset, fecit ille quidem, ut de corruptelis quibusdam
llendis aliquid in congregatione decerneretur: verum ad rem
rficiendam, maxime autem ad alia quae graviora et difficiliora
ant, constituenda, efficiendaque, jam tum vir sapiens multo ma-
rem auctoritatem, potestatemque necessariam esse praedixerat.
on omisit unquam negotium Carolus; neque de ratione ineunda,
ua ordo ille ad sua revocaretur instituta, cogitare intermisit:
d Pio V tali Pontifice demum creato, rem suscepit attentius:
ulta ipse cum Pontifice prius egit accurate; per Ormanetum

* Alii Federicum Aenobarbum imperatorem, alii vero S. Henricum II, fuisse adfirmant.

postea rem totam confecit, et de toto ordine componendo constituit. Itaque, conventu indicto *, omnibusque qui vocati erant, Cremonae congregatis, cui conventui Carolus non sua solum Protectoris, ut ajunt, sed Apostolica etiam auctoritate praesidebat, quae acta de iis, Pontificiaque constitutione summatim saltem, sancita erant, et ad eam diem secreto habita, promulgari jussit; praesidiis ante paratis, si quis forte promulgationi vellet resistere; dura maxime Praepositis visa sunt, quae de eorum emendatione statuta erant; eoque duriora, quod minime quisquam putarat, emendationem eousque perventuram; quin etiam, sicuti ego accepi, quidam ex iis, qui prudentiores sibi videbantur, subobscure Caroli conatum ante illudebant; cum autem talia improviso audiissent, animo quidem graviter perculsi omnes, nihil tamen resistere ausi sunt, aut contradicere. Summa emendationis fuit, ut Praepositi dignitatem, quam quisque haberet, et ejus item insigne retineret; sed suum quisque locum, sacerdotiumque mutaret; tertio quoque anno in posterum per suffragia tum Praepositus ordinis universi, tum locorum omnium Praepositi deligerentur. Reditus ecclesiae **, non ipsi, ut antea, civili quodam splendore; sed alii ad id proprie electi religiose administrarent; iis uti communibus omnes aequaliter uterentur; omnino coenobitica, religiosaque vita vere inter eos ageretur. Haec litteris Pontificiis continentur, tum fusius, explicatiusque constitutionibus, quas tum pro amplissima facultate sibi data Carolus eis scripsit, et in conventu etiam eodem promulgavit. At conventu dimisso, multi Praepositi, nam magna pars nobilitate, gratiaque plurimum poterat, omnes vias pèrsequi coeperunt, quibus viis, promulgatis se legibus ex parte saltem liberare possent. Res longe gravissima illis videbatur, ex eo statu quem sibi proposuerant, cum ei se ordini addixerunt, ademptis beneficiis, quae consueta ceterorum via obtinuerant; tantis detractis commodis et facultatibus, ad eam vitam compelli, in qua et tenue esset, quo quis uteretur, et id ipsum non esset, proprium; quaeque severis aliis contineretur institutis, nihil enim minus, sive ipsi, sive parentes, iis dignitatibus quaerendis, fortasse spectaverant, quamvis spectare debuissent, quam monasticam, coenobiticamve disciplinam. Sed quemadmodum vulgo: de aliis fieri solet sacerdotiis, quae legibus ejusmodi coenobiticis libera sunt; id sibi, suisque comparare plerumque studuerant, quod vitae commoditati, nobilitatique sustentandae deserviret. Cognati quoque ipsi, qui Praepositorum opes ad familiae suae splendorem pertinere videbant, easque ad juniores ejusdem familiae deinceps transferendas sperabant, sancitas leges quantum poterant, dissolvere conabantur. Itaque amicos

* Anno 1567.
** Ingentes opes Humiliati sibi comparaverant, maxime ex publicarum rationum administratione ipsorum fidei Medio Aevo commissa.

rogare; principes viros obsecrare; quacumque ratione possent, niti, ut a Pontifice audirentur. Cum sibi obstructum Pontificis, Carolique constantia et prudentia, tum Ormaneti diligentia, aditum reperirent, speciosis caussis Italiae regulis persuadere, ne novos Praepositos juvarent; neve ingredi in loca assignata permitterent; loca nonnulla ipsi armatis viris munire. Sed Carolus tum sua, tum Pontificis in primis auctoritate, tum etiam Principum pietate perfecit, ut rebus constitutis esset omnino locus. Universo ordini praeposuit Aloysium a Basilicapetri. Is cum ecclesiae sancti Jacobi Cremonae Praepositus, profanis studiis deditus diu vixisset, jam anno ante, divino excitatus impulsu, bonitateque naturae adjutus, vitam sibi recte instituendam decreverat; duosque sacerdotes ex clericis regularibus S. Pauli apud se habuerat, quibus ducibus ad id efficiendum uteretur; tantumque profecerat, ut eum potissimum Carolus toti ordini praeficiendum deligeret. Sed bonus vir valde resistebat; vitam male actam commemorabat; non se in litteris, aut piis studiis, sed in otio, venatione, profanisque rebus aliis aetatem consumpsisse; urgebat tamen eo magis Carolus, quo se ille gravius accusabat, quod probitati jam cognitae, indicium quoque illud accusationis accederet. Is deinde post ea perpessa, quae Antistitem praecipue, tum bonos monachos omnes, tali rerum conditione, pati oportebat; extincto demum ordine, vestitu suo in eorumdem Clericorum Collegium S. Barnabae Mediolani receptus, singulari modestiae, patientiaeque documento vitae suae cursum confecit; nam neque quod amplis fructibus ablatis, quadraginta aurei annui, quemadmodum ceteris, reliqui essent, neque ob deletum ordinem, aliud unquam dixit, quam omnia recte, justeque evenisse. Ita quae invito ac repugnanti castigatio, afflictioque exitio facile fuisset, pie, ac sapienter accipienti saluti fuit: quemadmodum aliis quoque fuisse putamus *.

§ 21. Addemus hic non dissimile munus, quod postero anno Carolus obiit, in ordine Franciscano, cujus item erat moderator. Ac in ea quidem parte quae laxiorem videtur sequi disciplinam, quaedam magni momenti jam perfecerat, ad coenobiticae vitae aequalitatem, tum in victu, tum in habitatione servandam; alia deinde praestitit valde utilia per Alexandrum Cribellium Cardinalem, virum pium et gravissimum, quem in munere illius ordinis regendi pro se substituerat. In reliquo autem ordine, qui observantiae nomine appellatur, illud auctoritate Pontificia curavit, ac effecit, ut quaedam ejus quasi partes tollerentur. Clarenorum, Amadeorum, aliorumque, et nominibus quoque ipsis deletis, cum reliquo corpore conjungerentur: qua de re constitutio

* S. Carolus, ad Humiliatos emendandos summopere optaverat ut Sancti Pauli Clerici Regulares (vulgo Barnabitae) illis darentur veluti sanctitatis magistri, qui cum ipsis viverent morarentur, retenta quidem nominis et instituti varietate: sed plura oborta impedimenta prohibuere quin is hoc propositum perficeret.

edita est. Eas partes omnes puto ex bonis initiis profectas: fit enim saepe in sacris religiosorum virorum societatibus, ut primo illo sancti spiritus ardore, cum optima disciplina paulatim pro humana miseria refrigescente; quoniam universi moveri non possunt, ut ad pristinos se mores referant; pars tantum id faciat, et a caeteris separata, veteribus, perfectioribusque utatur institutis; quae cum item spatio temporis remittantur, eo res tandem recidit, ut nomine tantum, et praeterea dissidio saepe relicto; ea veluti disjuncta membra omnino expediat reliquo ejusdem conditionis corpori rursus conjungere. Amadei Pacis ecclesiam Mediolani tenebant: nomenque traxerant ab Amadeo Ulissyponensi, viro religiosissimo, qui sibi ob praecipuam sanctitatem non mediocrem fratrum numerum, plurimis ab hinc annis adjunxerat; et una cum iis asperiorem veterum vitam renovare conatus erat; iis cum posteris temporibus novi, hisque alii successissent, mansit quidem distractus numerus, sed disciplina tandem a caeteris non differebat. De iis reliquo numero aggregandis, ne constitueretur, principes viri multi primo sese interposuerunt; sine quorum intercessione vel oblata sponte, vel postulata, quod maxime dolendum est, vix quidquam in Ecclesia paulo gravius componi, corrigive potest; deinde vero ne statutum quod erat, efficeretur, plura, voluntasque Amadeorum ipsorum in primis, impediebat. Carolus autem nihil a proposito declinans, minime destitit, donec bono rem exitu concluderet; aggressus ad litteras Pontificias, quas ad eam rem proprie curaverat, in conventu Pacis promulgandas, remque conficiendam, ea incurrit, ut uno verbo dicam, quibus tunc quidem sibi cedendum, et re infecta discedendum, clementer statuit; rediit tamen, remque totam confecit arbitratu suo; tum vero eorum qui restiterant, apud Pontificem, ob ejus graviter offensum animum, deprecator fuit. Ea re peracta, conventum habuit: in quo promiscue coenobii cujusque numero constituto, et rectoribus electis, salutaribus constitutionibus opportune renovatis provinciae res composuit.

§ 22. Gessit per idem tempus aliam rem a Pontifice mandatam. Nefarium haeresis scelus, cujusdam concionatoris olim impietate, verbisque conceptum, quod diu latuerat, in praecipua quadam Italiae urbe tunc apparuit. Inquisitor suo jure uti, in jus vocare, in custodiam dare, ob quorúmdam magnam potentiam, minime poterat; duo religiosi viri ob eam rem crudeliter interfecti erant. Pontifex eo sua sponte Carolum misit: pauca mandata: maximam auctoritatem tribuit; eo nondum profecto, componi res coeperunt: neque id mirum: quia licet cum hominibus, quibuscum oportebat, nondum egisset; egerat cum Deo tamen, qui praesens est rerum omnium moderator, idque singulari quadam sacrarum precum contentione; etenim per omnia monasteria, omnesque urbis ecclesias precationis tempora ita distribuerat, ut

sine ulla intermissione, die noctuque essent, qui Deum pro gravissimo negotio orarent; quod genus precationis sine intermissione tunc primum, ex ea credo oratione acceptum, quae pro Apostolo Petro vincto habita scribitur, postea in gravissimis rebus saepe adhibuit. Cum ad locum venisset, veritate ac vi argumentorum, tum prudentia atque auctoritate, in primisque divina ope, flexit potentum animos; auctoritatem sacrosancti magistratus, sacrorumque ministrorum restituit, qui eum veluti Angelum Dei sibi advenisse praedicabant; effecit, ut sontes, quorum satis magnus erat numerus, deprehenderentur, in carcerem ducerentur, publice haereses detestarentur; alii condemnati, potestati seculari permitterentur; civitas tanto periculo maloque, brevi liberaretur, ut Pontifex, Cardinalesque, tum alii Carolum mirifice collaudarent. Dum id ageret, addidit aliud Pontifex ejusdem generis ad evellendas ex religioso ordine pravas quasdam opiniones, quae multis jam insitae erant; quod Carolus iis qui corrupto sensu essent, per varias Italiae urbes prudenter comprehensis et conclusis, diligentissime curavit. Erant hae, opinor, reliquiae malorum illorum, quibus non multis ante annis Italia magno in periculo fuerat; utque remedium afferretur, Pius ipse Pontifex Inquisitoris tum officio fungens, egregie partes suas egerat. In quo magnam equidem caussam reperio, quamobrem Deo, quas majores possumus, gratias Itali agamus; praecipuo ejus munere factum agnoscentes; ut quae pestis aliis quibusdam provinciis orta, illatave, deleri nunquam potuit, sed majori in dies perturbatione pernicieque grassata est, apud nos facile sit non semel extincta; id ego ab divina virtute proficisci existimo, quae ex Romana illa petra in qua aedificata Ecclesia est, in propinquiores partes efficacius funditur. Alia publica, gravissimaque negotia per id tempus ad Carolum delata sunt: nam tantae virtuti quaecumque maxime difficilia essent, omnia recte committi posse videbantur; persuasumque omnibus erat, neque ejus animi aequitatem ulla gratia inflecti, neque constantiam et robur illa potentia infringi posse. Sed ille operam laboremque omnem in ecclesia sua potius ponere cupiebat. Atque cum quarto jam mense ob illud fidei negotium ab ecclesia tali tempore abesset, orare Pontificem non desinebat, ut redire tandem liceret: eo magis, quod quibus id gratum fuisset, vulgo jactabant; detinendum eum de industria variis negotiis, ne Mediolanum amplius reverteretur, eam ecclesiam quasi vineam incultam assidua opera indigere; synodum clericorum sibi tandem habendam; dioecesis, quantum posset eo anno sibi visendum, cujus major pars restabat. At illa tamen absentiae opportunitate Carolus otii aliquid nactus, animi spiritusque sui vires collegit, et cum in medio vix spiritualis vitae cursu se esse affirmaret, quasi praeterita obliviscens, majore quam antea conatu, ad metam incitatus est praeterita omnia peccata sua

diligenter a primis annis recognita, quod jam diu cupiebat, confessus est Alexandro Saulio sancti Barnabae Mediolani Praeposito, nunc Episcopo Ticinensi, cujus consiliis et doctrina uti plurimum solitus fuit; donec eum ad Episcopatum Aleriensem a Pio V vocatum, tam libenter ob Ecclesiae fructum, quam aegre ob suum et sancti Pauli Congregationis usum dimitteret: perfectiores sibi vitae leges, familiaeque statuit; jam quidquid ad animum relaxandum pertineret severius vitare; consuetudini familiarum, sermonibusque minus fructuosis omnibus se subducere; sacras rerum spiritualium communicationes inter domesticos instituere, quotidieque habere; mensas coenaculi religiosi more circumponere; quibus, licet ipse pro festis diebus abesset, non tamen, ut superioribus annis, convivas adhibebat; aut sibi plus, aliudve, quam cuiquam alii apponi patiebatur; jejunii diebus, quos plures jam in hebdomada sibi constituerat, non ut ante conquisitos, magnique pretii cibos, sed vilissimos vespere gustare; alia sibi demum praefinire, quibus ad summos sanctae disciplinae gradus ascendere properaret. Ita mente, spirituque divinitus instructus Mediolanum rediit mense Junio, populo maxime exspectatus, maximaque laetitia exceptus.

§ **22**. Cum autem antea, quae provinciae communis usus postulabat, in Episcoporum concilio constituisset, suae quoque dioecesis clericorum synodum, ex sacrorum canonum praescripto jamdudum habere cupiebat, in qua ecclesiae suae, quae proprie opus essent, decerneret; eam ob varias et gravissimas occupationes, Pontificis etiam consensu, cum distulisset, habuit tandem pridie nonas Augusti anni MDLXVIII. Vicarios presbyteros in dioecesi constitutos, mense ante monuit, ut suae quisque regionis presbyteris in unum coactis, quae corrigenda, vel providenda iis locis essent, cum iis consultaret, et notata deferret ad synodum. Unumquemque parochum eorum nomina scripta jussit afferre, qui tempore Paschatis in sua paroecia peccata sua sacerdoti confessi non erant; qui sacrae communionis participes non fuerant; qui gradu cognationis propinquiore, quam fas est, matrimonio forte conjuncti essent; ut eorum omnium saluti prospiceret; nomina item, statum et conditionem omnium, qui clericalis ordinis in eadem paroecia essent. Ad haec, supplicationes quisque ante discessum una cum populo obiret, ad divinum auxilium in ejusmodi negotio implorandum; clerici omnes ordinis quo initiati erant, et beneficiorum quae obtinebant, legitima testimonia recognoscenda in synodum afferrent. Providit, ne quis clericorum in publicis diversoriis Mediolani commoraretur; neque ea in re pro consueta liberalitate sumptibus pepercit, quin suas magno illorum numero aedes impleret. Haec et alia multa Carolus tum praeparavit ad synodum recte habendam; quae libellis eo de genere confectis fusius continentur: quaeque postea, cum alias habuit.

ex iis quae usu cognoverat auxit etiam diligentius. Stata die synodum incipiens salutarem ipse concionem habuit; sacros ordines de more celebriter ad sancti Ambrosii Basilicam supplicatum duxit; in ea supplicatione praeter coenobitas, clerici fuere circiter mille quingenti; in iis trium vallium illarum incolae, qui jam magis ac magis ad ecclesiae disciplinam informabantur. Ibi librorum vetitorum indicem promulgari, constitutionesque concilii provincialis recitari, jussit; ea demum inquisivit, decrevitque, quae ad clerum sancte instituendum, ecclesiasque recte et salutariter ordinandas pertinerent; triduo religiosum illud negotium absolvit. Quod restabat anni consumpsit vicanis ecclesiis, montuosis praesertim, perlustrandis; cujus operae fructus fuit sane maximus, tum ad rerum sacrarum decus, tum ad salutem mortalium, qui ejus sermone, laboribus, abstinentia, vehementer ad religiosam vitae institutionem movebantur; consumpsit item in rebus virginum reliquis componendis, quae quidem ut praecipua fuit et perpetua episcopalis ejus muneris cura, ita magni, diuturnique laboris, Deo concedente, fructum habuit singularem. Tunc operae multum posuit, in nonnullis coenobiis ob exiguum numerum, locave minime tuta, omnino ob corruptam disciplinam, in ampliora, religiosoraque transferendis: tum nonnullis etiam a religiosorum quorumdam potestate, Pontificia auctoritate vindicandis, in sacrilegis item hominibus non paucis puniendis; quorum consuetudo sacris locis perniciosa erat; ut tali sacri pudoris patrono ac vindice, in illius pariter, et alienae potestatis feminarum, mariumque coenobiis rectius sese multo res haberent, et magna ubique Caroli diligentiae justitiaeque formido exsisteret. Intendebat animum ad Episcoporum concilium secundo celebrandum: cujus tempus, Pontifice consulto, a Septembri mense, quo triennium a primo praeterierat, ex ratione sacris decretis consentanea, transtulit in sequentis anni MDLXIX Paschales dies. Vocavit igitur duobus ante mensibus Episcopos, monuitque, parati adessent, ut rerum ecclesiasticarum perfectam informationem studiis suis prosequerentur; vocavit canonicos; ex unaquaque ecclesia, seu dioecesi testes, quos dicunt synodales: qui in priori concilio electi, quid ad rectam ecclesiarum administrationem, cultumque deesset; quid corrigendum, providendumve videretur, pro suo munere tunc referrent. Affuerunt in hoc concilio civitatum, quas in priori nominavimus, Episcopi; qui quidem essent, necessariove non tenerentur impedimento; alii Praesules nonnulli, quorum doctrina, quae decernenda erant, planius explanarentur. Ac licet eruditi viri, quos Mediolanum primo Carolus adduxerat, Romam rediissent, retinebat Petrum Galesinium, qui et stylo, et ecclesiasticae antiquitatis cognitione, ad conciliorum decreta, multaque alia conscribenda quae opus essent, non solum per eos annos, sed postea semper magnos illi

usus attulit. Carolus in Episcopos concilii tempore, canonicosque advenas consuetam in domo sua praestitit hospitii liberalitatem; praestitit etiam suam probe assiduis in laboribus, vigiliisque mirificam constantiam. Delectus est Franciscus Bonhomius Cremonensis, cui Nonantulanam Abbatiam is contulerat, qui decreta in concilio sancita Romam, a Pontifice probanda deferret, eorumque pro sua prudentia, doctrina et fide rationem redderet; eidem ad Pontificem mandata concilii, et singulorum Episcoporum nomine data sunt, ad ecclesiarum salutarem administrationem pertinentia *.

§ 24. Interim ecclesiastici juris causa, judiciumque bienni jam ante in Senatores, aliosque datum, fere conticescebat. A tametsi sacri juris dignitatem auctoritatemque per moras ejus modi laedi Carolus putaret, Pontificis tamen verbis, sapienti que, tum sua virtute sustentabatur; eoque facilius, quod suis t judicibus Mediolani multum tribui videbat; hominesque laico ecclesiasticorum criminum reos, eorum judiciis satis quiete p rere; tum Magistratus etiam saeculares multa concedere, vel d simulare. Tantum ipse eorum contemptum, seu negligentiam s periore anno, consulto Pontifice, castigaverat, qui anathem jam ab eo damnati, colloquiorum, rerumque divinarum co municatione, sicuti par erat, non abstinebant. Verum ea qu et silentium eo demum evasit, ut novae ac maximae pert bationes efficerentur. Nobile canonicorum collegium Scalens inter alia Mediolani est, a Regina Scalensi, Barnabae Medio nensis Principis uxore inchoatum; et ab ipso Barnaba post ux mortem ea conditione ante annos amplius ducentos, integre co stitutum, ut sibi, successoribusque jus ad canonicos nominand reservaret. De eo visendo ac recognoscendo Carolus agere coe Canonici contra, regiique Magistratus ecclesiam ab Archiepisc potestate dicebant exemptam; Regi certe ut Duci et patrono ea jus esse: re vera Clemens Pontifex exemerat; sed ita tamen, Archiepiscopus consentiret: consensus vero nusquam appareb Carolus tametsi certo sibi jure niti videbatur, negotium tam sustinuit, Romamque detulit; cumque respondisset Ormanetus, mandasset Pontificis nomine, ut jure suo uteretur; rem ille tam adhuc trahi duobus fere mensibus passus est. Interim canon (nonnullos semper exceptos volo, quos scio dissensisse) tantum si sumpserant, ut ne in ullum quidem ipsius ecclesiae Scalensis cl ricum Archiepiscopali auctoritate agi posse contente affirmaren immo Vicarium causarum criminalium, et fisci procuratorem, qu egissent, anathemate notatum publice denunciarunt; Carolu

* Quum Cardinalis Sfortia decreta haec diligenter perlegisset, declaravit, *nihil emendandum p occurrere in eo, quod Borromei diligentia semel revocasset ad limam.* Ut alios Viros praetermittu qui ea summis laudibus extulere, Paulus Pp. V *thesaurum doctrinae et verae ecclesiasticae discipli* volumen, quo ipsa continentur, vocavit, et mandaturum se professus est, ut eo Antistites om ad dioecesim suam recte administrandam se praemunirent.

iam ipsum ea de causa citare ausi. Privilegii sui et auctoritatis Apostolicae nomine id fecerunt; cujus tuendae ministrum, judicemque delegerunt levissimum hominem, atque imperitum Petrum quemdam Barbestum. His rebus cum Magistratus aperte faverent, Dux etiam ipse semper ecclesiastico juri tuendo antea deditus, tunc alium se praebebat; sive id aliorum instigatione, sive obtrectatorum timore faceret, qui calumniandi accusandique apud Regem, regiumque consilium ex pio ejus studio occasionem arripuerant; commotus etiam dicitur, quia cum ad tollendum mercatum quemdam qui ad sancti Bartholomaei, ejus die festo haberi solebat, ipso die Carolus ecclesiam claudi jussisset, ad eam ecclesiam rei divinae causa forte is advenerat; et, ut perturbati animi natura est, occlusas fores, contra penitus, ac Caroli mens fuerat, accepit in injuriae loco. Utcumque ille affectus, mutusve fuerit, poena certe capitali proposita, per eos dies edixit, si quis aliquo modo regiam jurisdictionem laederet; quod quidem edictum ita conscriptum est, ut causidici, notarii, ministrique fori Archiepiscopalis omnes, veriti ne qua forte ratione aliquando comprehenderentur, ejusmodi poenae metu, forum, causas, exercitationesque suas omnino dimitterent. Carolus in aperto jure minime haesitandum, cunctandumve ratus, ne majora ex his in ... contra Ecclesiae jus pararentur; simul suspicans, ne tempus ... duceretur, ut ipse quoque per Barbestum publica posset ... posita denunciatione notari, diem illius ecclesiae recognitioni ... que constituit. Eo die mane per Ludovicum Monetam presbyterum denunciat, jam jam se affuturum ecclesiae, ac aedium ecclesiasticarum visendarum causa; canonici prius moniti sacrorum festinanter finem fecerant, et plerique sacra linea veste induti, ad coemeterii januam, caeteris omnibus clausis, constiterant. Ex his Calaber quidem senior, qui oeconomi munere in Ecclesia Mediolanensi fungebatur; denuncianti Ludovico: « In regio, inquit, domicilio sumus; nullum jus Archiepiscopo in nos; Cardinali id nuncies; moneasque, ut prudenter agat: huc enim spectant edicta promulgata contra homines Regi infidos. » Dum caeterorum sententiam, an eadem sit Ludovicus exquirit, exardescit senex; dure increpat; omnes in eum impetum faciunt; impellunt, ejiciunt. Carolus ipse non multo post advenit, qui Cardinalis insigne ante illum gestabat; cum limen intraret, injecta in frenum equi manu, repellitur; eodem modo, qui crucem Archiepiscopalem praeferebat. Tum Carolus e mula descendit; crucem, quam tenere in pronunciatione sententiae contra canonicos oportebat, prehendit; ingreditur; ibi vero horrendum spectaculum; caeci sacerdotes, qui tanti Antistitis, sacrorumque insignium conspectu placari, aut potius terreri debuerant, vehementius accensi irruere; armati, quos quasi cum hoste res esset, conduxerant, districtos gladios tollere; *Hispaniam, Hispaniam* stultissime

conclamare; Carolum varie agitatum, et in imaginem Crucifixi semper intuentem repellere; fores obtrudere, contraque faciem claudere; multitudinis concursu, strepituque omnia misceri. His interfui adolescens, cum ea via forte praeteriens, turba, reique novitate motus eo loco moratus essem. Ibi Carolus in canonicos anathema, interdictum in ecclesiam pronunciavit; Vicarius ejus generalis Joannes Baptista Castellius paratum scriptum parieti affixit, quo statim adversarii conscisso, Vicarium male habuerunt, atque adeo ceciderunt; eodem die a collegio celebriter deductus, praeclarus ille litterarum Pontificiarum patronus Barbestus, sententiam solemni ritu, campanarumque sono contra Carolum pronunciat: grandibus litteris in illius ecclesiae pariete, aliisque urbis locis publice notatur, Carolus Borromeus Cardinalis, et Archiepiscopus sacris interdictus, ob Pontificiae auctoritatis contemptionem. Contra Carolus pronunciationem suam in Basilica majore statim renovavit; deinde nominatim Oeconomum, totius facti ducem, et alios de quibus constare potuit, ob vim sibi, ministrisque suis adhibitam, sequenti die, ab Ecclesiae corpore abscissos; eosque, et eorum ecclesiam iis poenis constrictam, declaravit, quae Bonifacii Pontificis constitutione sancitae sunt in Cardinalium violatores: plura enim erant capita, quibus eo facto canonici gravissimas ecclesiasticas poenas incurrerant. Duci praeterea, Senatuique facinus scripto denunciavit; monuitque, ne forte in tanta re conniventes, in easdem poenas inciderent. Caesarem Specianum patritium Mediolanensem, tunc canonicum suum, nunc Episcopum Cremonensem, magna virtute Praesulem, et magnis Ecclesiae sanctae muneribus perfunctum, Romam misit, qui acta omnia ad Pontificem referret, et quae ea de causa opus essent, procuraret. Erant Carolo moeroris non mediocris causae complures: vastitas ecclesiastici fori; nulla judiciorum facultas, nisi quam comprobasset Senatus; quamquam ne illa quidem uti quemquam permittebat, ne licentiam ejusmodi probare videretur; publica quaedam auctoritatis suae contemptio; nulla civilis potestatis tutela; quin tacita potius oppugnatio; jactatio adversariorum; disjunctum tandem ab eo, et abalienatum Ducem; Pontificem vero minime, ut putabatur, commotum recentibus factis; Vicarii consiliariique sollicitati, ac pene jussi, ut a Carolo discederent; dubitatio piorum, amicorumque hominum, num forte magis cedendum esset, quam tanta turbari sinere.

§ **25**. Hoc loco res Caroli cum essent, eo majori tamen animo esse videbatur, quo graviori premebatur acerbitate; summa in rebus omnibus circumspiciendis diligentia; neque opera, neque studio causae deesse; nullum officium Romae, vel in Hispania praetermittere; sese in primis, ecclesiamque suam, suis, aliorumque precibus impense Deo commendare; spiritualibus colloquiis, exercitationibusque sustentari. Atque dum consiliorum suorum

et adversariorum item rationem perpendens, exponeret omnia Pontifici, illud quandoque dixisse reperio: si eorum malorum in se ipso causam agnosceret, dicturum cum Jona: *Tollite me, et mittite in mare, et cessabit mare a vobis:* cessurum se facile, magisque tranquillam vitam, quod ei facile, jucundumque foret, electurum. Sed cum perspiceret de auctoritate tantummodo agi, idque curari, ne quid Archiepiscopus in laicos fere sine saeculari potestate posset, quod neque juri consentaneum, et moribus emendandis, salutique populi valde incommodum judicabat; id etiam fortasse agi, ut Carolus tantis molestiis, difficultatibusque defatigatus tandem locum desereret; aliusque Archiepiscopus crearetur, qui vel non posset, vel nollet repugnare: haec cum videret, decretum sibi esse, omnia potius incommoda pèrpeti, omnia subire pericula, quam Ecclesiae causam unquam deserere; scire se etiam Pontificis in Ecclesia tuenda, et omni aequitate conservanda religiosissimam voluntatem; nosse Catholici Regis optimam mentem; his rebus in magnam spem adduci, omnia tandem, Deo in primis favente, felici exitu esse concludenda. Sed quamvis acta Barbesti Pontifex irrita declarasset, ex canonicis nonnullos Romam vocari, et quia non paruissent, anathemate damnari jussisset, remissius aliquanto tamen agi, tardiusve remedia malis praesentibus afferri Carolus existimabat, quam res postularet, cunctationem ipse, dissimulationemque majoribus malis occasionem putabat esse; alii vero majora mala ita potius averti, dicebant: omnino Caroli mentem, animumque ea ratione exerceri, et quodammodo expoliri; cum is ita sentiret, tanta tamen erat modestia, tantumque summi Pastoris sapientiae, atque amori tribuebat, ut in litteris, quas frequentissime ad procuratores suos, homines maxime sibi fidos, Romam mittebat, ne verbum quidem reperias, quo vir acerbissime pressus, vel agendi modum reprehendat, vel paulo liberius queratur; de ipsis etiam adversariis ita loquebatur, ut quos poterat, excusaret, sicuti vere nonnulli erant aliqua excusatione digni. Merito autem paterno Pontificis amori plene confidere poterat; a quo plurimi fiebat, atque unice diligebatur; cujus rei testimonium Joannis Baptistae Cardinalis sancti Clementis litteris testatum, libet hoc loco proferre: « Pontifici Domino nostro (ad Carolum scribebat ille) adeo probantur actiones tuae, ut heri dixerit, Antistitem in Ecclesia Dei divini cultus et honoris studiosiorem; aut in ecclesiastico jure tuendo, sanctaeque Sedis hujus auctoritate conservanda fortiorem, quam tu videaris, scire se neminem; ideo viribus omnibus opem ferre quidem velle, amplitudinemque tuam defendere; sed rei tempus exspectandum; alias dicebat Pontifex, in Caroli rebus tuendis, vel vitam ipsam sibi ponendam. » De Rege licet ea omnia sibi Carolus polliceretur, quae ab optimo principe possent exspectari, tantum erat tamen adversariorum studium, tanta

contentio, ut vel scribendis ad Apostolicum Internuncium in Hispanias litteris, scriptisque aliis mittendis, quibus varia, quae contra ipsum, Regi referebantur, coargueret; assiduam pene operam dare cogeretur. Is erat Joannes Baptista Castaneus Archiepiscopus Ruscianensis, humanitate, religione, judicioque vir in primis praestantissimus, qui nuper Sixto mortuo, in altissima Petri Sede collocatus, paucis diebus, morte sublatus est. Erant apud Regem, et ejus consilia, qui vel id praedicare non dubitarent, omnino provinciam Mediolanensem, salva Regis auctoritate, administrari non posse, nisi Carolo pulso. Totius autem sensus sui, rerumque ecclesiae Mediolanensis rationem Regi fusius aperire constituit; ut pro religiosa voluntate sua, quantum in eo esset, tantis incommodis mederetur. Optimo igitur Antistiti, valdeque amico mandata dedit, quorum fuit haec summa: « quod perturbationum Mediolanensium, quae Regi notae satis erant, culpam in se, tamquam Regis parum studiosum, alienique juris appetentem, quidam transferre conarentur: primo sibi conscium esse; suae id vitio fieri non posse voluntatis, quam sane optimam erga Catholicam Majestatem haereditatis quasi jure accepisset a majoribus suis, ipseque maxime omnium conservaret, ob ea, quae in Gibertum ejus patrem, Federicum fratrem, in se demum agnoscebat ab eadem liberalissime collata beneficia; quam etiam Romae olim, quo loco, et tempore, opera, et officiis suis multo melius poterat, re ipsa saepius ostendisset. Alieni usurpandi, quae cupiditas aut suspicio in illum caderet, qui omnia sua sibi relinquenda statuerat, ut Deo liberius, ecclesiaeque sibi commissae posset inservire? errorem etiam sibi abesse videri, cum viris peritissimis in jure suo plane cognoscendo uteretur. Neque se concordiam cum Regio Magistratu negligere: immo quoad posset, diligenter curare; cujus fructus in ecclesia administranda omnibus esset manifestus; argumento esse vel ejus patientiam, qua biennio jam in multis ecclesiae damnis ac injuriis utebatur.... »

§ **26**. Dum haec ad Regem afferuntur, dum cunctatur Pontifex, et Magistratus in Ecclesiae Archiepiscopique injuriis conivent, alia multo acerbiora, prorsusque detestabilia in Carolum patrata sunt. Humiliati optimis quidem legibus astricti, et ad instituta, officiaque sua reducti erant; sed quantum vis poterat, alia enim erat voluntas; omniaque movebant, ut ad usitatum vitae genus possent recurrere. Multa Carolus fecit, tentavit multa, ut vere ordinem ad veterem normam, rectamque disciplinam revocaret; de bonis monachis ex alio ordine unicuique coenobio praeficiendis egit, de bono ordine cum eo conjungendo, de novitiis optime instituendis; omnia parum valere videbantur ad ordinem. inveterata jam consuetudine, rursus inflectendum; optimum factu erat per novitiorum institutionem successionemque disciplinam restituere: sed nimis id longum videbatur. Omnino illud

compertum est, qui ignorantia, vel infirmitate errent, eos verbis, castigatione, diligentia in viam posse reduci; qui parata salutis subsidia contemnunt, scientesque et volentes in errore versantur, et consuescendo habitum confirmant, metu, vi, praemiis posse interdum contineri; caeterum ubi copia detur, eodem semper revolvi. Haec tractare cum Carolus pergeret, monachi ejus auctoritate, diligentia, constantia undique tenerentur, et vel Romam videre ipsa Romana auctoritate prohiberentur, nefarium consilium ex eis quidam ceperunt, Carolum quacumque ratione de medio tollere: id si succederet, quae vellent, auferre facile posse. Auctor sceleris fuit, ut etiam Pius Pontifex in sua constitutione refert, Hieronymus, ecclesiae Vercellensis sancti Christophori antea Praepositus; is rem cum Laurentio Praeposito Caravagii, Clemente Praeposito sancti Bartholomaei Veronae et Hieronymo ejusdem ordinis sacerdote, cognomento Farina, communicat. Farina se paratum ostendit ad rem perficiendam, si pecunia detur; quadraginta aureos nummos tanti sceleris mercedem sibi paciscitur; cum ii non suppeterent, alio scelere parare aggrediuntur. Agunt de surripienda ecclesiae Braidensis Mediolani pecunia, quae a Fabio Simoneta monacho, ex novis constitutionibus custodiebatur; cogitant etiam, cum proxima esset Ascensionis Domini solemnis dies, ejusdem ecclesiae altare (quid enim jam non auderent?), aureis, argenteisque ornamentis expilari posse. Atque cum aerarii Braidensis ostium effringere conati, nihil egissent, Fabium strangulare statuerunt; illo in templi adyto sacrae precationi operam dante, veniunt ad januam; dissident inter se, quis eorum prior fasciam collo injiciat. Re tandem infecta, discedunt; superari Deus voluit religiosa precatione improborum nequitiam. Sacra vasa, atque ornamenta, Farina solus abstulit; et pecunia ex iis quamprimum confecta, per ganeas variis in regionibus voluptati se dedit; ac tandem, ut brevi comprehendam, brevibus tormentis duobus, ex iis, quae rotae artificio, igne repente ex silice excusso, feriunt, novo alio furto coëmptis; ad nefarium scelus paratum se denunciat. Eo pervenerat immanitas, ut necesse jam non esset, jam mercedibus evocari. Modo in itinere Carolum aggredi constituit, dum perlustrat dioecesim; modo ad sancti Barnabae aedem, quo ille frequenter veniebat, ubi opportunitatem dabant horti, qui contra illam saepibus tantum muniebantur. Semel post saepem delitescens per januam ecclesiae ad altare sacra facientem, longiori tormento petere instituit; sed fores, quae apertae subito claudebantur; ministri item, qui per gradus altaris frequentes intuenti occurrebant, impedimento fuerunt; locum denique, tempusque elegit, quo Carolus cum suis, aliisque vespere suis in aedibus sacras preces obibat. Cum accessisset, ob Cribellium Cardinalem lateri conjunctum abstinuit; reversus conatus est tandem; ea precatio tunc habebatur, quia sacellum aedificatione

impeditum erat; in amplo loco, qui hospitum commodo contra januam est aedium ipsarum, pars loci, quae pro sacello erat, ligneo sepimento ad tempus erat a reliquo distincta. Igitur feria quarta VII Cal. Novemb. anni MDLXIX dimidia circiter hora post noctis initium, genibus flexis orabat Carolus, quatuor, quinqueve cubitis longe ab ostio sepimenti; ad pietatem excitandam, frequentiamque exterorum invitandam, aliquid musici cantus adhiberi solebat: tunc autem canebatur illud Evangelii: *Tempus est, ut revertar ad eum, qui me misit;* cumque ad ea verba cantores venissent: *Non turbetur cor vestrum, neque formidet;* sacrilegus ab eodem ostio quod apertum erat, tormenti rotam laxat: ignea vis pilam, pilulasque plumbeas plures in Carolum conjicit; flamma, sonitus ingens improvisus omnes perterrefacit. Carolus verberatum se in dorsi spina sentiens, locum manu premit; dolorem, quamvis minime sentiat, se tamen graviter sauciatum putat; existimans recenti adhuc vulnere cruciamentum non effici: in facto adeo terribili nihil corpore motus, parum etiam animo videtur; sed suis, praesentibusque aliis, qui consurrexerant omnes, et accurrerant, significavit, ut sacrum opus perficerent, neque abscederet quisquam. Paruerunt omnes, finemque orandi quiete fecerunt, ut commode percussor exire, per scalas descendere, atque abire potuerit. Pila ne vestimenta quidem trajecit; sed in linea tantummodo exteriori veste (rochetum appellant) impresso vestigio et labe quadam effecta, post Carolum super panno humi strato cecidit. Pilulae ab ore tormenti dilatatae varia loca petierunt; alia, eadem veste, tunicaque, inani ictu transjecta, et exusta itidem in pannum decidit; alia parieti adhaesit, qui contra ostium, Carolo medio, erat; reliquarum plura signa in eodem pariete apparebant. Precatione habita, discedit in cubiculum Carolus: ubi, exutis vestimentis, nullum in corpore vulnus apparuit, nulla prorsus offensio; tantum notula quaedam, non sine tumore, in loco verberato extabat, plumbea tela, vestes etiam demum, religiosa cura pii viri conservarunt.

§ 27. Gravissimo casu, nefarioque facinore statim commota civitas tota fere convenit ad aedes Archiepiscopales; ibi omnes factum obstupescunt, sceleris horrent atrocitatem, miraculum praedicant. Dux ipse accurrit illico, Carolumque amantissime consolatus, omnia pollicitus est; quae telorum signa extabant, et pie, studioseque visit; tum vero celeriter de sacrilego deprehendendo consultavit. Atque in aedibus Archiepiscopalibus a secunda usque ad sextam horam noctis moratus, cum ex ejus familia de re, et malefico quaerere vellet, adduci nunquam Carolus potuit, ut consentiret: et quamvis vocari religiosos viros illi maxime probatos jussisset, ut id persuaderent, non impetravit tamen. Duci vero Carolus gratias cum egisset, addidit etiam: « privatim sibi ducere eam illatam injuriam; propterea velle se, ut, nullo

humano studio adhibito, tota Dei judicio permitteretur, qui ea in re praesertim suam declarasset tutelam; magis cupere, ut ejusmodi studium diligentiaque ad Ecclesiae jus tuendum conferretur, et ad ea vindicanda quae in eam quotidie fiebant, ea maxime, quae ad ecclesiam Scalensem publice commissa fuerant, ubi non ipsi privatim, sed personae, auctoritatique Archiepiscopali insignis injuria facta fuerat; tanta dissimulatione in re ab eo, et a Magistratibus adhibita, facile potuisse improborum audaciam ali. » Quibus scite Dux respondit: « in publicis controversiis, quae jure dirimendae essent, Consilii, Senatusque arbitrio facere se oportere; quod proprie ad Carolum, ejusque vitam pertineret, cujus se defensorem profiteretur, id non secus, atque vitam suam sibi curae esse; eadem sententia ad Senatorium ordinem Carolus locutus est; qui postridie ejus rei officii gratia ad eum convenit; quod idem Consilium civitatis, collegiaque praecipua fecere. » At Dux ea ipsa nocte edictum promulgari jussit, in quo re, ut gesta erat, explicate relata, et divini miraculi nomine appellata; qui aliquid nossent, quod ad scelus illud pertineret, eos jussit statim, aut tridui spatio ad summum indicare, capitali, bonorumque publicationis adjecta poena, si non facerent; impunitatem praeterea indici, nisi ipse auctor flagitii esset, pollicitus; praemium quoque proposuit, absolutionem duorum damnatorum exsulum, et aureorum duo millia; triduo fere portas urbis clausas haberi jussit; cauponesque omnes eorum nomina deferre, qui feria quarta in eorum diversoriis ad primam noctis horam morati essent; litteris statim missis, dixit praefectis, tum qui urbes provinciae custodiunt, tum qui arces tenent, ut omni diligentia, hominem nefarium conquirerent; alia fecit diligenter ad hominem aliquo modo eruendum; custodiam ejus armatam, cum recusasset Carolus, hora tamen supplicationis consueta mittebat ad palatium Archiepiscopale; quamque custodiri jubebat, donec occluderetur. Ipse frequentissime atque amicissime Carolum adibat; ea quemadmodum licebat, de caussa, ut omnes intelligerent, juris quidem esse inter eos controversiam, potestatumque dissimilitudinem, sed non disjunctionem animorum. Carolus autem, una cum clero de more sacros ordines duxit, ad agendas de accepto beneficio gratias; quem frequentissimus pie admodum, atque amanter populus prosecutus est: ut vel eo signo satis indicaret, quam caram haberet vitam Pastoris sui. Paulo post Carinianum * se contulit, ad Carthusiensium monasterium urbi propinquum, ut quem ferre posset, ex divina voluntate, vel deberet ejusmodi eventus fructum, clarius atque utilius in loco solitario videret. Facto autem accurate descripto, et ad Pontificem misso, ipse litteras adjunxit

* Huc se aliquando ab hominum strepitu negotiorumque perturbatione S. Carolus recipere solebat.

hujusmodi: *Quod mihi ante tres dies accidit, Ormanetus exponet Sanctitati tuae. Id auribus tuis molestum erit: sed Domini Dei nostri misericordiam etiam indicabit, qua usus est, in me haud usitata ratione protegendo; neque id mea, qui nihil ejusmodi sum meritus, sed vel loci, officiique mei gratia, vel ut longius, quod mihi opus est, ad poenitentiam temporis spatium daret, aut vero aliis de caussis, quae nobis curiose investigandae non sunt; est igitur hac in re potius, unde laeteris, quam molestiam capias. Equidem Deo gratias ago, speroque non sine fructu hoc fore honoris et gloriae divinae. Sanctos pedes tuos osculor, tibique omnia bona precor.*

§ **28**. Ad ea respondit Pontifex sua manu: « Malis hoc semper in more fuisse jam inde ab ipsius Abeli tempore, insectari justos: sed dum nocere illis conati sunt, profuisse potius, sibi vero obfuisse; dolere se maxime quorundam caecitatem, qui contra se ipsos laborarent; seque eo paulatim demitterent, unde non esset exitus; gratias Deo egisse, quod talem virum sibi servasset, et daemonis conatum fregisset; non solum Dei fiduciâ, sed diligentiâ etiam uteretur in se custodiendo; vindicaturam id sceleris divinam majestatem, ut solet, in tempore. Deum oraret per se, et per alios, ut caecis lumen daret. » Verum allato Romam nuncio, magnus tota urbe motus, magna fuit admiratio. Pontifex in Cardinalium conventu ea de re verba fecit; casum deploravit; ita scilicet evenire, cum ii qui potestates et imperia regunt, odium in Episcopos, aut alienam voluntatem ostendunt, improborum animos in eos, furoremque confirmari; hortatus est denique, ut de tanto viro per miraculum servato, Deo gratias agerent; tum vero suo nomine Catholico Regi negotium gravissime commendari jussit, ut ad provinciae Mediolanensis rectores, pro rei gravitate mandata daret. Nuncio item in longinquas usque provincias celeriter fama perlato, confluxere undique Regum, Principum, privatorumque litterae *; quae ex sceleris atrocitate, et ex felici eventu, dolorem gaudiumque miscebant; alii teterrimam hominis mentem, qui commiserat, asperamque temporum conditionem deplorare; alii Caroli sanctitatem, rectissimamque mentem praedicare; alii divinam benignitatem celebrare, in suis servandis, miraculisque etiam nostrae aetati concedendis; gravissimum multi argumentum efferre; quod constanter omnino agendum sit Dei ministris, quidquid eorum officii est, tam perspicuo Dei patrocinio; ingeniose quidam proferebant, amantissime gratulantes, Deoque gratias agentes, quod eodem tempore Deus, et martyrii laudem viro sibi et Ecclesiae prorsus devoto dedisset, et martyrem mirifice sibi servasset. Nescire se dicebat M. Antonius Amulius

* Quantum hoc execrandum scelus in S. Carolum patratum non Italiam solum, verum etiam universam Europam commoverit, testantur ducentae amplius super hoc litterae, quae adhuc extant, ad eum missae.

ardinalis, utrum majori miraculo corpus a vulnere, an animum terrore liberum, Carolus ex horribili casu retulisset; utrumque erte magnum sibi videri miraculum. Quibusdam etiam fuit in proverbio, lineam Caroli vestem esse quavis lorica duriorem. Ejus ognati Principes viri, proximi et longinqui, custodiam, potenamque suam pollicebantur. Religiosae piaeque Congregationes acra munera assidue obibant, gratiis Deo agendis, auxilioque ivino in posterum implorando: nam multi ex amicis post evenum magis, quam ante multo metuebant. At fuere etiam, qui dum auti, atque intelligentes videri perverse vellent, in maximam inciderent temeritatem: Caroli illud fuisse artificium, ut sibi opinionem quaereret sanctitatis. Carolus cum de se custodiendo moneretur, facturum se dicebat, non armis tamen, atque ea tantum autione, quae pastorali muneri obeundo impedimento non esset; ereri enim, si secus fecisset, ne tum rebus Mediolani incoeptis, um iis, quae in aliis ecclesiis forte agenda essent, magnum aferret detrimentum; si ipse Cardinalis, praecipua Pontificis tutela, imere videretur, quis in ecclesiastica caussa constantiam praestiturus esset? videri namque omnibus non privata, sed publica e caussa se peti. Cum autem a Pontifice sibi suspectos prodere uberetur, scire se respondebat, sibi esse correctionis caussa mulos offensos, sed legitimam suspicionem habere nullam; civilium udicum disquisitione multis molestiam exhiberi, quos a maleicio valde alienos existimaret. Laetabatur autem; id quod optimae ustodiae instar habebat, et lucri loco non mediocris; piorum precibus tunc se multo quam antea studiosius juvari, tum preationem illam vespertinam ex eo casu maxima frequentia in aeibus suis celebrari gaudebat. Romae fama erat, eo Carolum vocatum iri, ut periculis subtraheretur, id cum ex iis quidam audirent, qui ejus negotia procurabant, suadere Carolo conabantur, ut coeptis aedificiis, quae multa erant, juberet supersederi: at ille tum posse fieri respondit, si sua caussa ea instituisset.

§ 29. Quod multi praedixerant, Caroli res, ob illum casum, meliore loco fore; id evenit. Omnino est hoc divinae clementiae, ut incommoda suorum, salutari quadam vicissitudine commodis compenset, sed ex se tamen etiam res adversae, tum misericordiam movent, tum amorem; quod si exitum habeant felicem atque mirabilem, si cum opinione sanctitatis etiam conjungantur, accedit etiam non mediocris veneratio. Carolo post diuturnam gravemque sane afflictionem, post gravissimam Scalensem injuriam atque periculum, post atrocissimum tormenti casum, mirabiliter servato, minime mirum, si magna fieri visa est in multis animorum mutatio, magnaque voluntatum erga illum inclinatio, tum insignis etiam apud omnes sanctae cujusdam existimationis ejus accessio. Mandata primum a Rege Duci sunt allata: ecclesiae restitueret quae edicti illius caussa ablata erant; tumultum

Scalensem sibi maxime improbari: temerarios illos, qui sese cum gladiis Carolo opposuerant, diligenter perquireret, suppliciоque afficeret, praesertim vero de nefario homine investigaret, qui facinus execrabile, sic enim appellabat, committere ausus fuerat; tantum abesse, ut Caroli jurisdictioni vellet èximi Scalense collegium, ut potius ad illud visendum, resque illius componendas hortaretur, rogaretque, in omnibus Caroli difficultatibus paratum se ad ejus defensionem praeberet; placuisse sibi admodum, quidquid officii, erga illum in eo casu praestiterat, si quid etiam amplius addiderit, incertum est. Internuncius certe, ac universi Dominicani ordinis Antistes Vincentius Justinianus, quem Pontifex ob Mediolanensia et alia negotia generis ejusdem ad Regem legaverat, plura scripserunt de optimo Regis in iis factis omnibus judicio, optimaque in Carolum voluntate. Iis vero mandatis animum suum Dux amicissimum adjungens, gravia illa in primis ecclesiasticae jurisdictionis impedimenta, quae adhuc perseverabant, sustulit: nam et Pontifex ita jusserat, hominemque monuerat, anathematis poenam sacris legibus in violatores Ecclesiasticae libertatis sancitam edicti promulgatione eum incurrisse; qua in re Pius Princeps eam ostendit pietatem, adeoque communicatione rerum omnium ad praescriptum canonum abstinuit, ut cum ad lustrandos equitum ordines prodire necesse esset, statum sibi sonitus tormentorum plausum ac salutationem interdixerit. Praeterea, qui sacra communione olim exclusi erant, supplices eo se vinculo liberari petierunt, ii cum absolutionem Romae Carolo juvante, antea petiissent, postea vero destitissent, causati, quod Regia auctoritate ita jussum erat; Carolus pii Regis injuriam sentiens, in Hispaniam scripsit; unde responsum tulit, contra mentem Regis id esse penitus. Itaque, extructo ante fores Basilicae majoris paulo editiori tabulato, pridie Natalis diei Domini, absolutionem Advocato fiscali et Notario, stata jurejurandi obligatione prius obstrictis, solemni ritu impertivit, tum de canonicis poenis, earumque vi, ac gravitate, sermonem habuit ad populum. Judex autem ille, Senator interim factus, cum a Carolo postulasset, uti Alexandriam proficisci, ibique cognatorum nuptiis interesset liceret, neque impetrasset, nihilominus profectus, nocte post epulas consecuta, morbo correptus, paucis diebus interierat, cujus cum eventu pii viri casum observarunt unius ex tribus qui Romam Pontificis jussu vocati fuerant, is cum errore quodam, nescio qua ratione, fixe insito, omnium maxime Carolo repugnare videretur, in eum sive corporis, sive animi morbum per id tempus incidit, ut admodum acerbam vitam ageret; suspicatusque daemone se aliquo vexari, adhibitis saepius per sacerdotem sacris exorcismis, non multo post eodem modo semper vexatus, abiit e vita. Alii demum in eadem caussa fuerunt, quos calamitatibus suis, posterorum infelicitate varie mulctatos, Deo,

et Ecclesiae poenas dependisse multi crediderunt. Scalenses canonici, qui contempta Caroli sententia, divina officia, celebriore ritu, cantuque, quamquam populo pie abstinente, celebraverant, diuque in contumacia permanserant, ad sanitatem demum rediere. At eorum Praepositus, quamvis non magna culpa, absolutionem statim postulaverat supplex; et ea pro foribus ecclesiae S. Fidelis a Carolo accepta, Archiepiscopi se auctoritati obnoxium esse, publice professus erat. Carolus Pontificem deprecatus, ut clementer cum canonicis ageret, efficere non potuit, ut dignas ille omitti poenas consentiret, judicium tamen omne Carolo ipsi permisit; ne multa, eos erratum suum publice confessos, supplicesque, ante fores ecclesiae majoris, Carolus magna celebritate, solemni ritu, anathematis vinculo liberavit, die dominica, Nonas Februarii MDLXX; qui deinde in ecclesiam ad altare majus adducti, in ipsius, futurorumque Archiepiscoporum sese potestate esse professi sunt; ac divina sibi, ecclesiaeque suae restitui summisse postularent. Inter alia Carolus id imposuit, ut quotannis ad decem annos, in natali Mariae Virginis die, quae majoris ecclesiae praecipua est celebritas, dum Missae solemnia celebrarentur, collegium universum, ad ejusdem ecclesiae altare majus, rite atque ordine veniret, ubi ad pedes Archiepiscopi abjecti veniam peterent, ejusque potestatem in se publice faterentur. Jus, legitime agendi in eos, reservavit, qui sibi, armatis etiam viris accersitis, restiterant; demum apta concione * habita, ad eorum ecclesiam ordine, celebrique apparatu processit: coemeterium, qui facinoris erat locus, rite expiavit; ecclesiam ingressus, inter canentium clericorum hymnos, statis caeremoniis populo benedixit. Ita eo quidem tempore cum canonicis actum est, postea contra eos qui restiterant judicium diu est agitatum: pluresque ex iis in carcere habiti, quorum caussam, cum Caroli itidem arbitrio, vel ipsis canonicis enixe postulantibus, Pontifex integre permisisset, ea tamen conditione, ut beneficiis privarentur, severeque punirentur: impetravit nihilominus Carolus, ut, omissa canonis severitate, paterna potius animadversione, quam legitima poena castigaret, homines praesertim, qui pie admodum veniam petebant; Barbe[r]ius auctoritate Pontificia vinctus cum esset; ita ab omnibus desertus erat, ut nemo pro eo verbum facere auderet, sed ejus casum miseratus Carolus, tum publice declaravit, licere eum defendere; tum etiam per Ormanetum Pontifici vehementer commendavit, oravitque, ne eas poenas miserum hominem dependere vellet, quibus alioqui ejus erat digna temeritas, exsilio cum esset multatus; ei nos postea ab amicis rogati ab Caroli clementia reditum impetravimus....

* Orationem ad Scalenses Canonicos hac occasione habuit pulcherrimam, amorisque significationibus redundantem. Ad ipsos enim conversus, ita eos peramanter alloquutus est: *Ego sum frater vester*. Hujus orationis syntaxis in Bibliotheca Ambrosiana adservatur.

§ **30**. Dum infelices illi, miserabili civitatis universae spectaculo, poenas dementiae, scelerisque sui persolvebant, Carolus vallium illarum Helveticae ditionis ecclesias, quamquam Visitatorem ibi perpetuo habebat, revisit; laborum suorum fructum et eorum usum quae antea constituerat, recognovit; omnia meliora reddere studuit, quin etiam studio gentis juvandae, simul caussa visendae sororis, quae Altempsio Comiti nupta erat, ad ulteriora Helvetiorum loca, et ad dioecesim Constantiensem, Curiensemque penetravit; religiosa loca *, praesertim, ubi sacrae manerent reliquiae, coluit: per haereticos populos nulla injuria, quin potius honore, reverentiaque affectus, iter fecit, quorum locorum statu cognito, tum Pontifici, tum ecclesiarum Praesulibus ad populorum salutem multa suppeditavit; et de religiosis collegiis iis locis, Locarni praesertim fundandis studiose egit, ad eam rem duas Humiliatorum in ea regione Praeposituras a Pontifice obtinuit; Helvetiorum quoque Principum voluntate quod difficile videbatur, adjuncta, immo ad rem perficiendam, ex suis quoque facultatibus pollicitus est: quamquam ea res impedimentis quibusdam exitu caruit. Pluribus etiam officiis cum egisset de Antistite, ad catholicos pagos Visitatoris Apostolici nomine mittendo; Helvetiorum ipsorum culpa factum est, ut nemo tunc quidem mitteretur, sed dum haec Pontificia officia variis impedimentis excludebantur; non patiebatur deesse sua: et, ut poterat, multis modis hominum mores a jure sacrorum canonum satis alienos emendare; in officioque erga Romanam Ecclesiam gentem continere; et omnino ad salutem juvare studebat, unde non parvum ei negotium exhibebatur; magistratibus illis frequenter aliquid contra sacras constitutiones turbantibus, ille autem modo amice hortari, modo severe monere; minari interdum; nunc ad eorum conventus mittere; nunc eorum legationes accipere; omni ratione, quae Deo grata, iisque salutaria essent, ea curare, omnino mirum erat, quantum genus illud hominum Carolo tribueret, verum ipse quoque omni ratione eorum sibi benevolentiam conciliabat; amicitiamque, et pietatem multorum in iis partibus omni officio alere studebat, benevolentia vero in primis, et animarum charitate, quae propemodum una hominum allicit voluntates, auctoritatem suam inter eos conservabat. Pontifex, quod antea quandoque significaverat, ut Humiliatorum ordinem deleret, tum apud se omnino constituere visus est, cum ab eo scelus in Carolum extitisse cognovit: atque jam ex eo tempore rumores de tali Pontificio consilio esse coeperunt. Carolum ea de re egisse non video, qui disciplinae aliquo modo instaurandae penitus spem abjecisse non videbatur, civitati certe favit, quae pro Humilitatis suis Pontificem oraret; et Aloysium Praepositum generalem juvit, ut Roman

* Prae caeteris, magna voluptate eum perfudit Templum Einsidelense, apud quod aliquot die- is commoratus est.

profectus, interitum a familia sua deprecaretur. Sed nihil obtinuit civitas. Aloysius vero ad Pontificis pedes cum lacrymis abjectus, cum toti familiae supplex veniam petiisset, quamquam Pontificia humanitate bene acceptus, nihil tamen profecit. Fixum igitur cum esset animo Pontificis nulla ordinem ratione ad sanitatem posse reduci, et omnino extinctione opus esse, ei rei qui contradiceret, fere non reperiebatur: erant vero qui urgerent, et sibi aliquid in beneficiorum distributione dari curarent. Carolus existimans fore, quod evenit, ejusmodique facultates in rebus rectissime collocari posse judicans, quae locis iis commodae, salutariterque utiles essent, quibus in locis eae constitutae erant, Specianum suum iterum Romam misit, ut ecclesiae Mediolanensi aliquid acquirere studeret, ex quo seminaria, piave collegia constitui, vel augeri possent, qui quidem tres ecclesias, aedesque conjunctas sine fructibus obtinuit. Ecclesias octo in urbe Mediolano, Praepositurae titulo, Humiliati tenuere: ex iis, jam Pii IV tempore, ejusdemque auctoritate, quae sancti Joannis Baptistae nomine erat, Carolus ab eo detraxerat ordine; seminarioque clericorum minorum addixerat, quod in iis aedibus haberetur. Praeposituram beatissimae Virginis ad sanctum Calimerum a Pio V prius impetraverat; cujus fructus Basilicae majoris collegio; ecclesiam vero, aedesque Clericis regularibus a Paulo IV institutis, tribuit; cum eorum collegium Mediolanum deduxit: quando etiam Praeposituram sancti Jacobi Cremonensem Clericis sancti Pauli tradi curavit. Quae S. Mariae ad Othatios dicitur, eam seminario in perpetuum conjunxit. Ex ecclesiis quinque reliquis cum earum aedibus; Braidensem S. Mariae, ad collegium Societatis Jesu instituendum, cum parte fructuum obtinuit, Joan. Paulo Ecclesia Cardinali concedente, cui Praeposituram Pontifex dederat; quae S. Mariae est, et canonica dicitur, instituendis clericis ad scientiarum cursum minime aptis addixit; quae S. Joan. Evangelistae nomine appellatur, nobilibus adolescentibus educandis; quae sanctus Spiritus, collegio Helvetiorum; quae sanctiss. Trinitatis extra urbis moenia, seminario. Ordinis extinctionem, et beneficiorum distributionem, litteris suis Pontifex promulgavit, anno eodem MDLXX. Praepositurae tunc dispertitae fuerunt circiter quinquanginta; pleraeque in Gallia Cisalpina: quarum fructus millia aureorum amplius viginti quinque annua efficiebant, praeter quas aliae datae jam erant, vel commendationis nomine assignatae, ad aureorum triginta millia annua, omnes fuerunt quatuor et nonaginta; multae jam monachis erant vacuae: ii enim fuere non amplius centum septuaginta quatuor, quos ex ipsis distributis facultatibus, victu monastico sustentari Pontifex jussit; et in religiosa disciplina Episcoporum cura contineri. Huc tandem recidit optimus olim monachorum ordo; taleque edidit Pius exemplum neglectae disciplinae vindicandae: ut ceteri sibi discant cavere diligentius.

§ 31. Inter cetera, quae Carolus per eos annos ad gregis sui salutem assidue cogitabat, agebatque, studium fuit ejus moris tollendi, quo mortales post Natalis Domini celebritatem, atque utinam non ipsa quoque celebritate, maxime vero, quo propius ad sanctam Quadragesimam accedunt, publicis spectaculis, ludis, choreis, comessationibus se profuse ac dissolute dedunt, et quasi Bacchanalia quaedam, magnâ christiani nominis injuria celebrant, quod eo indignius haberi debet, quo magis tribus iis quae Quadragesimam antecedunt hebdomadis, pii omnes ad pietatis officia multo attentius colenda, sacris Ecclesiae mysteriis in primis invitantur, quae quidem non parva habenda est nostrorum temporum miseria. Atque anno MDLXXI eo nomine Carolus id sedulo curavit, quod, gravissimo bello a Turcis * imminente, Pontifex omnibus, qui christiani nominis essent, publicas indixerat preces, ut, foedere inter Principes, id quod ipse vehementer curabat, sancito, eorum communi, potentissimoque hosti, divina in primis ope adjuti, resisterent, qua de caussa Romae etiam personatorum hominum vagationes, choreasque edicto prohibuerat; ea occasione Carolus arrepta, communia pericula ut gravissima erant, publicis ad populum litteris exponere conatus est, necessitatemque summi numinis placandi ostendere, cum peccatis, vanisque voluptatibus studiose vitandis, tum studiis et actionibus, quae ad pietatem pertinerent, religiose suscipiendis. Bene autem tunc quidem successit, plurimumque ei detractum est malo; festis maxime diebus convenit populus frequens ad divina, quae Carolus de industria ritu jucundiore longioreque in praecipuis ecclesiis celebrari jussit; supplicationes per vias, universi cleri ordinibus procedentibus, populoque ad certas ecclesias subsequente, habitae sunt; flagellationes publicae adhibitae; precatio civitatis universae sine intermissione consueto ritu continuata. Qui dies autem summum quendam afferre solebat corruptelae cumulum (is erat Dominicus, et illius violati temporis postremus), eo ipso die, ut expiatis animis sanctissimum Eucharistiae cibum, ipso ministrante, acciperet, Carolus populum invitavit. In quo insigne fuit pietatis Mediolanensis argumentum; tam magna enim multitudo, contra penitus, ac antea solita erat, rebus divinis operam dedit, ut sex horis Carolus, duobus licet canonicis adjunctis, qui eodem tempore Eucharistiam separatim praeberent, vix potuerit omnibus satisfacere. Eam populi juvandi rationem ad ejus salutem aptissimam existimabat, cum non uno, illo, quo sanctissimo se cibo reficit, die, sed pluribus ante, peccatis cogitandis et confitendis, animoque recte praeparando, malis eum, inanibusque rebus abstinere necesse sit. Postero anno,

* Tum cum Turcae, indicto Venetis bello, ingentes militum copias in insula Cypro coëgerant. Sed demum, apud Echinadas insulas, a Joanne Austriaco, supremo Christianae classis Duce, penitus profligati sunt.

atque aliis deinceps, novis semper rationibus omnes vias persecutus est, ut diaboli fraudibus atque insidiis suum tali tempore gregem eriperet. Dum autem in Ecclesia componenda et ornanda, tum ejus jure conservando, Carolus assidua cogitatione, laboreque incredibiliter exercetur, quotidieque magis in asperae vitae institutis progredi studet; tentari morbis, valetudine alioqui non optima, coepit: ex quibus cum convalescere videretur, de integro incidebat, qua de re amici interdum eum monuerunt; curaret tandem aliquando valetudinem, seque respiceret et suos; in ejus salute publicum bonum periclitari. Si quid ei accideret, ruitura praeclara omnia quae incoeperat, ejus rei reddendam Domino esse rationem. Quibus ille respondebat: « Gratias agere, quod de valetudine corporis solliciti essent; rogare, ut non minus de salute animi esse vellent, rerum spiritualium fundamenta in Deo ponenda, quae in mortalium vita ponerentur, brevi omnino concidere oportere; eventurumque, quod Isaias de iis pronunciabat, qui arundinibus Aegypti nitebantur. » Porro mense Junio graviter admodum aegrotavit; ut etiam vitae periculum adiret non leve. Cum tandem melius se haberet, recognitionemque rursus ecclesiarum absens operam daret, Dux provinciae gubernator, non dicam molestiis, aut contentionum publicarum angoribus confectus; sed multis certe curis, sollicitudinibusque diu graviterque affectus; cum neque Deo, neque hominibus displicere, et homo, et pius vehementer studet, paucis diebus febri consumptus est, mense Augusto: ut Carolus de periculo certior factus in tempore adesse, tam valde contendisset, ob temporis brevitatem, subsidioque venire morienti, non potuerit. In ejus locum interim, dum alius mitteretur, substitutus est Alvarus arcis Mediolani praefectus. Cum per id tempus totum Carolus assiduis medicorum curationibus, fere detentus esset, pituita demum, tussi, incerta febricula, venit in periculum; quemadmodum scriptis ejus caussa tunc summorum medicorum disputationibus didici; ne paulatim morbo correptus intabesceret, brevique consumeretur, ac ea conditione pervenit ad initium aestatis proximi anni MDLXXII. Tum de Pii Pontificis gravi morbo nuncius affertur, assiduas illius rei gratiâ sacrarum precum exercitationes instituit, eundem Calendis Maji ex hac vita decessisse, accipit, qui quidem summus, optimusque pater, christianam rempublicam moriens, non minus afflictam reliquit; quam Octobri proximo victoria contra Turcas ad Naupactum divinitus obtenta, recreaverat. Purgationibus implicitum pro anni tempore Carolum medici tenebant: quos cum de itinere Romam faciendo consuluisses, metuentes illi, ne agitatione, ac labore, eo praesertim, ut semper solebat, tuncque maxime opus erat, properante, morbus ingravesceret, iter dissuadebant. Sed ille, purgationibus omissis, medicorumque consiliis tunc quidem posthabitis, Christiani orbis caussam, saluti suae satius putavit

anteferre; Ecclesiaeque Dei tali tempore, pro virili parte, quae magni momenti erat, subvenire, cum ita deliberatum ei esse viderent. Praescribunt medici vitae, itinerisque rationem; lectica uti jubent; sexcentis vasculis, cum variis pharmacis, bellariisque jumentum onerant. Ille, justis Pontifici solemni ritu solutis, primariis ecclesiae presbyteris convocatis, rebusque ecclesiae, quantum brevissimo spatio potuit, constitutis, postridie ejus diei, quo nuncium acceperat, divina ope invocata, in viam se dedit. Ac lectica quidem vectus est, sed itinere die nocteque, continuato, mutatisque ad celeritatem saepe mulis, adeo feliciter amplius passuum millia tercentum confecit, ut qui perdere infirmam valetudinem labor debuerat, eam non mediocriter confirmaret; ac tam cito Romam pervenit, ut duo Cardinales, qui eodem tempore, ex iisdem partibus discesserant, cursuque iter fecerant, minime tamen ei praecurrere potuerint, sed simul cum eo sacrum conclave, eo ipso die, quo reliqui omnes, intraverunt. Placentiae primo, quae Mediolano quadraginta millia passuum distat, Missae sacrificium fecit, quod superioribus diebus domi nunquam potuerat, aut raro: deinde quotidie, toto itinere, in tanto celeritatis studio, ac labore facere perrexit. Jucunde autem accidit in via, ut ampullae, vasculaque medicamentorum, cum jumentum id onustum prope Bononiam in fluvio concidisset, omnia fere vel confringerentur, vel flumine deveherentur, quod ille cum accepisset, ridens, faustum, inquit, signum, non opus fore amplius. Quamquam autem Carolo melius ex eo itinere fuit, non convaluit integre tamen. Quin diu, capite, pectoreque cum laborasset, Romani medici de ejus salute consultantes, aquis Lucensibus mede[illegible] constituerent, Mediolanenses vero contra sentirent: ipse aliam eo fere tempore iniit vitae rationem, nam cum toto jam anno medicorum consilia, praescriptaque satis exquisite secutus esset, ciborum delectum, multasque ejus generis cautiones adhibuisset, mutato consilio, ex sententia piorum prudentumque virorum, iis medicarum observationum, quasi vinculis expeditus, liberiorem vitae modum elegit, cibos omnemque victus rationem sibi rudiorem constituit, id eo libentius, quo sanctorum virorum vitae magis ea ratio consentiret, consilium ita feliciter evenit, ut posthac bona semper valetudine usus, neque pituita, tussi, aut febri fere impeditus, in Pastoralia officia, laboresque tantum incubuerit, quantum posteritati vix crebibile videbitur.

LIBER TERTIUS

§ 32. Postridie quam erat clausum conclave, hoc est III Id. Maji creatus est Pontifex Ugo Boncompagnus *, Cardinalis sancti Sixti, Bononiensis, et Gregorius ejus nominis XIII appellatus, cujus

* Is a Pio Pp. IV in Cardinalium Collegium fuerat cooptatus.

manitati, pietatique Carolus cum valde confideret, ei multa suppeditavit, quae ad Ecclesiam optime constituendam, Romanosque mores componendos facere posset; librosque Pontificio muneri aptissimos obtulit *. Audire illum Gregorius libenter visus est: nam praecipuae virtutis virum, et vero etiam, si quid ad rem pertinet, dignitatis suae fautorem amicissimum agnoscebat. Quo vero melius res ordinari possent, eum Romae manere jussit, et una cum optimis Praesulibus de iis quae agere oporteret, consultare; et quamquam ad Octobrem mensem Carolus Romae moratus est, nec tamen, ut sunt semper bonis consiliis plurima parata impedimenta, quidquam perfici potuit. At usui tamen fuere, quae tum consultata sunt; nam alia alio tempore Pontifex postea exequenda suscepit. Ad Pontificiam familiam ea, quae Pii V tempore fuerat, disciplina instituendam, Carolus non pauca contulit; Bernardum Carniliam Dertonensem ** olim familiarem suum, apud Pontificem collocandum curavit, hominem pietati maxime deditum, cujus religio ita se in dies ostenderat, ut Ormaneto Patavii Episcopo facto, in ejus fere locum, munusque a Pio vocatus successisset. Hic igitur in Pontificia domo forisque, sacrae disciplinae serviens, simul res Caroli omnes apud Pontificem, magna diligentia studioque procuravit: Deo in primis ita providente, ut quod maxime opus erat apud ipsum Pontificem Carolo nunquam deesset fidissimus negotiorum illorum gestor; quae gravissima ad singularem Ecclesiae fructum perpetuo tractavit; quam ad rem Speciosum aptissimum postea, Gregorioque gratissimum habuit, ut merito quis de Caroli familiaribus observaverit, tales Pontifices, sibi ministros ascivisse, talique loco habuisse; nam praeter hos, etiam Constantium Tassonium Mutinensem ad se vocavit ...; quem Mediolani Carolus familiae praepositum habebat ... probitate, pietateque hominem. Romae dum fuit, divino ... impulsu, visus est ad omnem sanctitatem acrius etiam, ... antea incitari, quod tum in publicis Ecclesiae, Praesulumque ...s, quibus ibi praefuit, conformandis, tum in vitae suae rationibus severius componendis declaravit. Dolet non ea omnia ...ta, explicataque habere. Quae ibi tamen Carolum fecisse, non ...ibus ducor argumentis, sed quae satis comperta non habeo, satius arbitror praeterire. Illud vulgatum est: abjecta timiditate illa, quae plurimos solet a christiano fraternae reprehensionis officio, deterrere, plerosque Cardinales singillatim gravi...r, libereque monuisse de eo, quod christiana res ad eis, tamquam Ecclesiae Dei Principibus, postularet: quibusdam etiam proprias caussas demonstrasse, quibus praeter caeteros ipsi vitae sanctitati studere deberent, quod officii genus, quamquam non

* Praecipue vero, ut S. Gregorii *Pastoralem Librum* et S. Bernardi *De Consideratione* perlegeret, ...mum Pontificem adhortatus est.
** Hujus prudentia in hoc maxime eluxit, ut nihil unquam a Gregorio XIII sibi rogaverit.

omnibus gratissimum fuit, ejus tamen, quae vis est veritatis, extitit in multis fructus ad pietatem non mediocris. Mediolanum demum rediens, Lauretanam aedem venit pridie solemnis festi Omnium Sanctorum: ubi tum loci, tum diei festi religione motus, ex veterum vigiliarum imitatione, tota nocte in sacrosancta illa beatissimae Virginis aedicula vigilavit, sacrisque meditationibus, precationibusque mentem exercuit, Ludovico Moneta solo comite: quem sacerdotem in itinere familiae praefectum semper habuit, tum vero domi, forisque rerum plurimarum fidelissimum administrum; et supra quam senectus ferre posse videretur, in laboribus et incommodis, quae Caroli comitatus erant, patientem; qui cum ecclesiae jam dudum, Caroloque se totum tradidisset, nihil tamen ex ecclesiae, Carolive rebus unquam percipere voluit. Plurima Romae Carolus ad ecclesiae suae commodum, fructumque obtinuit, quae Pontificiis litteris continentur. In his fuit Romanarum stationum divinum beneficium; quae toto anno per varias urbis ecclesias distributae, eximios animi fructus afferunt ad salutem. Illud etiam fecit, ut iis se muneribus, honoribusve omnibus jam tandem liberaret, quibus totum se, ut cupiebat, ecclesiae suae regendae ac custodiendae dare prohibebatur. Pium ante oraverat, ut Archipresbyteratum S. Mariae Majoris, summam poenitentiarii muneris praefecturam, ordinum religiosorum patrocinia, praesertim Franciscani, quod multi negotii erat, renunciare, Pontificiaeque auctoritati relinquere liceret; sed passus ille non erat: pergeret iis muneribus satisfacere per viros idoneos a se substitutos; faceret autem ipse quantum posset, aut per episcopalem curam liceret; quamquam minus etiam, quam antea posthac faceret, ita sibi satius videri, quam ab eo munera ejusmodi relinqui; si quid in eo esset offensionis praestare se velle; neminem se habere praesentem, quem Carolo praeferret absenti. Nunc item Gregorium vehementer oravit, ut id sibi permitteret, quod ita tandem impetrare posse videbatur, si modo vellet eos nominare, quibus ea recte Pontifex munera posset committere; sed cum id quoque modeste recusaret, neque annuit tunc quidem Pontifex; et cum non abnuisset tamen penitus, Mediolanum reversus Carolus, statim iis se curationibus abdicavit. Eodem tempore ad Philippum Regem de Germaniae inferioris, et ad Sebastianum Regem, ejusque patruum Cardinalem de Lusitaniae clientela dimittenda scripsit: ejusmodi munera praesentiam in Urbe desiderare, ubi coram et diligenter, quod ecclesiarum, rerumque sacrarum gratia opus est, quaeque ad pietatem opportuna sunt provinciis, curari possint; sibi id minime licere, et alioqui se totum ecclesiae suae debere. Eadem fere de caussa Uritanum Principatum triennio ante alienaverat; etenim quod civitati illi curae tribuebat, id ecclesiae suae adimere sibi videbatur: praeter id, quod ex pecunia contracta, plurima poterat ad Dei honorem, gregisque

sui commodum efficere, quemadmodum re ipsa effecit. Duas item Abbatias ex multis illis reliquas per id tempus dimisit; altera ita se abdicavit, ut Othatianam Mediolani Praepositaram, licet tenuiorum multo fructuum, seminario suo Pontificis auctoritate tribueret; Aronensem vero vel prorsus dimittere, vel ejus saltem fructus divino cultui in ipso loco exercendo, perpetuo addicere saepius curaverat. Nunc de certo presbyterorum numero in ea ecclesia constituendo, qui divinis rebus operam darent; nunc de ea religiosis viris penitus tradenda, cogitavit. Cum aliud ipse ex omni parte non probaret, aliud Pontifex non concederet, sacerdotium ad id tempus sibi retinuerat, tantum, quia monachi illi pene defecerant; clericos eo loco multos habuerat, religioseque moribus et litteris instituendos curaverat, ne, quamvis rem ipse retineret, in suos tamen usus fructus insumeret. Obtinuit a Gregorio tandem, ut eam, quod jamdiu cupiebat, traderet Societati Jesu. Ita vectigalibus, administrationibus, honoribusque maximis relictis, uno ex tot, tantisque sacerdotiis Archiepiscopatu retento, et ex plurimis pensionibus, nonnullis tantum, quibus ecclesiae minime gravarentur, ad aureorum nummum millia paulo plus viginti, additis patrimonii fructibus, ejus annui reditus ex longe amplissimis redacti sunt; ipse vero se totum divinis obsequiis, quae omnibus humanis opibus potiora sunt, et carissimi gregis custodiae, majori quam unquam antea studio, contentioneque tradidit.....

§ **22**. Carolus ita conflictatus, in ea tamen quae suae salutaria essent ecclesiae pergebat animum intendere; cumque hujus anni MDLXXIII tempus illud appropinquaret, quo pii mortales Christi Domini adventum recolere, et multis antea diebus sese piis officiis, et actionibus ad sanctissimi Natalis ejusdem festa recte celebranda praeparare solent, videretque temporis ejusmodi sanctitatem laicis pene ignotam, clericis suis usu fere non receptam magis, quam ut sacrarum vestium, divinorumque rituum mutatione declararent: quod multos jam annos exemplo suo docebat, tempus illud quotidiano colens jejunio, id ut aliqua ratione caeteri sequerentur, studuit etiam publica cohortatione persuadere. Litteras ad populum edidit, quibus tum rationem, ritum, cultumque hujusmodi plene demonstravit, tum pios omnes ad ea praestanda cohortatus est, quae tale tempus, taliaque mysteria postulabant: quo in genere effecit postea tandem, ut non domus ejus tantummodo, collegiaque multa quae ejus nutu gubernabantur, sed plurimi alii clerici, laicique sanctum institutum, majore alii, alii minore vitae severitate, ut fit in rebus, quae cujusque arbitrio relinquuntur, pie admodum agnoscerent, atque observarent. Initio anni MDLXXIV dies quadragesimae proximos a corruptorum hominum impetu, tum caecos homines ipsos a vitiorum corruptela vindicare perrexit; litteris editis, temporis religionem,

mysteriaque declaravit; publicis supplicationibus, concionibus, omni ratione, a voluptatibus ad pias exercitationes traducere summo studio populum conatus est. Ac ea quoque per id tempus cura sollicitabatur: quod sacrum illud Romanarum stationum munus ecclesiae suae cum acquisivisset, constitutas ea de caussa ecclesias ita mares feminaeque adibant, ut quae res eis ad salutem comparata erat, ea re plurimi ad perniciem abuterentur. Cum enim quam maxima animi, corporisque modestia ad veniam impetrandam, in divinum conspectum venire deberent, immoderato, lascivoque cultu studiosissime ornati, libidinosos exercebant obtutus; eam corruptelam, quamvis nunc diei tempora, nunc visendas ecclesias, viris feminisque separatim dividendo, alias alia providendo, tollere curaverit: non potuit omnino consequi tamen. Morem muliebris capitis operiendi, qui ad sacrorum locorum reverentiam, vitiososque ornatus aspectusque impediendos pertineret, eo tempore renovavit. Mos hic Apostolica doctrina disciplinaque jam inde ab Ecclesiae initio comprobatus, Mediolani patrum memoria modestissime servatus est, cum nedum capite puellae, sed tota facie velo contecta prodibant. Persuasit id primo per parochos et sacros concionatores, mox etiam jussit ut exemplum alii Praesules imitati, idem eniterentur, servarique etiam gravioribus poenis appositis edicerent. Atque continuatâ rerum salutarium curâ, synodum suae dioecesis eo anno quarto habuit, quam ex Pontificis concessione, aliquot jam annis differebat. In eo de vestitu clericali, pro loci aut dignitatis varietate distinguendo, tunc primum plene constituit; de sacris etiam peregrinationibus pie obeundis, quia Jubileus appropinquabat; de ratione synodi celebrandae; de visitatione Praefectorum urbis, et Vicariorum, quos per dioecesim constitutos habebat, deque eorumdem conventu coram Archiepiscopo quotannis agendo: alia multa clericis populoque valde fructuosa. Addidit tunc primum ad synodi decreta scriptas monitiones quasdam ex veteri instituto, quibus ad officia sua singula recte servanda sacerdotes excitantur. Dehinc, eo per dioecesim ecclesias inspiciente, Henricus Poloniae Rex constitutus, Carolo fratre Galliae Rege mortuo, ad regnum illud capessendum rediens, per Mediolanensem agrum iter fecit, quem Modoetiae Carolus convenit, muneribusque religiosis donavit, optimisque praeceptis ad pietatem recte colendam, Galliasque haereticis tumultibus afflictas recreandas, juvare studuit: qua de re Pontifex, cum explicate omnia, quaecumque cum eo Carolus egerat, exquisiisset, valde illum collaudavit. Neque Regem solum, sed Principes quoque, qui eum comitabantur, ille similibus officiis ad pietatem religiosaque instituta curavit excitare, in quo, ut saepe alias, ostendit, quàm ad rem, quave ratione Regum, Principumque amicitia Dei sacerdos utatur. Atque ea omnia Rex, cum ex verbis et factis declarasset, plurimi se Carolum facere,

pie amiceque tunc quidem, quidquid postea evenerit, accipere visus est. Illud memorabile tunc Modoetiae contigit, mulier nobili genere nata, cujus mihi nomen hoc quidem tempore tacendum est, sic agitabatur, ac furebat, ut sanctissimae Eucharistiae sacerdotumque praesentiam vix ferre posse videretur; implacabilem se caeteris plerumque praeberet; furiose matrem ipsam impeteret interdum; praeterea intimo cruciatu quodam, agitationeque afflictata, nulla re, nulloque loco conquiescebat. Id alii veneficiis tribuebant; alii cacodaemonis vexationem arbitrabantur, ac multis licet adhibitis remediis, adjuratoque, si quis inesset, daemone, nullum dabatur levamentum. Cum ad oppidum Carolus venisset, mulier, quae saepe non impedito mentis lumine suam agnoscebat miseriam, in spem venit, ejus ope sese liberandam; cumque Carolus praeteriret, domo illa subito prosilit, accurrit; praetergressus Carolus monetur, mulierem retro esse, quae sibi peteret ab eo benedici; conversus ad eam de more manu crucis signum format; tum ea graviter commota, dolere perinde, ac debilitari sibi visa est, quasi gravissimum aliquid ex medicamento dejecisset; et ex eo temporis puncto bona utens valetudine, nihil unquam amplius ejusmodi passa est, quod nos eam, virumque allocuti, diligenterque de tota re non semel sciscitati, ita esse comperimus.

§ 81. Insequens annus septuagesimus quintus ultra mille et quingentos, ille erat Jubilei nomine insignis, quo sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac alias quasdam Romanas Basilicas visentibus, plenissima peccatorum venia concedi solet. Romam ire quidem Carolus salutis, piique exempli gratia constituerat: sed ibi tantum morari, quantum veniae consequendae, praecipuisque et religiosioribus locis visendis satis esset: immo nihil prorsus etiam cum Pontifice agere, nisi quid spirituale prorsus suppeteret; profectionem autem in autumnum ipsius anni sancti, sic enim recte appellant, contulerat; nam tempus illud ex omnibus minus incommodum ecclesiae judicabat, si quando ei abesse necesse esset. Sed antevertit Pontifex, et non semel Carolo jussit significari, ut ante anni initium iret: multa enim posse admonere, quae ad Romanae Ecclesiae dignitatem accommodata essent; et ad externorum exemplum, qui ex toto Christiano orbe Romam confluxissent, in primis utilia. Verum plura is jam suppeditaverat per Carniliam, veluti de pauperum hospitio constituendo, de meretricibus segregandis; quod pium hospitalitatis officium, alioqui etiam Romae sicuti existimo, praemeditatum, Praesulum, caeterorumque liberalitas, christianaeque beneficentia tantopere coluit; ut magnus, per exteras quoque provincias, extiterit tam illustris exempli, religionis pietatisque fructus. Non satis habuit Carolus exemplo suo, suos Mediolanenses, aliosque excitare ad Romanam peregrinationem suscipiendam, fecit id quoque litteris editis: quae per alias, non solum urbes, sed provincias, quaestus

caussâ, a librariis disseminatae, magnos christianis hominibus salutaris peregrinationis stimulos adhibuere. Itaque ante finem ipsius anni, qui agebatur, Pontificis voluntate profecturus, scriptam prius ejus rei facultatem postulavit; non alia de causa, quam ex desiderio ejus instituti tenendi, ut ad sacrorum canonum praescriptum Episcopus ab ecclesia sua sine legitima facultate non discedat; qua de re illud etiam in tempore suasit Pontifici, ne ullum Episcopum absque illius concessu scripto, temporisque praefinitione adjecta, Romam ire pateretur, ne Jubilei nomine quis sedis suae diutius deserendae caussam quaereret. Id ipse a suis clericis servari mandavit, ut et cum suis litteris proficiscerentur, et illas Romae Caesari Speciano statim offerrent; a quo item, cum post tempus praescriptum redire vellent, afferrent vitae ibi actae, honestaeque habitationis testimonium. Profectus igitur Carolus mense Decembri, asperum sane suscepit peregrinationis genus; quotidianum iter, non diversoriorum commoditate, sed temporis ratione metiebatur; nox eum, et hospitio egredientem, et ad hospitium venientem comitabatur: ea de causa facultatem Missae vel duabus horis ante lucem faciendae sibi, suisque impetravit. Saepius eveniebat, ut commoda loca, amicorum etiam, principumque virorum officio vehementer rogatus, ad modicam lucis residuae usuram praeteriens, ad hospitia plane rustica perveniret, ubi quod neque praemitti quemquam volebat, et ob Adventus abstinentiam, omnibus fere inusitatam, sibi vero exquisite servandam, aliud ad reficienda corpora non suppetebat, herbis saepe, nucibus, pomisve cum comitibus sustentabantur. Ad ea interdum loca venit, quae ne unum quidem ad ipsum recipiendum cubiculum haberent, sed in tugurio manere necesse esset; ubi appetita plene frueretur incommoditate; omne tempus in rerum divinarum contemplatione consumebat; loca omnia circa viam Romanam religione insignia, egregia pietatis significatione visebat: cum ipsius visendi caussâ ex villis oppidisque plurimi passim accurrerent. Itaque Camaldulum adiit; Alverniam, Assisium aliaque loca Francisci sanctitate, memoriaque celebrata coluit, magna denique tum sua, tum aliorum spirituali utilitate iter confecit. Romae ita versatus est, ut ejus laudibus urbs sancta compleretur, et quot homines exteri ibi erant, tot earum in variis regionibus praecones efficerentur; praeteritas peccatorum confessiones repetiit; certo divinarum contemplationum cursu se exercuit; statas Basilicas, pedes una cum familia ordine procedente, omni pietatis modestiaeque officio adivit, et in iis loca omnia diligenter invisit, quotquot praecipuo aliquo cultu censerentur. In via litaniam multamque omnino precationem, nullo intervallo dato, continenter obibat, plurimi etiam nobilitate praestantes, se socios inferebant; si quis obvius, etiam vir princeps, et familiaris offerebatur, nihil amplius officii caussâ praestabat, quam,

aperiendo capite, corporisque motu salutaret; multi honoris ssâ, eo praetereunte, humi genua ponebant: quod si mirabantur diolani id videntes, multo magis Romae, ubi tot alii praeclari istites, et ipse Christi Vicarius erat praesens. Ignota mulier egrino vestitu Carolo obvia, ita commota est, ut nulla publici spectus habita ratione, toto se corpore ad ejus pedes abjecerit, que religiosissime complexa, osculari verita non sit, cum eo complexu expedire ille, quantum posset, conaretur. Ineunte tem mense Febr. anni MDLXXV Roma profectus, cum Vastallam deret, a Caesare Gonzaga oppidi Principe, Camillaque sorore illius uxore, ad dedicandam ecclesiam, quam ii aedificavent, invitatus, de gravissimo Caesaris morbo, salutisque discrime nuncium accepit. Vix circa Bononiam equo descenderat, o periculo audito, divinis animae illius charitatis ignibus acsus, statim rursus conscendit, et cursu etiam nocturno celeer eo contendit; quo postridie mane cum venisset, quasi longo e spatio quievisset, sese totum ad affinis animam juvandam dit, privatam supplicationem praeter eas, quae publicae habetur, instituit, quae a suis aliisque religiosis viris sine ulla rmissione vicissim continuaretur; tum ipse eam exorsus, m psalterium recitavit, atque Dei benignitate tanto fuit preonibus, salutaribusque verbis Caesari adjumento, ut is demum bus humanis, ad divinas mirabiliter animum avocaret, cerque mortem ita exspectaret, atque obiret, divinis rebus ad sam rite munitus; ut si, quemadmodum Carolus ipse palam ebat, in optimis religiosae vitae institutis multis sese annis rcuisset. Ibi Carolus post itineris laborem, post defatigationem sus, qua solebat maxime affligi, post vigilias, totque dierum tiumque incommoda, quiete nulla usus, corpore Caesaris ad lturam dato, ecclesia in oppido dedicata, sorore vidua iis rebus monita, quae ad salutem ordinationemque domus perbat, Mediolanum celeriter venit. Hic vero mihi jucunda sane idit recordatio, quam bona cum lectoris venia, non praeteribo itus: recordatio inquam, diei illius, cum e civili cursu revoca-, Carolo me tradidi, existimans, a salutari via tali duce, ac trono aberrare me non posse. Haeret animo illius actionis sua- jucundaque memoria, cum profanam mihi togam suis mabus detrahens, sacramque induens, vir apostolicus, apostolicâ tentiâ, hortatus est ut veterem hominem exuerem, indueremque vum, meque deinde brevi mystica manuum impositione, per nes sacri ordinis gradus extulit. Faxit Dei clementia, ut sarum dignitati sanctitatique sacerdotis aliquo modo vita nostra ssit respondere!

§ 35. Quotiescumque Romam proficiscebatur Carolus, quasi earum rerum honestissimum quoddam sacrumque emporium ederet, quae sibi essent, ecclesiaeque suae commodae ac

salutares, turpe fere sibi existimabat inanem redire. Ipse item divinis opibus confirmatus, Episcopalis vitae cursum Roma rediens, acrior semper, fortiorque repetebat, et in vitae sanctitate solebat insigniter progredi, licet aliis saepenumero secus eveniat; nimirum haec valde distant, Romae pietatem ac sanctitatem, vel splendorem, ac speciem intueri; ipse certe id fructus ex Apostolica Sede, locisque sanctissimis referendum ostendebat, quae de se durius statuerit, deinceps apparebunt. Familiae nomen, annuente Pontifice, tunc ad humanarum rerum despicientiam, veterumque imitationem, dimisit; et ejusdem insignibus e scriptorum ecclesiasticorum signis sublatis, eorum loco, Pontificia auctoritate, veterumque Archiepiscoporum imitatione, coelestium patronorum Gervasii et Protasii martyrum, Praesulisque Ambrosii inter eos medii imagines substituit, appositis ex Ambrosii ipsius, non solum scriptis, sed sensu atque animo, his verbis *Tales ambit defensores.* Calculos ad precandum Pontificis auctoritate sacros, id quod pro salute gregis semper solebat, attulit innumerabiles; quamquam pauci pro Mediolanensium pietate visi sunt. Sacra septem insignium ecclesiarum Urbis indulgentiae divinae munera obtinuit, in totidem Mediolani ecclesiis collocanda, quae res fecit ut quae veteres ecclesiae, locis, et rebus Mediolani erant cultu dignissimae, negligentiâ vero sacerdotum et aliorum pene derelictae, rursus piae multitudinis frequentia, cultuque praecipuo celebrarentur, sed ejus rei promulgationem distulit in posterum annum, propterea quod Romani Jubilei donum sanctissimum itidem a Pontifice Mediolanensibus suis cum impetrasset, sacra illa beneficia disjungi satius duxit; quo illustriore gratia, uberiorique fructu singillatim exciperentur, praesertim, quod utrumque visendarum ecclesiarum operam requirebat. Anno igitur MDLXXVI ut hoc quasi praecurrendo narrem, cum edictum primo proposuisset, quo multa sacris locis indecora vetabantur, veluti de laicis a choro clericorum arcendis; litteras quoque edidisset, antiquae pietatis plenissimas, ut fideles doceret, qua ratione in ecclesiis versari deberent, et ad sacrarum rerum reverentiam incenderet, septem nominavit: Majorem, sancti Ambrosii, sancti Nazarii, sancti Laurentii, sancti Stephani, sancti Simpliciani, sancti Victoris. Tum postridie Calend. Julii, qui dies Virgini dicatus est, celebri totius cleri civitatisque supplicatione, laetoque apparatu, ipsas ecclesias pie adiit, eamque supplicationem solemnem, anniversariamque in perpetuum constituit; ipse vero, quod assuefaciendo populo esset accommodatum, nunc privatim cum familia, nunc publice cum canonicis eandem obiit, idemque canonicorum collegia, religiosorum hominum ordines omnes, vicinias cum parochis suis, pia sodalitia, societatesque, facere separatim jussit, quod quidem religiosum institutum Mediolanensium animis, et merito quidem, adeo insedit, ut in eo frequenter mares, feminae, nobiles,

ignobiles, versari conspiciantur. Praeter spiritualia, Carolus in Urbe alia quoque non parva suae quaesivit ecclesiae: mille aureorum ex Braidensi Praepositura pensionem clericorum seminario; parem presbyteris minoribus ecclesiae majoris, collegio suo Ticinensi detractam: a quo collegio jam Calventianum Prioratum in canonicos itidem transtulerat, cum enim tenues admodum essent ejus ecclesiae fructus; ipse vero, ut par erat, statas in ea canonicis horis, nocturni diurnique temporis precationes integre restituisset; alias divinorum munerum functiones ibidem auctiores multo, quam antea vellet, auctoritate Pontificia fructus ita studuit augere, ut tum loci dignitati, tum occupationi sacerdotum aliqua ratione responderent. Verum pro universa quoque Ecclesia, nam et illud erat ei semper propositum, Romae plura curavit: de palatii Apostolici, Apostolicaeque urbis disciplina, deque rebus ecclesiarum per provincias componendis, ac in hoc postremo genere, jam usque a Pii V tempore pro virili parte duo curaverat: alterum ut esset Romae proprium Cardinalium consilium, in quo res ecclesiarum Episcoporumque referrentur, et quod opus esset decerneretur; alterum, ut Episcopi mitterentur, qui apostolica auctoritate ecclesiasticam administrationem, et Episcoporum vitam recognoscerent, et quibus rebus opus esset, emendandam curarent; sed cum ad id tempus ad ecclesias fere ditionis Ecclesiasticae tantummodo missi Praesules essent, egit Carolus, dum Romae fuit, ut ad alias quoque provincias decernerentur.....

§ **26**. Consultatum erat inter alia Romae, cum ibi Carolus esset, de Jubileo, post annum, in provinciis eorum gratia concedendo, qui varie impediti Urbem adire non potuerant. Quod cum ipse in primis impetrasset, secretoque habuisset; de magnis demum ex ea re populo suo spiritualibus adjumentis, animique fructibus acquirendis diu jam meditatus, negotium suscepit, studio, ac diligentia singulari: ut cum superiore anno maximum Mediolanensium numerum Romam ad sanctae Urbis beneficia capienda impulisset, reliquis, et eisdem rursus si vellent, Romanis beneficiis Mediolanum accersitis, sacra salutis subsidia, coelestiaque animae ornamenta compararet. Munus ejusmodi minime arbitror Mediolanensibus postea concessum, quam Antonio ex Marchionibus Salutianis Archiepiscopo, et Galeatio Vicecomite Duce, Bonifacius IX dedit, anno salutis MCCCXCI, quo tempore admirabilis illa Basilicae majoris aedificatio Mediolani coepta est. Carolus igitur, litteris primum editis, quibus ad divinum munus salutariter accipiendum suos accenderet, festo die Virginis, quem Purificationis nomine appellamus, ab ipsius Virginis aede cum rediisset, ubi more majorum candelarum ritum, mysteriumque obierat, in Pontificia majoris ecclesiae Missa concionem habens, Gubernatore Magistratibusque praesentibus rem promulgavit; Romanumque diploma, ac edictum suum, in quo praescriptiones

in eo genere variae continebantur, recitari jussit. Tum ad animos praeparandos, civitate ad jejunia, eleemosynasque excitata, omnes sacros ordines, populo comitante, publica supplicatione duxit, feria quarta ad sancti Ambrosii, sexta ad sancti Laurentii, sabbato ad sancti Simpliciani, stativas deinde supplicationes in ecclesia majore indixit, quo sacra collegia, clerusque omnis, atque universa civitas, certis cuique generi horis assignatis, distincte conveniebant: ita ut horis quadraginta preces continuarentur. Cum per eos dies festo campanarum sono, animos diu pie commovendos curasset, in eorum extremo jussit uno tempore vesperi ab omnibus ecclesiis signa dari, quae cunctorum animos inusitatâ quadam laetitiâ, cum rerum divinarum desiderio conjunctâ, perfuderunt, proximo die dominico, quo die sacrosancti beneficii statuit esse initium, sacros choros, ordinesque rursus duxit universos; idque tam pio, splendidoque apparatu, ut divina quaedam celebritas videretur, pompaque coelestis. Convenere ex ecclesiis omnibus sacerdotes, sacris indumentis ornati, quae pulcherrima haberent; tenentesque manibus cereos accensos, in pretiosissimis ferculis collocatas insignes sanctorum reliquias deducebant. Infinita multitudo, non ex ipsa modo urbe, sed ex vicis, agroque universo confluxerat: quae maximo in templo constipata, mutuisque impulsionibus perpetuo agitata, quasi undis ultro, citroque commeantibus, vasti cujusdam pelagi fluctuantis speciem afferebat; tum vero totis viis confertim emissa, huc, illuc continenter fluitabat, dum res sacrosanctas inspicere, sacra agmina comitari, et pia quadam anxietate coronis, ut appellant, ad precationis usum paratis, sacra fercula, religionis gratia, tangere certatim studebat. Quatuor Basilicas, Romanorum exemplo, constituit Carolus, quindecim dierum spatio quindecies obeundas, majorem, sancti Ambrosii, sancti Laurentii et sancti Simpliciani, quas aede sancti Nazarii addita, etiam Antonius Archiepiscopus olim constituerat, ad divini illius muneris opem consequendam. Atque pro facultate Pontificia, certos sacrarum confessionum ministros, ea de caussa delegit, certam praescripsit precandi, et ecclesias adeundi rationem: in qua quidam ratione currum non admisit, vanaque omnia ornamenta excludi curavit. Senibus, imbecillis, aegrotis, vinctis, religiosis virginibus, quae claustris continentur, providit, ne eo munere carerent. Praeter scripta, quae multa ipse ad fructum salutemque suorum edidit, libellos etiam de divinis ejusmodi muneribus acquirendis, deque religiosis locis pie adeundis edi curavit, de praecipuis Mediolani ecclesiis, deque rebus, locisque earum religiosioribus, pii publici ardoris juvandi gratiâ proprium libellum conscribi jussit. Ecclesias ipsas delectas, ut animi vehementius accenderentur, quam ornatissimas haberi jussit, et in ipsis quaecumque res religione insigniores essent, frequenter proponi; idque non incolarum tantummodo causâ, sed

exterorum quoque, quibus ad idem beneficium consequendum aditus patebat. Atque ut vitium, periculumque omne diligentius arceret, quod ex marium, feminarumque ad eadem loca concursu esse poterat, ipsas statas ecclesias ex antiquo, etiam multorum locorum Mediolanensis dioecesis, instituto, dividi jussit, et uniuscujusque partem, quae ad austrum est, maribus, aliam feminis assignari; quamquam is fuit tunc sancti Jubilei cultus, ut quae alias corrupte fieri ad ecclesias solebant, eo tempore minime committerentur. Separaverat antea stationalis celebritatis gratiâ, ecclesias interpositis velis; sed tunc ligneis septis dividi statuit, ut melius caveret, moremque veteribus usitatum, et quibusdam locis etiam usitatum religioso pietatis fructu, ac exemplo renovatum stabiliret quod idem in alias quoque ecclesias, etiam castellorum vicorumque postea paulatim introduxit, et decreto quoque sancivit. Carolus ipse nunc cum canonicis suis, alias cum familiaribus, ecclesias frequens adibat, hymnis, psalmisque simul recitandis, in via operam dabat; res, et loca omnia, ut in libello demonstratum erat, pie visebat. Collegia sacra omnia, piaque sodalitia idem facere; tum Parochus quisque sibi commissa vicinia comitante: collegia profana item artificii, mercaturaeve societate congregata: alii chori multi marium et feminarum, ut viae continua psalmorum recitatione, saepe suavi rerum sacrarum cantu, personarent, plurimi nudis pedibus vestituque aspero, viri et mulieres, etiam nobiles frequenter ibant, alii operta facie, tota via flagella sibi ad sumendas flagitiorum poenas adhibebant. Vidi nobilem juventutem, et primariam, voluptatibus antea deditam, cannabino indumento, oculis in crucem quam manu quisque tenebat, defixis, ordine eamdem viam obire, tanta pietatis significatione animorumque motu, ut boni omnes incredibili gaudio afficerentur, senes supplices manus tenderent, Deoque toto pectore gratias agerent, qui ad id tempus eorum vitam reservasset. Ex agro Mediolanensi, singulisque vicis et castellis quotidie populi integri, facto agmine, cruce cleroque praeeunte, Mediolanum pedibus etiam nudis veniebant, quamvis viginti, atque adeo triginta millia passuum quidam abessent: ita enim Carolus hortatus erat, quibus etiam faciliorem sacri muneris consequendi modum praescripserat. Atque unumquodque agmen in ecclesia majore primo pia concione, optimis admonitionibus referta, excipiebatur: quod munus frequenter ipse, saepius in die ad id in templum veniens, obibat. Ibi sacerdotes, et quaecumque ad animi expiationem divinique beneficii adeptionem opus erat, omnia praesto erant, neque verbo tantum Carolus advenientium pascebat animos, sed divino quoque sanctissimae Eucharistiae cibo: ut admirabili vicissitudine, ab uno ad alterum saepius sacrum ministerium nullo transiret intervallo. Tum ad ecclesias constitutas, ejusque sanctas res venerandas se conferebant; demum, rebus omnibus procuratis,

quae ad animi salutem pertinerent, ad vires quoque corporis reficiendas invitati veniebant; nam id quoque providerat amantissimus pastor. Hospitio suscipiebantur in aedibus amplissimis, quas ad mares feminasque separatim recipiendas Carolus constitui curaverat, maribus recipiendis praeerant primarii viri: feminis matronae gravissimae, consilio, atque operâ virorum probatae vitae, atque gravitatis adjutae; huc res, ad victum necessariae, pia civium liberalitate, tum industriâ multorum, qui eam rem, auctore Carolo, curabant, undique comportabantur. Mensae longissimae, ordini multiplici positae conspiciebantur, hominum millibus interdum quinque, ac sex uno tempore saepe accumbentibus, quorum dum corpora recreabantur, animi quoque ex pulpitis apte dispositis, concionatorum sermone reficiebantur; sed ante cibum, antiquo christianae charitatis officio, de itinere fessis, pedes lavabantur, quo munere cum Carolus ipse fungeretur, et cum domesticis canonicisque suis frequentaret, ad eamdem exercitationem multos quoque ex optimatibus excitavit, qui una cum caeterorum magno numero ei ablutioni operam assidue dabant. Ad piam animorum commotionem id opus maxime valebat, tum in iis qui spectabant et faciebant, tum in iis quibus adhibebatur. Obstupescebant homines cum ad pedes suos viros nobilissimos prostratos videbant, vixque officium ejusmodi ferebant; at Carolum linteo praecinctum sese offerentem, et ad pedes sedentium abjicientem conspicientes, tam nova specie obstupefacti, demissis oculis, terram intuebantur, ore, corpore, mente ipsa denique minime videbantur posse consistere. Haec cum assiduo labore Carolus gereret, tum illud asperitatis addidit, ut toto quadragenario solemnis jejunii tempore in asseribus cubaret, quod ea quoque de causa fecisse ejus familiares putarunt: quia cum satis magnus numerus peregrinorum lectis semel caruisset, culpae id suae adscripsit, et ea ratione voluit a se poenam exigere. Perseveravit autem in eo, donec Episcoporum, qui ad proximum concilium venerunt, idque resciverunt, precibus vix adduci potuit, ut solam culcitram asseribus imponeret *. Verum pia illa populorum itinera, cum adhuc multa restarent, Gubernatoris sunt impedita jussu; cum de magnis urbibus, Venetiis Mantuaque pestilentiâ oppressis,

* De hoc S. Caroli in Jubileo Mediolani celebrando ardore, deque ejus laboribus curisque ob id susceptis, luculentissimum testimonium perhibuit Benedictus Pp. XIV in *Epistola Encyclica pro extensione Jubilei in alma Urbe celebrati anno 1750*. Eum omnibus Episcopis imitandum proposuit Summus Pontifex sequentibus verbis: " Non ita se gessit S. Carolus Borromeus, Episcoporum exemplar, et splendidissimum lumen, qui quum antea populum suum ad sacram peregrinationem ad Urbem suscipiendam Sermonibus, Instructionibus et Concionibus praeparasset, ac vehementer hortatus esset; cum etiam Romam ipse venisset, atque hic praeclara illa pietatis ac religionis exempla edidisset, quibus dumtaxat inspectis, multi peccatores ad poenitentiam conversi sunt: ad suam postmodum Ecclesiam reversus, obtentâque a Gregorio Pp. XIII, post Annum Sanctum elapsum, extensione Jubilei pro sua Mediolanensi Dioecesi, minime contentus fuit his, quae pro disponendis subditis suis ad Romanum iter suscipiendum, et ad Jubilei fructum, per implementum operum injunctorum in Urbe, consequendum praestiterat; sed quum dictam extensionem publicaturus esset, eodem, quo antea, religionis zelo incensus, publicas denuo preces indixit, Conciones ad populum habuit, evulgavitque Instructiones plenas doctrinae ac pietatis; denique nihil eorum omisit, quaecumque utilia aut necessaria putavit, ut Populum suum ad poenitentiam adduceret. "

et aliis vicinioribus locis eadem contagione tentatis certi nuncii Mediolanum allati essent, providendum enim existimarunt Magistratus, ne quis in urbem admitteretur, nisi scriptum testimonium afferret, se, locumque unde veniret, pestis suspicione carere, quod in tantae multitudinis conventu fieri non poterat. Id quamvis Carolo ex omni parte non placeret, cui periculum adhuc minus videbatur, quam ut piis populis vicinis, civitatique tantus, tamque salutaris pietatis fructus adimi deberet, non restitit tamen, sed reliquorum utilitati consulens concessit, ut in agro quoque Jubilei beneficium consequi possent.....

§ 37. Sed revocanda oratio est ad translationes sanctorum corporum referendas, quibus Jubilei celebritas valde illustrata fuit, animique religiosius ad salutis suae negotium procurandum praeparati. Inter alia salutis adjumenta, quae Carolus ecclesiae suae posset afferre, illud erat plane magnum, beatorum virorum, quorum reliquiis locupletata, ornataque erat, memoriam redintegrari: ut excitata, vel renovata erga patres, patronosque suos populi pietate, nosset in posterum, velletque ad eorum confugere praesidium in calamitatibus suis; quam ad rem, licet non parum valuerit aliquid ex eorum historia delibatum edere, quod in ecclesiarum libro factum est, maxime tamen opportunum erat, ipsas sanctorum reliquias in apertum proferre, solemni Ecclesiae pompa more majorum circumferre, populo ipsi ante oculos proponere. Ejus rei idonea illa visa est occasio, quod, ut altaria, aliaeque ecclesiarum partes, quemadmodum plerisque in locis Caroli tempore factum est, instaurarentur, locis suis sacras reliquias movere necesse fuit. Omnino turpe erat, populum Mediolanensem plurimos pastores habere, quorum sanctitas publice colitur, multos item Christi insignes martyres, praeclara civitatum praesidia, quorum nedum opem frequenter, ut debebat, imploraret reliquiasque veneraretur, sed ne memoriam quidem fere teneret. Opportune vero, et, ut videtur, divinitus, Carolus fecit, ut, ea clade civitati impendente, de qua paulo post dicemus, tum Jubilei religione, tum voluntate in coelestes patronos suos pie inflammanda, plebem Mediolanensem ad animorum castitatem, salutariaque studia exerceret, quo minus coelesti domicilio indigni, migrantes ex hac vita reperirentur. Atque jam ante annos quinque, hoc est postridie nonas Sept. MDLXXI, sanctas reliquias moverat, et recognoverat, quas Basilica olim sanctorum Naboris et Felicis, nunc sancti Francisci habet: sed sine eo apparatu, quem postea antiquae pietatis esse animadvertit, et ad pios animos sancte commovendos accommodatum, reliquias Apostoli Barnabae nonnullas a sacello suo, martyrum Naboris et Felicis, Caji item, et Materni Praesulum Mediolanensium, a capite ecclesiae, ubi altare majus erat, ad locum transtulit, ubi nunc illud situm est; alias recognovit, et suis locis reliquit, martyrum Felicis, et

Fortunati, Savinaeque matronae. Nunc autem celebriorem translationibus addidit apparatum. Erat inter commemoratam Basilicam, quae nunc est sancti Francisci, et Ambrosianam, alia sancti Vitalis nomine dicata, quae Fausti Basilica fuisse putatur, de qua etiam apud sanctum Ambrosium mentio est; ab ea titulum parochiae Carolus cum amovisset, mox etiam ei persuasum est, ut eam monachis Ambrosianis concederet; prius autem inde exportandum putavit corpus veteris Archiepiscopi Mediolanensis, Monae, sub altari conditum: cujus memoria in ecclesia Mediolanensi colitur pridie id. Octobris. Atque die translationi dicto, qui post nonas Februarii consequebatur, quo die prima erat supplicatio ad sanctum Ambrosium ob Jubilei memoratam praeparationem, misit vesperi, qui locum recognosceret, et quae opus erant, pararet; nocte accessit ipse; ibi, arca lapidea, quae in terram defossa erat, aperta; post precationem, stola collo inducta, ad sepulcrum abjectus, singillatim ossa illa veneranda extrahebat, et in arca serico panno intus ornata, tacitus, menteque in sancti Patris meritis defixa, componebat, astantibus canonicis nonnullis linea veste indutis, qui pio operi inserviebamus et aliis item presbyteris diaconisque praesentibus, quorum quidam lacrymas prae animi suavitate gaudioque tenere non poterant. Arcâ deinde cum ossibus positâ super altare, nocturnas preces ad Sancti honorem accommodatas primo recitavimus; post etiam quae diei illius erant addidimus; inde cum essemus profecti, canonici alii successere, et post eos alii, ut tota nocte ex sacris institutis essent, qui ibi vigilarent et precarentur. Mane, his peractis, quae ad supplicationem pertinebant, ex Ambrosiana Basilica, ad corpus venimus, quod ornatissimo feretro humeris portandum erat; carum onus subiere in anteriore parte Carolus et Episcopus Salaminae, in posteriore duo praecipua dignitate canonici; extra ecclesiam, canonici vicissim succedentes, usque ad majorem ecclesiam portavere, sacris et pretiosissimis indumentis ornati omnes. Multos jam dies coelum nubibus erat, pluviisque perturbatum: at cum efferretur sacrum corpus, magna omnium laetitia et admiratione, serena clarissimaque luce fulsit. Clerus universus, hymnos psalmosque ad rem accommodatos per choros musice cantabat; tubarum sonus frequens ciebat pios animorum motus. Senatus sectabatur, multitudo praeterea infinita, luminum vis innumerabilis. Cum ad ecclesiam majorem ventum esset, feretro in altari posito, Carolus de Sancti laudibus concionem habuit; toto die convenit populus ad beati parentis reliquias venerandas, immo agnoscendas, cum vel ejus nomen plerique ignorarent; tum magno studio, coronis, sibi ad precandum paratis, religionis caussâ feretrum tangi curabant; vespere verbis ab Episcopo Salaminio ad populum apposite factis, magno concursu, in subterraneam aedem corpus delatum est. Post triduum, cum

tertiae supplicationis gratiâ Carolus itidem ob Jubileum ad sancti Simpliciani cum clero venisset, aliam celebravit translationem. Aronae in ecclesia sanctorum Felini et Gratiniani, quam Societati Jesu traditam diximus, erant corpora sanctorum martyrum Fidelis et Carpophori; cum eorum memoria in oppido vix vigeret; locus certe sepulcri ignoraretur; religiosâ patrum curâ, in altari demum inventa sunt. Atque cum veteris et angustae sancti Fidelis ecclesiae loco, quam eis olim Carolus Mediolani tradiderat, amplam et magnificam ex civium liberalitate coepissent aedificare, ad sanctorum cultum magnificentius, et ad multorum salutem utilius fore existimarunt, si ea corpora Mediolanum transferrentur, et Fidelis corpus, una cum martyrii socio in suam aedem referretur. Ea igitur ex Caroli consensu, qui oppidi sui rationem, augendi cultus caussâ, minime habuerat, ad sancti Simpliciani ecclesiam privatim deportata, solemni ritu atque apparatu ad constitutum locum transferenda erant. Carolus eo feria sexta nocte venit, reliquias composuit, divina nocturnae precationis officia obiit; ibi fuit donec lux appropinquaret; mane autem, stata supplicatione absoluta, V Idus mensis ejusdem, ad novae ecclesiae locum eas magna celebritate transtulit, ipsis societatis clericis umbraculum honoris caussâ supra feretrum gestantibus. At populus Aronensis, quo inscio corpora fuerant asportata, paulo post, cum id cognovisset, valde commotus, acri admodum studio, ut vehemens esse solet in hujusmodi genere popularis impetus, de recuperandis reliquiis institit, neque conquievit, donec eorum partem a Carolo acceptam in eamdem ecclesiam Aronam referret. Addam aliam similem celebritatem, quae fuit ejusdem anni mense Julio. Obsecro autem, si cui forte videbor res hujusmodi aut diligentius colligere, aut pluribus exponere, quam ad propositum finem intento, properantique gratum videatur, ut aequo animo patiatur, aliquid me rerum nostrarum memoriae, non sine multorum fructu concedere, piisque nostris hominibus gratificari. Versamur etiam in hoc genere libentius, quam in Caroli rerum asperitatibus exponendis: quae licet constantiae, patientiae sacerdotalisque roboris contra adversa omnia retinendi, exemplum Dei ministris praeclarum praebeant; illud tamen inest molestiae, quod res piis temporibus propemodum indignas scribere necesse est. Piget explicare turbulentos quosdam motus, qui hoc ipso divinae placationis optatissimo tempore extiterunt. Itaque ad aliam translationem veniamus. Nonnullis ante annis monachi, qui ab Oliveto monte nomen traxere, novam ecclesiam sancti Victoris coeperant, pulcram et magnifici operis, qua perfecta, veterem, quae proxima erat, dirui volebant: illam dico, quae Portiana veteribus appellata est, et sancti Ambrosii litteris actionibusque illustrata; sed prius sancta corpora, quibus locus abundabat, tollenda erant, et in novam ecclesiam transferenda.

Occasionem libenter arripuit Carolus splendidae translationis celebrandae, qua et sanctorum reliquiis honos tribueretur, et Mediolanensium pietas erga illos quoque divinos ejus custodes renovaretur. Arcae lapideae erant plures ossibus plenae, circum altare sub terram collocatae: quae ossa, licet neque nominibus, neque aliis signis distinguerentur; aliud tamen judicari de iis non poterat, quam ex iis sanctis corporibus esse, quibus eam ecclesiam esse copiosam veteribus monumentis testatum est. Una erat arca sub altari, altius quam aliae defossa: in ea corpora sanctorum Victoris martyris et Satyri, sancti Ambrosii fratris, erant: his igitur omnibus primo legitime recognitis, demum VIII Calend. Augusti, quo die S. Jacobi festum celebratur, Carolus ad locum, vigilandi ex instituto, precandique gratiâ, quia postridie futura translatio erat, se contulit; ibi nocturnis precibus de more habitis, et sancti Victoris vita recitata, ossa omnia ita composuimus, ut septem feretra portanda pararentur. Postridie clerus universus in majore ecclesia coactus, ordine ad sancti Victoris processit: unde, sublata sacra divini amoris pignora, primo canonicorum, deinde monachorum humeris, viis apparatis, cantu ad beatorum gloriam significandam accommodato, circumlata sunt, tanto spatio, quantum opus erat ad longissimos sacrorum hominum ordines producendos, maximamque multitudinem capiendam; quibus ad eamdem ecclesiam relatis, sacrosanctae Missae solemnia celebrata sunt; reliquiae toto die in conspectu populi relictae, qui frequentissimus eo, magna pietate confluit. Vespere autem reverso Carolo, sericis illae pannis involutae, praesentibus notariis, in capsas plumbeas reconditae sunt, quae Victoris Satyrique erant, separatim in altare majus ecclesiae sunt illatae. Aliae in suis arcis lapideis a vetere ecclesia deductis, positae in sacello, quod ea de caussa monachi, Carolo auctore, ad suam subterraneam aedem addiderant, ita in variis capsis separatae, ac in sacelli angulis, quantum fieri potuit, collocatae sunt, ut primo fuerant inventae.

LIBER QUARTUS

§ **38**. Multos jam menses pestilentiae fama provinciam Mediolanensem cum peragraret, Martio mense anni ipsius MDLXXVI, ad vicum quemdam prope Aronam demum ipsa pervenit; eo statim missi qui consulerent; urbs custodita, exteri sine testimonio non admissi. At cum placitum est Deo, eam propius accedere, urbemque ingredi, sive ad multorum peccata vindicanda, sive ad exercendam, aut vero remunerandam bonorum virtutem, sive ad illustrandam charitatem, vigilantiamque Sacerdotis sui: aditum facile per omnes custodias invenit. Mense igitur Julio extremo.

religiosissimis exercitationibus illis, supplicationibusque peractis, in ipsa urbe deprehensa pestilentia est. Tum Magistratus, ille praesertim qui publicae sanitati praeest, majorem diligentiam adhibere, custodiam augere, aditus non modo in urbem, sed etiam in provinciam diligentius observare: at malum manabat in dies, et dum illi vel aliud esse morbi genus demonstrare, vel secretum habere omni ratione conarentur, magis ac magis sese prodebat, latiusque fundebatur; multi, affecta jam prope aestate, nihil, in proximos menses, totamque hiemem timendum affirmabant. Carolus autem, tamquam in specula collocatus, imminentem tristissimi temporis tempestatem, et, si sic expediret, a suis enixe deprecabatur, et multis tamen praedicebat; nam et satis multas cernebat plagarum, gravesque caussas, et Praefectos videbat, aliorumque rectores de humanis remediis valde sollicitos, divina ipsa, quibus potissimum spes hominis christiani niti debet, minime quaerere, ut oportebat: immo ipsa quoque humanae diligentiae officia minus integre, perfecteque praestare, sed quasi stupore quodam oppressos rei novitate teneri, atque haesitare: id ille maximae calamitatis brevi futurae indicium sibi videri dicebat. Ea de caussa statuit Brixiae visitationem eo anno omittere: immo ab urbe penitus non discedere, donec rei exitum aliquem videret; tantum ea perficienda diligenter in urbe curavit, quae Salaminae Episcopus per ecclesias facienda decreverat; qua in re, quod ita esset ceteris ejus occupationibus commodius, consumebat meridianum tempus, et maximos calores contemnens, urbis ecclesias quotidie singillatim adibat; jam pedibus instituerat ire, neque id in urbe solum, sed in agro etiam, dum itinere brevi singulos vicos obiret: quamquam hoc non tenuit semper, quod nimis incommodum laboriosumque suis esse videret, ea ratione iter facere. Publicae supplicationes postea tamen divinae irae placandae gratiâ, ter ad consuetas ecclesias de more habitae sunt, quarum caussa cum Carolus, Gubernatore, Senatu aliisque magistratibus praesentibus, concionem haberet ad populum, oblata occasione reprehendit eos quod tam sero ea quaesissent, quae certissima sunt humanorum malorum remedia; cum alioqui tam vehementer suae custodiae confidissent, et ejus caussa pios illos conventus praepropera festinatione prohibuissent. Sed illud quoque objecit, dum caussas divinae castigationis percenseret, quod piarum societatum optimae exercitationes jamdiu sine causa impeditae, adhuc eodem statu tenerentur; quae res magnam hominum multitudinem a salutaribus rebus averterat, quae ad Deum placandum plurimum valerent, ut ad voluptates vitiaque converteretur, quae divinas provocarent animadversiones. Manabat autem jam latius pestilentia, graviterque suburbium quod est ad Comensem portam, affligere coeperat; et in ipsa quoque urbe multas invaserat domos.

§ **39**. Campus est ad orientis portam extra moenia latissimus, et in quadrum redactus; aedificia circum extructa ad eos qui tali morbo laborant separatim recipiendos, locis quam plurimis distincta sunt; et fluvialis aquae rivo cinguntur; in medio campo sacellum S. Gregorio dicatum, quo nomine locus ipse solet appellari. Qui rebus ejusmodi curandis praefecti erant, recte quidem suspecta valetudine homines, aut suis aedibus inclusos esse, aut extractos, per homines mercede conductos, in S. Gregorii locum deduci jubebant. Sed nec dum ulla pene ratio inita erat, qua vel ad curationem aegrotorum, vel ad pauperum victum, necessaria suppeditarentur; immo aedificia quoque longo tempore vacua, ita ab omni habitationis commoditate deserta erant, ut nihil praeter nudos parietes relictum esset. Itaque non morbo tantum miseri, qui eo adigebantur, sed fame, aliisque incommodis multis graviter premebantur; omnino inter se curari, inter se consolatione leniri, eos oportebat; et quae ad vitam necessaria erant, a cognatis, si haberent et misererentur, accipere. Sed quod gravissimum erat, nulla sacra erant parata, nulla sacrorum hominum consolatio; ubi plures cognatione conjuncti eodem loco simul erant, ut quisque ante alios moriebatur, ita necesse erat a superstitibus sepeliri, et qui ejusmodi beneficium aliis dederat, ipsum paulo post ab aliis accipere: augescente mirum in modum, ex aliorum, praesertim carissimorum miseria, extremisque aerumnis, propriae calamitatis dolore. Cum haec ita coepta essent, neque enim magnus adhuc erat numerus, Carolum ipsum multi hortabantur, ut aliquo secederet, cum autem religiosos; doctosque viros de se consuleret, quamvis eos laudibus afficerent, qui in eo se charitatis officio olim exercuissent, non consentiebant tamen, ut vitae periculum adiret ipse; tantum adesset, provideret, consuleret, pro rerum eventu et necessitate: verum a contactu caveret omnino; idque paterna misericordia alienum, et factu difficile videbatur, nam et quotiescumque domo ille exiret, multitudo periculo territa, quasi opem implorans, ad eum ut ad patrem accurrebat; propius positis genibus, vestimenta tangebant, et quibus tetigerant, manus osculabantur: quae pietas, cautionis gratiâ, quomodo poterat cohiberi? Eos igitur sibi agendi terminos minime constituendos, sed pastoris officia omnia jam sibi suscipienda, et in suorum salutem omni studio atque opera esse incumbendum existimavit. Quid animo suo, quid in cubiculum suum abditus fecerit, neque scimus, et facile tamen ex iis quae apparuerunt, assequi possumus conjectura. Ad mortem certe obeundam, perspicue paratus, etiam testamentum fecit *, in quo haereditate ad hospitium pauperum Mediolanense delata, multa pie legavit ecclesiae, amicis et familiaribus. Tum ad gregem suum sine

* S. Caroli testamentum deinde typis editum fuit. Mirum hoc multis visum est, quod in eo diem extremum ipse sibimet designaverit.

mora conversus, miseris illis ad Gregorianas aedes derelictis coepit subvenire; et ex domo sua, quae res ad vitam erant necessariae, eas quotidie mittere; tum vero eleemosynas in urbe, foris, atque adeo extra provinciam corrogare, a clericis monachisque qui abundarent, petere, ut illos aliosque per urbem in egestate positos sublevaret. Quamvis autem maxime doleret, suos rebus ad victum necessariis destitui, multo magis tamen angebatur, quod sacra subsidia, extremaeque ipsae ad salutem sublevationes deessent. Vidi equidem miserrima, cum Carolum ad sancti Gregorii aedes Diaconus secutus sum, quo ille ad aegrorum acerbitates certius cognoscendas, accesserat. Cum locum extrinsecus circumiremus, ejulabant illi, et ad fenestras sese projicientes, calamitates deplorabant suas; alius ex tabe concepta, alius ex propinquo mortuo, animamve in ejus conspectu trahente, gemitus edebat sane miserabiles, hic vitae incommoda, ille divinarum rerum inopiam lamentabatur. Cum ab omni alio subsidio destituti simus, o Pater, clamitabant, tu nobis saltem benedicas. Carolus aegros tunc quidem quantum potuit, humanissime consolatus est : sed domum reversus, vix e publico se conspectu receperat, cum pariete nixus, magno cum moerore, Vidistisne, inquit, miserrimam illorum conditionem? humanis commodis omnibus spoliati, tristissimis casibus doloribusque afflicti, ipsa etiam rerum divinarum ope destituuntur; nec est sacerdos, qui tantos casus miseratus, opem ferre velit : unum scio; periculo meo eos in discrimine esse: nisi alia ratione Dei clementia subvenerit, quid mihi faciendum sit, constitutum habeo. Significavit sine dubio, si alii nollent, suo se ministerio voluisse miseris opitulari. Ac varios ille quidem sacerdotes coepit tentare, si tam misere desertos juvare vellent, unusque oblatus est, qui confessiones quidem aegrotorum audiret, et sacrosanctam Eucharistiam praeberet, sed ungere tamen rite recusaret; at optimum, divino spiritu adjutus, consilium cepit; in eam partem dioecesis Mediolanensis misit, quae Helvetiis in profanis paret; indeque non modo presbyterum, qui sacra omnia praeberet, sed alios quoque accersivit, qui operam suam in tali calamitate, mortis metu posthabito, locarent. Gentis enim animi ob colluvionis frequentiam, consuetudinemque firmati ita obduruerunt ut nihil, aut non magnopere pestilentiae contagium timeant, seque inter se invisant, curent, funera prosequantur, cautionesque fere, quasi turpe aliquid, fugiant. Cum coenobitas deinde aliquos, plurimis enim opus erat administris, ad id munus invitasset, alii non omnino recusarunt, alii aperte promiserunt, si suorum praefectorum auctoritas accederet. Non parva erat in parochorum officio difficultas; plerique enim periculum subire recusabant, atque adeo jure cogi se non posse etiam asseverabant; verum Bernardinus Figinus, commemoranda est enim singularis boni presbyteri virtus, quamquam magna vis morbi magnaque

multitudo erat in Comensi porta, qua cura illius continebatur, partes suas ab initio usque misericordi fortique animo egit.

§ 40. Haec ita cum essent, summum Pontificem sibi in primis consulendum Carolus statuit; neque enim adhuc Romae refutabantur litterae Mediolanenses. Quid de parochis agendum esset, per Carniliam consuluit: quidque ipse ex piorum doctorumque virorum sententia existimaret, exposuit. Postulavit, ut auctoritate Pontificia posset homines regulares, quos mala mente claustris suis ad tale obsequium, periculumque exire velle, verisimile non erat; alienosque clericos, etiam suorum Antistitum injussu, volentes tamen, ad aegrotorum ministerium admittere: varia apostolicae indulgentiae genera, etiam quae summa sunt, pro ratione, modoque obsequii, ministeriive, iis proponere, ac impartiri, qui aegrorum curationi, salutique animi et corporis varie inservirent: veniam poenitentibus quorumcumque criminum dare, et quibuslibet animae vinculis sacros homines liberare; quorum caussa ad Romanae Sedis auctoritatem confugere necesse est: coronis calculisque benedicere, quibus precantes varia indulgentiae dona consequerentur; consuluit item, an ad pauperes sublevandos, bonis ad alios pios usus relictis, et quatenus, uti deberet, et ea de re facultatem petiit, etiam si alienatione bonorum immobilium opus esset; litteras quoque Pontificias ad populum, quibus ad calamitatem christiana mente sustinendam, et ad charitatis officia, aegris amanter praestanda, incenderentur. Praeterea, quo mortis casum omni ratione leviorem iis faceret, quos ad ministrandum aliis invitabat, postulavit, ut Missis in sacello sancti Gregorii faciendis, ita mortuis suffragari sacerdotes possent, ut qui Romae in insigni illo altari sancti Gregorii faciunt. Concessiones autem non sibi tantum, cui aliquid humanitus accidere poterat, sed alii quoque, qui in ecclesiae administratione succederet, poposcit. Demum supplex petiit, quidquid in omni cura et administratione, quam sibi proposuerat aggrederetur, et faceret, id ut bene, feliciterque sibi aliisque eveniret, summus Pater precaretur: et quas pro aliis venias, facultatesque petebat, eas itidem sibi jubere posset adhiberi. Annuit Pontifex Caroli postulatis, alia litteris quamprimum mittendis comprehendi; alia consultanda Carniliae mandavit, qui tamen antequam ea conficerentur, vir optimus, optimo vitae fine requievit. Sed rescripsit prius Pontificis verbis, laudare se Caroli animum, tum metu vacuum, tum vero ardenti incensum charitate gregis sui, quem sicuti nullo modo deterrebat, quin praesens omnium saluti diligenter consulere studeret, ita hortabatur, ne ipse illa facile cum vitae periculo obiret, quibus exequendis aliorum opera sufficeret; maximum enim immensae multitudini praesidium, in ejus vita esse positum, quae si deficeret, omnia, ut videbatur, miserrima strage perculsa, et prostrata fore.

§ 41. Neque pro sua tantum, sed pro aliis quoque provinciae

cclesiis, quibus imminebat malum, Carolus Romae egit, ut ea em ratione Episcopos ad charitatem fortitudinemque in eo geere adhibendam impelleret. Interea clero convocato, animos mnium confirmavit; quae partes essent hominum divinis obseuiis addictorum, diligenter monuit; ad aegrotos in tanta rerum mnium inopia studiose juvandos vehementer cohortatus est; uibusdam ex primariis certas urbis regiones assignavit, ut quae pus esse viderent, suo quisque loco, diligenter pro tributa auoritate curarent, aut Carolo ipsi denunciarent. Atque cum ex rbe in castella, villasque quam maxime a periculo remotas, obiles viri, et alii quoque omnes, quicumque perfugii aliquid abebant, passim dilaberentur, plurimos ad se vocatos, qui ipublicae usui esse poterant, in urbe detinere, et ad patriae aritatem praestandam divinis verbis incendere studuit; quosdam, firmius teneret, piis operibus variis in ea calamitate necesriis praefecit. Praefectos autem assidue confirmabat, stimulatque, ut afflictis rebus melius consulerent, nunc ad se vocando, nc ad ea loca adducendo, ubi praesentes mala miseriasque rnerent; frequenter etiam ad eos mittendo. Clericum in conltationibus eorum semper adesse curabat, qui sanitati praesunt blica auctoritate conservandae, ut potestatis utriusque gubertio apte ordinata conveniret, et ad subvenjendum esset accomodatior. Hi magistratus et praefecti, tum qui civitatis in conio erant, primo quidem inusitata, et tunc inexspectata tempestate rturbati, simul ea re impediti, quod, Regis ne, an civitatis mptu, qui maximus futurus erat, tanta providenda essent, sceptatio erat, officii sui partes non satis, ut diximus, agere tuerunt; at cum sese colligentes, negotium serio susceperunt; m omnem ipsi quoque magna diligentia, ut inferius apparebit, agnaque prudentia gessere; qua de re qui eorum negligentiam tarditatem, primo de suggestu religiosi viri graviter increpaerant, atque adeo crudelitatis nomine dure accusaverant, postea irifice laudarunt, praedicaruntque Mediolanenses tarditatem mao virtutis cumulo compensare. Gubernatorem * praeterea ipsum arolus graviter monebat, ut in tanto amplissimae civitatis perialo, et pene imminenti exitio, quae opus essent, provideret; vium fugae modum poneret, egenis curaret subveniri, nam in ies morbus magis ac magis cum ingravesceret, eorum numerus, uos ex urbe quotidie magistratus educi, et in sancti Gregorii ocum conjici jubebant, praeter modum augebatur, et cum eo axime rerum omnium egestas crescebat. Conquiri etiam studiose eterum scripta curavit; quibus de grege a Pastoribus, et praeectis in calamitate non deserendo, praesertim pestilenti tempore, isputatur; exempla item eorum proferri, qui tali tempore curam

* Is Ayamontius vocabatur.

multitudo erat in Comensi porta, qua cura illius continebatur, partes suas ab initio usque misericordi fortique animo egit.

§ 40. Haec ita cum essent, summum Pontificem sibi in primis consulendum Carolus statuit; neque enim adhuc Romae refutabantur litterae Mediolanenses. Quid de parochis agendum esset, per Carniliam consuluit: quidque ipse ex piorum doctorumque virorum sententia existimaret, exposuit. Postulavit, ut auctoritate Pontificia posset homines regulares, quos mala mente claustris suis ad tale obsequium, periculumque exire velle, verisimile non erat; alienosque clericos, etiam suorum Antistitum injussu, volentes tamen, ad aegrotorum ministerium admittere: varia apostolicae indulgentiae genera, etiam quae summa sunt, pro ratione, modoque obsequii, ministeriive, iis proponere, ac impartiri, qui aegrorum curationi, salutique animi et corporis varie inservirent: veniam poenitentibus quorumcumque criminum dare, et quibuslibet animae vinculis sacros homines liberare; quorum caussa ad Romanae Sedis auctoritatem confugere necesse est: coronis calculisque benedicere, quibus precantes varia indulgentiae dona consequerentur; consuluit item, an ad pauperes sublevandos, bonis ad alios pios usus relictis, et quatenus, uti deberet, et ea de re facultatem petiit, etiam si alienatione bonorum immobilium opus esset; litteras quoque Pontificias ad populum, quibus ad calamitatem christiana mente sustinendam, et ad charitatis officia, aegris amanter praestanda, incenderentur. Praeterea, quo mortis casum omni ratione leviorem iis faceret, quos ad ministrandum aliis invitabat, postulavit, ut Missis in sacello sancti Gregorii faciendis, ita mortuis suffragari sacerdotes possent, ut qui Romae in insigni illo altari sancti Gregorii faciunt. Concessiones autem non sibi tantum, cui aliquid humanitus accidere poterat, sed alii quoque, qui in ecclesiae administratione succederet, poposcit. Demum supplex petiit, quidquid in omni cura et administratione, quam sibi proposuerat aggrederetur, et faceret, id ut bene, feliciterque sibi aliisque eveniret, summus Pater precaretur: et quas pro aliis venias, facultatesque petebat, eas itidem sibi jubere posset adhiberi. Annuit Pontifex Caroli postulatis, alia litteris quamprimum mittendis comprehendi; alia consultanda Carniliae mandavit, qui tamen antequam ea conficerentur, vir optimus, optimo vitae fine requievit. Sed rescripsit prius Pontificis verbis, laudare se Caroli animum, tum metu vacuum, tum vero ardenti incensum charitate gregis sui, quem sicuti nullo modo deterrebat, quin praesens omnium saluti diligenter consulere studeret, ita hortabatur, ne ipse illa facile cum vitae periculo obiret, quibus exequendis aliorum opera sufficeret; maximum enim immensae multitudini praesidium, in ejus vita esse positum, quae si deficeret, omnia, ut videbatur, miserrima strage perculsa, et prostrata fore.

§ 41. Neque pro sua tantum, sed pro aliis quoque provinciae

clesiis, quibus imminebat malum, Carolus Romae egit, ut ea m ratione Episcopos ad charitatem fortitudinemque in eo gere adhibendam impelleret. Interea clero convocato, animos nium confirmavit; quae partes essent hominum divinis obseiis addictorum, diligenter monuit; ad aegrotos in tanta rerum nium inopia studiose juvandos vehementer cohortatus est; ibusdam ex primariis certas urbis regiones assignavit, ut quae us esse viderent, suo quisque loco, diligenter pro tributa auritate curarent, aut Carolo ipsi denunciarent. Atque cum ex be in castella, villasque quam maxime a periculo remotas, biles viri, et alii quoque omnes, quicumque perfugii aliquid bebant, passim dilaberentur, plurimos ad se vocatos, qui publicae usui esse poterant, in urbe detinere, et ad patriae aritatem praestandam divinis verbis incendere studuit; quosdam, firmius teneret, piis operibus variis in ea calamitate necesriis praefecit. Praefectos autem assidue confirmabat, stimulaque, ut afflictis rebus melius consulerent, nunc ad se vocando, nc ad ea loca adducendo, ubi praesentes mala miseriasque nerent; frequenter etiam ad eos mittendo. Clericum in conltationibus eorum semper adesse curabat, qui sanitati praesunt blica auctoritate conservandae, ut potestatis utriusque gubertio apte ordinata conveniret, et ad subvenjendum esset accomdatior. Hi magistratus et praefecti, tum qui civitatis in conio erant, primo quidem inusitata, et tunc inexspectata tempestate rturbati, simul ea re impediti, quod, Regis ne, an civitatis mptu, qui maximus futurus erat, tanta providenda essent, sceptatio erat, officii sui partes non satis, ut diximus, agere tuerunt; at cum sese colligentes, negotium serio susceperunt; m omnem ipsi quoque magna diligentia, ut inferius apparebit, agnaque prudentia gessere; qua de re qui eorum negligentiam tarditatem, primo de suggestu religiosi viri graviter increparant, atque adeo crudelitatis nomine dure accusaverant, postea irifice laudarunt, praedicaruntque Mediolanenses tarditatem mao virtutis cumulo compensare. Gubernatorem * praeterea ipsum rolus graviter monebat, ut in tanto amplissimae civitatis perilo, et pene imminenti exitio, quae opus essent, provideret; vium fugae modum poneret, egenis curaret subveniri, nam in es morbus magis ac magis cum ingravesceret, eorum numerus, os ex urbe quotidie magistratus educi, et in sancti Gregorii cum conjici jubebant, praeter modum augebatur, et cum eo axime rerum omnium egestas crescebat. Conquiri etiam studiose terum scripta curavit; quibus de grege a Pastoribus, et praectis in calamitate non deserendo, praesertim pestilenti tempore, sputatur; exempla item eorum proferri, qui tali tempore curam

* Is Ayamontius vocabatur.

aegrotorum, contempto mortis periculo, susceperant; atque omnia* libello comprehendi, edique jussit, ut praecipuus aliquis pietatis ardor in hominum, praesertim sacrorum mentibus, Dei spiritu in primis agente, concitaretur, et ad contemnenda mortis pericula pii mortales acrius inducerentur. Habuit in hoc genere ab Episcopis suis Mediolanensibus exempli aliquid ad imitandum; sed iis praecipue delectatus est, quae, ut est apud Eusebium, Dionysius Alexandriae Episcopus narrat: aegros gravissimo pestis tempore, ab christianis omni charitatis officio adjutos, non solum presbyteris et diaconis, sed laicis quoque: qui quidem jacentibus assidentes, hilare ministrabant, et morbum etiam contrahebant: ipsa cadavera lavantes, ornantes et funebri linteo involventes, immo etiam humeris portantes, libenter una cum fratribus suis mortem oppetebant: eoque libentius, quo genus mortis a martyrii laude nihil abesse existimabant, cum interim gentiles homines miserabiliter se invicem desererent, vir uxorem, uxor virum, filii parentes, parentes ipsi natos suos.

§ 12. Cum essent omnium animi tam tristis eventus exspectatione suspensi, nullusque jam esset mercaturae, artificiive quaestus; suam quisque domum ad quam paucissimos redigere studebat, quia et sumptus diutius ita suppeteret, et in minori numero minus periculum futurum erat contagionis. Itaque et patritii famulos famulasque, et mercatores artificesque operarios, quotquot poterant, missos faciebant; illi autem, neque suo labore, neque aliorum liberalitate vivere poterant; provincia decedere, nisi certo vitae discrimine, per finitimos non licebat; tecto etiam ipso carebant. Atque alii quidem, vitae periculum contemnentes, ut vitam tuerentur; aut si minus possent vivere, honeste saltem occumberent; operam suam aegrotis cadaveribusque deducendis, rebus quoque igne et aqua purgandis, publice locaverunt; alii, agmine facto, ad Carolum, tamquam egenorum patrem, omnes communi consilio confugerunt; quibus item se socios addiderunt mendici multi, qui ostiatim quaeritare victum solebant. Carolus, quamquam de tot hominum inopia jam sollicitus erat, quod humano judicio diu sustentari posse nullo modo videbantur; egregiâ tamen illa suâ fiduciâ confirmatus, de iis sublevandis animo cogitare coepit; post multa versata, cum in primis tecto, eoque amplo opus esset, venit in mentem magnarum aedium ** quas in via Romana, septimo ab urbe lapide, Franciscus Gallorum Rex ante annos circiter sexaginta construxit, victoriae illius monimentum, quam de ferocissima Helvetiorum multitudine, pro Mediolanensi Duce Maximiano pugnante, reportaverat: qua de re eas Victoriae etiam nomine appellavit; quas quidem aedes, cum adjuncto agro, Carolus olim, cum nescio qua ratione obtinuisset.

* Quae S. Carolus vernacula lingua reddi jussit.
** Mediolanenses *Lazaretum* appellant.

pro ea parte, quae ad eum pertinebat, primario pauperum hospitio donaverat. Eo igitur gregem miserabilem misit; supellectilem ad vitae necessitatem suppeditavit; mares a feminis disjunctos haberi jussit; certas precandi exercitationes, horasque praescripsit; religiosos viros laicos et sacros, praesertim quos vocant Capuccinos praefecit, qui eorum res curarent, et multitudinem malis fere artibus assuetam in officio continerent. Ut autem facilius, et otii malum arceretur, et unde viverent suppeteret, ad vicos villasque, quae circum essent turmatim eos educi quotidie praefectorum curâ jussit, et eleemosynas passim quaeritare; ordine autem quaeque turma crucem sequebatur, et litaniae in via operam dabat; ac, tametsi incredibile visum fuerat, de tali hominum genere, sine flagitio fere, toto pestilentiae tempore, quietam in eo loco vitam egerunt. Id fecit indigentia; fecit eorum qui praeerant diligentia et poenae item metus: nam ad eos qui deliquissent, puniendos, judicem suum mittebat Carolus, quemadmodum cum Senatu convenerat qui homines castigari et virgis etiam caedi juberet. Ipse quoque praesens interdum eorum res cognoscebat: tum ex Archiepiscopali domo, licet inopi jam, penitusque exinanita, eleemosynarum subsidio deficiente, quae opus essent et suppetebant, petere atque asportare jubebat. Fuerunt autem ii circiter trecenti. Verum cum, hieme ingravescente, homines semivestiti maxime algerent, memorabile fuit Caroli factum, qui cum aliud non haberet, velaria quibus ex simplici laneo panno, nulla textili pictura, ad parietes vestiendos utebatur, item conopea, vela, stragula, quibus ex eadem materia et opere, operiri lectos, ostia obtendi, mensas sterni opus erat; omnia concidi jussit, et ex iis duplices vestes quamplurimas cum caputio fieri singulisque tradi; ut jucundum pietatisque plenissimum spectaculum, multitudo pauperum, marium, feminarumque praeberet, purpureis, violaceis, viridibus, pullisque vestibus, olim ad amplitudinem comparatis, varie induta. Scio ex ejusmodi supellectili nihil reliquum in Caroli domo fuisse, praeter unum viride et vile conopeum, nescio quo casu omissum, et cannabinum item stragulum viride, quod laneo panno fuerat subsutum; quod in ea ipsa mensa stratum Carolus habuit, qua legendo, scribendove utebatur, neque unquam postea mutavit; sicuti neque pannos parietum, neque stragula ostiorum unquam restitui usque ad mortem passus est. Sed ne aliis quidem rebus ullis tali tempore pepercit; vestes, caligasque, necessariis tantum retentis, aut donavit, aut vendidit, ut pretium pauperibus daret; pelliceas vero vestes ita alienavit, ut usum ejusmodi sibi in perpetuum interdiceret; omnino domus tota rebus iis omnibus exhausta est, quae sibi familiaeque prorsus ad vitam necessariae non essent; nam Carolus ipse cellas ingressus, ne quid forte contra ejus voluntatem reservaretur, inspectis receptaculis, omnia extrahi jussit;

pecunia quoque multa mutuo accepta, quae non nisi ex insequen-tium annorum fructibus solvi posset; quin ea ipsa quandoqu penitus defuit, cumque nihil suppeteret, unde necessaria eme-rentur, et nox jam esset, magnum pecuniae numerum, pro con sueta in eleemosynis dandis magnificentia, Cusani fratres Pom ponius et Augustinus misere: ut ob illam praeclarasque ali virtutes, Augustinum in sacrosanctum Ecclesiae catholicae Sen tum cooptatum, non solum Mediolanensis, sed Ecclesia quoqu laetetur universa; ac non cives solum, sed exteri etiam mul quae pauperibus dare statuebant, eaque magni momenti, mitte bant ad Carolum, quem optime omnium distribuere sciebant.

§ 43. Jam pluribus locis tacta morbo civitas, in tantum pe riculum adducta erat, ut quasi multis partibus injecto igne, su bito atque horribili incendio conflagratura videretur; prudent certe, patriaeque amatores viri summopere dolebant, brevi fo ut amplissima civitas, morbo luctuque confecta, miserrime co cideret, et civium internecione vastata, in solitudinem prope m dum, ut antea simili ex morbo, redigeretur. Multitudo namq populi maxima est: insigni numero plebs et vulgus, genus h minum ad contagium maxime accommodatum, ob confertissima habitationem et sordes: qui si non pestilentia, fame certe, br interituri videbantur; solent enim ex quotidiano quaestu viver cui tunc locus non erat; et si quid supersit, in vestimenta potiu etiam quae longe eorum statum superant, quam in res ad pau diuturniorem victum parandas, malunt insumere. Is cum ess prudentium virorum sensus, ne Carolus quidem, nisi Domin praecipua aliqua atque admirabili ratione subveniret, aliud fo existimabat. Attamen litteris a Pontifice interim, et concessionib allatis, alacri promptoque animo, Deo fretus, et charitatis stimuli concitatus, ad reliquam afflictae civitatis curam aggressus es Atque Parochos, quamvis de eorum debitis populo officiis adhu definitum non esset, gravium tamen scriptorum sententiam se cutus, jussit consistere, aegrotis suae paroeciae adesse, sancta que, Poenitentiae saltem, et Eucharistiae sacramenta ministrare qui resisteret mulctavit, quosdam etiam in carcerem conjecit quamquam plerique minime coacti, ac satis fortiter in urbe, to taque dioecesi, officii sui munera tandem obierunt; quidam etiam sponte extremam unctionem moribundis adhibuerunt. Cum autem artificia varia, mortis metu industriam acuente, quidam inveni-rent, quibus sanctissimam Eucharistiam, vel longe, vel tecti morbo affectis praeberent, nullum adhiberi Carolus passus est, sed manu libere porrigi sacrosanctum cibum omnino statuit. At etiam de-centes cautiones et probavit, et docuit: veluti, ut contra aegroti spiritum sacerdos vultu non consisteret, sed eum commode sem-per declinaret; ut inter eum aegrumque poneretur ignis, cujus vi, quae in aëre esset, tabes absumeretur; digitos statim post

...nisterium, vel aceto, vel accensi cerei flamma purgaret, indu... ...torum suorum, aegrique contactum studiose caveret, sua etiam ...tim mutaret, purgarive curaret, et alia ejusmodi: Baptismum ...oque, non mergendo, ut Ambrosiani ritus est, sed aquam in...ndendo ministrari concessit. Impetrata deinde Apostolica prae...a, ut jam inciperet impartiri, populumque jam totum ad di...num auxilium implorandum, Deumque in primis placandum ...verteret, publicas supplicationes indixit. Litteris editis po...ulum vehementer cohortatus est, ut vere jam, totoque animo ...geret, jejunium cum supplicatione conjungeret, quam frequen...ssimus conveniret, et quaecumque posset, etiam extrinsecus, ...bjectionis et poenitentiae indicia ex animo daret: tum vero ...uperum miseriam, quantum posset, quisque sublevaret, et pro...imo die dominico, postridie nonas Octobris, sanctissimam Eu...aristiam, peccata confessus perciperet; qui id facerent, iis au...oritate Pontificia plenissimam peccatorum veniam concessit; ...onuit diem illum sacrosanctae communicationi dictum, divino ...neficio, eoque singulari insignem esse, in quo ante annos se...em Dominus admirabilem contra Turcas victoriam ad Echinadas ...gitus erat: proinde nova quoque sperarent divinae clementiae ...neficia. Quoniam vero supplicationum gratiâ magnum esse con...ntum oportebat, verebantur maxime qui humano judicio duce...ntur, ne pestifera contagio morbusque magnopere augeretur: ...oque Magistratus rem minime probabant, neque tamen, tanto ...minente divinae animadversionis periculo, magnopere resiste...nt, et vero etiam rebus jam in summum pene periculum addu...s, non valde periclitari ea in re civitas videbatur. Carolus igitur ... eo perstitit, ut ad supplicationes conveniretur: tempus enim ...m tandem videbatur, cum ab humanis consiliis, diligentiaque ...inime penderent; vim publicae ac conjunctae precationis non ...norabat, populo praesertim afflicto, salutariterque commoto: ...mul exemplis majorum confirmabatur, tum domesticis, tum ...ternis, nam et in simili causa S. Gregorium ita suasisse sciebat; ... civitatem Mediolanensem, acceperat, cum olim triennio peste ...borasset, neque liberationis spes ostenderetur, ad extremum ...nni multitudine conveniente, religioseque ter supplicatum ad ...atas ecclesias eunte, subito mirabiliterque liberatam, minus ...ero erat incommodi, quia feminae, puerique incautiora capita, ...omo prodire jam edicto vetiti erant. Feria quarta cum clerus ...opulusque frequentissimus in majorem Basilicam convenisset, ...t ad sancti Ambrosii supplicatum iretur, priusquam in viam se ...arent, Carolus cineres, stata poenitentiae significatione, singulis ...mponebat: capita vero plerique, et ipsi quoque Magistratus, la...rymantes submittebant. Ivit Carolus cappâ, ut appellant, funestâ ...estitus, cujus caputio caput induerat postremamque partem ex ...nstituto prolixam, nemine sustinente trahebat; nudis erat pedibus;

funem collo, ut damnatis mos est, circumdederat; magnam Crucifixi imaginem ferebat, quam fixis oculis progrediens perpetuo intuebatur, omnino veluti reus sordidatus, supplex veniam pro suis carissimis filiis petebat; neque dubito quin jam tum initio pro eorum salute, vitam suam obtulerit; qui postea publice verbis et factis declaravit pro eis sese devovisse: ut illius boni Pastoris fungeretur officio, qui animam suam dat pro ovibus suis; simili habitu fuerunt canonici; immo plerique sacri viri, plurimi etiam laici, cum de eo, quod Carolus facturus erat, fama percrebuisset, nudis pedibus venerunt, cum funibus item collo aptatis parvisque crucibus quas manu tenebant. In Ambrosiana Basilica concionem de suggestu habuit, in qua themate illo ex Jeremia proposito; *Quomodo sedet sola civitas plena populo*, ex tanta, tamque repentina amplissimae civitatis mutatione, rerum humanarum inconstantiam, coelestiumque irarum vim ante oculos ponere, populumque ad errata sceleraque sua deflenda, et calamitatem salutariter ferendam, tum vero vitae rationes melius instituendas incitare curavit. Antea saepe ille quidem ad populum verba facere solitus fuerat, sed licet religiosi viri quandoque suasissent, suggestum conscenderat nunquam, concionemque habuerat ad altare sedens; at tali tempore fecit calamitatis periculique magnitudo, tum pia, quae animis omnium inerat, affectio, communisque dolor, qui propius et clarius ex superiore loco consolatione leniendus erat, ut eo tunc ascenderet, ac ejusmodi loca postea pergeret semper concionari. Itaque tunc moestissimo habitu dicens, Dei spiritu in primis incitante, concionem adeo commovit, ut omnes fere in fletum adduceret, et cum initio plerique separati, ab aliis tangendis caverent, postea nulla periculi habita ratione, confertim ad suggestum propius accedere, audiendi studio conabantur.....

§ **44**. Ad inclusos redeamus. Carolus, cum et ipse clerum suum domi se continere jussisset, iis tamen exceptis, quos ob pia ministeria divinaque officia, foris et in ecclesiis versari oportebat, inclusionis universae diem litteris editis praevenit: quibus quadragenarium illum numerum pie sciteque ad sacram rationem convertens, omnes monuit, ut cum is numerus jejunio atque afflictionibus jam inde ab antiquissimis temporibus consecratus esset; Mediolanenses quoque eo tempore, quo per poenitentiam Deum placare debebant, opportune illud temporis spatium in custodia traducendum religiose acciperent, et ad poenitentiam salutarem accommodarent; praeterea hortatus est, ut ante constitutam diem peccata quisque confiteri, sanctissimamque Eucharistiam accipere studeret, prompteque deinde Magistratuum edicto pareret. Curavit item, ut inclusi, cum adire sacra loca, rerumve sacrarum fructum percipere nequirent, divinis tamen subsidiis, quantum fieri posset, ne carerent, custodiaque illa atque otio domestico ad

exercitationem precandi frequentiorem uterentur. Itaque per urbem apertis conspicuisque locis, ut quam maximus numerus de fenestris januisque, spectare posset, altaria constitui jussit, quantum potuit, ad rei sanctissimae decentiam composita et circummunita; presbyteros elegit, qui in eis quotidie Missam facerent, sanctissimam Eucharistiam, rite scabellis ante januas apparatis, itidem distribui permisit, ipseque saepe distribuit; sacerdotes mittebat, qui cum sacris indumentis, et scamnis ad ferendum accommodatis, domos obirent, ut ad januas sedentes, eorum qui inclusi erant, aliquo intervallo disjuncti, sacras audirent confessiones. Praeterea septies die, nocteque maxima ecclesiae majoris campana signum dari jussit, quo civitas audito, ad litaniam, psalmosque ex editis libellis recitandos universa consurgeret; singulae autem plateae, aut vici quasi choros singulos efficiebant: nam ad fenestras januasque per diem magnamque item noctis partem habitatores veniebant, et uno qui voce excelleret, praeeunte; qui saepe ... erat presbyter, ad altare in via consistens, reliqua multitudo ...nis undique respondebat, quae res erat tum admirabilis, tum ...m, ut in magna calamitate, piis omnibus sane jucunda: cum ...m viderent maximam civitatem, ex libera evagatione, ac ...tia, in cellas quasi redactam, et in monasterium quoddam ...versam, imitatione canonici instituti, septem temporibus no... atque interdiu publice precari; et uno tempore, vias omnes ...aque urbis universa sacris vocibus audirent personare. Haec ...nia cum ita instituisset Carolus, loca omnia obibat frequenter ...tidianaque opera praesens de omnium rerum statu cognosce...: hortabatur, jubebat quae fieri oporteret; per vicos et pla... mira humanitate infimis hominibus precationis ritum tra...bat, rediens rationem poscebat, qui praecinerent ipse deligebat; ... multos simul videbat ad januas congregatos, eo veniens re...osis, piis verbis apposite monebat; omnes consolabatur, et ...otium illud sancte accipiendum consumendumque inducebat ...ino tanta erat Caroli mansuetudo, ut quilibet ex infimis or...ibus libere alloqueretur, ejus se precibus, domumque suam ...mendaret, et tamquam patri, quae sibi opus essent, quaeque ...et, familiariter exponeret; multi qui pudore quodam impediti ...efectis, aut aliis quibuslibet inopiam suam patefacere non au...ant, aperiebant illi multo facilius, illeque egenos ejusmodi ...are praecipue studebat; mulierculae etiam annulos, et alia ...smodi in manum tradebant, quibus venditis, pretio pauperes ...levaret. Tantam autem in eo sibi spem cunctus populus po...erat, ut ejus aspectu primo, vicinia tota frequenter edito cla...ore, misericordiae vocem mitteret. Gregorianas item aedes saepe ...uibat, casasque lustrabat, ac ad singula consistens domi...e, singillatim de iis quae ad animae salutem primo, deinde ...e ad corpus pertinerent, item de opera ministrorum, diligenter

inquirebat: quod erat providendum, curabat diligenter, et memoriae gratiâ, quod facto opus erat, confestim in libello notabat ipse; pecuniam quoque manu sua large dabat egenis; ejus erat consuetudinis, ex hebdomadae diebus, duos iis dare qui in civitate manebant, reliquos iis qui extra moenia erant educti; domo exire nunquam, nisi suorum salutis gratia; mittebat etiam aliquos ex primariis suis presbyteris, qui in equis cistas tenentes, aegrotis ostiatim tribuebant exquisitiora quaedam, quae languentibus stomachis essent levamento. Aegrotos, qui ob dignitatem in urbe relinquebantur, ipse visebat, consolabatur, indulgentiam tribuebat; cubicula ipsa ingrediens, ad ipsos quoque lectos accedebat. In primis curabat ecclesiasticis viris subveniri, iis praesertim qui aegris deservierant: ideoque jusserat, ut sine mora, de inferiorum morbo gradatim certiores fierent superiores; ipsis parochis in urbe, si pestem contraherent, juvandis, se ipsum offerebat: in dioecesi vero vicinos parochos, tum Praepositos, aut Vicarios hortabatur, ut subvenirent, atque his non solum sacramenta ministrari decrevit, sed etiam religiosae consolationis levamen, quamdiu animam agerent: missis ad id quocumque oporteret sacerdotibus adhiberi. Atque hujusmodi Caroli instituta, quotidianam praesentiam, cohortationesque, cum eximia charitate et suavitate conjunctas, plurimum valuisse dubium non est, ut tanta civitas, carceris genus ejusmodi tamdiu facile toleraret: quod initio vix sperabatur, quodque ab aliis civitatibus fere non potuit obtineri. Quamquam autem ab initio Carolus, ut demonstratum est, consilio favit populo in custodia habendo: cum intellexit tamen plus ei remedii tribui, quam ad divinam misericordiam agnoscendam opus esse videretur, ideoque praescriptum quadraginta dierum tempus produci, ita ut ipsis natalitiis Domini festis populus ad ecclesias convenire, ipseque Pontificiam indulgentiam, quae ad ferendum Italiae peste laboranti auxilium, Pontifex in universum proposuerat, promulgare, liberisque conventibus celebrare non posset, cum Gubernatore, qui Viglebanum secesserat, graviter expostulavit, vixque se continuit, quin omni suo conatu resisteret. Tantum tribui Carolus humanis rationibus volebat, ut spem suam omnes in divina clementia praecipue sese collocare, re ipsa palam profiterentur; ad id suadendum recens conventuum illorum eventus, quando frequentissimus populus ad ecclesias supplicatum ductus est, grave argumentum suppeditabat: praeterea, quae ex veteri memoria suppetebant, demonstrabantque, supplicationum conventu potius, quam solitudine, veniam a Domino fuisse impetratam. Cessit nihilominus Carolus, credo ob sacras precationes divinaque officia, quibus tamen assidue populus intra domesticos parietes exercebatur, et in instituta vigilantiae pastoralis opera perseveravit.

§ 15. Haec ita cum ageret Carolus, quae quidem, his praesertim

moribus, et hac remissiore Pastorum cura, magna merito, atque adeo maxima judicabantur: sibi tamen parum facere videbatur, quia tangere, tractareque pestilentiae nomine suspectos, aut etiam infectos, sibi quoque pro suo munere non contingeret. Apud se igitur primo cogitavit, esse in urbe, atque in tota dioecesi plurimos, qui confirmationis sacramento muniti non essent: hos ex vita pati sine tali sacramento decedere, quo salutis imminente certamine, divina firmitas, et robur animis adderetur, neque satis animarum charitati consentaneum, et sibi qui solus posset, etiam quodammodo turpe, omnino sibi minime committendum existimabat; id eo magis, quod ab haereticis sacramentum illud hoc tempore graviter sciebat impugnari. Itaque indicta chrismatis sacri per urbem administratione, quam potuit decore, per dies Episcopali illo munere diu satis functus est, licet enim quotannis, stato tempore per urbis ecclesias idem faceret, multa tamen adhuc hominum millia invenit, qui nondum sacramentum illud acceperant, atque ipso initio, licet de morbo suspectos, et a reliquis segregatos minime vocasset, dubium tamen non est, quin affectos peste quam plurimos inter eos confirmaverit; fieri namque non poterat, ut omnes simul atque contagione infecti erant, a ministris deprehenderentur, et a ceteris separarentur; verum ipsos quoque palam infectos, aegrotosque postea libere, sicuti dicemus, admisit. Urbis cum tantummodo rationem sibi non esse habendam statueret, vicos etiam, castellaque totius dioecesis, quae morbus oppresserat, mira celeritate omnia adiit, et in iis ejusdem chrismatis sacrosanctum remedium passim adhibuit. Postea vero, ut quemque locum recens infectum audiebat, ita eo statim solebat advolare, ac eadem ratione calamitosis consulere. Eadem vero via, occasioneque ad alia quoque utebatur gregibus suis salutaria: nam parochos aliosque sacerdotes ad aegrotorum curam studiosius suscipiendam excitabat, confirmabatque; quosdam etiam compellebat; aegrotos ipsos consolabatur; precationum publicarum rationem praescribebat; omnem populi gubernandi, custodiendi, eleemosynis juvandi rationem recognoscebat; coemeteria consecrabat, quo rite multitudo cadaverum inferretur. Praefectos item, ministrosque civiles juvare studebat, monendo, ad officia commissa inflammando, mercedem promittendo; sacros ministros pluribus locis ab eorum vi, atque injuria defendit, qui sacrorum munerum liberam functionem, ecclesiasticamve administrationem, sive in sepultura corporum, sive in distributione piorum emolumentorum, quandoque in oppidorum ingressu et egressu, vel in segregatione sacrorum hominum, et hujusmodi aliis, impediebant; populos ad ecclesiarum aedificationem, ad festorum dierum integrum cultum, chorearumque refutationem, et alia pia opera publice vovenda, perduxit. Cumque ita frequenter, ut necessitas ferebat, ipse loca omnia obire non posset, suos cum

inquirebat: quod erat providendum, curabat diligenter, et memoriae gratiâ, quod facto opus erat, confestim in libello notabat ipse; pecuniam quoque manu sua large dabat egenis; ejus erat consuetudinis, ex hebdomadae diebus, duos iis dare qui in civitate manebant, reliquos iis qui extra moenia erant educti; domo exire nunquam, nisi suorum salutis gratia; mittebat etiam aliquos ex primariis suis presbyteris, qui in equis cistas tenentes, aegrotis ostiatim tribuebant exquisitiora quaedam, quae languentibus stomachis essent levamento. Aegrotos, qui ob dignitatem in urbe relinquebantur, ipse visebat, consolabatur, indulgentiam tribuebat, cubicula ipsa ingrediens, ad ipsos quoque lectos accedebat. In primis curabat ecclesiasticis viris subveniri, iis praesertim qui aegris deservierant: ideoque jusserat, ut sine mora, de inferiorum morbo gradatim certiores fierent superiores; ipsis parochis in urbe, si pestem contraherent, juvandis, se ipsum offerebat: in dioecesi vero vicinos parochos, tum Praepositos, aut Vicarios hortabatur, ut subvenirent, atque his non solum sacramenta ministrari decrevit, sed etiam religiosae consolationis levamen, quamdiu animam agerent: missis ad id quocumque oporteret sacerdotibus adhiberi. Atque hujusmodi Caroli instituta, quotidianam praesentiam, cohortationesque, cum eximia charitate et suavitate conjunctas, plurimum valuisse dubium non est, ut tanta civitas, carceris genus ejusmodi tamdiu facile toleraret: quod initio vix sperabatur, quodque ab aliis civitatibus fere non potuit obtineri. Quamquam autem ab initio Carolus, ut demonstratum est, consilio favit de populo in custodia habendo: cum intellexit tamen plus ei remedii tribui, quam ad divinam misericordiam agnoscendam opus esse videretur, ideoque praescriptum quadraginta dierum tempus produci, ita ut ipsis natalitiis Domini festis populus ad ecclesias convenire, ipseque Pontificiam indulgentiam, quae ad ferendum Italiae peste laboranti auxilium, Pontifex in universum proposuerat, promulgare, liberisque conventibus celebrare non posset, cum Gubernatore, qui Viglebanum secesserat, graviter expostulavit, vixque se continuit, quin omni suo conatu resisteret. Tantum tribui Carolus humanis rationibus volebat, ut spem suam omnem in divina clementia praecipue sese collocare, re ipsa palam profiterentur; ad id suadendum recens conventuum illorum eventus, quando frequentissimus populus ad ecclesias supplicatum ductus est, grave argumentum suppeditabat: praeterea, quae ex veteri memoria suppetebant, demonstrabantque, supplicationum conventu potius, quam solitudine, veniam a Domino fuisse impetratam. Cessit nihilominus Carolus, credo ob sacras precationes divinaque officia, quibus tamen assidue populus intra domesticos parietes exercebatur, et in instituta vigilantiae pastoralis opera perseveravit.

§ 15. Haec ita cum ageret Carolus, quae quidem, his praesertim

moribus, et hac remissiore Pastorum cura, magna merito, atque adeo maxima judicabantur: sibi tamen parum facere videbatur, quia tangere, tractareque pestilentiae nomine suspectos, aut etiam infectos, sibi quoque pro suo munere non contingeret. Apud se igitur primo cogitavit, esse in urbe, atque in tota dioecesi plurimos, qui confirmationis sacramento muniti non essent: hos ex vita pati sine tali sacramento decedere, quo salutis imminente certamine, divina firmitas, et robur animis adderetur, neque satis animarum charitati consentaneum, et sibi qui solus posset, etiam quodammodo turpe, omnino sibi minime committendum existimabat; id eo magis, quod ab haereticis sacramentum illud hoc tempore graviter sciebat impugnari. Itaque indicta chrismatis sacri per urbem administratione, quam potuit decore, per dias Episcopali illo munere diu satis functus est, licet enim quotannis, stato tempore per urbis ecclesias idem faceret, multa tamen adhuc hominum millia invenit, qui nondum sacramentum illud acceperant, atque ipso initio, licet de morbo suspectos, et a reliquis segregatos minime vocasset, dubium tamen non est, quin affectos peste quam plurimos inter eos confirmaverit; fieri namque non poterat, ut omnes simul atque contagione infecti erant, a ministris deprehenderentur, et a ceteris separarentur; verum ipsos quoque palam infectos, aegrotosque postea libere, sicuti dicemus, admisit. Urbis cum tantummodo rationem sibi non esse habendam statueret, vicos etiam, castellaque totius dioecesis, quae morbus oppresserat, mira celeritate omnia adiit, et in iis ejusdem chrismatis sacrosanctum remedium passim adhibuit. Postea vero, ut quemque locum recens infectum audiebat, ita eo statim solebat advolare, ac eadem ratione calamitosis consulere. Eadem vero via, occasioneque ad alia quoque utebatur gregibus suis salutaria: nam parochos aliosque sacerdotes ad aegrotorum curam studiosius suscipiendam excitabat, confirmabatque; quosdam etiam compellebat; aegrotos ipsos consolabatur; precationum publicarum rationem praescribebat; omnem populi gubernandi, custodiendi, eleemosynis juvandi rationem recognoscebat; coemeteria consecrabat, quo rite multitudo cadaverum inferretur. Praefectos item, ministrosque civiles juvare studebat, monendo, ad officia commissa inflammando, mercedem promittendo; sacros ministros pluribus locis ab eorum vi, atque injuria defendit, qui sacrorum munerum liberam functionem, ecclesiasticamve administrationem, sive in sepultura corporum, sive in distributione piorum emolumentorum, quandoque in oppidorum ingressu et egressu, vel in segregatione sacrorum hominum, et hujusmodi aliis, impediebant; populos ad ecclesiarum aedificationem, ad festorum dierum integrum cultum, chorearumque refutationem, et alia pia opera publice vovenda, perduxit. Cumque ita frequenter, ut necessitas ferebat, ipse loca omnia obire non posset, suos cum

potestate saepe misit, qui loca reviserent, easdemque res recognoscerent, quibus si Praefecti locorum exquisitae custodiae gratiâ restitissent, et locorum ingressum prohibuissent, anathematis poenam adhibuit, et ea ratione aditus omnes suis patefecit: quos tamen certa sanitatis testimonia volebat a Vicariis suis afferre. Atque iis itineribus Carolus incredibiles plane suscepit corporis, animique labores, non primis solum mensibus, sed postea semper, quamdiu morbus viguit, ut neque cibi, neque somni, neque longinquitatis asperitatisve ullius habita ratione, omnia loca celerrime adiret et perlustraret, sacrisque officiis et muneribus, assidua contentione operam daret. Foris ad sacram chrismatis confirmationem etiam infectos ipsos hoc modo coepit admittere, cum ad vicum in via Modoetiensi venisset, qui sexto ab urbe lapide positus, Sextus appellatur, et ad sanctam confirmationem conferendam ibi paratus esset, animadvertit, morbidos quoque magno teneri ejus sacramenti desiderio; cogitavit apud se, neque tunc primum, indigere illos magis, quam alii, utpote morti propinquos, ejusmodi salutis adjumento; itaque divinum sibi lumen, ea in re precatus, Monetam interrogat, censeretne, miseros etiam illos admittendos; neque affirmare ille, neque negare audet; tantum si admittere vellet, operam suam pollicetur. Ecce autem dum consultat, ex iis circiter duodecim adveniunt, et se divinae unctioni offerunt; satellites et praefecti conviciis increpare, repellere, minitari, nisi statim ad locum revertantur. Carolus vero, Jam nihil, inquit, dubitemus, neque enim casu omnino venisse injussi existimandi sunt: et praefectis abstinere silereque jussis, eos aliosque rite confirmavit, idemque passim postea, et foris, et in urbe fecit; accidit autem in vico Tritio, ut aegrotus quidam, vix Caroli manu peruncta fronte, mortuus caderet ante illum. Obtulit se praeterea occasio, ut quod erga parochos et alios presbyteros animis curandis praefectos, de infectis juvandis, tangendisque facturum se pollicitus erat, re ipsa praestaret, in quo quidem consilio ac voluntate, quamvis ei multi contradicerent, persistendum sibi judicavit, affirmans, parochum se esse parochorum; absurdumque videri ac turpe si ipse, qui parochos hortaretur et impelleret, ut curae suae commissos, sacris rebus juvarent, quique eis non semel eam operam pollicitus erat, quam ipsi aliis tribuissent, nunc cum opus esset, abstineret, periculumque fugeret, et qui aliis omnibus persuaderet, ut, metu mortis abjecto, deservirent aegrotis, oblatam occasionem aspernaretur, aut dissimularet; offensioni id multis futurum, cujus causâ vel in eo charitatis officio frigérent, vel penitus abstinerent. Ac primo quidem in urbe parochum ecclesiae sancti Victoris ad theatrum, item sancti Babylae, et plures alios ex pestilentia jacentes, pie visit, ac amanter consolatus est; nonnullos eorum sanctissimo Eucharistiae cibo refecit; qui paulo post vi

morbi interierunt. Illud vero fortius, illustriusque factum. Qui parochiam sancti Raphaëlis curabat, ex quorumdam consuetudine, quos incaute in domum admiserat, morbum contraxit: adiit illum statim Carolus, et aegritudinem pia consolatione lenivit; cumque valde oppressum advertisset, sacris muniendum judicavit. Postero die, mane ad eam ecclesiam venit, ut Missa facta sanctissimam Eucharistiam ad parochum deferret, eique extremam unctionem adhiberet. Post Missam, in quo illius clericum morbi nomine suspectum sacrosancto cibo pavit, dum se mutatis rite indumentis, ad reliqua pararet, clericis et administris qui astabant, et inserviebant, ob periculum expallescentibus, ad ecclesiam venerunt. Joan. Baptista Capra civitatis Vicarius, et Alphonsus Gallaratus designatus, nunc Senatores, unaque patritii multi, ex ipsius civitatis consilio: qui neque loci, neque sacri muneris ratione deterriti, prostrati ac supplices a Carolo civitatis nomine cum lacrymis petierunt, ne in tantum se vitae discrimen vellet objicere, aliorum ministerio presbyteri saluti consuli posse, si forte, contracto morbo, ipse ex hac vita abiisset, res civitatis totiusque dioecesis, quae, ut in maximo periculo optime tamen se haberent et feliciter gubernarentur, in summam confusionem, desperationemque adducendas; omnium animos, eo duce et praeside, sustentari, divini propemodum, et humani subsidii spem in eo uno esse collocatam. Constitit Carolus ad amantissimas civium filiorumque preces audiendas, quibus, cum, eo uno excepto, praesentes omnes lacrymas funderent, respondit: Gratias se agere de tali amore, pietateque in Pastorem suum: sed ne aegre ferrent, si munus illud obiret: suum id esse officium, suasque partes: in quibus etiam si vitam amisisset, recte id factum omnes judicare deberent, neque ipsis ideo desperandum, sed divinae bonitati, summaeque potentiae magis confidendum, cui facillimum erat sine ipso civitatem servare, aut alium Pastorem meliorem dare. Cum aliud impetrare non possent, illi magno affecti moerore tacuerunt.

§ **46**. Interea licet humanae diligentiae officia, eaque exquisita non deficerent, manebat aliqua pestis tamen: neque obtineri poterat, ne quotidie novis casibus, iisque minime contemnendis, cives exterrerentur. Quocirca remedium rursus publicae precationis Carolus, expiationisque animarum quaesivit; solita divina praemia, sicuti consueverat, a Pontifice impetravit, populoque proposuit; quae mense Julio moestis supplicationibus, concionibusque, ut antea, una cum clero et populo prosecutus est. Cum autem per id tempus ex peste Brixia miserrime laboraret, eo voluit Carolus advolare; sed nescio qua ratione dissuadere visus est, impedireque Episcopus, qui quidem cum optime aegrotis consulere coepisset, post interitum nonnullorum ex domesticis suis, non longe ab urbe secessit. Ex iis ille fuit, qui Carolo per litteras

initio suaserant, ut propositis sibi officiis abstineret. Attamen, ut auxilium aliqua ratione Brixiensibus ferret, praeter cohortationes ad Episcopum missas, eo Carolus dimisit Paulum illum, quem toto reliquo tempore Gregorianae multitudini praefuisse diximus. Cum idus Octobres venissent, publici voti dies, Carolus ea celebritate litteris publicis ante denunciata, cives proximae jam liberationis spe proposita, ad veram divinae misericordiae fiduciam excitavit, tam incerto praesertim humanae industriae praesidio cognito; novas supplicationes decrevit in urbe, ac in dioecesi; sacris in aede S. Sebastiani celebratis, diei religioni satisfieri curavit, et voto. Populus per partes de more distinctus convenit; civitatis consilium, et qui in singulis paroeciis a populo mandatum acceperant, solemnia dona obtulerunt. Respiciens deinde pius Pater eorum conditionem, qui toto illo tempore in urbe, dioecesique, immo in aliis item Italiae civitatibus mortui erant, quibus pro morbi ejus ratione, quo cognati omnes saepe absumuntur, deesse fere credibile erat, qui sacris officiis opem ferrent, ut suis et alienis, omnia optimi patris officia praestaret, communes eis exequias constituit, tribus diebus celebrandas, qui sancti Martini diem festum sequebantur: qua in re vivis quoque ipsis consulebat, si officia illa et sacrificia christiane prosequentes, integram sibi, atque aliis, religiosi operis virtute salutem possent impetrare. Primo igitur die, una cum omnibus presbyterorum collegiis in ecclesia majore, funebria sacra celebravit, altero, tertioque die in urbis ecclesiis peracta sunt, quae collegia habent, ad quae singula reliqui omnes regionis ejusdem clerici convenerunt; unumquemque presbyterum pro iisdem Missae sacrum iisdem diebus facere jussit; ad eamdem rationem sacra in dioecesi facienda mandavit, primo autem populum ad id publicis litteris cohortatus, ad alia quoque opera incitavit, quae suffragio, salutique mortuis esse possent *. Post haec in longinquiores dioecesis partes excurrit, et ad loca venit Helveticae ditionis, tum pestilentiae caussâ, tum ut nonnullas in ecclesiam prohiberet injurias; quibus in locis, quoniam permisti erant, morbidis aeque, atque integris sacramenta praebuit. Quod jam mente Carolus de civitate liberata conceperat, id enunciare volebat palam, religiosoque ritu publicam ea de re celebrare gratiarum actionem, sed contra, magistratus dicebant: debilitatam valde, sed non extinctam esse pestilentiam; docere id, si non quotidianos ac frequentes, aliquos tamen adhuc ex eo morbo morientium casus; vel illud valde vereri, ne potestate facta, cum ea, quae publicis jussis recondita consignataque fuerant, depromerentur; multa pestilenti contactu affecta, rebus adhuc recentibus, reperirentur; quae de integro civitatem in easdem miserias conjicerent, si liberatione promulgata,

* Hisce tribus diebus ad precationes supplicationesque datis, ingens pecuniae acervus fuit congestus. Proposuerat enim S. Carolus, litteris publicis, tria post pestilentiam perficienda, quia pecunia opus esset: inter quae, hospitalem pro mendicis domum.

rursus invalesceret morbus, praeter calamitatem et damnum, quam id pudendum foret? Sed tenuit animo mirum in modum confirmato propositum Carolus; de libera integraque, non civitate solum, sed etiam dioecesi certum una cum magistratibus constituit, ad agendas publice de accepto maximo beneficio gratias, proximum sancti Sebastiani festum diem anni MDLXXX delegit: ut quem patronum, imminente periculo, sibi Mediolanenses advocaverant, eodem postea impetratâ veniâ, ad gratias recte agendas uterentur adjutore: et quem initio afflicti oraverant, eidem in fine liberati, gratos sese ostenderent. Itaque praeter supplicationes, quae alioqui ad illius ecclesiam habendae erant, binas alias Carolus indixit. Itum est ad sancti Ambrosii; deinde, ut initio periculi factum est, ad urbis compita omnia. Quae quidem supplicationes, ut celeberrimae, ita sanctissimae fuerunt; ob id quoque in primis, quod sacras reliquias omnes, quam maximo fieri potuit ornatu, clerus universus, ut antea, ferre jussus est; cum vi luminum prope immensa, quae non modo clerus adhibuit, sed populus quoque frequentissimus. Affuerunt Gubernator, Senatus et Magistratus reliqui, omnesque publice, pieque gratias egerunt, ex libello, cohortationeque, quam ad eam rem Carolus edi jusserat. Atque dum ad compita ordines duceret, ad Cruces morabatur, quae ibi pestis caussâ erectae fuerant, et posita sacra re quam ferebat, in mensa ibidem ad id decore constituta, rite precabatur; mira pietate clerus et populus in ea supplicatione perseveravit usque ad noctem, cum mane coepisset; via etenim ob amplitudinem urbis longissima est; accessit maximus plurimorum tormentorum sonus honoris, et laetitiae gratiâ ex arce effectus, dum sacri ordines ea urbis parte transirent. Cum in ecclesiam majorem reditum esset, sanctissima Eucharistia prius per ecclesiam omnibus sacrorum hominum choris comitantibus lata, in altari proposita est: cum omnia maximo, gratissimoque sono, hymnis, psalmisque, tum tubarum etiam clangore personarent. Ibi Carolus, quasi nihil adhuc fecisset, quadraginta horarum precationem ante sanctissimam Eucharistiam instituit, in qua eadem patientia, et labore, quo antea sacro proposito Clavo, sese exercuit. Quo tempore cum in concione civitatem a morbo divina ope liberatam diserte praedicaret, erant qui valde mirabantur, quo certo signo id posset affirmare; nonnihil etiam verebantur, ut ea praestari posset in posterum affirmatio, quod ita Deo concedente, factum est tamen. Alia quoque civitas, consueta populis laetitiae signa multa edidit, quae praeterimus, litteraeque ad exteros populos datae, ad mutuam consuetudinem plene restituendam. Carolus Episcopos provinciae missis litteris monuit, rogavitque, ut una vellent gratias agere, atque alii omnes per litteras gratulati sunt: Nicolaus * autem Cremonensis Episcopus, ex

* Nicolaus Sfondratus e patricia Cremonensi familia. Eum quambenignissime hospitatus est in

praecipuo in Carolum, patriamque amore, gratulationis caussâ Mediolanum venit, et de suggestu concionem in ecclesia majore, praesente Carolo, Gubernatore Magistratibusque ad populum habuit sane piam et luculentam.....

LIBER QUINTUS

§ 47. Cum res tantas Carolus gessisset, restabat, ut piis praemiis afficeretur, quae praestantissimo cuique, ex iis qui Christum sequuntur, in terris quidem sunt exspectanda; dico, ut variis rursus molestiis acerbitatibusque premeretur. Id cum Diabolus ad impediendum commune salutis negotium semper curet, saepe numero etiam Dominus permittit, ne sese homo magno salutis periculo efferat, et eo majorem gloriae mercedem accipiat in coelo, quo gravioribus in terra perfunctus est periculis et laboribus. Caroli res pestis caussâ gestas, praesentes absentesque, ii quoque qui initio in multis dissenserant, divinis laudibus extulerunt, et pene ex ultimis terris, etiam regiae missae fuerunt gratulationes; alieni homines, ac malevoli coacti sunt vel obmutescere, vel probare multa. Sed non ideo tamen non fuere, qui proximis annis duobus, negotium ei gravius etiam et molestius quam antea variis de rebus facesserent, ac ob ea ipsa quae pestilentiae caussâ fecerat, criminis aliquid invenirent ad Pontificem Gregorium deferendum. Igitur Gubernator, qui jam inde ab ejus cui successerat tempore, alienum a Carolo animum propter ea quae tum acciderunt habuisse videbatur, vix morbi sublatis impedimentis, jurisdictionis ecclesiasticae negotium instaurari curat. Senatus nomine Romam ea de re mitti jubet; delectus est Jacobus Ricardus jurisconsultus Laudensis, nunc Senatus Mediolani Praeses, cujus virtutem, diligentiam studiumque, cum regii legati probarent, modestiamque quoque, et adversus Carolum reverentiam ipsi quoque Caroli procuratores laudabant. Ac eodem fere tempore venit a Rege missus ex Hispania Marchio Alcanisii, vir prudens et pius, qui diu jam omnium juris ecclesiastici controversiarum caussâ exspectabatur, quae in aliis quoque erant Regis provinciis de quo principe viro silendum non videtur, licet regiam caussam caute ac diligenter egerit, optimo tamen animo, summaque observantia in Carolum fuisse: nam et a Rege plurimi illum fieri affirmare solebat, stultumque omnino esse palam semper praedicavit, de ipsius mente quidquam a sanctitate alienum suspicari. Itaque Gregorii Pont. jussu nonnulli Cardinales, viris aliis eruditissimis adjunctis, rem totam cognoscendam susceperunt. Sed ad pristinas caussas addi Gubernator jussit recentem de pestilentia querelam, quod de sacris hominibus

suo palatio S. Carolus, qui tum, hospitii caussâ, ad ignem aliquantulum, familiaribus suis stupentibus, accessit.

pestis caussâ custodiendis, et liberandis Carolùs constituerat; feceratque, ut omnes, quicumque ecclesiasticae administrationis gratiâ opus fuissent, ad omnia loca pervenirent, suorum tantummodo de sanitate testimoniis acceptis: eam ob rem civitatem scilicet in discrimen adduxisse criminabatur. Praeterea Caroli administrationem, ejusque Vicariorum foris, et in urbe magno studio scrutatus est, si quid inveniret errati, ut multis eum posset nominibus accusare, usque eo, ut si ecclesia rectore careret; si quid forte gravius publice peccanti poenitentiae nomine imponeretur, et alia ejusmodi diligenter observarentur, et iis de rebus testimonia Romam mittenda colligerentur. Procuratores castellorum agri Mediolanensis ejusdem jussu multi Mediolanum vocati, varieque de Vicariorum actionibus interrogati sunt: qui tamen licet minarum aliquid interponeretur, et ea de caussa non sine magno incommodo, pluribus diebus in urbe detinerentur, adduci non potuerunt, ut contra Vicariorum ipsorum sacram gubernationem quidquam dicerent; aut vero, quod magis cuperetur, litteris consignarent. Quarum rerum idoneos quosdam Gubernator nactus videbatur administros; ex quibus nonnulli Carolo plurimum ob ejus merita debebant. Civitatis consilium in ea caussa, sibi adjungere curavit; adduxitque tandem, ut primo litteras, deinde etiam, uti dicetur, nobiles legatos ad Pontificem mitteret, et de multis, quae ipse injusta judicabat, populi nomine conquereretur. Accusationis vero capita erant: de ludis publicis, saltationibusque prohibitis; de festorum dierum integro cultu vindicato; de peccatorum quorumdam absolutione, ob frequentiam licentiamque nimiam, reservata; de primo die Quadragesimae in antiquum statum restituto; de servitute, atque injuria sacrarum aedium, januis a lateribus clausis, sublata; de marium et feminarum ad honestatem, decusque sacrum conservandum in ecclesiis separatione; de beatorum patronorum Protasii et Gervasii festo die, cultuque veteri redintegrato: et si quid simile forte nobis excidit. Quae quidem, quoniam fieri non poterat, ut duriuscula quibusdam non viderentur, qui per se iis rebus commoti essent, eos tali auctoritate contra Pastorem suum multo gravius incitari; qui vero quieti, tentari magna ex parte, et non mediocriter commoveri, necesse erat. Interim vero si quid ipse horum posset, id reipsa, factisque disturbare, rescindereque studebat: quae Carolo displicerent, ea studiose conari videbatur; nam saltationes instauravit, hastiludia etiam alieno prorsus tempore exerceri jussit; quae olim de sodalitiorum coetibus habendis turbata erant, renovavit. Ad haec quae collegia, monasteria, quive privati vellent ex sacris profanisque ordinibus, Caroli jussis, decretisve resistere, iis omnibus Mediolani, Romae, auctoritate, gratia, suorum opera sese praebuit adjutorem; omniaque regii nominis integumento studuit honestare. Quae Carolus melioris disciplinae gratiâ faciebat,

ea saepius in personae suae sine caussa vertit injuriam, et ea de re magis etiam sese commotum praebuit. Neque, licet Carolus eum quandoque paterno moneret officio, qua de caussa, quove animo faceret, simpliciter aperiret, rerum quas contra is tantopere laboraret, fructum ad Dei cultum, salutemque hominum demonstraret, acquiescebat ullo modo tamen. Hujusmodi Gubernator per eos annos magno studio, vehementiaque et sua sponte incitatus, et ab aliis, ut ferebatur, instigatus egit; et in ea contentione tamdiu perseveravit, quamdiu licuit in vita commorari. At sacri quoque ordinis homines in multis ad rem perficiendam, Carolique sollicitudines, et curas augendas, ex altera parte non defuere; quod quidem earum rerum, quae contra sanctitatis excellentis viros insectando fiunt, plerumque solemnis accessio quaedam, atque cumulus esse solet. Coenobitae magna ex parte, propter ea, quae circa suam, virginumque sibi creditarum disciplinam, eo quoque tempore Carolus agitavit, illi sese infensos admodum praebuerunt; praesertim ob eas hospitales aedes, quae virginum coenobiis ipsorum commodo sunt adjunctae: quarum corruptelas quasdam tolli studebat. Itaque Romae quidam eorum, occasione ex caeteris, qui adversabantur, arreptâ, in eum ejusque existimationem acerbe, quantum potuerunt, invasere. Religiosioris item ordinis nonnulli, aliqua ex parte consenserunt, Caroli studiis atque operibus non obscure detrahentes, et caussam adversariorum probantes; ac inventi sunt, qui de suggestu celeberrimis in concionibus, id facere non vererentur. Quorum dictis, Principis, ac omnium, qui cum eo Caroli oppugnandi negotium susceperant, animis acuebatur; alebatur multarum rerum licentia, quas jamdiu Carolus communi bonorum consensu, tollere contendebat; offensiones omnino publice ac privatim extabant graves et multae. Quod libertatis genus, cum tacitus mirâ patientiâ, bonis indignantibus, diu Carolus tulisset, privatisque tantum admonitionibus temperari benevole curasset, demum, justitiae servandae necessitate, gregisque sui charitate coactus, removendum esse, coërcendumque statuit, ac ea concionandi ratio reprehensa Romae graviter, et punita est.....

§ **48**. Inter eas acerbitates, quarum exitum postea exponemus, Carolus novas quaerere non desistebat salutaris vitae progressiones. Etenim ex praeterita pestilentiae calamitate, quemadmodum aliis mortiferi aestus venenum in membra injectum, ita illi pietatis et charitatis ardor in animum immissus videbatur; tuncque magis quam unquam antea erat ad summos sanctitatis perfectaeque disciplinae gradus erectus. Illud inter alia, sublato statim pestilentiae morbo, curavit, ut coenobiticam vitam una cum clericis suis institueret..... Cum pro Episcopalis vitae statu, qui religiosos ordines quoscumque perfecta, optimaque vitae institutione antecellit, et utinam re, factisque semper antecelleret,

humana studia Carolus, resque caducas animo jam penitus abjecisset, ad rem perficiendam, aliosque exemplo commovendos, illam animi conformationem, re ipsa praestare, factisque exequi cupiebat: quod quidem ad imitationem eorum veterum Episcoporum valde pertinebat, quos in primis sancta colit Ecclesia. Egit primo ea de re cum canonicis majoris Basilicae; quos ea conjunctionis accessione, uti vere fratres arctius complecti volebat, et tamquam ecclesiae senatum, ut veteres dixerunt, in ecclesia gubernanda conjuncte magis adhibere. Neque vero id a superiorum instituto valde aberat: nam inter se olim ejusmodi vitae rationem Mediolanenses canonicos, collatis in communem usum fructibus, sub Archiepiscopo Oberto habuisse, testantur Eugenii tertii summi Pontificis litterae, quas aliud agentes nos eo ipso tempore forte reperimus. Volebat vero ipse quoque Carolus reditus suos omnes, ut alii, conferre, ut qui ei curae praefectus esset, habita ratione dignitatis, officii, et eorum omnium quae Caroli persona, sancte tamen, postulabat, prout cuique opus fuisset, distribueret, et omnino quantum pro ratione dignitatis posset, pari conditione cum suis fratribus vivere, in animo habebat. Sed quamvis ex eis nonnulli consentirent, quibus vitae ratio ad divinorum consiliorum praescriptum proposita erat; ceteri tamen adduci non potuerunt. Id cum minime successisset, aliam societatem instituere constituit, clericis omnibus communem, qui coenobiticae disciplinae imitatione viventes, ecclesiae Mediolanensi multo magis, quam ceteri clerici mancipati, Archiepiscopoque addicti, sacra munera, quae pro tempore usuque ecclesiae oporteret, prompto animo ex Archiepiscopali jussu obirent. In eum numerum plures canonici, una cum aliis presbyteris, et clericis nomen dedimus, vitae conditiones post multa, Romano Pontifice consulto, hae fere eo quidem initio constitutae sunt: ut Oblati S. Ambrosii ii dicerentur, quod non certo homini, sed ecclesiae Ambrosianae sese addicerent, utque Archiepiscopo semper obedire promitterent, voti vinculo astricti; haec vero eorum munera fere commemorata sunt, ecclesias perlustrare ac recognoscere; parochi munus, ubicumque necesse esset, ad tempus sustinere, sacras habere conciones, muliebribus coenobiis sacris ministeriis inservire, christianae doctrinae rudimenta per ecclesias docere, collegiorum a Carolo institutorum gubernationi operam dare: Archiepiscopalis etiam domus ministeria obire; quibus quidem in rebus ita Carolus iis uti constituit, ut tamquam Apostolicos viros, quocumque opus esset, mittere; tum ad arbitrium suum revocare, posset, utpote iis vinculis solutos, quibus clerici passim detinentur, haud penitus Deo, Ecclesiaeque traditi, sed arbitratu suo viventes, et commodis, utilitatibusque suis suorumque saepe servientes; quod si qui magis ad vitae perfectionem accedere, rebusque suis omnibus quae possideri possunt,

per votum se vellent abdicare; aut vero facultates suas retinentes, earum tantummodo potestatem ad Archiepiscopi arbitrium deferre, eos admisit.....

§ 19. Animi divinitus ardentis indicium, praecipueque rei exempli visa fuit omnibus Taurinensis peregrinatio. Habet Sabaudiae Dux, magno Dei beneficio, Sindonem illam, qua sanctissimum Jesu Christi corpus olim pii viri de cruce sublatum involverunt; eam Carolus cum visere jam antea optaret, tum a pestis calamitate magno ejus rei desiderio coepit teneri, neque amplius illius explendi tempus sibi differendum statuit. Ea re accepta, Dux Emanuel, qui alioqui, et sacrum linteum ab oppido Camberio, quod ultra Alpes situm est, Taurinum transferre justis de caussis in animo habebat, et Caroli praesentia, consuetudine que frui pro sua pietate, et in eum observantia cupiebat, occasionem arripuit; Carolum invitavit, et linteum transferri jussit. Iter pedibus facere Carolus constituit, quod est passuum octoginta millium, ex plurimis, qui libentissime profecti essent, idoneum comitatum, sacrorum piorumque hominum delegit, itineris, exercitationumque rationem ordinavit, dictus est profectioni dies. Pridie vero ejus diei, comitibus convocatis, exposuit quid in itinere fieri vellet, mane a sacerdotibus missa facta, accepta ab aliis sanctissima Eucharistia, omnes affuerunt cum baculis et indumentis, quibus solent pia de caussa peregrinantes uti; quibus ex ecclesiastico ritu, cum Carolus benedixisset, discesserunt, clerus majoris ecclesiae usque ad portam civitatis comitatus est; ibi Carolus breviores vestes baculumque sumpsit, tum canonicos pie admodum, atque amanter singillatim complexus, magna cum multitudinis quae secuta erat, piaque jucunditate, dimisit, et iter ingressus est. Itineris ratio fuit: summo mane, sacris procuratis, aderant omnes, et ab ecclesia initium erat proficiscendi, bini ibant, et horis certa ratione distributis nunc ei rei a Carolo praefectus, salutarem meditationis materiam tradebat; nunc taciti et meditantes ibant; pias animorum conceptiones postea conferebant; alias alternatim psalmos pronunciabant; interdum ex calculorum corona quam manu tenebat quisque, precationem Dominicam et Angelicam salutationem inter se repetebant, ambulantibus denique nihil otii relinquebatur; totum viae tempus salutariter consumebatur. Cum meridie vesperique ad oppida hospitii caussâ venerant, adibant ecclesiam primo, ibique Carolus more suo genibus flexis, cum suis canonicarum horarum preces obibat, licet corpore de via saepe non mediocriter languenti; mensa, quae semper moderationem, ne dicam inopiam praeseferebat, sacra lectione, piove sermone minime vacabat: reliquum temporis, quod erat exiguum, rebus corpori necessariis dabatur. Mirificus erat toto itinere concursus ad vias, quibus pius comitatus transibat, in oppidis

vicisque in quibus fortuitum semper hospitium eligebatur. Ut mira omnium commotio, ita singularia erant christianae benignitatis officia; certatim omnes honoris et reverentiae significationes dabant, certatim etiam quandoque ad domum quisque suam rapiebant peregrinos, ubi pie admodum amiceque eos tractabant, pedesque lavabant, alias vero, si adventus differretur ad noctem, lumina ex cunctis aedibus proferebantur, comites in itinere multi sese offerebant. Joannes Franciscus certe Episcopus Vercellensis *, una cum aliis viris religiosis, ab urbe sua numerum auxit. Quamquam autem ipsa tota actio ita ordinata, plena optimi et inusitati exempli erat, quaedam in Carolo tamen praecipue licebat passim observare: singularem quamdam hilaritatem, quam ex incommodis hospitiis capiebat; non patientiam solum, sed gaudium, quo pluvias, lutum, alias viae difficultates, corporis etiam defatigationem perferebat: ex qua aegre admodum saepenumero membra trahere videbatur; interdum etiam antequam cibum sumeret, mira humanitate et modestia jejunus adhuc aliis prandentibus legebat. Toto jucunda res fuit itinere, amplissimi Pontificis personam videre cum inopis peregrini humilitate conjunctam; sed jucundissimum omnino spectaculum, cum eo quarto denique die Taurinum appropinquante, qui fuit v Id. Octobris, post Archiepiscopum nobilesque viros multos, Dux ipse cum Principe filio, tum Cardinalis Vercellensis, multique Episcopi, qui convenerant, obviam humili, atque abjecto peregrinorum numero, cum nobilissimo comitatu, armatorumque militum ordinibus processerunt, faustisque salutationibus, cum magno tormentorum bellicorum sonitu exceperunt, seque socios itineris modici, quod restabat, in eum numerum intulerunt. Ventum est primo ad majorem ecclesiam precandi caussâ; postea in palatium ad sacellum sancti Laurentii, ubi sacra Sindon erat, maxima cum hominum multitudine, non solum ex vicinis locis, sed Mediolano, et ex aliis civitatibus regionibusque, qui rei fama permoti, cupide convenerant. Ibi Carolum quasi factum subito ex egestate ditissimum, non sine delectatione observabant multi, magnificentissimo planeque regio apparatu, quem praecipuo studio Dux adhibuit, ita plane uti, ut tuguriis in itinere usus fuerat. Ac licet ob exorta itineris labore sub pedibus tubercula ita laboraret, ut incisione etiam opus fuerit, noluit jacere tamen, et munera sua libere semper obiit; postero die privatim peregrinis sanctum Linteum ostensum est; Carolique jussu multa de eo dicta sunt ad animos, ex tali specie per se maxime commotos, magis etiam excitandos, publice deinde spectandum in amplissima platea, praesente, tenenteque Carolo cum Episcopis omnibus, Pontificiis vestibus indutis, Duce, nobilitate, omnique populo astante, propositum fuit.

* Is, a majoribus Canonicis, nobilissimisque viris comitatus, ei obviam ivit extra Vercellas ad mille passus.

Mox ante illud in majore ecclesia decenter, cum perpetua s crorum virorum et religiosae militiae custodia, collocatum, qu draginta horarum supplicationem de more Carolus instituit, ho clero et populo ad conveniendum, precandumque distincte d stributis, quo in supplicationis munere partes suas minime de derari Dux ipse passus; est singulis horis, singulas concion viri sacri, suam quisque, Carolo de more id exigente, habueru etiam Episcopi, et Cardinalis ipse Vercellensis. Carolus vero plu habuit. Cumque plurimos advenisse ex propinquis vallibus ha reticos animadversum esset, tum ad eos sanandos conversae su conciones, tum tempus supplicandi etiam prorogatum. Octa demum die Carolus, cum toto ejus temporis spatio in ecclesi intra parietes, in mensa, et ubique salutaria dicta, exemplaqu ut cuique conjicere facile est, abunde protulisset, jam jam disce surus, longos habuit cum Duce de imperio pie administran sermones; tum vero surrexit amplissimus Princeps, et ad Car sese pedes abjecit; idemque Carolum Emanuelem filium, n thumque Amadeum facere jussit, ac supplex, ut sibi, filiisque b nedicere vellet, postulavit; recusabat Carolus, suum id eo lo non esse dicens, et quantum poterat, eum erigere conabatu instabat vero Dux, seque, nisi sacri signi expetitum munus acc pisset, negabat surrecturum; cum lacrymas neque Dux ips neque astantium quisque tenere posset, in tam praeclara, atq illustri singularis pietatis religionisque specie. Cum impetras tandem, quod postulaverat, jussit Principi filio, Carolum obs craret, ut se filii loco semper habere vellet, ipse perpetuo tantu virum coleret, ejusque praeceptis studiose obediret; tum ip quoque Carolum ea de re vehementer oravit. Id re ipsa effectu est: nam paulo post Emanuele mortuo, Carolus Emanuel D factus, Cardinalem Patris loco semper habuit; illeque Duce quibus rebus potuit semper ad salutem, imperiique prosperitate amantissime juvit: neque tempus ullum praetermiserunt, q simul esse possent, quin eo studiose uterentur. Ita se habuit p regrinatio illa, pietatis fructu sine dubio in omnes partes ube rima, Caroloque ipsi ob sanctissimi Lintei in primis contemplati nem diu expetitam, deinde etiam ob perspectam Ducis singulare pietatem, Principisque optimam indolem, jucundissima. Non e praetereundum, nobilissimam civitatis matronam, baculum, q ille in itinere usus erat, magno studio conquisitum apud se p servasse, atque inter res carissimas habuisse, ut videatur Domin ejusmodi honores prorsus inusitatos Carolo tunc eo loco habe constituisse, cum alibi sollicitudines, et molestias inusitatas su stineret. Inde Carolus accepta ecclesiarum quarumdam visend rum occasione, divertit ad Varallium montem, ut, propositis pe locis illius imagines Domini perpessionibus, ipsam rursus quo dam modo sacri Lintei miserabilem speciem, quae ejus vulnera

cruciatusque omnes acriter admodum refert, absens renovata meditatione contemplaretur. Ibi animum divinarum rerum cogitationibus, corpus vero pane et aqua tantum sustentavit; noctem totam ad aediculam quandam, ex iis, quas mons plurimas habet, vigilias egit, una cum Francisco Adorno societatis Jesu, quo saepe sacrarum exercitationum adjutore uti solebat: demum Mediolanum rediit.

§ 50. Quintum * consueto anni tempore celebravit Episcoporum suorum concilium, in quo multa decrevit ad fidem catholicam a vicinis haereticis tuendam; ad christianam doctrinam tradendam, et in populo conservandam; ad sacros dies, sacraque tempora recte colenda, et ad alias christianae disciplinae partes tuendas, spectantia; praecipue vero de Episcopi et presbyterorum officiis pestis tempore, et de omni cura et gubernatione ad Dei sacerdotes illi tempore pertinente, ex iis quae experiendo et perficiendo cognoverat, multa constituit, in quo novam et pulcherrimam Ecclesiae Dei paravit supellectilem; quintum celebravit quamquam quarti decretorum volumen Romam anno ante probationis caussâ missum, ut absolveretur, nondum impetrare potuerat: inciderat enim in eosdem scopulos, in quos res ejus reliquae. Illius concilii Episcopi, cum advertissent inter alias corporis afflictiones, illam quoque Carolum suscepisse, ut super asseribus cubaret, quod quidem ad salutarem et quietam tali tempore gubernationem gregis sui a Domino impetrandam, tunc fecisse credibile est; idem atque etiam ab eo postularunt, tandemque obtinuerunt, ut tantam remitteret asperitatem, et paleas saltem pro lignis substitui pateretur. Operam dedit post concilium valde opportunam, gravissimamque praesentiae suae tribuit auctoritatem Congregationi Clericorum regularium S. Pauli **: quae novas sibi constitutiones, cum ei veteres auctae jam, et amplificatae non sufficerent amplius, scribere, summo Pontifice approbante, instituerat; ipse enim pro sua antiqua erga eam voluntate, quod libentissime commemoro, Patrum consultationibus ea de re habitis amantissime interfuit et praefuit; quaecumque constituenda essent, omnia recognovit, probavitque, et Pontificia quoque auctoritate confirmanda curavit: ut ex antiquis Episcopis unum posses agnoscere, qui pro sui status eximia praestantia, etiam de eorum disciplina, qui excellentiorem christianae vitae formam propositam habent, optime judicabant, atque adeo illam ipsam vitae suae exemplo exprimebant. Est vero, cur id divini, maximique beneficii loco quod facimus, ducere debeamus; quod tanti viri benigno adjumento, atque auctoritate, jacta sint nostrae amplificationis fundamenta: nam et rerum nostrarum ab eo tempore eventus ita

* Anno 1579.
** Qui vulgo *Barnabitae* vocati sunt, ex quo Collegium ad S. Barnabae aedem, Mediolani, sibi acquisivere.

perspicue confirmant. At Caroli quoque benevolentiae atque amori respondit semper ordinis nostri inter ceteros, vel potius, si bona omnium pace dicere licet, praeter ceteros omnes, summa observantia, constansque ejus studiis obsequendi atque inserviendi voluntas; ut tantum ei Patres obedire ejusque sanctos conatus juvare studerent, quantum ille eos benigne complectebatur, et novis semper beneficiis ornabat. Studuit eodem fere tempore diligenter, ut erat coenobitarum disciplinae juvandae studiosissimus, et ad eorum pia commoda, progressionesque semper, etiam inter maximas occupationes, paratissimus; rebus ordinis illius componendis, qui sancti Ambrosii dicitur, Mediolanique, ac aliis quibusdam locis ritum servat Ambrosianum; quibus ut res suas optime constituerent, religiosissimi Antistitis auctoritas, atque diligens opera non defuit; edidit libellum per id tempus, quem Memorialem inscripsit: ut ex eo Mediolanenses afflictionis, liberationisque suae proximae; tum caussarum, unde profecta afflictio existimari debebat, memoria conservata: res prosperas temperarent, gratias Deo haberent, agerentque semper, sibique in posterum cautius providerent....

§ **51**. Interea contentiones adversus Carolum susceptae, totoque hoc temporis spatio continuatae res ejus tantum in discrimen, et invidiam adduxerant, ut nihil fere amplius actorum ejus Romae defendi posse quibusdam videretur. Incommodis sermonibus, et rebus invidiose relatis jamdiu completas aures, vix demum Ecclesiae principes multi sine fastidio Caroli procuratoribus dabant. Ejus existimatio, quod ad judicium prudentiamque pertineret, suspensa, neque mediocriter apud multos erat extenuata. Importuni rumores spargebantur, Carolum plerisque odio esse in provincia Mediolanensi, vix ferri posse amplius; immo ferebatur, mandasse Regem legatis suis, ut eum Episcopatu Mediolanensi moveri curarent; Gubernatori vero, ut vi contra eum libere uteretur; vulgatum est eumdem Romam brevi iturum, neque rediturum. Quae quamvis neque vera essent, neque similia vero, magno tamen cum detrimento rerum Caroli jactabantur. Mediolani nonnulla ex iis quae pie is instituerat, jam pene lapsura videbantur: nempe inter alia, rumore quodam studiose per urbem dioecesimque disseminato, chorearum licentia subito loca multa pervasit, eoque res devenit, ut in vico quodam, Carolo prope inspectante, qui eam dioecesis tunc partem lustrabat, nonnulli temerarie cogerent ferme puellas aliosque, ut ab ecclesia christianaeque doctrinae schola, discederent ad choreas celebrandas: quod quantum Carolo doloris afferret, facile est conjicere; vel ipsi certe laici, ut erat bonorum omnium sensus, maxime dolebant, ejusmodi impunitatem dari. Omnino ita inclinatum videbatur totum de disciplina restituenda negotium, ut ad felices exitus posthac erigi unquam posse, plerique desperarent. Cum

tantis incommodis Carolus conflictaretur, animo quidem in rebus suis agendis minime deficiebat; et se tamen non mediocriter fatigatum interdum fatebatur: de quo Pontifici etiam significari jussit: non id fieri solum contumaciâ, insectationeve hominum, sed ob eam quoque maxime caussam, quod facta sua, si qui repugnarent, quasi judicium accipiens, litemve persequens, Romae defendere singula cogeretur, ad retardandum Episcopi animum, qui suam ordinare cuperet ecclesiam, non parum id valere, venire in mentem facile posse, cum id fecisset, quod rectum, piumque videbatur; demonstrasset etiam quaerenti Pontifici, quid in eo spectasset: tum nihil aliud agere, curareve, remque totam summis judicibus libere permittere, sive confirmandam, sive rescindendam; provocationes quidem omnium ecclesiarum pro summa Apostolicae auctoritatis dignitate, justitiaque minime debere contemni; neque eorum, quae ubique fierent recognitio recusari; sed ita tamen, ut, omisso saepe judiciorum more, Episcopo facti sui, praesertim non gravissimi, rationem in re comperta reddenti, fides haberetur; cui gravissima, omniumque maxima animarum cura credita esset. Specianus igitur, qui solus negotia Mediolanensia tunc Romae procurabat, et praesens eorum fere animos, quorum in manibus negotia erant, in contrariam partem valde inclinatos cernebat, anxie admodum petebat, ut Carolus ipse Romam iret; cujus praesentia, auctoritate ac industria, quae propemodum jacebant, erigi confirmarique possent. Carolus, qui gregi suo affixus antea jurisdictionis caussâ Romam ire recusaverat, eo tunc periculo motus eundum sibi constituit: ne forte iis quae in contentione posita erant rescissis, auctoritate, existimationeque labefactata, praecipuis restitutae disciplinae fundamentis eversis, fructus, multorum annorum laboribus vigiliisque collecti perirent; habebat praeterea, quae ad universae provinciae commodum pertinerent, cum Pontifice agenda. Itineris consilium, prudenter secreto haberi curavit, ne vehementius ad contentiones suas adversarii forte concitarentur: donec, oblata mense Augusto Dominici Bollani Episcopi Brixiensis graviter aegrotantis, occasione, ignotae quidem aptum profectioni, sed valetudini valde periculosum tempus elegit, ob magnos calores *, Romanique coeli naturam; sed eo periculo posthabito, Brixiam statim ex provincialibus decretis, moreque suo advolavit: morientem Episcopum assidua praesentia, officioque, quibus rebus oportebat, juvit; mortuo in funere et exequiis, in precationibus et sacrificiis non defuit; populum deinde Brixiensem, in beatissimae Virginis ejus mensis festo die, Missae solemnibus celebratis, sanctissima Eucharistia, ad hominum sex millia, religiosissime pavit. Inde Mantuam ob Principis sororis suae negotia, cum ex charitatis officio se contulisset, Romam direxit iter; sed ut contra adversarios,

* Anno 1579, mense augusti.

atque obtrectatores sese religiosius instrueret, opinionemque de suis actis incommodam, adversariorum opera multis insitam, posset convellere, omnino ut sibi viam muniret ad ea Romae perficienda, quae Ecclesiae, divinique honoris caussâ in animo habebat, ad Deum, divinasque exercitationes, sacraque ac divina loca ex itinere obeunda, mentem animumque adjecit. Primo igitur se ad Camaldulensem eremum contulit; ea est inter juga Apennini, quibus Tusciae fines ab Aemilia dividuntur, in monte magnae altitudinis, difficilisque ascensus. Ibi in unam ex domunculis sese abdidit, quae multae sunt in summi montis planitie, ad singulorum eremitarum usum, et dies aliquot solus orationi contemplationique divinae dedit. Vir Deo plane devotus, summaque in Deum fiducia, tali tempore, tali loco, quale sibi, rebusque suis comparaverit praesidium, demonstrabit eventum. Monetam, Juliumque Brunetum, qui ei erat ab epistolis, cum ibi retinuisset, ac reliquos praemisisset, fama in multas partes manavit, eum rebus omnibus relictis, illius loci factum esse eremitam, propterea quod jam intelligeret post varios conatus, nihil se in iis proficere, quae proposita multos annos ad christianae disciplinae restitutionem habebat. At ille, relicta eremo, Averniam, aliaque revisit S. Francisci monimenta. Deinde venit ad sanctissimam Laureti aedem; iter ad millia passuum circiter viginti sacro loco proximum pedibus confecit, toto autem itinere; quam ad eum incolae omnes videndum cupide confluerent, post illud pestis facinus, quotidianasque sanctitatis accessiones, ex eo quod ante fiebat, conjicere licet, me tacente; iter faciens vel tacite precabatur, vel psalmos recitabat; alias ex sacris Litteris aliquid animo tractabat; si colloquebatur, eodem sermones referebantur tamen. Quoniam non voluntate hospitia, sed casu et necessitate, cum tenebrae obstarent itineri, quaecumque illa inciderent, eligebat; in parvo quodam vico evenit, ut cum ulterius progredi non liceret, aliudque hospitium non esset, ad domum presbyteri loci illius, confugere compelleretur. Ibi cum solum hominis lectulum vidisset, noluit illi esse incommodo; sed vili et modico cibo sumpto, in ecclesiam se recepit, ubi tota nocte moratus, modicum temporis somno dedit, reliquum precationi; tum audiendis suis, quos vicissim pios sacrosque libros jussit legere, ac secum salutariter exerceri. Earum precationum vi factum existimarunt Caroli comites, ut Julius Homatus, bonus presbyter, et ejus amanuensis mirabiliter postero die servaretur, qui ante Carolum de more contentius equitans, de celsa rupe cum forte decidisset, equus quidem, in quo sedebat, praecipitatus confractus est, ipse vero praecipiti loco magna eorum qui aderant admiratione haerens, nihil offendit. In sacrosancta Virginis aedicula Laureti tota nocte vigilavit; proximo die, qui Natalis Virginis erat, Missae sacrum ritu celebriore fecit: et in eo concionatus est, eo pietatis ardore,

ut omnes praesentes incolae, ac advenae (quis autem aberat, qui quidem adesse posset?) vehementer commoverentur. Ita munitus, divinitusque confirmatus, Carolus Romam venit; diceres virum Romae prorsus contemnendum, aut eo solo honore accipiendum, qui sine manifesta injuria pro dignitate personae praetermitti non posset: siquidem quo statu essent antea res illius, attenderes. At contra, magna subito facta rerum conversione, maximis, et inusitatis honoribus, maximaque publicae laetitiae significatione exceptus est; tantus fuit populi Romani concursus, tanta eorum multitudo, qui eum, Romae tamen complures dies futurum, videre statim cupiebant; ut non augustissimam viam mille fere passuum longitudinis a ponte Milvio penitus compleret: quasi non Cardinalis unus, isque humili paucorum comitatu, sed magna pars amplissimi christiani orbis consilii uno tempore advenisset. Ante omnia mane domo exiens, scalam illam ad Basilicam Lateranensem, quae merito sancta dicitur, genibus, ut pie fit, obire, beatique Petri sepulcrum, moxque Pontificem adire constituerat: sed et convenientium collegarum, principumque virorum frequentia prohibuit; et Gregorius antevertens ad Pontificium palatii hospitium accersivit: ubi amoris, honorisque praecipua significatione eum apud se detinuit complures dies. Rerum gestarum, itinerisque religiosissimi fructum ejusmodi, tunc largita est divina benignitas, quae tum saepe suos, neque cupientes, neque opinantes, efferre maxime solet, cum maxime videntur abjecti. At vero non potuit eo loco, ubi posita est vicaria Christi Domini potestas, non pro merito accipi egregius, fidelissimus Christi minister: iis praesertim rebus, paulo ante gestis, quae gloriosum quemdam triumphum de magnis calamitatibus, de immani pestilentia, deque gravissimis mortis periculis merebantur; neque potuit Roma veritatis mater, non statim favere veritati.

§ 52. Tuebatur ille Romae sua instituta, domusque suae disciplinam. Coenaculum in aedibus sanctae Praxedis ad similitudinem coenobitici parari jussit, mensam ad praescriptum conciliorum Mediolanensium instructam habuit, adhibita sacri libri lectione; sanctissimis locis colendis, divinisque rebus contemplandis, quae ad ea pertinerent, dum ibi fuit, pascere animum in primis studuit, ac exsaturare. Basilicas insigniores, omnia sacra loca, veterisque pietatis monumenta pedibus obibat; precibusque dum iret, ut antea solitus fuit, operam dabat. Nocte Salvatoris natalitia, de Pontificia synaxi ad majorem S. Mariae ecclesiam longe profectus, ibi abjectus ad sanctissimum praesepe, precando, divinisque mysteriis contemplandis vigilavit, donec ad eandem synaxim mane in Vaticanum reverteretur. Die item ante S. Sebastiani festum, cum ad ejus ecclesiam notissimae religionis, sanctitatisque locum, venisset, ibi tota nocte, mansionis ejusmodi conditionem nihil veritus, in subterraneis locis, uno aut altero

comite, martyrum sepulcra veneratus est. At his rebus minime usitatis, eam tamen divino beneficio praestitit modestiam, charitatem et suavitatem, eaque itidem usus est prudentia, ut, etiam qui alieniores videbantur, amicos, benevolosque sibi redderet, omnibusque satisfaceret. Cardinales, Regii legati, civitatis Principes, Praesules, ejus consuetudinem, mensam et disciplinam, non solum ab eo invitati non defugiebant, sed appetere etiam, magnumque pietatis fructum inde percipere videbantur. Neque vero aditum ad multa pro se rebusque suis conficienda difficilem habuit, quae magnis impedimentis ad id tempus suspensa tenebantur. Decreta concilii quarto loco cum Episcopis celebrati, cum ut diximus, jam diu agitarentur; ipse rerum singularum rationem ita reddidit; ita quae sua esset decernendi ratio, quae caussae, quae spes exequendi demonstravit, ut omnia fuerint, et quidem amico plane animo demum comprobata, nec ea solum, sed quae item in quinto nuper fuerant constituta, qua quidem in re conficienda, rationeque reddenda Antonii Senecae Mediolanensis ecclesiae Decani, et in ea disciplina diu exercitati operi multum usus est. Illud insigne fuit, Gregorium ipsum tanta occupationum Pontificiarum gravitate, Carolo tamen id dedisse, ut omnia quarti concilii decreta ipse legeret, atque recognosceret; cum alia praeterea multa audire, judicareque necesse habuerit, de rebus civitatis et provinciae Mediolanensis, de querelis civitatis nomine habitis; de administrationis, atque adeo vitae ipsius ratione: omnia enim publica et privata diligenter ad eum Carolus tamquam ad patrem deferebat. Egit etiam de communibus sacrae jurisdictionis caussis, quas Alcannisii Marchio, cum aliis adjutoribus ex altera parte agebat: sed res cum esset majoris temporis, multorumque curam atque operam desideraret, nihil confectum est. Caroli acta Pontifex publicis querelis impugnata, comprobavit, moderatione tamen nonnulla quibusdam in rebus demonstrata. Itaque suspensa, vel intermissa Carolus perfici, renovarive Mediolani, jussit, per Nicolaum Galerium Patavinum canonicum et jurisconsultum; quo quidem gravibus in negotiis muneribusque, toto ecclesiasticae administrationis suae tempore, usus est, tunc autem generalem suae potestatis Vicarium dederat; perque Joannem Fontanam Mutinensem, nunc Episcopum Ferrariensem: quem Archipresbyterum ecclesiae Mediolanensis fecerat, et eo tempore primarium suae gubernationis habebat administrum. Ita de spectaculis edicta rursus proponi; saltationes coërceri; festorum dierum cultum conservari; januae in ecclesiarum lateribus clausae haberi; alia confirmari, quae in discrimen adducta erant, magna piorum omnium jucunditate coeperunt. De saltationibus cum legisset Pontifex libellum, ab uno ex Caroli ministris eo tempore conscriptum, constitutionem generalem de iis ubique festo die penitus interdicendis promulgaturus erat;

nisi ea jam scripta, nonnulli intercessissent, quibus fidem habere Pontifex in eo rerum genere solebat. At Mediolani cum primum audivit Gubernator ejusque consiliarii, quae antea jacere videbantur, a Carolo Romae excitari, et non mediocrem fieri voluntatum inclinationem, enitendum sibi vehementius, legatosque tunc civitatis nomine mittendos statuit; cumque satis sciret, quid consilium sexaginta virorum civitatis iis de rebus sentiret, tentaverat enim, convocato concilio tamen, seu quali quali Decurionum conventu, missoque magno cancellario, cujus praesentia, verbaque urgerent, aegre, sed perfecit tamen, ut non solum legatio decerneretur, sed ii etiam legati, quos ipse probasset, nobiles tamen, et ornatos viros quibus in re tali recusandi potestas esse non solet. Ita cives discessere, ut palam multi, magno dolore conquererentur, passimque testarentur, civitatem Mediolanensem quae bonis Archiepiscopis nunquam adversata erat, Caroli autem optimi Patris semper fuerat studiosissima, coactam fecisse, ut contra talem virum legationem Romam decrevisse dici unquam posset. Cum legati anno MDLXXX ineunte Romam venissent, Carolus, qui perfectis jam rebus, et cum Pontifice constitutis, jam jam discessurus erat, profectionem tamen ideo suam non distulit, tunc omisit consuetum multi temporis officium conveniendi Cardinales, et salutandi; reliquit autem ex suis, qui singillatim unumquemque adeuntes, omnibus ea de re satis facerent. Sed ut adventus antea, sic non caruit discessus egregiis ornamentis suis: nam praeter plures Cardinales qui eum comitati sunt, populus Romanus summis laudibus, optimisque precationibus magna frequentia prosecutus est exeuntem. Florentiam venit ad magnum Ducem Franciscum, quocum erat illi, sicuti cum Patre praecipua quaedam necessitudo: ut de rebus salutaribus cum eo, magnique momenti nonnullis ageret. Inde Ferrariam Venetiasque venit: quibus locis gravissima quaedam ad Dei honorem, catholicam fidem sacrorumque immunitatem tuendam, erant ei mandato Pontificis itidem agenda. Quamvis autem ille ad excludendam celebrioris ingressus pompam, ignotis diebus soleret advenire; vix tamen celari poterat adventus, et in eo tamquam viro excellenti, et Cardinali praestantissimo honorando Principes, et civitates usitatis honoribus non contentae, consuetum modum plerumque transibant. Venetiis in Pontificii Internuncii domo, potius quam in magnificis aedibus a Senatu oblatis moratus est; quotidie tamen amplissimis muneribus de publico donatus, quae vivendi sumptum longe superarent. Cum autem Senatores salutatum domum venissent, eumque ad Ducis palatium comitarentur, vias, plateas, aedium fenestras, tecta ipsa, populi concursu, mirabiliter repleta fuisse narrant, palatium vero ipsum, ita plenum, ut nisi vi adhibita, Dux ipse non posset per gradus obviam illi descendere. Ibi omne tempus a negotiis vacuum, in visendis, pieque

venerandis sanctis corporibus reliquiisque posuit, quas ecclesia Veneta plurimas, insignesque habet: unde complures particulas ab aedium sacrarum rectoribus acceptas Mediolanum attulit; in quo tamen ex praecipua quadam religione, etiam summi Pontificis assensum postulavit. Quotidie quidem pii quamplurimi ad ejus sacrum conveniebant, ut sanctissimam ab eo Eucharistiam acciperent. Sed maxima omnium ordinum multitudo certa die ei rei dicta, in ecclesia societatis Jesu convenit, in ea Missa, rogatus a multis, et a Veneto Patriarcha, Nuncioque Apostolico in primis, habuit concionem; quae salutares ejus diei, temporisque fructus auxit. Praeter ea, quae proposita in primis habebat, alia multa pro sua summa auctoritate, praesentia sua salutariter effecit: nam etiam Ferrariae et alibi, sed quid enumero? quacumque demum transiret, in christianis rebus plurimum proficiebat, atque tum ipse attendebat ubique diligenter, si quid Domino, cui se totum dicaverat, animaeque suae posset amplius quaerere: tum alii quoque, si quid esset, quod ad salutem animarum, divinum honorem, inopiae sublevationem, pertineret, avide accurrebant; et mire tamquam patri confidentes suppeditabant: aut vero solo exemplo excitati multa ipsi pie religioseque faciebant: quod semel dixisse sufficiat. Ejus caussâ clerus Venetus, qui more laico caputiis rotundis uti solebat, ea tunc quidem sumpsit, quibus crucis figura formatis, clerici reliqui utuntur. Et ejus item monitu, Episcopi, qui circiter sexdecim ad eum quamdiu ibi esset, colendum, sectandumque conveniebant, et pallia clericorum communia adhibere consueverant, aliis pro dignitate personae uti coeperunt indumentis, quos etiam ut ad suam quisque ecclesiam, se conferrent, cum diutius multi abessent, Venetiisque fere habitarent, graviter cohortatus est: ac ea de re Pontificis auctoritate moneri, juberique eos curavit. Eo tempore apud civitatis principes actionibus iis viam munivit, quantum potuit, quae in Brixiensis ecclesiae rebus recognoscendis ei suscipiendae erant. Atque Venetorum res, atque animos eo statu, sibi visus est reperire, ut de ipsa ecclesia, non ab se quidem, qui plus satis negotiis districtus erat, sed ab alio Antistite Apostolica auctoritate lustranda, et recognoscenda cogitare, et cum Pontifice agere coeperit, quod munus postero anno Augustinus Valerius Episcopus Veronensis *, adnitente Carolo suscepit.

§ **53**. Venetiis cum discessisset, Brixiam rectâ proficisci in animi habebat, et ejus ecclesiae recognoscendae initium facere; quod necessariis de caussis in id tempus distulerat. Sed erat de Dominicae illius cultu retinendo sollicitus, quam Mediolanensis Quadragesimae caput esse, postremo etiam Pontifici probaverat; quo die item solemne illud sacrae communionis convivium cum

* Morum sanctitate ac eruditione et doctrina insignis, a Borromeo saepe vocatus *Bonus ille Israelita, in quo dolus non erat.*

filiis suis cupiebat concelebrare. Itaque Mediolanum venit, sexta ante ipsam Dominicam diem feria: ubi incredibile est, quantum gaudii et jucunditatis, invisus ille dictus, et intolerabilis, adventu suo excitaverit in universa civitate. Hora igitur, qua eum ingressurum audierant, frequentes fuere Mediolanenses in viis, quibus erat transiturus: audito autem campanarum sono, qui eo appropinquante, sacri honoris caussâ, in omnibus ecclesiis praescriptus erat, repente concursus fuit maximus, ita ut viae amplae et longissimae ab Orientali porta ultima, ad majorem ecclesiam plane complerentur, immo quamplurimi extra muros prodiere obviam Patri desideratissimo. Et mulier quaedam pietati insigniter dedita, moram, ut alii, non ferens, ad passuum duo fere millia progressa, ut Carolo propinqua fuit, muliebri verecundiâ omissâ, quasi mentis minime compos, sese ad mulae pedes lacrymans abjecit. Igitur Carolo ingrediente, tum carissimum ab eo salutaris signi beneficium avide excipiebant; tum passim mares feminaeque prae gaudio lacrymabantur: neque pias voces continebant: « En venit, jam adest Pastor noster, quem negabant reversurum; » plurimi reverentiâ propemodum ex abundantia gaudii et amoris abjectâ, nisi hanc majorem ducere velimus reverentiam, minime se a vestimentis, aut jumento saltem tangendo continebant, ut saepe circa Carolum constipati sese invicem comprimerent; alii non contenti semel vidisse, crucisque figura paterna manu signatos esse; praecurrebant, et rursus exspectabant, ut cumulatius explerent desiderium suum: qua specie religionis plenissima, publicaque amoris praecipui significatione, neque alii multi, neque Carolus ipse lacrymas tenere poterat. Rectâ venit ad ecclesiam majorem: ibi precatus, ad altare majus ascendit; populo, qui ut in maximis celebritatibus templum illud impleverat, celebriter benedixit, et cum gaudio. paceque dimisit. Honos, et concursus ille, totus amoris ac pietatis fuit: nihil fuci, nihil ambitionis, aut industriae; civitatis rectores, aut principes viri, si unum, aut alterum excipias, non affuere, ne displicerent in eo Gubernatori: haec fere magnatum est miseria, ut humanis de caussis, modo hac, modo illa impediti, piarum rerum saepe sint expertes. Sed domum postea salutatum magna frequentia, quasi tunc primum venisset, non autem sex tantum menses abfuisset, sine mora confluxerunt omnes; maxime cum ipse quoque Gubernator ejusmodi minime defuisset officio. Multa Carolus, ut solebat Roma gregi suo attulit: nam praeter globulos sacrae indulgentiae nomine insignitos, alia coelestia dona, toti provinciae profutura impetravit; iis qui concionibus, qui celebriori Missae, qui vespertinis precationibus festo die interessent: qui signum parochiae suae, sacerdotemque sequentes, ordine ad ecclesias, quando opus esset, pie procederent; alia, quae litteris Pontificiis editis continentur....

LIBER SEXTUS

§ 54. Sed hic tangendum ante alia de aucta vehementer ejus vitae duritie; qui Roma cum postremo rediisset, ad aquae usum, relicto penitus vino, devenire constituit, idque multos jam annos paulatim moliebatur. Ejus rei tempus erysipelas obtulit, et febris, qua post reditum laboravit, ita ut vino complures dies abstinere medicorum voluntate necesse esset; eo enim quasi aditu patefacto, integram in eo genere abstinentiam ingressus est; neque ea contentus, duos hebdomadae cujuslibet dies constituit, quibus pane tantum, et aqua sustentaretur: ac non multo post, tres, quas antiqui legitimas ferias dixerunt, eodem modo sibi traducendas decrevit; item sublato de loco suo consueti lecti apparatu, in angustissimum secretumque locum cubandi caussâ se retulit, apud alium similem, precandi caussâ constitutum, quo intimis tantum aditus erat. Cubile fuit paleae saccus, in quo vestitus cum jaceret, postea Pontificis monitu, quem de vitae suae ratione Romae consuluit, detractis sibi vestimentis, linteis cannabinis usus est: quae cum usu, lavationeque asperitate carere coeperant, nova jubebat adhiberi. Novum autem operimenti genus super lecto habuit, duplicis panni itidem cannabini, palea interposita consuti, quo etiam hieme utebatur: hac porro asperitate audita, multi amice, vehementerque cum eo egerunt, ne se tantopere affligeret. Augustinus Episcopus Veronensis pro suo summo in eum amore ac pietate, per epistolam ei fusius eo de genere scriptam aquae potum improbavit: cui Joannes Paulus Caimus ex bono medico presbyter, et canonicus ecclesiae majoris factus, respondit, rationes afferens, quibus etiam naturâ, potus aquae Carolo videretur convenire. Ab eo fere tempore, majorem etiam affabilitatem suavitatemque quasi perfectae virtutis maturitatem quamdam adhibens, gratiam suam auxit cumulo non mediocri, ut plerosque passim audiremus praedicantes, id quod erat: eo nihil humanius, nihil dulcius fieri posse....

§ 55. Duo Carolus instituit primis in sequentis anni MDXXIII mensibus ad populi sui disciplinam, salutemque valde utilia, sibique admodum jucunda: primo quidem festos dies integre tutatus est, non solum a ludis equestribus, sed etiam a personis, et larvis, quod antea factum non erat; hunc virtutis progressum, quae fuit, non dicam populi, is enim semper obtemperasset, sed principum etiam virorum observantia, facile consecutus est, cum suum de spectaculis edictum ad id genus quoque pertinere tantum declarasset. Deinde cum ad sanctos illos dies ventum esset, quibus Eucharistia christiano cuique canonicis sanctionibus sumenda est, praecipua cura, diligentiaque inquiri jussit, qui publice in christianam disciplinam peccarent, ut eos ad sacramentum admitti

minime permitteret: quae res ad animas erigendas, quae sordidae jacerent, magnopere valuit; multi enim, si non immortali sacramenti beneficio, saltem notae, infamiaeque timore permoti, et ea necessitate etiam adjuti, ex publicis malis, offensionibusque tamquam e luto emerserunt; et sacri homines, sive ad confessiones audiendas, sive ad regendas parochias delecti, quorum negligentiâ, vel infirmitate vitia saepius aluntur, a Carolo graviter moniti, quod certorum hominum publica, vel etiam inveterata peccata, sicut ipse reperiebat inquirendo, tolerarent, ad officium suum, gravissimum quidem, maximique momenti redditi sunt attentiores. In ea caussa fuerunt primarii quidam, qui, posthabitâ salutis et existimationis quoque curâ, turpem et contaminatam vitam agebant: qui quidem summa omnium bonorum approbatione, libere fuerunt a Carolo correcti. Post Pascha vero duas illustres actiones sibi obeundas paraverat: sextum provinciae concilium, et pulcherrimam sacrarum reliquiarum translationem. Ac translationem quidem, cum antea posset haberi, rejecit in illud tempus, ut Episcoporum conventu magnificentior evaderet; nam superiore anno monachi Cassinenses ecclesiam, priscis quidem temporibus Mariae, caeterisque beatis Virginibus dicatam, postea vero sancti Simpliciani nomine appellatam, instauraturi, altaris locum alium designarunt; quod movendum cum esset, movendae necessario erant reliquiae quas continebat. Carolus igitur, cujus auctoritate id faciendum erat, eo venit IV Cal. Aprilis; invenimus arcas plumbeas, una Sisinii, Martyrii et Alexandri martyrum, et item sancti Benigni Archiepiscopi Mediolanensis ossa habebat: caput tamen unum, quod Benigni fuisse creditum est: martyrum vero capita Tridenti fuisse relicta, unde ea corpora transportata fuerant, credibile videtur; quin etiam non pauca eorum ossa deesse animadvertimus. Capsa altera, duorum beatorum Praesulum itidem Mediolanensium ossa continebat, Ampelii, et ejus, quem hilare admodum, et qua possum veneratione commemoro, Geruntii: traditur enim ex familia fuisse, cui a Basilicapetri nomen est. In tertia, sancti Simpliciani itidem Mediolanensis Archiepiscopi ossa, et ex omnibus pulcherrimum caput, condita erant. Eae capsae, quemadmodum inscriptum erat, et senes quidam memoria tenebant, eo loco conditae fuerant anno salutis MDXVII, quo anno monachi ecclesiam obtinuerant; alia quoque ossa ibi sunt reperta, quae sancti Antonini itidem Archiepiscopi fuisse existimata sunt: in illa enim ecclesia ea esse, memoria proditum est, neque alius eorum demonstratur locus. Capsae rursus clausae in ecclesiae sacello collocatae sunt, donec rite transferri, et constituto loco recondi possent. Habuerat igitur Carolus Episcoporum suorum concilium, in quo praeter consueta ornamenta, ad magnificentiam ecclesiasticam comparata, tunc primum in loco ubi Episcopi congregabantur, imagines

sanctorum, qui ut patroni ab singulis ecclesiis provinciae invocantur, apponi jussit. Plura de more variis de rebus, ad disciplinam ecclesiasticam restituendam, decreta fuerant, quamquam parvo satis volumine; continenter vero ad translationem ventum est, vi Cal. Junii, die dominico post Ascensionis solemnia: quae uno fere Simpliciani nomine ubique promulgata est, quia illi praecipue honos habebatur: propterea quod non sanctitate solum, sed doctrinâ quoque praestantissimus vir ille fuit, quamvis nulla ejus scripta extent: et quod plurimi faciendum videtur, non solum a S. Augustino valde observatus, sed ab ipso etiam S. Ambrosio patris loco habitus est. Omnium, quae Mediolani quidem celebratae sunt, ornatissima apparatissimaque haec translatio fuit; praeter concilii Episcopos, alii quoque multi, in primis vero Gabriel Paleotus Cardinalis, affuere; litterae ad universam provinciam datae, quibus omnium pietas erga beatos optimosque illos ecclesiae Mediolanensis patres, in primisque erga illum quodammodo patrum ipsorum patrem, excitabatur; libelli psalmorum, precationumque editi, cum hymnis multis, carminibusque, tunc ad beatorum illorum honorem Mediolani Romaeque compositis; jejunium quartâ sextaque feriâ, tum sabbato quoque, praecedente hebdomada passim servatum; pluribus ante diebus in tota provincia, festus campanarum sonus; pridie diei translationis, nocturna lumina ad publicae laetitiae majus indicium ex unaquaque domo prolata; qua sacrae reliquiae portandae erant, ad passuum millia circiter quatuor, egregius viarum apparatus; peristylia pluribus locis portaeque triumphales; ad Archiepiscopale palatium omnium Antistitum Mediolanensium, quotquot unquam fuerunt, imagines affixae; insignis porta ad locum, ubi civitatis consilium haberi solet; cum victoria depicta, quam Mediolanenses olim, trium martyrum illorum auxilio, contra Fridericum imperatorem pugnantes sunt consecuti; ubique vero elogia, et inscriptiones ad sanctorum illorum ipsiusque sanctorum creatoris honorem proposita. Clerus universus cum splendidioribus indumentis cereisque, qui etiam longe ex vicis et castellis ad duodecim millia passuum convenerat; post illum Episcopi; deinde reliquiae, quas in quatuor feretra distributa ferebant Abbates Cassinenses, sacris indumentis mitraque insigniti. Simpliciani vero caput argenteo capite inclusum duo Cardinales duoque Episcopi portabant, cerei maximi utrinque accensi; super singulas arcas umbracula a viris honestissimis sustentata; tanta convenit multitudo, ut viae circiter millia passuum decem ab urbe plenae conspicerentur; at ex multis quoque provinciae partibus plurimi advenerunt; ut tot tantisque rebus accedentibus, ea celebritas longe maxima sit effecta. Carolus, sacris feretris ad eamdem ecclesiam relatis, pontificale sacrum fecit, et in eo concionatus est; idque ea facie, quod a multis est observatum, ut si portando, et impetum multitudinis, quae

videndi, tangendique caussa tota via concurrebat, per multas horas sustinendo, nihil laboris sensisset; cum alii tam Praesules vultu satis manifeste defatigationem non mediocrem prae se ferrent. In aedibus monachorum, ut commoditatis gratiâ constitutum erat, Praesules mansere: sed priusquam ipsi accumberent, duodecim pauperibus accumbentibus stantes ministrarunt, interim eos salutaribus verbis cohortantes, spiritualemque cibum corporeo adjungentes. Cum denique ipsi quoque cibum caperent, eumque minore, quam pauperibus suppeditatum fuerat, copiâ, ex provincialis decreti moderatione: venia, Carolus inquit, dari potuit inopum gratiâ, si praescriptum cibi modum transivimus; nostri vero caussâ, non item.

§ **56**. Post concilii, translationisque labores eae sacrorum munerum, operumque functiones obeundae Carolo inciderunt; quas, ad ejus virtutem ante oculos ponendam, ordine semel recensere, non alienum puto: unde fieri facile poterit reliqui temporis conjectura: nam frequenter sese offerunt, si persequi vellemus, hujusmodi continuationes. Statim igitur occurrerunt triduanae supplicationes illae, quas excellenti cultu, praecipuoque labore corporis Ambrosiana celebrat ecclesia: nam a nocte fere media, duodecim ipsas horas, atque amplius singulis diebus continuantur, dum per ecclesias ex antiquo ritu, intra, extraque urbis moenia universus clerus sacris precibus insistit; has neque ob superiores labores, neque ob id, quod Cardinalem aliosque Episcopos hospites domi haberet, omisit Carolus; sed nocte post translationem proxima, sumpto vix duarum horarum spatio ad somnum capiendum, affuit in majore ecclesia, ad sacrum cinerem capitibus omnium qui convenerant, more majorum imponendum; supplicationum deinceps totum triduum, pane et aqua tantummodo se reficiens, religiosissime coluit. Primo die cum ex tam longa via rediisset, quietis loco, illud addidit, ut ad reliquias jam translatas de more recondendas, sancti Simpliciani Basilicam adiret; altero die itidem reversus, in parva et pene ruinosa aede sancti Michaëlis, quae majori templo subest, reliquias sancti Joannis Archiepiscopi, cognomento Boni, aperuit, collegitque postea in ipsum templum transferendas; quo etiam parochiae titulum, jusque transtulerat; tertio vero die vespertinarum precum solemniis in eadem ecclesia celebratis, eas in capsa stannea, consueto ritu, diligentiaque recondidit; capite reservato, ut argento tegeretur; ac postero die una cum Cardinali Paleoto, cleroque universo transtulit; collocavit autem in altari, quod extruxerat ad dexteram templi partem, ubi alteram januam occluserat. Proxima dominica, sanctissimae Pentecostis solemnitati, Pontificalibus officiis, operam dedit; postridie supplicationi, quae plena proposita indulgentia, cum universo clero habetur ad sancti Gregorii locum extra urbem; tertio ejus celebritatis die festo, sacramento confirmationis

administrando, ut tali tempore solebat, una cum Paleoto fuit occupatus. Cumque clerum totius dioecesis ad eam diem convocasset, quarta et duabus sequentibus feriis synodum habuit, concionesque, ut consueverat ad clerum. Cardinalem Paleotum interea urbis ecclesias, earumque sacras res pie visentem, passim audiebamus, Caroli singularem pietatis ardorem, intolerabilesque labores continuos summa cum admirationem extollentem, atque obstupescentem. Impetravit ab hoc optimo Praesule Carolus, ut in proxima synodo ipse quoque concionem, eamque latino sermone, quod illi perfacile est, ad clerum haberet; cujus concionis locum in sequenti synodo ipsa pro sua singulari modestia, ad clerum in concione attulit, divinitusque tractavit; is autem erat de eo, quod Israëliticus populus, dum post captivitatem Babylonicam templum instauraret, varie sentiebat: alii namque praesentem aedificationem videntes, flebant recordatione longe pulcherrimi veteris templi; alii vehementer gaudebant, instaurationem ex superioribus ruinis contemplantes: quae res ad praesens tempus erat valde accommodata: erat enim, si praeteritas corruptelas quis consideraret, valde gaudendum, ob ea, quae in divino cultu, ecclesiasticaque disciplina restituta erant; sed dolendum etiam maxime, quod omnis instauratio a vetere cultu, disciplinaque longissime adhuc abesset. Post ea quae commemoravimus, cum iterum Carolus Taurinum petere cuperet, et sacrosanctam Sindonem visere, delegit tempus illud, ut cum Paleoto Cardinali una proficiscerentur. Ea re laetatus est Dux vehementer, et sanctissimum Christi corpus jam tunc a Carolo sumere constituit, in proximo ejus solemni festo. Iter fuit piarum exercitationum plenum; in locis ubi manendum esset, primo Cardinales ad ecclesiam veniebant, ubique litaniam cum invocatione sanctorum ex ecclesiastico ritu habebant; mane post sacrum in viam se dabant; in itinere de rebus salutaribus sermones, cogitationesque omnium erant; singulis enim curribus sacerdos erat praefectus, qui certa capita sociis ex evangelio traderet, dum iretur, meditanda. Novariae, Vercellisque concionibus, sacrisque aliis actionibus populorum pietatem adjuvarunt: qui quidem licet Antistites, ut principes amplissimos honorarent, ut servos Dei, sanctosque viros etiam observabant et venerabantur; armati, qui ex vicis honoris caussâ de more obviam prodibant, nova militum specie, humi positis genibus tormentis, ut consuetum est, sonum efficiebant; mira delectatione, gaudioque pulpita, dum Praesules amplissimi concionarentur, insueta purpura collucentia, pii omnes contemplabantur, et temporum felicitatem vicissim gratulabantur. Quae Taurini, multitudinis infinitae concursu, etiam ex corruptae fidei locis, pie sancteque acta sint, in sanctissima Sindone aspicienda, publice ostendenda publiceque adoranda, in precatione quadraginta horarum, ab universis civitatis ordinibus per stationes

de more continuanda, in sacris concionibus ab ipsis Cardinalibus, ab Episcopis, qui convenerant, a sacerdotibus aliis, tum per singulas stationes, tum alias quoque, ad eorum populorum salutem habendis, in Domini corpore, pompa magnificentissima per urbem rite ferendo, ejusque festo die celebrando; haec omnia ex iis quae alias in hoc genere facta narravimus, existimari possunt. Inde vero per Padum discessere Cardinales. Paleotus longius delatus est, Bononiam versus. Carolus in Casalensi dioecesi navi egressus, paroeciam suam oppido propinquam recognovit; inde ad montana loca profectus, usque ad Septembrem rebus sacris ordinandis populisque ad salutem juvandis operam dedit. Romam hoc eodem anno redire Carolus constituit: tum quia ejus rei tempus ex ecclesiastica norma, post triennium recurrerat, tum etiam quod multarum rerum caussâ, quae ad Ecclesiae statum pertinebant, ejus virtus a multis ibi desiderabatur; et erant quotidie, qui instarent: maturius autem profectus est, quam putarat, ob gravissimum morbum Camillae sororis; de quo cum accepisset pridie natalis Virginis festi, ea ipsa nocte, dispositis ad cursum equis, Vastallam contendit; sed eo cum pervenisset, offendit mortuam: cum paucos ante menses Anna quoque ex hac vita migrasset. Commodum igitur ita arbitratus, inde Romam petere statuit: cum profectionis caussam prius tamen ab Episcopo Dertonensi, utpote caeteris provinciae Episcopis antiquiore, probari ad praescriptum decretorum provincialium curasset. Romae de juvandis inter alia vicinis populis haeresi contaminatis, egit; de quo latius postea explicabimus; sacras Ecclesiae sanctae caeremonias, a certis Cardinalibus, viris doctis ad consultationem adhibitis, auctoritate Pontificia constituendas curavit: opusque jam coeptum vidit, antequam discederet, alia permulta, quae necesse non est enumerare. Seminario suo duas Caravagienses Praeposituras, quae Humiliati ordinis fuerant, impetravit: Abbatiam vero Secedanam in agro Alexandrino congregationi Oblatorum. Ineunte anno MDLXXXIII Roma rediens ad gravissimam controversiam inter duos Italos Duces componendam, jussu Pontificis venit; quam rem complexus, ita deinde, tamque feliciter non multo tempore confecit, ut et Pontifici ipsi, et utrique parti satisfaceret. Mediolanum cum rediisset, tribus diebus consueto ritu, cum universis ordinibus supplicationes obiit ad statas ecclesias, ob Didaci Hispaniarum principis obitum: ita enim Philippus pater, omissis funebrium precum officiis, pro decem annorum puero faciendum pie judicavit.

§ 57. Hinc ad vicinas gentes, haeresi, malisque aliis afflictas, juvandas, Carolus animum adjecit. Plurima fecerat ob eam causam antea, quemadmodum demonstratum est. Multis populis, plurimis etiam hominibus separatim, varia ratione saepius ad salutem subvenerat. Fecerat Carolus non solum, ut illis opem ferret,

sed ut eodem etiam tempore ecclesiae suae, atque adeo ipsi Italiae caveret, cui magnum ab ea parte periculum, videbat imminere; licet enim variis decretis providisset, ne, quod propter varia negotia quotidie accidit, vel exteri venientes in provinciam suam, quidquam sanctae fidei, disciplinaeque detrimenti possent afferre, vel sui ad loca depravata euntes, contaminârentur, et si quid ipsi labis contraxissent, cum patria communicarent: multo cautius tamen, tutiusque fore animadvertebat, vicinam partem, si fieri posset sanare, quam ne quid proxime corrumperetur, eniti. Vicinam partem intelligo non Helvetios solum, et qui primam Rhaetiam incolere putantur, Grisones appellatos: sed multo magis Italos populos, neque exiguos, neque ignobiles, qui citra ipsum quasi Italiae vallum, Alpes dico, ditionis Mediolanensis fines attingunt: et sub earum gentium imperium, ceciderunt. Helvetiorum quidem certos pagos scimus rectam apud se fidem, et in suis citra Alpes adhuc conservare; sed ea tamen in rebus ecclesiasticis disciplinâ utuntur, ut majora sint iis pericula pertimescenda; nam caeteri, post amissam disciplinae integritatem, etiam divinae veritatis lucem perdiderunt, miserisque sunt errorum tenebris circumfusi: tum sua in eos, quibus imperant, mala derivarunt; at ejusmodi pericula item, vitiaque quantum posset, tollere Carolus in animo habebat. Rhaeti vero illata semel a Zuinglio haeresi, ante annos circiter sexaginta, Episcoporum Curiensium primo negligentia, deinde infirmitate, negligentiaque simul (ad eam enim ecclesiam pertinent), in eum denique statum venêre, ut ex tribus pagis, quas *Ligas* appellant, quibus tota Rhaetorum civitas continetur, duae magna ex parte haeretica peste corruptae sint; tertia quae genti nomen dedit, cum Grisia vocetur, et majoris videtur auctoritatis, dimidia tantum ex parte sequi videatur catholicam fidem. Cum vero non exiguas etiam citra Alpes regiones occupent, quae naturâ et linguâ Italicae sunt, et provinciae Mediolanensis antea fuerunt, eamdem ad illas calamitatem transfuderunt. Ejusmodi vallis est, quae Mesaucina dicitur a Mesaucis populis, in qua castellum hodie quoque, paulo corrupto nomine, Mesocum appellatur. Ejusmodi Pesclavium cum agro et valle quae ad illud pertinet, qui quidem populi, Rhaetici popularis dominatus sunt participes. Sed est alia vallis longe maxima, et multarum rerum copiis abundans, quae hominum ad centum millia, cum nobilibus familiis, variis castellis, vicisque dicitur continere. Telina illa est; ejus longitudine passuum circiter sexaginta millium, Abdua fluens, demum Larium lacum ingreditur, vel potius illum efficit; est et alia minor, Larium, medio quodam alio lacu pariter attingens, quae ab castello Clavenna nominatur; cui vallis alia sancti Jacobi nomine dicta conjungitur. Harum vallium populi, dominatus minime participes, tali sub imperio, si tantummodo essent, tolerabile videretur:

sed ea dominatus ratione a judicibus plerumque haereticis premuntur, ut haeresis pestem in dies magis magisque recipere quodammodo cogantur: qua ex re, qui non multos ante annos incorrupta fide vivebant, nunc ex parte non modica sunt inquinati; atque ita serpit malum, quotidieque manat, ut, nisi Deo miserante, quis occurrat, brevi (quod avertat Deus) populos universos, qui tamen Itali sunt, occupaturum penitus videatur, unde non parvum reliquae Italiae periculum immineat: praeter illud praesens, gravissimumque detrimentum, quod nefariae libertatis caussâ, eo tamquam in tutum locum, mira facilitate, ob nimiam locorum propinquitatem, sese recipiunt Itali omnes, quotquot ordines religiosos, fidemve ipsam impie pernicioseque deserere statuunt. His igitur regionibus, populisque omnibus, cum ab se Carolus, quantum fieri posset, totis viribus subveniendum statuisset, re ad Pontificem Romae delata, Helvetiae Rhaetiaeque, Visitatoris Apostolici nomine, magna cum potestate praefectus est. Roma reversus, neque laboribus, neque sumptibus ullis parcendum sibi statuit, ut miseris subveniat; omnes vias circumspicit, exploratque, quibus viis tantis malis possit remedium afferre. Caroli desiderio illud erat adjumenti, quod adventu Ducis Terraenovae, ecclesiae Mediolanensis administratio facilior videbatur, et contentionis adversae loco, rebus salutaribus auxilium ab eo exspectabatur; cujus rei indicia multa statim is dederat: hoc in primis, quod administrationis initio superiora edicta de more renovaturus, et ea omisit, rejecitve, quae populi pietatem antea magnopere turbaverant, et alia promulgavit, quae Carolus cupiebat, quaeque jam a Rege ipso per Clericum postulaverat; praeterea sese rebus omnibus eam rationem initurum pollicebatur, quae a controversia, contentioneque maxime esset aliena; quod Carolus etiam sperabat. pietate principis adductus antea sibi perspecta. Audoënum Ludovicum praeterea Anglum, nunc Episcopum Cassanensem, administrationis suae primarium Vicarium relinquebat, cujus fidei, virtutique confidebat plurimum. Hae res ob firmam spem publicae quietis, rectaeque gubernationis, locum Carolo dabant, ut exterorum saluti operam dare facilius posset. Cisalpinos igitur cum in primis sibi tentandos, juvandosque ob propinquius periculum constituisset, Mesaucos ex his primos sibi petendos existimavit; quod primariis quibusdam regionis viris auxilium petentibus, multitudine ad id parata, proficiendi spes erat non mediocris. Est ea vallis longitudinis millium circiter viginti, et mortalium ad millia undecim continet. Cum autem Mesauci essent in administratione et imperiis Rhaetorum consortes, et Grisiae gentis pars, quae gravior esset, et a recta fide minus aliena, securius ibi agi posse videbatur, si forte ob renovatum pietatis cultum, iis reliqui vellent aliquid negotii facessere. Accedebat, quod publico vicorum consilio nonnulli ex

valle ad Carolum venerant, judicemque petierant, qui apud eos maleficas, strigesque inquireret; quod quidem ab veteri eorum more, ad Archiepiscopum Mediolanensem similes ob causas confugiendi, non abhorrebat. Eo igitur Carolus praemisit Franciscum Borsatum Mantuanum clari nominis jurisconsultum, qui ad clericalem ordinem nuper transierat: ut de maleficis quaereret, judiciumque ferret, et Caroli officiis quodammodo viam pararet. Is profectus, convocato totius vallis consilio, sic acceptus est, ut magnas se Carolo, ipsique Francisco gratias habere de hujusmodi charitatis officio incolae responderent. Ille igitur ea omnia studiose suscepit, quae mandata erant, et totam vallem perlustravit, donec Carolus advenit ipse; qui summo gaudio exceptus, et quibus potuit in locis silvestribus, ad ejusmodi hominum genere, maximis honoris significationibus acceptus fuit. Antequam vallem ingrederetur, suis omnibus convocatis, ostendit quantam rem susciperent, quam acres, astutae Daemonum concertationes exspectandae essent; proinde tum assidua, et ardenti precatione cum jejuniis salutarique aliarum rerum patientia conjuncta, opus esse, tum magna quoque cautione, ne quidquam ab aliquo fieret, dicereturve, quod ex ea gente quisquam in malam partem posset, vel ob judicii infirmitatem accipere; quod ubique ex christiana pietate cavendum erat, id iis locis praecipuo studio fugiendum. Quo die Roboretum pervenit (praecipuum illud est in vallis prima parte castellum) magno incolatum concursu, Pontificali habitu venit ad ecclesiam: ubi sumpto concionis argumento ex sacra Josephi historia, quem pater miserat, ut fratres quaereret, et quomodo ipsi, gregesque se haberent, patri referret, missum se dixit ad fratres suos a summo Romano patre, missionis causam, suumque erga illos amorem, et ipsorum conditionem, statumque sic explicavit, ut pie admodum multitudo commoveretur, et fleret. Haec Roboreti agebantur; summo mane Franciscus Panicarola nunc Episcopus Astensis, verba faciebat ad gentem catholicis dogmatibus instituendam, accommodata; Carolus postea Missae sacrum faciebat, concione altera populum pie cohortabatur. Achilles Galliardus ex Societate Jesu vespere christianae fidei prima dogmata accurate docebat; deinde multitudo litania, ejusdemque modi sacris precationibus exercebatur; sacrae confessiones quotidie audiebantur; qua in re magna erat a Carolo impertita sacerdotibus ad animas expiandas auctoritas. Ad conciones, ad divina officia, ad sacrosanctam communionem, mares et feminae, cujusvis aetatis, gregibus pascendis, operibusque victus caussâ faciendis addictum vulgus, quotidie conveniebant, ut si dies illi singuli festi fuissent: idque eximio quodam salutis desiderio, miroque in Carolum uti patrem amantissimum, amore et observantia faciebant, ut ferme nascentis ecclesiae imaginem quamdam cognoscere liceret. Carolus interim quotidiano jejunio sese exercens, pane et aqua

tantummodo sustentabatur, festis exceptis diebus; comites, quoniam sacri dies Adventus erant, Quadragesimae cibis utebantur: quae quidem abstinentia ob multarum rerum inopiam iis locis erat incommoda valde, magnique sumptus. Roboreti plures cum dies moratus esset, et in ea vallis priore parte plurima gessisset, ad extremam transiit; qua parte praecipuum castellum alterum est Mesaucum, a quo tota vallis nominatur; duo enim vallis rectores in iis duobus locis sedem habent. Eadem ibi ratione se gessit, similemque tulit laborum suorum fructum. Regionis mala ipse quidem, non ut judex, sed ut quilibet sacerdos, Deique minister fere persecutus est; ipsis tantummodo gentis legibus est usus, quibus eam quisque fidem sequi permittitur, quam velit; et ita catholicis pariter, et haereticis proprios per leges licet habere sacerdotes et doctores; quamquam re ipsa per omnem Rhaetorum ditionem, maxime autem in deditiliis, magna fit in eo genere catholicis injuria. Cum enim haeretici passim, quos volunt, etiam exteros ignotosque sacerdotes, religiosorumque ordinum apostatas recipiant, catholicis contra leges prohibetur, alterius regionis presbyteros, concionatoresve adducere, si modo rectoribus plerumque haereticis non placeant; ii vero fictis nominibus, calumniisque, sive publicae quietis turbatae, sive maledicti in adversarios prolati, pro arbitrio utuntur, ut bonos quosque presbyteros divexent, atque ejiciant; malos, licet catholicos, ferunt facilius, quod eorum vitia sibi ad haeresim propagandam usui esse perspiciunt; quin etiam Episcopi sui subsidia inique prohibere solent, ut, prohibito Pastore, facilius grex diripiatur. Ita miseri, cum aliquo sacrorum ministro carere non possint, dum alii non suppetunt, saepe improbos homines, nonnunquam etiam impios sibi doctores adsciscere coguntur; atque interdum fuit, qui detestando scelere multitudinem fallens, nullius sacri ordinis homo, sacra omnia aliquo loco conficeret. Igitur ardenti amoris, et charitatis officio Carolus haereticos circiter viginti ad Ecclesiam catholicam convertit; pauci enim prae reliqua multitudine corrupta fide erant: ac si loca extrema quaedam detraheres, quae aliorum populorum propinquitate, licet asperis interpositis montibus, frequentiorem haeresis pestem contraxerunt, recti catholicique sensus erant fere omnes. Duos coenobitas qui feminas secum filiosque ex eis habebant, et non minus inopem, ac miseram, quam sceleratam vitam agebant, inflexit, ut ad suos ordines religiosamque vitam redirent; ea in re summa, incredibilique usus est benignitate, amantissime cohortando, poenasque meritas minuendo, immo illas sibi adscribendo: tum feminis quoque, et natis suâ curâ, sumptuque collocandis et sustentandis; presbyteros a concubinis quas palam habebant, abstraxit; minime aptos exclusit; malos punivit; in iis saltem ecclesiis bonos collocavit, quarum esset structura decens; sacerdotes

societate Jesu eo accersivit, qui non fide solum, et moribus christianis omnes, sed pueros etiam litteris erudirent: cum Rhaetia fere tota magistris paulo saltem eruditioribus careret, eis amplas aedes rectorum consensu tradidit, quas Trivultii olim Mesauci Marchiones obtinuisse dicuntur, ut eorum collegium summa incolarum voluntate constitueret; plurimos praeterea, qui vel ob clandestina, graduque prohibito contracta matrimonia, peccati sordibus haerebant, vel ob prava lucra, et iniqua foenora Daemonum laqueis constricti tenebantur, variis modis excitavit, atque ab ejusmodi miseria, animaeque vinculis, pro sua auctoritate liberavit, tum a peccandi licentia in posterum revocavit; omnino circiter viginti dierum operâ, Carolus ita res iis locis immutavit, ut alia prope gens videretur, omnesque ad optimum pietatis cultum ex praeterita corruptione sese excitatos ostenderent.

§ 58. Pervenimus ad postremas Caroli actiones: quas tamen postremas fore credebat nemo. Nonnulli quidem in eo, ultimis praesertim mensibus, observabant aliquid insuetae imbecillitatis et maciei, sed tamen, ut saepe accidit in excellentibus viris, eo longiore vita fore plerique existimabant, quo christianis rebus eam videbant utiliorem. Imbecillitatis caussa putabatur, corporis sui tractandi ratio, quam in summis, assiduisque laboribus tenebat; cum enim in superioris anni Quadragesima tota, pane et aqua tantummodo se reficere semel in die coepisset, Dominicis diebus exceptis, quibus tamen pisces non gustabat, in eo genere adeo progressus est, ut jam reliqui etiam temporis majori parte eadem in corpus suum duritia uteretur: cumque ad sequentem pervenisset Quadragesimam hujus anni MDLXXXIV, adhuc asperitatem augens, certis diebus ipso quoque pane relicto, ficus aridas tantum, et aquam sumebat, atque ultima hebdomada, quae sanctius colitur, ficis omissis, lupinis uti constituerat. Cruda legumina puto imitatione Patrum voluisse adhibere, inter quae unum lupinum egenis usui esse aqua maceratum, hoc tempore, videre potuit. Verum ob eam caussam abstinuit, de qua nunc referam. Non multos ante dies erysipelas in crure rursus apparuerat, ulcusque fecerat: cujus curandi caussâ, medicis parens, jacuerat complures dies. Cum minime sanaretur, concessere medici, ut surgeret, motusque beneficio frueretur: ita tum sacras ordinationes initio Quadragesimae habuerat, tum alia gesserat, quae opus erant. Neque crure amplius laboravit; ac dum surgendi facultatem peteret, affirmaretque ex natura corporis sui bene cognita, sese ex ea re convalescere posse, medici autem primo quidem non concederent, quidam ex familiaribus, existimans Carolum cum vitae discrimine medicis minime pariturum, idque animo suo dolens, litteris Romam ad Caroli necessarios datis; eum graviter aegrotare scripsit; neque velle medicorum curationem

admittere. Ibi de re consultant, efficiunt denique ut ad eum scribat Pontifex in hanc sententiam: sese aegre admodum ferre, quod curationem pati nollet; monere autem, ut sanctos viros animi virtute imitaretur; corpus eatenus affligeret, quatenus vires, aequitate servata, ferre possent. Postremo etiam graviter imperat, ut in vita moderanda medicorum consilia sequatur. Carolus, qui tum se valere sentiebat, sibique conscius erat, in proximo morbo nihil fecisse contra medicorum praescripta; qui de falso item nuncio, unde litterae aperte pendebant, et omnino unde fluxerat tota res, satis compertum habebat; qui denique sciebat, omnem vitae suae rationem Pontifici, cum eum proxime fuerat allocutus, retulisse, et quae is improbasset, dimisisse, nihil in re tanta, illi loco, et tempore sibi temere faciendum statuit: sed Pontifici scribendum, ut is cognita veritate, sententiam suam aperiret. Sed interim tamen medicos accersit; de vita spirituali, atque episcopali medicinae legibus astringenda quaerit: aliqua de asperitate suscepta remittit. Primo igitur, quae de proxima aegrotatione se cepisse Pontifex ostenderat, unde pendere jussus perspiciebatur, ea falsa esse litteris demonstrat. Addit se de tota valetudine, vitaeque suae ratione, jam nunc Patri sanctissimo, quae vera esse existimaret, expositurum; facturum deinde diligenter, quod juberet. Sese antea, quod Pontifex ipse recordari poterat, dum medicorum praescripta sequeretur, infirma semper fuisse valetudine; demum etiam ita sese habuisse, ut ad modicum tempus existimaretur vitam posse producere, ante annos circiter duodecim, piorum prudentumque virorum consilio, mutasse vivendi rationem; a praescriptionibus medicorum discessisse: adeo feliciter evenisse, ut quae valetudo studiosa observatione, curaque sustentari non potuerat, ea vulgari vivendi modo optime confirmaretur; vitaeque longioris spem afferret, si tunc demum post diuturnam consuetudinem, cum annum aetatis ageret quadragesimum sextum, sese ad medicos referre voluisset; neque sine muneris sui gravi impedimento, et cum manifesto vitae discrimine futurum. Attamen artem se medicorum nullo modo aspernari; latum quidem unguem ab eorum praescriptis discedere, cum aegrotaret; alias etiam eorum consilia requirere, at ea semper sequi, eorumque se observationibus addictum praestare; id vero neque menti ejus sanctissimae, neque vitae episcopali videri consentaneum: quod vel medicus ipse fateretur, ab eo proxime consultus; veterum Patrum, et S. Ambrosii in primis, hanc esse sententiam: divinae cognitioni contraria esse praecepta medicinae, a jejunio revocare, a lucubrationibus, et ab omni intentione mentis abducere, eum qui se medicis daret, seipsum sibi abnegare, omnino cura corporis hujus averti neminem a studio disciplinae debere; Pontificis ipsius exemplo ita doceri, qui medicas

observationes in vitae suae ratione minime servaret: haec ita cum se haberent, qui pontificio jussu medicorum consiliis addictus esset, eum certe perpetuis conscientiae stimulis, atque angoribus necessario cruciandum. Quod existimaretur ea corporis asperitate uti, quae vires superaret, hoc vere affirmare posse; neque se eam, quaecumque esset, valetudini sensisse contrariam, et ad munera sacerdotalia facilius obeunda accommodatam; omnino eum se modum minime transire, quem superiore anno, cum ad ejus judicium omnia sua detulisset, Pontifex ipse comprobasset; si etiam continentia, et corporis afflictione paulo magis progrederetur, quam vulgo alii multi solerent, minime videri improbandum, tum ad delenda peccata, tum ad sanctorum virorum, immo ad ipsius, qui sanctorum est auctor, actiones aliquo modo imitandas: idque maxime quod ejus ipse ordinis, hoc est Episcoporum esset; quibus non animi virtute solum, sed exercitatione item corporis, ex Gregorii Nazianzeni, aliorumque Patrum doctrina, reliquos omnes longe post se relinquere studendum esset. Quod autem ea vitae ratio futuris temporibus, conjectura quadam sibi nocere posset, incertae offensionis metu, certos salutarium operum fructus negligendos non videri; neque tam longe cavendum; alioqui corporis afflictionem, poenitentiaeque officia homini christiano necessaria, quis unquam suscepisset? Si etiam animo in res salutares intento, Episcopus in ejusmodi exercitatione praeter voluntatem aliquid corpori suo noceret; quod sanctis plerisque legeretur evenisse, non esse id tamen damnandum; merito patres existimasse, sacerdotes ab ipso Christo Domino sali, et lumini ob id quoque comparatos, quia illud dum condit cibos, liquefit; hoc dum ardet, et diffunditur, oleum sibi consumit; confidere se, ea omnia summo Patri probanda, at vero quidquid significasset, ei se omnino prompto animo pariturum. Cardinali autem Comensi, qui Pontificis erat negotiorum praecipuus administer, Pontificiisque epistolis praefectus, et litteras ipse quoque ad Carolum ea de re dederat, respondens, addidit, si Pontifex in ea perstaret sententia, quam litterae prae se ferrent nulla alia ratione se posse conquiescere, cum illius jussi vi, et timore sollicitari perpetuo necesse esset, nisi ut dimisso Archiepiscopatu Romam demigraret, ibique in conspectu Pontificis viveret, qui ejus vitae rationem quotidie cognoscens, eum ab conscientiae aculeis, quotidianisque morsibus liberare potuisset. Sed is rescripsit, nolle Pontificem Carolo vinculum injicere, sed ejus arbitrio permittere, quando medicorum consilio sibi utendum esset. Factum hujusmodi fecit, quoniam in iis epistolis scribendis nostra opera uti voluit, ut de ejus vita, sensuque plenius cognosceremus, certiusque scriberemus. Optandum erat fortasse, ut saltem durissima quaedam in tempore nominatim interdicerentur, si virtutis illius, vitaeque fructum ita forte potuissemus diutius percipere: nam medicorum praeceptis

haerere semper quomodo posset tali consuetudine, talique occupatione Praesul?

§ **59**. Verum illud potius existimandum est, in hoc Dei servo, quemadmodum in aliis multis, de quibus nominatim agere longum esset, divina benignitate factum, ut ad exitum vitae hujus appropinquans, clariori sanctitatis luce splenderet: quod illi expeditius esset ad beatitudinem consequendam, ceterisque ad virtutis imitationem illustrius. Neque vero novum est, sanctos viros, ut optimos cursores, hisce vivendi spatiis, eo se magis incitare, quo propius accedunt ad metam: licet eos saepe quidam haesisse dicant in cursu, quos oculis corporeis ad metam pervenisse non vident. Ego enim ita sentio, multos Deo devotos viros, non quod extremo tempore durius vixerint, longius vitam non potuisse producere: sed quod a fine vitae propius abessent, iis Deum dedisse durioris vitae beneficium. Finem vero vitae praesagiens Carolus dicebat: de majore annorum numero, se omnium minime sollicitum esse debere, qui mirabiliter quodammodo, quantum ex priore imbecillitate judicari poterat, ad eam aetatem perductus esset, quae quidem aetas esset fere familiae suae: Gibertum patrem mortuum, dum annum XLVII ageret; fratrem Federicum multo juniorem; sorores quatuor ante illam aetatem vita excessisse; duas prope adolescentes; quid sibi reliqui tandem existimaret, nisi forte paucos annos in doloribus, cruciatibusque corporis esse traducendos? Cum Franciscus Adornus ad eum per idem tempus venisset, hujus generis nonnulla locutus, Patrem quodam quasi joco interrogavit, qua aetate esset; cumque audisset, si recte memini, esse circiter quinquaginta annorum; heus, inquit, Pater, num adhuc in vita manendum est? quae quidem erant itidem obitus sui proximi praedictiones quaedam. Post Paschae celebritatem, cum crucis festum appropinquaret, invitavit Augustinum Valerium Episcopum Veronensem, qui paulo ante creatus erat Cardinalis, ad illa sua sacrosancti Clavi solemnia: propter quae Duci Mantuano se tum excusavit, ne ad ejus filii nuptias iret. Ita cupiebat optimi Antistitis, quem plurimi semper fecerat, et amplissimo honore dignum judicaverat, spirituali consuetudine paulum frui. Sed paucis ante festum diebus ei nunciatum est de gravissimo Joan. Delfini Episcopi Brixiensis morbo; cumque tota die dominica in divinis officiis de more fuisset, nocte Brixiam summa celeritate venit; mane cohortatione, sacrisque necessario tempore hominem magnopere juvat; mortuo funus curat; celebri Missae officio suffragatur; pia concione cohonestat: his omnibus Brixiensium pietatem magna cum jucunditate juvat. Demum ad Crucis festum, quod feria quinta celebrandum erat, citatis equis, quoniam ita ob temporis brevitatem necesse erat, noctis festum praecedentis hora octava Mediolanum pervenit: tanti momenti putabat, piis populi studiis, officioque suo, cum usu veniret, non

deesse! Tum viatoriis vestibus statim positis, quasi ad illam horam commode quievisset, iis meditandis, quae in concione postero die dicturus erat, reliquo noctis tempore operam dedit; nocturnis, matutinisque sacris interfuit; Pontificali more Missam fecit; concionatus est; Clavum consueto viarum ambitu, sacris ordinibus cunctis productis, portavit; reliquum diei in vespertinis sacris, aliisque de more divinis exercitationibus integre posuit. Ab Augustino autem, ut alias, sic eo die impetravit, ut piam vespere concionem ad Mediolanenses haberet. Reliquos anni menses consumpsit in consuetis laboribus, quos quidem, et extrema omnino illius facta, ne minute nimis a me descripta, prudentiores quidam judicaturi sint, nonnihil vereor, sed nihil dicturum me confido, quod jure supervacuum videatur, aut leve: religiosioribus certe mentibus plerisque gratificaturum me, profuturumque scio. Visendis ecclesiis dioecesis suae ea aestate se exercuit: idque magis quam antea fructuose; denunciari enim unoquoque loco ante jubebat adventum suum, et amplum indulgentiae beneficium iis proponi, qui peccata confessi communicassent. Sacerdotes praemittebat magna auctoritate sacramenti poenitentiae administros; ipse cum venerat, sanctissimum Eucharistiae cibum praebebat, magnus ubique constabat sacrae poenitentiae, ac salutaris expiationis fructus: nam plerique, negotiis omissis, ea praeclara dona cupide admodum a carissimo Patre accipiebant. Modoetiam venit, ubi nostram sanctae Mariae ecclesiam tribus cum altaribus cum dedicasset, XVII Cal. Julii, in collegio, quod semper, ut opus suum, amaverat, mira quadam abjectione solus mansit; ad Novitios rogatus a nobis, verba fecit amantissime, de perfectae vitae institutis. At vero libenter alioqui per id tempus frequentiam fugiebat, et in remotiora loca discedebat, negotiorum se molestiis subtrahens, ut sacris studiis divinisque contemplationibus vacaret, quod gubernationis actionisque omnis jam jam deponendae, divinaeque contemplationis integre suscipiendae, omen quoddam videri posset. Sed Mediolanum tum ad praecipua festorum solemnia rediit, ut solebat semper, tum ad consecrationem primo Albensis, deinde Alexandrini Episcopi electi: nam et ipse sacris ejusmodi officiis delectabatur, et pii viri sibi a tanto Antistite manus imponi cupiebant; a quo praeterea discedebant optimis ecclesiasticae disciplinae praeceptis locupletati. Atque Octavium Paravicinum Alexandrinum, nunc Cardinalem cum consecrasset, eduxit etiam secum ad ecclesiarum lustrandarum munus: nam, et ipse optima novi Episcopi voluntate, virtuteque delectabatur, et ille antiquam religionem magni, et episcopali munere diu gloriose perfuncti Antistitis, singulariter observabat.

§ **60**. Celebraturus erat sacra, quae dicimus, Septembris mensis tempora; cum accepit, Franciscum Bossium Novariae Episcopus ita aegrotare, ut morti propinquus judicaretur; jusserat

autem ille Carolum certiorem fieri, et suo nomine tantummodo postulari, ut sibi benediceret morituro. Carolus autem statum illius temporis ordinationum munus Francisco Cittadino Episcopo cum mandasset, paucis horis post nuncium allatum moratus, nocte ipsa Novariam contendit, quae triginta passuum millia Mediolano distat, mortuum Episcopum invenit; consueta pietatis suffragia tribuit; in concione populum cohortatus est; quae tali tempore conveniebat, ecclesiae ministros monuit, quid facerent, dum Episcopus a Pontifice daretur. Novaria Guido Cardinalis Vercellensis, eum ad Messerani Marchionem communem cognatum adduxit, ut in mortifero morbo hominem consolaretur, et juvaret: quod utiliter admodum effecit: nam Marchio sacramento poenitentiae expiatus, et Eucharistia sanctissima munitus, pie mortem obiit. Vercellis * aliquot dies fuit, ubi in componendis illius ecclesiae rebus, cum Episcopus apud Imperatorem Sedis Apostolicae nuncius abesset, versatus est. Constituerat eo tempore sese diutius salutariter colligere; quibus in rebus a multism ensibus peccasset, et suis defuisset officiis, attente pervidere, errata confiteri, veniamque a Deo postulare: tum per divinas etiam contemplationes ad pietatem, vitaeque sanctitatem acrius sese incitare, et ad negotia praeterea, quae tum illi erant in manibus, pie et feliciter gerenda, divinam opem enixe implorare; quibus rebus solitudine opus erat. Ejusmodi exercitatio cum alias ei cordi esset vehementer, tum eo tempore erat optatissima, ob mentem magis, quam antea divinarum contemplationum cupidam, earum praesertim, quae de cruciatibus morteque Christi Domini essent: quas per ea tempora studiosissime ardentique animo frequenter tractabat, articulatim ordinabat, litterisque mandabat: qua quidem mente studiisque clementissimus Deus, id quod demum post factum clarius apparuit, sacerdotem suum jam jam ex hac vita migraturum ad aeterna praemia praeparare videbatur. Varallum ubi alias simili de caussa fuerat, tunc etiam ad eam rem delegit. Vico id nomen est, qui Novaria et Vercellis aequo spatio distat, ad passuum millia circiter vigintiquinque: ubi mons, quoniam fere sub alpibus est locus, ex piorum hominum, etiam longinquorum votis, et omnino religionis caussâ frequenter visitur. Nam religiosus vir Ordinis Minorum, ex Mediolanensi nobili familia Caima, ante annos fere centum, cum ex Judaea, sanctissimo Christi Domini sepulcro religiose inspecto, rediisset, ejus imaginem aliquo loco ponere constituit, quae piis hominibus, cum Judaeam petere non possent, ad pietatem venerationemque erga sepulcrum sanctaque Jerosolymae loca exercendam, aliquo modo valeret; ac eo loco, monteque delecto,

* Vercellis tunc temporis gravi morbo laborans decumbebat Dux Carolus Emmanuel, Eucharistico autem pane, S. Caroli manu, refectus, jussusque ab eo spem omnem in cqelesti auxilio reponere, citius quam putabatur, convaluit.

ecclesiam monasteriumque sui Ordinis piorum hominum sumptu aedificavit, et sepulcri speciem decore collocavit. Ea res adeo feliciter evenit, ut locus maxime celebris evaserit; et variis temporibus aediculae multae fuerint constructae, ubi pulcris imaginibus, ac statuis, ea in primis referuntur, quae in affligendo morteque afficiendo Salvatore, acta sunt; tum aliae quoque res ex divinis historiis ad nostram salutem pertinentes. Ita jam in summo monte, quasi sacer quidam vicus plurimarum aedium factus est, quas ordine, certisque viis frequentes peregrini salutaribus cogitationibus supplicationibusque intenti adeant, et religiose contemplentur. Eo se Carolus igitur conferre statuit, et ob eam rem Franciscum Adornum accersivit, quem piarum exercitationum adhiberet adjutorem. Sed ante misit Dux Sabaudiae Vercellas, qui illum ejus nomine rogatum Taurinum adducerent. Officium Duci Carolus, ut carissimo filio non negavit; quod vel sponte libenter suscepisset. ad sacrosanctam Sindonem postremo visendam et venerandam. Dux vero magnum coepit, si unquam antea, Caroli praesentiae, consiliorumque fructum, visusque est maxime ad pietatem commoveri, et eumdem etiam in discessu prosequi lacrymis. Ad montem cum venisset, monasterii cellulâ in qua moraretur, electa, ibi corpus incommode admodum et severe tractare coepit, in ligneis tabulis somnum capiebat lodice tantum instratis; consueto utebatur panis et aquae alimento; durius, quam antea corpus flagellabat; id quod ex interula deinde, flagellisque sanguine aspersis apparuit, licet ipse studiose occultasset; sacrae confessioni parandae, sacraeque meditationi sese dedit; ad hanc meditandi exercitationem suos admisit, quamquam spatii, occupationisque longe minoris: sed distincta ad meditandum rerum capita quotidie tradebantur: quibus cogitandis et contemplandis, certis diei noctisque horis, ea se quisque aedicula, et coram iis imaginibus exerceret quae ad animi sui fructum sentiret aptiora; certum item tempus constitutum erat, quo simul convenientes inter se, quae animo senserant, quaeque erant meditati communicabant. Carolus primis diebus sex horas, partim diurnas, partim nocturnas sibi finierat, quibus horis contemplationi precibusque vacaret, reliquum tempus confessioni dabat, tum necessitati quoque corporis, quam angustissime tamen circumscriptae, et si quid negotii esset, quod non posset omitti. Jucunda prorsus species, et pietate plenissima, conspiciebatur nocte amplissimus Antistes, nullo comite, parvulam laternam sub pallio tenens, per vias illas summi montis, petere quam sibi judicasset, opportuniorem aediculam, ut in ea quemadmodum sibi praescripserat, sese exerceret; quarto ab adventu die peccata sua confessus est, tanta pietate, dolore ac lacrymis, ut qui confessionem audiebat, itidem in fletum adduceretur; postero die, tantis exercitationibus tam beate occupatus, non neglexit officium tamen,

neque recusavit Aronam ad Cardinalem Vercellensem venire: sed prius nocte proxima, circiter octo horas contemplando, Deumque orando, in divinis rebus ita mansit, ut, flexis genibus, tanto spatio, nulla corporis parte cuiquam rei inniteretur: quin etiam ad extremum, eum subaccusare visus est, qui horologium curabat, quasi tempus studiose contraxisset.

§ 61. Post diem reversus, in suam se retulit solitudinem, quo loco, et ex iis quae cum aliis conferebat, et ex aliis sermonibus indiciisque perspexerunt, et Pater, et alii, eum minime usitata, prorsusque singulari ratione divinitus commotum, et eo praesertim lumine illustratum, eaque mente confirmatum, quae rebus humanis, vitaque ipsa omnino posthabita, Deum solum petit, eique intima voluntate, totaque mente penitus conjungitur: quibus rebus nihil ad propinquam mortem erat accommodatius, maxime, si delectationem addas, quam ex sermonibus, meditationibusque de morte et sepultura Domini, et ex ejus sepulcri imagine in primis visenda, contemplandaque capiebat: cui rei satis consensit etiam sacra Sindon visa prius et culta; tum duo principes viri, Episcopus, et Marchio extremis sacramentorum, funerumque officiis adjuti. Non multos in monte manserat dies, cum in febrim incidit; cujus impetum cum tulisset tacitus, eaque tertio die rediisset, Patri demum significavit, idque fere praeter consuetudinem: nam alias etiam quinquies reversam nemini indicavit, ut nisi obiter postea quandoque alicui significasset, id rescivisset nemo. Adductus est a Patre, ut asperitatem corporis nonnihil minueret: quamquam quid fuit tandem, palearum aliquid, in quibus cubaret recipere, et in aqua coctum panem, nullo tamen condimento, admittere? Mentis item exercitationes aliquo modo moderatus est, ita ut aliquid temporis aliis quibusdam consultationibus daret; praesertim de aediculis illis melius disponendis. Febris autem invasit eum tertio: ac quantum corpori firmitudinis decedebat, tantum animo divini luminis coelestisque virtutis accedere videbatur. Triduo tantum aberat Sanctorum omnium cultu insignis dies, quem Carolus de more cum populo suo Mediolani, consuetis munerum functionibus, agere studebat. Erat ei quoque negotium ab Apostolica Sede mandatum, de collegio ex testamento pii viri in vico Ascona instituendo, ubi pueri pietate erudirentur, et litteris; cujus negotii caussâ ad locum ipsum eundum erat, neque id sine magno damno differri poterat. Dum igitur hisce de caussis a monte discederet; ita rursus sese in locum Dominici sepulcri abdidit, ut comites, cum fere descendissent, tum demum Carolum deesse animadvertentes, in eo loco invenerint. Aronam eo die venit montosâ difficilique viâ milliarium decem et octo. Ibi studio celeritatis tertia noctis hora navem conscendit, ut per Verbanum lacum Asconam contenderet, quae aberat ad millia passuum circiter triginta quatuor. In quo itinere

plurima fecit, et locutus est, quae tum sanctitatis officia, tum proximae mortis indicia cumularent; et ideo minime videantur praetermittenda. Haec plerique agunt, dum in lecto jacent: de humanarum rerum despicientia, de beatae vitae desiderio loquuntur; suis salutaria praecepta tradunt. Sed Carolus, qui in laboribus assidue vixerat, pro quiete semper laborem elegerat, suam etiam in morte praestitit consuetudinem, suamque itinere faciendo, incommodisque et laboribus tolerandis, aegrotationem traduxit; philosophabatur de animo sic in hac vita conformando, ut humana omnia, prae iis quae Dei sunt, pro nihilo prorsus habeat; oportere hominem sese omni tempore ita expeditum praestare, ut Dei nutu prompto animo semper ex hac vita possit demigrare; ipsas etiam Dei caussâ susceptas res, quae quidem quandiu tempus datur, omni diligentia, studioque agendae sunt, ita tamen esse curandas, ut, iis licet imperfectis, nihil animo tamen afferatur impedimenti, vel morae, quin liber hinc, omninoque solutus evolet; plures ecclesiae suae res exemplo proponebat, quas licet valde utiles, ac necessarias, et magno item a se studio, laboreque ad id tempus curatas, nullo modo tamen adeo valere aequum erat, ut si vita decedendum esset, animum quidquam morarentur, quin ad Dei voluntatem exequendam prorsus expedite sese converteret ac hilariter; atque ut, quo sermones ejus spectarent clarius appareret, brevem cognatorum suorum vitam rursus in ore habebat; et Giberti patris, qui eadem, qua tunc ipse erat aetate, vita cessisset, mentionem repetebat, quae quamvis ille frequenter loqueretur, de ejus tamen impendente morte, tunc quidem nemo suspicabatur. Cum Arona quemadmodum modo dicebam, solvisset, in genua procubuit, et cum suis statas itineris preces habuit; addidit psalmos nonnullos, ut mortuis suffragaretur; tum conversus ad nautas: omittitis ne precari, inquit, fratres, cum solvitis? at mihi hoc dabitis posthac, ut dominicam Orationem, salutationem Angelicam, symbolum Apostolorum pie semper recitetis: cujus consuetudinis initium tunc faciens, una cum illis mira humanitate ad verbum ea pronunciavit; mox salutari sermone omnes qui aderant, fructuose cohortatus, in culcitra recubuit vestitus ad nonam noctis horam; tum surrexit nocturnasque statas preces obiit una cum suis, genibus more suo nixus; mente deinde precari non destitit, donec hora duodecima Canobium appelleret, eo loco sacrum facturus. In Praepositi illius ecclesiae aedibus permansit, Deum orans, donec illuxisset; tum re divina confecta, valetudinarioque cibo, sicuti vesperi, sumpto, navem conscendit; Asconam, quae circiter millia passuum decem distabat, venit: eodem die negotium confecit ad quod venerat; navigationemque repetiit. Constituerat postero die, qui omnium Sanctorum festum antecedebat, Mediolanum pervenire; sed cum Asconae quartam febris accessionem sensisset, Canobii subsedit eo

die necessario: recubuit primo sine culcitra, atque adeo sine palea; mox familiarium rogatu, vique morbi adductus, sese in culcitra collocavit. Morbo afflictus Capuccinos jussit accersiri, quorum piis verbis, consolationeque sublevaretur; quos de sancti Francisci exemplis, rebusque coelestibus aliquid incipientes. subsequebatur ipse fusius, divinaque multa proferebat, quibus ex sermonibus in Pii V mentionem delapsus, ejus Pontificis plurimas laudes diu, suaviterque percensuit. Cum nox esset, ipseque sibi integer videretur; consulto medico Aronam ea nocte saltem proficisci volebat. Orant autem familiares Octavianus Forerius canonicus Med. in primis, sibi parcat; praeterita nocte brevi spatio quievisse; magnum periculum esse, ne tanto incommodo morbus ingravesceret, praesertim si Mediolani ad proximam celebritatem adesse conaretur; omnino verisimile non fieri, ut vires ad solemnes sacrorum munerum functiones obeundas suppeterent. Eorum victus precibus, ea nocte commode quievit; mane autem post statas preces sacrificiumque, Aronam petit, omisso cibo, quoniam erat jejunii dies; neque invaletudinis excusatione sibi utendum putabat. In navi genua ponit, precationem iter facienti praescriptam, et litaniam, primo quidam Ambrosiano ritu cum suis, deinde aliam Romano more cum nautis habet, quod ii Aronenses erant, ubi ritus est Romanus; postea sedens sacrum sermonem de celebri festo illo instituit, quo habito, distinctas quasdam conceptiones auditoribus tradidit, in quarum meditatione contemplationeque taciti versarentur. Id cum horae spatio factum esset, singillatim interrogavit, quid cogitassent. Deinde negotiis operam dedit: Forerium in Mesaucos dimisit, ut ibi de salute multorum ageret, et per homines recte sentientes, quae da Calendario Gregoriano, proximis Rhaetorum comitiis recipiendo, posset, diligenter curaret, tum litteris et supplicibus libellis perlegendis sese dedit: etenim, si Rhaeticum excipias, negotiis fere superioribus diebus abstinuerat, ne animae exercitationes, et fructus impedirentur. In conspectum Aronae cum venisset, litaniam repetiit; in oppido mansit in aedibus sodalitatis Jesu. Renato Comiti se excusavit, quod aegrotus apud religiosos viros rectius esset, ubi si quid accideret, propiora essent salutis adjumenta. Ibi igitur, refectis tenuiter pro aegroti modo viribus, ut superioribus diebus fecerat, in lecto quievit ad septimam noctis horam; mox cum surrexisset, tum divinis contemplationibus, tum statis nocturnis precationibus operam dedit, usque ad lucem. Missae sacrum ad omnium Sanctorum cultum fecit: in eo non solum novitiae domus illius juventuti, sed aliis incolis multis qui convenerant, sacrosanctam Eucharistiam praebuit; tum sese in lectum retulit quinto febrim exspectans, quae quidem gravior fuit, quam solebat, atque cum ex medicorum praecepto, febri consistente, aquam cum hordeo coctam, calidam sumpsisset, moxque somno se dedisset, acrius

inflammatus, adeo laborare coepit, ut nunquam postea integrum corpus habuerit; nihilominus postero die mane, quo mortuorum suffragia celebrantur, invitatus navigandi commoditate, Mediolanum petere constituit, itaque statas quidem horarum preces obiit; Missae autem, quoniam tum demum facere nullo modo poterat, in ecclesia interest: lectoque in navi parato, lacu, mox Ticino flumine, indeque aquaeductu, Mediolanum eo die vehitur.

§ 62. Ibi medicis statim accersitis, sese curandum tradidit; altare in cubiculo collocari, sepulturae Domini imaginem apponi, ejusque similem super conopei fulcra statui jussit, ut quotiescumque oculos tolleret, eam posset contemplari; aliam non dissimilem, Domini precantis, sanguineumque sudorem cum morti appropinquaret, effundentis, eisdem fulcris appendi mandavit, quam directo videret obtutu, ut priora illa signa continuari facile quisque cognosceret, quamquam ejusmodi imagines, quotiescumque aegrotaret, ad solatium suum requirebat. Mane cum adhuc horarias preces, quemadmodum ad id tempus religiose fecerat, recitare vellet, Patris Adorni suasu, satis habuit alium recitantem audire. Cupiebat item, si febris remitteret, in sacellum se conferre, ibique sanctissimum recipere sacramentum, alioqui saltem ad altare cubiculi sui: sed neutrum licuit, cumque Pater suaderet, ut in cubiculo Missam fieri pateretur, non consensit, ne quis forte sequi vellet exemplum. Post meridiem febris increscere, sextaque accessio obscure fieri ita coepit, ut somnum quendam videretur inducere. Audieram eum quandoque narrantem de Egidio Mutinensi Episcopo, quem plurimi fecerat cum mors immineret, quiescenti sese, ac pene dormienti similem praestitisse: qui cum saepius interpellaretur, sinite me, inquit, tandem quiescere, et cum Deo esse. Id cum eo tempore venisset in mentem, dixi subvereri me, ne Mutinensem Episcopum imitaretur: quod ille subridens ita negare visus est, ut verum tamen ex parte crederes. Veniunt medici; inspiciunt, ita timent, ut morbum diuturnum, neque eum sine aliquo vitae periculo praenuncient: at cum habita inter se consultatione, paulo post ad illum redeunt, motumque in brachio rursus observant; tum vires ad exitum praecipitare, jam jamque interituras, praesentibus renunciant. Subitus, minimeque omnium exspectatus casus, quam vehementer nec opinantes perculserit, non est cur explicare conemur; alii aliis significant; tacite simul lamentantur; intimo dolore afficiuntur, mittitur statim ut, sacrosanctâ Eucharistiâ propositâ, supplicationes in majore, aliisque ecclesiis instituantur. Accedit Pater lacrymans. Quis enim se poterat continere? evocari eum ait ex hac vita: ultima sacrorum subsidia non videri differenda. Adeo praecipiti lapsu vires deficiebant, ut ipsa loquendi facultas vix relinqueretur: casum tamen aequo prorsus animo accipiens, de sacramentis respondit, instare se maxime. Dum haec

pararentur, ad aurem supplex petii; dicere illud vellet quod sanctus Martinus sub mortem dixisse legitur, *Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem:* nam et ante annos duodecim, cum gravissime aegrotaret, illud idem audieram usurpasse. An secum dixerit, ignoro: sed apertis illico oculis, meque intuens, consuetam omnino visus est obtutu saltem praestare benignitatem: quamquam idem vitae ipsius, qui sancti Martini, tum eventus fuit, recte vero ille ad sancti illius Episcopi imitationem tunc invitari potuit; cui tum in vita, tum in morte multa habuit similia. Utrum suum, ut Martinus praesenserit obitum, affirmare non audemus: quae ante evenerunt, quaeque novimus, simplici narratione modo protulimus. Sed Martinus quoque paulo ante mortem ecclesiastici negotii caussâ profectus, viribus corporis, ut Severus narrat, coepit repente destitui; et aliquot dies vi febrium afflictus, non solum orationes vigiliasque intermittere noluit, sed ne vilia quidem stramenta jacenti sibi supponi passus est: jacebat autem in cinere et cilicio. Sanctissimâ igitur hostiâ celebriter allatâ, capite, brachiis, toto denique corpore Carolus nitebatur, ut assurgeret: sed nobis adjuvantibus, sese ita saltem extulit, ut linea veste, ac stola collo inducta, religiose sacrosanctum viaticum acciperet: quod extrema unctio rite adhibita statim secuta est, quibus in sacris officiis ipse, cum ritus postulabat, una cum aliis sacerdoti respondere conabatur: reliquum tempus consumptum est in legendis divinis scriptis de passione Domini, aliisque, quibus anima tali tempore juvari, eoque commendari solemne est. Cum autem sensus paulatim relinquerentur, Annibal Altempsius Comes ejus affinis una cum alio genibus positis supplex sibi petiit benedici; quod idem fecere omnes qui aderant, manum ille movit quidem, sed nisi alio adjuvante tollere non potuit, ut de more crucis signo benediceret. Cilicium illi cum sacro cinere imposuimus, ex instituto veteri, quod ille in libro rituum ecclesiae suae renovari jusserat: ac merito quidem vel ad ejus asperitatem vitae significandam id erat adhibendum. Continuerunt liberiorem fletum familiares, quam diu ille aliquid sentire visus est: at cum animam agere coepit, quae res, et ad modicum tempus duravit, et parum prae se tulit difficultatis, tum vero gemitus, lamenta, atque adeo ejulatus eruperunt: hic universae christianae reipublicae jacturam; ille Mediolanensis ecclesiae casum, et orbitatem; alius susceptorum ad Dei gloriam munerum dissolutionem; nonnulli privata detrimenta, miserabiliter flebant. Circum cubile locum, ex intimis quisque, morienti Patri quam potuit proximum, initio coeperat. Id usui etiam fuit, ut rem aliquam ab ejus corpore sumeret, amoris religionisque gratiâ; hic namque ceream agni imaginem e collo pendentem; coronam ille, qua precari solebat; alius capitiolum; alii alia pie rapuerunt, quidam celeriter ad res alibi

repositas venerunt: ex quibus pretiosissima sibi contigisse sunt laetati, qui flagellum, ex Varalli verberatione tinctum sanguine; atque interulam itidem sanguineis guttis aspersam invenerunt: idem adeo studium in plerisque postea viguit, ut cilicium, tum illud quod imposuimus, tum aliud, quo uti solebat in infinitas particulas divisum plurimis enixe postulantibus, sit distributum; aliae res, libri, imagines, vestes, omnibus viis quaesitae, et inter res carissimas habitae, aliquid palearum in quibus jacuerat, si aliud non daretur, quaedam longinquae virgines postularunt. Periculi fama per civitatem universam subito diffusa, cunctos commoverat, ubique cives in viis, ubique lumina; passim circulari; anxio animo inter se interrogare; inter se factum narrare cum lacrymis, coacti subito longi ordines marium foeminarumque omnis aetatis, cruce praelata, per vias procedebant, litaniamque habebant: quorum stata verba alta flebilique voce prolata, admirabile est, quantum dolorem fletumque omnium augerent. Plurimi in ecclesias supplicatum confluxerunt, alii ad eum visendum concurrerunt; ut palatium Archiepiscopale, cubiculumque ipsum omnium fere ordinum multitudine statim compleretur. Ipse etiam provinciae Gubernator * statim accurrit. Neque vero casu fortassis evenit, ut magni Antistitis obitum tot hominum genera coram dolerent, Principes viri, magistratus, milites, patritii, plebei: non Itali solum, sed Hispani, Germani, Helvetii, Angli, viri ecclesiastici cujuscumque propemodum generis, atque ordinis. Erat ea certe jactura communis. Virgines in monasteriis, cum eo quoque celeriter nuncius penetrasset, itidem commotae, statim ad precandam sese dederunt: ac tota fere nocte quaedam in supplicatione permanserunt. Ita circiter tertiam noctis horam III non. Novemb. die sabbati, nos optimus Pater reliquit, cumque carissimam animam hinc evolasse, facie propius admota experientes, cognovissemus; clausimus, quoniam eramus a latere, relicti corporis oculos.

§ **63**. Audita morte, is luctus, atque moeror fuit, ut in rerum omnium desperatione versari civitas videretur: eos equidem libere, ac effuse flere vidi, quos a fletu penitus alienos, vel ob carissimorum mortem, quisque facile judicasset. Neque vero subito dolor, aut paucis, ut fieri solet, diebus desiit; immo auctus potius videtur in dies; sciteque dixere quidam: hunc dolorem, non ut alii, tempore minuendum, sed potius augendum; quod quotidie magis perspiceretur jacturae magnitudo. Rite curatum est corpus inter familiarium oscula, quod quidem macie sua majorem etiam inspectantibus doloris sensum efficiebat; videbatur enim propemodum ossibus, pelleque tantum constare, ut de eo fere, quod de sancto Basilio, dici posset, cujus vitam is commemorare frequenter, sibique proponere solebat: quemadmodum

* Is erat tunc Carolus Aragoniae, Dux Terraenovae.

charta laternae circumdatur: ita pelle prope arida reliquum fuisse corporis circumamictum. Addebatur, quod, ut quibusdam visum est, adhuc signi aliquid in dorso manebat, quod nefarii illius ictus memoriam renovaret. Collocatum postremo est in palatii sacello, vestitum pontificiis indumentis albi coloris: et cum mira esset populi cupiditas visendi illius, timereturque ne immensae multitudinis concursus, atque impetus, satis moderari posset, non solum nocte ipsa quae non multum habuit quietis, sed die item insequenti, clausae habitae sunt fores. At cum diutius teneri populi desiderium non posset, corpore cancellis circummunito, quibus multitudinis impetus, vehemensque plurimorum studium cohiberetur, aditus omnibus apertus est liber; tantus omnium ordinum toto biduo concursus fuit, ut per amplas palatii scalas, dum confertissimi alii descenderent, alii ascendere conarentur, seseque mutuo premerent, multi ferrentur praecipites, nonnulli pene opprimerentur; ipsius sacelli non exigui tamen, parietes rumpere, multitudinique exitum patefacere, necesse fuit. Diuturnior concursus fuisset sine dubio, exterique advenissent, si amplius dilata fuisset sepultura; augebatur vero populi convenientis dolor; quod tangere, atque osculari cari patris corpus per cancellos non possent, neque ob perpetuo confluentem multitudinem, morari saltem permittebatur, ut paululum eam intueri faciem, contemplarique possent, quam visuri amplius non erant, in qua quidem novus quidam decor, praecipuaque tunc sanctitatis et benignitatis signa quaedam elucebant. Aliud solatium denegabatur, quod nonnulli tamen obtinebant furtim, ut globulorum coronae, quas magna cupiditate offerebant, corpori admoverentur, quibus religiosius ob ejus contactum uterentur in posterum, et inter res cariores asservarent. Dum ibi corpus fuit, clerici semper astiterunt, pie precantes, horis distributis, ut alii aliis succederent, canonici majoris ecclesiae, alia clericorum urbis collegia, ejus item familiares; feriâ quartâ elatum est corpus, funusque ductum, universis utriusque cleri, tum piarum sodalitatum ordinibus comitantibus; unusquisque autem accensum manu cereum tenebat, secuti sunt pontificio habitu ex Episcopis provinciae nonnulli, Nicolaus in primis Cardinalis, qui pro suo eximio in Carolum amore Cremonâ statim accurrit; Provinciae Praeses, Senatus, Magistratus populique multitudo, quanta longissimis viarum spatiis potuit contineri; nam, judiciis omissis, relictis negotiis, clausis officinis, etiam ex agris longe convenerunt, quorum fletus vere memorabilis, tum Antistitis sanctitatem, insignesque laudes, tum populi amorem, gratumque animum, satis per se praedicabat; neque se continuerunt, quin aliquando vocem simul tollentes, non sine multorum terrore, misericordiam, conclamarent, quasi civitatis exitium aliquod instaret. Funeri statim successêre funebria sacra, quae Cardinalis idem celebravit, quibus

et sacri homines, et quotquot ecclesia majore contineri poterant, interfuerunt; concionem habuit Franciscus Panicarola, qui de quacumque re apud quoslibet dixisset, summa vi dicendi permovisset omnium animos, nunc de tanto Antistite, ad auditores tam dolenter affectos, ipse lacrymis frequenter oborientibus, quid effecerit, facile conjici potest. Fuerat corpus in ampla structura alte collocatum, atque ita communitum, ut cupida multitudo minime posset perrumpere. Sed factis exequiis, necesse fuit eum tutiore loco inter ferrea clathra ponere; nam summo studio, atque impetu irruebant plurimi, ut corpus tangerent, sive religione, amoreque invitati, sive etiam sanitatis adipiscendae desiderio incitati. Multi pravis daemonibus occupati adducebantur, qui clamoribus magnisque agitationibus sese perpetuo commotos ostenderunt, tum in funere ducendo, tum in divinis faciendis, tum die ipso toto, quo ad populi solatium sine intermissione confluentis. Intra septa illa corpus relictum est, ut proxima nocte sepeliretur. Delegerat sibi ipse in testamento sepulturae locum, ad primos gradus, quibus altare versus ascenditur, ante ipsum aditum, ut ingredientium, ac praetereuntium pedibus teri necesse sit. Eo, cum interim defossum, atque aedificatum subterraneum sepulcrum esset, corpus in arca plumbea inclusum, nomine ac tempore insculpto, intulimus; lapis impositus est cum epitaphio, quod in testamento ipse conscribi jusserat his verbis: « Carolus Cardinalis tit. S. Praxedis, Archiepiscopus Mediolani, frequentioribus cleri populique, ac devoti feminei sexus precibus se commendatum cupiens, hoc loco sibi monimentum vivens elegit. »

§ **64**. Testamentum fecerat ante annos octo, cum pestilentia urbem invaderet, ut diximus, ac haereditatem quidam suam reliquit praecipuo pauperum valetudinario; sed a majoribus accepta bona, quae fidei commissi jure manere in familia necesse erat, Francisco Borromeo Comiti patruo reliquit, eique patrueles suos Comites substituit, Renatum et Federicum, qui quidem Francisco ante Carolum mortuo, ei successerunt, et merito quidem, non ob propinquitatem solum, sed ob eorum in Carolum observantiam ac pietatem: Federici praesertim, qui clericalem a prima adolescentia vitam amplexus, ejus virtutes, moribus et disciplina quotidie magis expressit; quem Deus, ut esset expressior, atque illustrior imitatio, voluit anno aetatis suae XXII creari Cardinalem; ita Caroli quamvis mortui suffragantibus in sanctam Ecclesiam meritis, ut ex propriis tamen virtutibus omnium judicio dignissimus habeatur. In eodem testamento religiose liberaliterque legavit multa. Sacra precationesque anniversarias ad majorum animaeque suae subsidium constituit, pro se quotannis obitus die fieri jussit, cavitque, si mors in diem illum incideret, quo die pro Archiepiscopis mortuis sacra fieri decreto constituerat, differrentur in proximum; ac, quasi id praevidisset, ita evenit, ut sese habebat conditio.

Ecclesiasticam supellectilem fere omnem, magni pretii, ecclesiae majori legavit. Scripta ad conciones pertinentia Joan. Francisco Episcopo Vercellensi. Familiaribus annuas pensiones, ex avitis ere bonis solvendas; religiosis collegiis amicisque aliis varia reliquit. Dedit eodem testamento erga filios id specimen amoris sui, ut quocumque loco moreretur, cadaver tamen Mediolanum afferri, atque ibi sepeliri vellet. Non videtur omittendum, quoniam et haec signa ad rem facere exemplis didicimus, iis mensibus qui hanc jacturam nostram antecesserunt, fulmina inusitato prorsus numero, per dioecesim Mediolanensem erupisse, in ecclesias praesertim, quarum una fuit nostra Modoetiensis, quamvis nullam ruinam passa; imo, quod praecipuum est, in ipsam quoque majorem ecclesiam Mediolani irrupit fulgur, et altaris majoris umbraculum nonnihil laesit. In Urbe vero malus in Adriani mole alte eminens, cui Pontificia signa quaedam, solent apponi, cum de coelo tactus esset, postridie accepto, dum adhuc lignum conflagraret, de Caroli morte nuncio, eam rem significatam multi existimarunt: quaquam alii retulerunt ad Gregorii Pontificis mortem qui post menses circiter quinque diem suum obiit, sacris per ecclesias passim celebriter peractis, suam civitas erga tantum Patrem pietatem ostendit. Piae honestaeque mulieres multae, quasi pro universo sexu, cui se ille in epitaphio commendaverat, satisfacientes, tum funebria justa, in eadem ecclesia majore suis sumptibus fieri curarunt, tum, facto agmine, septem statas ecclesias, toto itinere supplicantes, crucifixi imagine praelata, cum Caroli insignibus, adierunt; quod idem primo quoque cujuslibet mensis Dominico die postea servaverunt: ut illud vulgo Cardinalis sodalitium appellatum sit. Signa moestitiae, ac doloris, etiam in longinquis christiani orbis regionibus edita sunt. Gregorius ipse Pontifex, ejus audita morte, quemadmodum viri gravissimi nobis narrarunt, illud pronunciavit: « Extincta est lucerna in Israël. » In Helvetiis, ac Rhaetis in primis, quantum impii gavisi sunt, gravissimum sibi adversarium sublatum, tantum luxêre pii acerrimum defensorem, quamquam dolere visi sunt ex iis quoque multi, qui minore adducti malitia sequuntur impietatem. De morte narrationes, tum laudationes multae, versu, solutaque oratione conscriptae, inque varias linguas conversae, per orbem disseminatae sunt. Joan. Franciscus olim, antequam Vercellensis Episcopus crearetur, latinum poëma de Carolo condiderat, quod haec scribens editum audivi: poëmati laus debetur, fides item historiae, si poëtica involucra detraxeris: quae quidem indigna fortasse sacris historiis existimans, auctor opus edi nolebat, quemadmodum nobis affirmavit. At suos in morte quoque Carolus habuit obtrectatores, coenobitici ordinis homo, cujus mores pene intolerabiles Carolus diu non solum tulerat, sed officiis et mira benignitate moderandos susceperat; incredibili odio Carolo mortuo

maledicebat, ejusque nomen ac memoriam insectabatur, neque ferre poterat, ut ei vitae sanctitas a quoquam tribueretur: at is non multo post quorumdam criminum reus factus, Romamque vocatus, morte poenam vitae hujus effugit. Alius ordinis ejusdem, scriptor imperitus et levis, historia quadam edita, Caroli famam inepta quadam dissimulatione, acriter et maledice vellicavit; ea de re cum Romam relatum esset, inspecto libro, volumina omnia e bibliothecis auferri jusserunt summi judices; homo paucos post menses interiit. Magna omnium animis memoria, veneratioque ejus sanctitatis perseveravit; imaginis habendae, quae aliquo modo eum referret, tanta cupiditas, ut inaudito studio quovis operis, et artificii genere, innumerabiles effectae sint, passimque a nostris, et ab exteris expetitae, tum ad Principes et Reges in longinquas partes praeclari muneris loco missae. Videre licet in provincia Mediolanensi, per domos, per officinas, privatim et publice, passim affixam, imo pie, ac religiose collocatam ejus effigiem, ut eo aspectu nemo carere potuisse videatur; quamquam incommode accidit, ut ex tot artificibus nemo fere, vere, ut erat, expresserit: nam, ut pingi se vivens pateretur, ne petere quidem ab eo quisquam ausus esset, furtim ūnus, aut alter, quod sciam, conatus est, idque satis feliciter. Anno ab ejus morte elapso, ipso obitus die, convenêre, qui doctrinae christianae scholis sese exercent, et aliae item piae societates, atque, agmine maximo, ad statas septem ecclesias ejus memoriae gratiae supplicatum ierunt; dumque ita pius populus toto pene die pluvio tempore supplicationi vacans urbem peragraret, plurimi ad sepulcrum venientes sese abjicerent, saxumque flentes oscularentur, ipsa incredibilis detrimenti recordatio, cum tali publicae pietatis, et amoris argumento conjuncta, civitatis luctum instauravit. At libentius maxima pars ejus laudes divinis officiis concelebrasset; seque potius illi commendasset, ut apud Deum juvaretur, quod privatim faciunt plurimi, quam orarent pro illo Deum: quod plerique inviti quodammodo, propter spem de ejus beatitudine firmiter conceptam, facere sibi videntur. plurimi ejus auxilium in suis difficultatibus et angustiis implorant, multi vota faciunt et persolvunt, cereis etiam ex ecclesiastico ritu allatis, qui honoris et religionis gratia ad ejus sepulcrum incendantur; ex Helvetiis nonnulli Mediolanum miserunt, qui vota persolverent; vir clarissimus ejusdem gentis, primo quidem ad Varallium montem, inde ad Caroli sepulcrum pietatis ergo pedibus profectus est, cumque aegrotasset, se tamen jussit adhuc imbecillum ad idem sepulcrum rursus portari. Multi etiam beneficia divinitus per eum a Deo accepta praedicant: atque pridie ejus diei, quo haec scribebamus, funale ad sepulcrum allatum est ab eo qui diceret, sese cum Carolum invocasset, et votum fecisset, ex morbo quodam convaluisse. Quibus de rebus alias, ut spero, fusius explicabitur.

LIBER SEPTIMUS

§ **65**. Multa sunt ex Caroli factis, quae cum historiae filo duci commode non potuerint, minime tamen existimamus omittenda. Uno etiam in loco ejus naturam, consuetudinem, disciplinam, ac animi imaginem quamdam exprimere, hujus videtur esse scriptionis: nam ut in corpore toto diffusum sanguinem propriam tamen obtinere sedem videmus; ita Caroli moribus, licet universa rerum gestarum narratione dispersis, proprius etiam locus recte videtur assignari. Ex his igitur nunc aptam operi conabimur addere quasi coronidem, atque omnia ad certa capita redigentes, prius quae patent sensibus, quaeque in ipso fuerunt, deinde quae ad alios privatim publiceque referuntur, ordine, quantum fieri poterit contexere studebimus; ecclesiaeque administrationem, quaeque ei factae sunt salutares accessiones, generatim comprehendemus. Staturâ fuit Carolus, quae communem nonnihil superaret: cui membrorum quoque magnitudo, ossibus saltem, respondebat; nam carnis tantum fuit, quantum jejunii permisit assiduitas; magni oculi, caeruleique, nasus grandior, rugis laxioribus ab eo ad mentum deductis, capillus subniger, subrufa barba et incompta, quamdiu non rasit. Auctoritas vero, gravitasque multa, toto vultu pallido et macilento, qui veterum sacerdotum sanctitatem maxime referret. Robustum naturâ corpus idoneis signis multi judicavêre; sed curis primo familiaribus, dein ecclesiasticis, semper aetatem praecurrentibus, studiis litterarum, laboribus demum, vigiliisque episcopalibus, et varia corporis vexatione debilitatum.

§ **66**. Corpus ut tractarit, quibusve quasi gradibus ad summam vitae asperitatem venerit, pluribus locis supra demonstratum est; quam ad rem usus est, Deo concedente, duobus magnis adjumentis; alterum, quod nihil subito durius suscipiebat, sed sensim progrediens, tum vires experiebatur, tum sese paulatim assuefaciebat: in quo magnum salutaris progressionis momentum esse merito existimatur, ne vel se quis cito conficiat, vel defatigatus subsistat, aut de via declinet. Ita sese in aquae usu habuit, ad quem annorum cursu ita pervenit, ut vinum paulatim minuendo, aquam vero addendo, stomachus demum aqua sola contentus esset. Ita in jejunio, quod multis annis, dierum numerum per hebdomadas paulatim augendo, fecit quotidianum, illudque prandii solius, nihil vesperi prorsus admittens. Ita in omni fere obsonii genere rejiciendo, ut primo carnem, mox ova, caeteraque sensim dimittens, ad panem solum cum aqua, cibus denique redigeretur: quamquam mors antevertens fecit, ut aliquot dies, puta tres in hebdomada restarent, quibus lacte potissimum, sed pomis etiam et herbis, similibusque adhuc utebatur; simili-

usus in Quadragesima ratione, gradatim in angustias sese ficuum aridarum, lupinorumque deducere curavit. Alterum adjumentum fuit, quod quae semel susceperat, ita constanter tenebat, ut neque labore, neque incommoditate, neque humano, diabolicove impulsu ab iis deduci posset : plurimi enim parum progressus idcirco habere videntur in via salutis, quod leviter ab instituto deflectunt, quotidieque nova ordientes, nihil ad exitum perducunt; omnium mira inerat, his praesertim temporibus, patientia inediae, vigiliae, assidui laboris, omnium denique, corpori quae sunt incommoda: ut demum, non pro ejus appetitu, et ne pro usu quidem necessario, sed pro occupationum opportunitate, et pro suo denique arbitratu corpori satisfacere videretur. Cibum, si officium divinum, vel humanum ita postularet, quod eveniebat frequentissime, tam facile differebat in horas plures, quam alius rem quamlibet levissimam: at contra etiam officii caussâ tempus consuetum praeveniebat: amicorum flagitantium gratiâ vinum, carnemque admittebat; bis in die quandoque edebat : quamquam non ita facile extremo vitae tempore ; tum enim gravari se vehementer, et quasi febri tentari sentiebat, si amicis in eo genere obsequi conaretur. Sed Brixiae vidimus, cum ad eum hospes vir princeps venisset, bis in die cum eo accumbere, cibumque promiscuum, etiam vesperi sumere, cum tamen longe post meridiem negotiorum commodo pranderet. Quibus diebus panem solum adhibebat, quoniam aegre mandentem diutius detineri necesse erat, edens supplices libellos, aut epistolas inspiciebat, ac subnotabat, vel alia legebat, et meditabatur. Cum rogaretur, ut quam biberet, ejus aquae naturam saltem aliquo modo vellet temperari, delicias respondit in exercitatione patientiae minime quaerendas, sese vino potius usurum. Cibum et potum ita sumebat, ut nihil gustare videretur, nec quereretur unquam, vel datum aliquid quod nollet, vel secus factum ac vellet, nisi quid forte melius esse sentiret, quam ferret sibi proposita durities. Ad ea quae legebantur edenti, tum ipse fuit attentus maxime, tum exteros quoque cum eo accumbentes attentos facere solitus est, de eo quod audiebat identidem aliquid dicens, ad pietatem excitandam, de cibo vero, vel potu nullum penitus unquam verbum. Corpus non exercebat, nisi quantum muneris, pietatisve ratio postularet: in quo non valetudinis modum respiciebat, sed rerum divinarum ardenti studio ferebatur. Somno quinque horas dabat in lectulo illo suo paleato, et cannabino; saepe etiam, si opus erat, brevius spatium, nonnunquam brevissimum, et in sella aliqua collocatus : qui aliis tamen humanissimus Pater indulgebat, si essent imbecilliores, ut octo, vel etiam novem darent; cumque ejus familiaris narraret, cujusdam non ignobilis rerum spiritualium magistri sententia, septem horas sano corpori concedi posse : « de Episcopis, inquit, non puto locutum. » Ante lucem surgebat semper ; ad somnum utebatur

nonnunquam tempore, quod itineri dari necesse erat: et nihil de jumenti celeritate remittens, ut poterat, aliqua ex parte satis necessitati faciebat, dormitabat saepe tamen interdiu, natura etiam moleste exigente, quod ei debitum erat: sed ita modice, ut omnia quae dicerentur audiret. Dixisses in consultationibus quandoque, nihil omnino percepisse eorum quae dicta fuerant; cum ille sententias aliorum repetens, optime omnia judicabat. Cum in sacris precationibus, psalmodiaque arcto somno teneri videretur, promptum se tamen praestabat absque ullius admonitu, ut si semper vigilasset, quotiescumque surgendum, caput aperiendum, aliudve ex ritu agendum esset. Admonitus aliquando, satius esse naturae quod necesse erat concedere, quam alieno tempore, et loco dormientis speciem publice praebere: naturae id esse vitium affirmabat suae, cui nullum somni tempus satis erat ad ejusmodi dormitationem vitandam, qua se vel medicis curationibus etiam expedire curaverat. Hanc vitae duritiem, ex clero populoque imitati sunt multi, qui vino cibisque melioribus, pro modo quisque sibi proposito, abstinentes, aut etiam in tabulis cubantes, commune lautitiae studium valde temperaverunt.

§ 67. Omnia captabat in quotidianis rebus durioris vitae momenta, quae plurimi vitare potius solent: in quo magnam vim meritorum, occulto quodam studio colligeret, et non mediocriter ad perfectam vitam juvaretur. Non parvum illud fuit incommodum, vel potius cruciamentum; neque die, neque nocte unquam ignis beneficium in regione valde frigida recipere, hominem interdiu male vestitum, noctu vix contectum, palea subtus, supraque afflictum corpus fovente, ut non immerito dixisse videatur in oratione sua Franciscus Panicarola, nihil amplius Carolum usum suis, quam canem domini facultatibus, qui quidem pane, aqua paleaque modica contentus est. At etiam, quasi humanis commodis illudens, Julio Petrutio religioso admodum seni, qui intimis obsequiis ei inserviebat, nonnihil ejusmodi acerbitatem quodam tempore querenti, eam esse rationem dixit, qua hieme lintea minime frigida cubans sentiat, qui ignem iis adhibere nolit: frigére adeo, dum in iis se collocat, ut prae membris suis lintea minime frigida videantur. Stans legebat, scribebatque semper, tabulae innixus altiori, at foris, paratas ad usum sedentium tantum mensas reperiens, genua ponebat in solo; opinio fuit, salutaris patientiae caussâ eam quoque rem ab eo susceptam; cumque saepius multi sacra biblia, quae frequenter in manibus habebat, ita collocatum perlegere vidissent, divinos libros, reverentiae gratiâ, flexis genibus ab eo semper legi consuesse praedicarunt; captabat ille quidem omnino studio incommodorum, perpessionumque occasiones, eximiaque erat erga divinos libros reverentia, ut merito, ita sit existimatum; sed aperuit nobis quandoque, dolens vitae suae asperitatem nimium praedicari, atque amplificari, quod

silere non debeo; id se facere valetudinis gratiâ, cum eum sibi situm usui esse ad quaedam corpori necessaria cognosceret; id quatenus ejusmodi caussae tribuendum sit, alii viderint. Ita vero angusto loco in suis aedibus consistebat, ut angustiore religiosi viri nulli utantur: tum aestate caloribus ita subjecto, ut pari propemodum patientia, ad calorem frigusque opus esse videretur. Foris item, cum necessariae occupationis gratiâ morabatur, ne forte oblectationis gratiâ secedere quis putaret, eodem modo incommoda eligebat loca, eaque interdum ejusmodi, ut omnes ejus miserarentur conditionem; cum praesertim ubi constiterat, sive in algida, sive in aestuosa loca incidisset, constanter maneret; neque dolens unquam, neque aliquod levamentum quaerens; si aquae, hortive essent, ne aspiciebat quidem, nedum inambularet unquam; cum essemus in ecclesiae Mediolanensis villa Crupelliana, et una Franciscus Adornus ecclesiasticarum consultationum gratia, ad fluminis Aduae ripam semel post cibum cum processisset, in insignis cujusdam jucunditatis loco id ponere visus est, quas propter nos suscepisset; quamquam alioqui non sine caussa locum visit. Cum tot annis ad aedes S. Barnabae Mediolani ventitarit, semel, aut iterum tantummodo, idque adductus Cardinalium hospitum caussâ, hortos ingressus est: postremo vero tempore, cum suaviorem sese omnibus praebere studebat, eo semel nullius gratiâ ingresso, adeo mirabile visum est, ut inter se Patres quasi rem inauditam narrarent, magno praesertim accedente cumulo, quod manu sua pomum arbori detraxerat. Cum in ejusmodi religiosis locis edebat, vel solus, vel uno ministro contentus erat, nihilque sibi praeter caeteros volebat apponi: quamquam postremis annis communis caeterorum modus, si tamen illum admisisset, pro lautitia illi esse poterat; paululum autem post cibum pie cum sacerdotibus collocutus, satis relaxationi datum dicens, ad opera sese revocabat: nam vel modicum post cibum recreationis, quotidiana ejus consuetudo non admittebat: nisi per aestatem quieti potius aliquid, quam somno, interdum ex necessitate daret; eam esse demum in hoc genere veram virtutem dicebat, non solum cupiditatibus resistere, sed eas persequi, sensibusque, non ea tantum negare, quae vitiosam haberent voluptatem, sed studiose detrahere jucunda, molesta vero propinare. Itinera tum equis, tum pedibus durissime confecta non uno in loco narravimus; sed iter faciebat, tum magna festinatione semper, ut domestica jumenta non diu labori resisterent, tum cursu etiam, quotiescumque charitas postulabat animarum, idque eo labore, quem extenuatum debilitatumque corpus ferre necesse erat: quemque sibi propemodum intolerabilem esse, quandoque fassus est. Cremonense iter millium quinquaginta, cum usu venit, et alia similia, uno die conficere solitus fuit: pluvias, tempestates, nocturnum tempus, praecipitia montium; fluminum, lacuum,

atronumque pericula; hospitia incommoda, frigora, calores, contemnebat; quibus de rebus nemo est familiarium, qui paratas non habeat narrationes admiratione dignas; hic Verbani lacus undas, ille Apennini tempestatem et turbines, alius Alpium rupes praeruptas, et earum diurna nocturnaque pericula recordatur; mirum vero omnino, tot, tantisque periculis, et casibus quoque multis, neque ei, neque comitum cuiquam mali aliquid evenisse, pulverem aestate ab ore non desjiciebat; vestitas nunquam habebat manus, ut hieme; praesertim si loca montana asperioraque obiret, tumidae perpetuo, plenaeque ulceribus apparerent; neminem ad hospitia praemitti, praesertim jejunii diebus, patiebatur; ut subito adveniens, aliquid semper addere suis posset incommodorum thesauris. Pedibus, si tamen hoc inter Caroli labores numerare convenit, per urbem ibat: nisi hospitium Praesulum caussâ equos interdum adhiberet, currus neque in urbe, neque in itinere admittebat, quod non ita decore Antistes in iis esse videbatur, neque crux praeferri satis decenter posset. Romae tamen caeterorum morem in eo sequebatur: nam et ibi forma esse videbantur decentiore, nostratibus interdum usus est hospitum Cardinalium caussa; quorum commodis, praesertim si essent imbecilli, amantissime serviebat, lecticam, si vehiculum Praesuli adhibendum esset, ob decorum, et legendi commoditatem, in primis probavit: ipseque postremo tempore tum hospitum in urbe, tum sui suorumque commodo in itinere adhibuit.

§ **68**. Praescripta medicorum, cum iis sese curandum tradiderat, ita servavit, ut nihil praeter eorum jussum, vel quod vehementer expeteret, quamvis minimum reciperet, vel quod maxime horreret, recusaret unquam; sed quae in eo genere ferenda essent, ea prompto animo ad exercitationem asperioris vitae referebat; cumque saepe morositas quaedam, atque fastidium soleat aegrotis, etiam religiosis condonari, non erat in eo quod ferretur aegrotante, magis quam in valente; quin etiam dicere solebat, in cujusdam voluptatis loco morbum se habere, cum eo tempore, semotis curis, quiescere, seque ipsum liberius daretur attendere; si quando medicis aegrotum alium parére nolle cognosceret, reprehendebat, et ut faceret, graviter hortabatur. Cum ad Dei misericordiam pestilentiae caussâ implorandam, una cum clero et populo ad celebriora urbis loca, seu compita supplicatum iret, sanctumque Clavum ferret, pedem nudum clathro ferreo, quo subterraneae cellae fenestra muniebatur, impegit, atque unguem majoris digiti ita summovit, ut tota via, quae multa restabat, abunde sanguinem funderet: neque tamen ob doloris sensum, qui ea parte vehemens esse solet, de incessu quidquam remisit, narrat medicus; supplicatione demum peracta, cum accersitus esset, inspecto vulnere, tolerantiam viri se esse admiratum, cumque dixisset, esse unguem necessario abscindendum;

Carolum, qui sibi post abscissionem necessario quiescendum esse verebatur, quasi nihil morbi, dolorisque vim aestimaret, sibi respondisse: in aliam diem id esse differendum, donec in ecclesia quasdam sacrorum munerum functiones obiisset; obligaret tunc quidem vulnus aptiori quo poterat modo. Tertio die medicus vocatus, id exequi jussus est, quod ad curationem necesse erat; ibi vero Caroli mirificam patientiam sese obstupuisse testatur: ei enim grandem unguem, vulneris acerbitate recrudescente, ita excidisse, ut cum ipse in eo genere exercitatus perhorresceret, neque corpore ille, neque voce, neque spiritu ullo modo commoveri videretur; neque vero ob id diu quievit, aut labori, vel viae pro quotidiano ecclesiae usu pepercit: ut ex eo potius novi cruciatus, ac patientiae nascetur occasio; nam infirmo pede lapsus, os manus loco suo movit, id reponere quidem conatus, cum minime assecutus esset, medicus idem, ingravescente admodum dolore, restituit, prorsus ita se habente Carolo, quemadmodum is loquitur, ac si permulsisset integram manum.

§ **69**. Incredibilem laborum tolerantiam, occupationumque infinitam prope continuationem, superius attigimus: unde facile fuerit totius agnoscere vitae consuetudinem: nam alioqui actorum ejus diurnum, non levi argumento confici potuisset, quod audio ex ejus domesticis quosdam, pro ea temporis parte saltem fecisse, qua fuerunt apud eum, motos admiratione laborum, quos ab eo quotidie sustineri videbant. Ejusmodi laborum caussas, quibus interdum Episcopi nonnulli carére sibi videntur, tum admirabile studium pariebat ecclesiae in omnes partes veteris disciplinae cogitatione conformandae, gregisque ad coelestia bona, continua progressione, ducendi: quod quidem negotium nullis agendi terminis continentur; tum vero animi Deo penitus dediti, divina quaedam inflammatio; qui nulla diligentia, nullo unquam labore contentus, nunquam satis suo judicio perpessus, neque pro infinitis tanti Domini meritis, neque pro suis, suorumque peccatis, sibi videtur unquam posse satisfacere, maxime item, ut in omnibus, S. Ambrosii exemplo movebatur, de quo Paulinus scribit, in divinorum munerum functione tam magnos consuevisse labores excipere, ut quae officia erga eos qui salutari lavacro abluendi essent, solus obibat, iis post ejus obitum vix Episcopi sufficerent quinque, quod idem merito de Caroli laboribus dici potest. Hinc diurna nocturnaque in meditando scribendoque occupatio; hinc longissimae consultationes; assiduitas respondendi iis qui consulere, opemve implorare necesse haberent, diuturnae supplicationes, sacramentorum administratio, saepe usque ad noctem ducta; labor assiduus concionum, visitationum, aliarum rerum, quae sexcentae singulis horis, propeque momentis occurrebant. Cum Episcopus ad eum scribens forte significasset, sibi parum esse negotii, eam vocem, ut Episcopo prorsus indignam et turpem,

gravibus ad eum litteris datis, acriter lateque reprehendit. Cum Novariae Francisci Episcopi exequias celebrasset, quidam ejus mortis caussam dolentes, laboribus tribuebant, quibus in lustrandis suae dioecesis ecclesiis eo anno non mediocris vigilantiae sacerdos perfunctus erat; at ista ipsa, inquit Carolus, de caussa, et isthuc ipsum agentem, hoc est pro ecclesia sua laborantem, Episcopum, decet mortem oppetere. Dicere solebat, tantum esse Episcopo negotii, quantum ipse velit: hoc est pro ejus studio, vel negligentia; item, nullum Episcopum muneri suo posse satisfacere, si valetudini parcat, et earum rerum observationibus teneatur, quae nocere corpori, prodesseve possint. Quod populi parum ad salutem proficiant, majori ex parte culpam esse Antistitum affirmabat, qui non assidue curant, atque urgent eorum progressiones.

§ 70. Qui corpus tam dure habuerit, nullum quoque penitus cultum adhibuisse, vel nobis tacentibus, licet conjicere; nisi quatenus munditiae, vel dignitatis caussâ necesse putaret. Nullum sericum adhibuit indumentum: sed ejus generis tamen, quae personae convenirent; posteriorem tunicae partem, quam solent sacri praesules magis demissam humi trahere, libenter aequalem reliquae recipiebat; vestimentis, omnibus quidem diutius utebatur, tristis; sed quae in conspectu non erant, in primis resarciri non semel jubebat. Opera suorum exuendi, vestiendive corporis caussâ fere non utebatur, idque saepe ob alienum, et incommodum iis cubandi, surgendive tempus; eorum vero, qui sacris essent initiati, nihil ad corpus suum obsequii paulo vilioris admittebat; episcopali veste linea, humerorumque amictu etiam domi semper indutus erat, ad personae dignitatem servandam: nam et domicilium suum, locum publicum ducebat, suosque ibi volebat, ut in publico, versari. Itaque mane, antequam ea indumenta sumsisset, neque in exterorum conspectum veniebat, et neminem nisi intimum patiebatur intromitti. Ac quoniam ab oratione, et sacrae aquae aspersione diei antecedentis, usque ad Missae sacrum postero die factum, nihil, quantum fieri posset, ob rei divinae reverentiam loquebatur, publicum vestitum differebat, donec ad sacrum prodire vellet, in cubiculo vero privatim pulla quadam, et rudi veste utebatur, quam suam appellabat, cum personae suae reliquas esse diceret. Exquisitam adhibebat in omnibus ecclesiastici decori servandi curam, in ipsis caligis, et calceamentis, ac in omni vestitus parte, tum in omni officio ac gestu; quid sacrum virum deceret, attendebat: ut nullum penitus elegantiae, venustatisve, nedum levitatis profanae vestigium appareret, nihilque a dignitatis gravitate, sanctitateque alienum videretur, quae quidem minute persequens, gratum facerem fortasse multis plerisque vereor ne molestum accideret. Sunt qui animi virtutibus intenti, haec ut leviora negligunt: ipse vero (id quod perfectius,

Carolum, qui sibi post abscissionem necessario quiescendum esse verebatur, quasi nihil morbi, dolorisque vim aestimaret, sibi respondisse: in aliam diem id esse differendum, donec in ecclesia quasdam sacrorum munerum functiones obiisset; obligaret tunc quidem vulnus aptiori quo poterat modo. Tertio die medicus vocatus, id exequi jussus est, quod ad curationem necesse erat; ibi vero Caroli mirificam patientiam sese obstupuisse testatur: ei enim grandem unguem, vulneris acerbitate recrudescente, ita excidisse, ut cum ipse in eo genere exercitatus perhorresceret, neque corpore ille, neque voce, neque spiritu ullo modo commoveri videretur; neque vero ob id diu quievit, aut labori, vel viae pro quotidiano ecclesiae usu pepercit: ut ex eo potius novi cruciatus, ac patientiae nascetur occasio; nam infirmo pede lapsus, os manus loco suo movit, id reponere quidem conatus, cum minime assecutus esset, medicus idem, ingravescente admodum dolore, restituit, prorsus ita se habente Carolo, quemadmodum is loquitur, ac si permulsisset integram manum.

§ **69**. Incredibilem laborum tolerantiam, occupationumque infinitam prope continuationem, superius attigimus: unde facile fuerit totius agnoscere vitae consuetudinem: nam alioqui actorum ejus diurnum, non levi argumento confici potuisset, quod audio ex ejus domesticis quosdam, pro ea temporis parte saltem fecisse, qua fuerunt apud eum, motos admiratione laborum, quos ab eo quotidie sustineri videbant. Ejusmodi laborum caussas, quibus interdum Episcopi nonnulli carére sibi videntur, tum admirabile studium pariebat ecclesiae in omnes partes veteris disciplinae cogitatione conformandae, gregisque ad coelestia bona, continua progressione, ducendi: quod quidem negotium nullis agendi terminis continentur; tum vero animi Deo penitus dediti, divina quaedam inflammatio; qui nulla diligentia, nullo unquam labore contentus, nunquam satis suo judicio perpessus, neque pro infinitis tanti Domini meritis, neque pro suis, suorumque peccatis, sibi videtur unquam posse satisfacere, maxime item, ut in omnibus, S. Ambrosii exemplo movebatur, de quo Paulinus scribit, in divinorum munerum functione tam magnos consuevisse labores excipere, ut quae officia erga eos qui salutari lavacro abluendi essent, solus obibat, iis post ejus obitum vix Episcopi sufficerent quinque, quod idem merito de Caroli laboribus dici potest. Hinc diurna nocturnaque in meditando scribendoque occupatio; hinc longissimae consultationes; assiduitas respondendi iis qui consulere, opemve implorare necesse haberent, diuturnae supplicationes, sacramentorum administratio, saepe usque ad noctem ducta; labor assiduus concionum, visitationum, aliarum rerum, quae sexcentae singulis horis, propeque momentis occurrebant. Cum Episcopus ad eum scribens forte significasset, sibi parum esse negotii, eam vocem, ut Episcopo prorsus indignam et turpem,

gravibus ad eum litteris datis, acriter lateque reprehendit. Cum Novariae Francisci Episcopi exequias celebrasset, quidam ejus mortis caussam dolentes, laboribus tribuebant, quibus in lustrandis suae dioecesis ecclesiis eo anno non mediocris vigilantiae sacerdos perfunctus erat; at ista ipsa, inquit Carolus, de caussa, et isthuc ipsum agentem, hoc est pro ecclesia sua laborantem, Episcopum, decet mortem oppetere. Dicere solebat, tantum esse Episcopo negotii, quantum ipse velit: hoc est pro ejus studio, vel negligentia; item, nullum Episcopum muneri suo posse satisfacere, si valetudini parcat, et earum rerum observationibus teneatur, quae nocere corpori, prodesseve possint. Quod populi parum ad salutem proficiant, majori ex parte culpam esse Antistitum affirmabat, qui non assidue curant, atque urgent eorum progressiones.

§ 70. Qui corpus tam dure habuerit, nullum quoque penitus cultum adhibuisse, vel nobis tacentibus, licet conjicere; nisi quatenus munditiae, vel dignitatis caussâ necesse putaret. Nullum sericum adhibuit indumentum: sed ejus generis tamen, quae personae convenirent; posteriorem tunicae partem, quam solent sacri Praesules magis demissam humi trahere, libenter aequalem reliquae recipiebat; vestimentis, omnibus quidem diutius utebatur, ac tristis; sed quae in conspectu non erant, in primis resarciri non semel jubebat. Opera suorum exuendi, vestiendive corporis caussâ fere non utebatur, idque saepe ob alienum, et incommodum iis cubandi, surgendive tempus; eorum vero, qui sacris essent initiati, nihil ad corpus suum obsequii paulo vilioris admittebat; episcopali veste linea, humerorumque amictu etiam domi semper indutus erat, ad personae dignitatem servandam: nam et domicilium suum, locum publicum ducebat, suosque ibi volebat, ut in publico, versari. Itaque mane, antequam ea indumenta sumpsisset, neque in exterorum conspectum veniebat, et neminem nisi intimum patiebatur intromitti. Ac quoniam ab oratione, et sacrae aquae aspersione diei antecedentis, usque ad Missae sacrum postero die factum, nihil, quantum fieri posset, ob rei divinae reverentiam loquebatur, publicum vestitum differebat, donec ad sacrum prodire vellet, in cubiculo vero privatim pulla quadam, et rudi veste utebatur, quam suam appellabat, cum personae suae reliquas esse diceret. Exquisitam adhibebat in omnibus ecclesiastici decori servandi curam, in ipsis caligis, et calceamentis, ac in omni vestitus parte, tum in omni officio ac gestu; quid sacrum virum deceret, attendebat: ut nullum penitus elegantiae, venustatisve, nedum levitatis profanae vestigium appareret, nihilque a dignitatis gravitate, sanctitateque alienum videretur, quae quidem minute persequens, gratum facerem fortasse multis plerisque vereor ne molestum accideret. Sunt qui animi virtutibus intenti, haec ut leviora negligunt: ipse vero (id quod perfectius,

multoque melius esse constat), cum ea quae graviora essent, in primis curaret, tum haec etiam sibi judicabat minime praetermittenda. Commemorabat interdum S. Ambrosii factum, qui in clericorum numerum admittere quemdam recusavit, cum eum sese in gressu leviter, et indecore habere animadvertisset. Aderamus in cubiculo cum Episcopi caligas, deducta veste, et earum constringendarum rationem comiter inspexit, reprehenditque; quoniam ea in re profanam consuetudinem imitaretur. E fenestra nihil in via unquam, quidquid ibi audiretur, spectavit; loco nullo inambulavit; vulgo judicari posse, opinor, putavit, his actionibus aliquid inesse, quod ad curiositatem, otium, curamve corporis nimiam pertineret. In ea vero decori parte, quae valeret ad obscoenitatem, et omnem turpitudinis odorem vitandum, praecipuam adhibuit diligentiam, nam ipsam pudicitiae virtutem a puero coluit religiosissime, sicuti jam tetigimus; ab omni verbo, in quo aliquid non solum obscoenitatis, sed licentiae, vel deformitatis appareret, diligenter cavit; in caussis aliquando, ubi de matrimonio, et ejus impedimentis ageretur, laborabat magnopere loquens, ac pene torquebatur; vocabulaque a re ipsa quam remotissima expiscabatur, vel adhibebat latina; ephebos in domum non admisit; cum femina nunquam locutus est, quin ex gravioribus domesticis unus, pluresve adessent. Domum nulla parte pictam esse voluit, nisi viridem parvi cubiculi sui tincturam visus gratiâ quaesitam, picturae loco numeraveris; atque initio quidem cum Mediolanum esset venturus, aedesque Archiepiscopales jussisset instaurari, coeperunt lacunaria quaedam pingere, atque ornare: quod ipse statim prohibuit, pictaque inducto albario deleri jussit, id quod hodie quoque perspicitur; totas vero aedes, amplas tamen, modesto, vulgarique opere perfici jussit. Supellectilem in domo ad ipsam quotidiani usus necessitatem redactam habuit; nihil omnino fuit post egregiam illam inter pauperes partitionem ad parietes, ostiave contegenda, hospitum vero caussâ mutua saepe multa sumere necesse erat. Equile mandaverat aedificari, quod vetus, nova coenaculi, locorumque adjectorum aedificatione diruendum esset, praepositorum imprudentiâ magno id sumptu factum est. Carolus cum demum re pene perfecta, audiisset, neque enim alias, quam sacras fabricas inspicere solebat, vehementer doluit, ministrosque reprehendit; tum diu investigavit, licet frustra, num usui sacro fortasse, vel omnino digniori aedificium destinari posset. Quamvis magno numero, hoc est circiter centum, ejus domestici essent, exibat plerumque tamen paucis comitatus; aliis alio genere occupationis ecclesiae caussâ utiliter impeditis, ipse vero neque numerum majorem respuebat, neque etiam paucitatem graviter accipiebat; quam pertinere ad christianam modestiam intelligeret, in quo non occupationis solum necessitatem, sed negligentiam quoque saepe ferebat; quae

dissimulatione, patientiaque saepe alitur, quod in Caroli privatis rebus argumentis non paucis cognovi: nam familiares nonnulli in ejus corpore incommode, duriterque habendo, mirifice cum Carolo consentiebant; et ei commoda sua negligenti, negligentiâ ipsâ diligenter inserviebant: ut verissime dixerit quispiam: « qui res incommodas, acerbasque sequatur, vel abjectione, patientiaque exerceri velit, eum plurimos invenire passim adjutores. » At erant, qui tum exiguum saepe comitatum, tum alia quaedam in Carolo ad christianae humilitatis virtutem pertinentia reprehenderent, et summam dignitatem aliquo modo ita imminui quererentur; res etiam ad ipsum Pontificem Pium V quandoque relata est: cui Carolus ita facti sui rationem reddidit, ut nihil haberet optimus Pater, quod improbaret. Eorum qui Dei ministri essent, dignitatem, ac existimationem, dicebat, non in humanis ornamentis, quae tamen ad certum modum pluribus de caussis essent adhibenda, sed in religiosis virtutibus consistere. Res ipsa declaravit, et superius narrata demonstrant: Caroli abjectionem, morum gravitate sanctitateque conjunctam, summis, atque infimis tanto semper in honore fuisse, quantum nulla terreni splendoris ornamenta consequi potuissent.

§ 71. Religiosam paupertatem Carolus amavit, et ejus officia pie coluit; ejus victus vitaeque cultus satis ostendit, si quid in mensa, et omnino in domestico sumptu paulo copiosius, largiusve fieri animadverteret, solebat statim corrigere: id vero tam celsi animi vir, qui omnes alioqui de re familiari curas, minutas, ut cogitatione sua indignas judicabat, virtutis caussâ observabat diligenter. Poma tantum, aut ejusmodi munuscula solebat accipere, eaque fere a religiosis viris: quae ipsa item, ut eleemosynam pietatis gratiâ datam, recipere videbatur. Quam vero parcus in iis erat, quae ad sui corporis commodum, domesticamve affluentiam pertinere posse viderentur, tam erat in ceteris omnibus, quae pietati conducerent, liberalis, prorsusque opum magnanimus contemptor humanarum. Quid amplius in hoc genere commemorem, post maximas pecunias religionis ergo donatas, amplissimas facultates dimissas; exhaustam magnifica et pulcherrima supellectili domum, administrationes officiaque honestissima, cum fructibus et vectigalibus uberrimis relicta; post ea denique pietatis caussâ contempta, quae summi saepe viri studiose quaerunt; eademque tanta munificentia donata, ut nisi christiana divinaque liberalitas ea fuisset, dissolutam prorsus effusionem esse necesse fuerit. Sed aliquid etiam superest minime spernendum; quam daret ex facultatibus quae remanserant eleemosynam, non opus est explicare; hoc sufficit, quidquid suo, familiaeque necessario sumptui supererat, totum pie, ac religiose donabat. Egentium sacerdotum postulationes benigne tribuens, alias superavit, alias praevenit, iis qui apud eam ecclesiae operam dederant,

imo et propinquorum eorum necessitatibus moderate subveniebat, si veras esse necessitates videret: de cetero largiri Episcopum non debere ajebat; sed omnia pauperibus ecclesiaeque suae reservare, cum tanta semper ad gregem pro debito officio juvandum offerantur, ut vel maximae facultates non sufficiant. Cum ad eum retulisset, qui familiae praeerat, a pedibus hominem esse, qui jam minime aptus labori, ideoque dimittendus videretur: eamdem ei mercedem, atque adeo majorem tribui, tum e consuetis laboribus eximi jussit. Summas fructum suorum, expensarumque rationes satis habebat generatim, eatenusque cognosere, quatenus negligentiae in fructibus ecclesiasticis erogandis condemnari non posset, caveretque, ne sumptu nimio aes alienum contrahens, creditoribus esset detrimento, quamquam accepti, et expensi plerumque rationem cum omitteret, sumptus autem piis de caussis large mandaret; ne hoc quidem satis poterat cavere semper, tantumque aberat, ut ex reditibus quidquam ullo anno superesset, ut saepe antecedentis anni sumptus, in fructibus insequentis non modica ex parte niterentur. Nummorum genera, quantive essent, minime noverat; ac eos vel aspicere aegre videbatur. Cum aureorum quadraginta millia ex iis quae in regno Neapolitano vendiderat, allata essent ad eum in cubiculum, ubi acceptae pecuniae testimonium, ipsa praesente pecunia, conficiendum erat, ita exhorrescere visus est, ut si anguis esset oblatus, cubiculoque relicto, vix perficiendi actus necessitate reversus est; tum vero statim auferri jussit, et Praeposito domus Caesare Speciano accersito, de quo saepe mentio facta est, ad usus pios dilargiendam totam distribuit, sic, ut aliquot addere aureorum millia necesse fuerit. Ejus Oeconomus inter alios fuit vir bonus, valdeque industrius, et ei ceteroqui carus, sed tanto facultatum Archiepiscopalium augendi studio, ut praediola, vel agellos addere praediis ecclesiae perpetuo studeret, quo in genere studioque aliquid eorum fere committere oportebat, quod profani homines facere solent; qui egenorum saepe necessitate, ad suum quaestum, res eorum emendo, abutuntur; ex cupiditate emunt majora, quam ut possint praesenti pecunia satisfacere, ut semper debeant, aliasque semper cogantur reservare pecunias; minoris interdum emunt, quam res valeat, de redimenda re paciscentes; idque ad majorem interim pecuniae fructum, quae quidem saepissime sunt avaris, atque improbis turpissimi quaestus integumenta; vixque multis assignatis conditionibus, a juris sacri peritis possunt laqueis improbitatis expediri: semper vero suspicionem non solum cupiditatis, sed etiam flagitii merito movent. Ejus igitur generis negotia, cum ab administro suo gesta Carolus resciisset, et ex emptionibus quibusdam adhuc multum deberi, quod tenues homines exigendo defatigarentur, quamquam nihil improbe contractum argui poterat, summo tamen dolore affectus, hominem vocat, multis

praesentibus, quoniam se inconsulto, ac omnino contra ejus sententiam, ac voluntatem ea facta esse patefieri oportebat; acerrime si alium ullo tempore, increpat; an ejusmodi essent, studiis suis, et omnino episcoporum, clericorumque officio digna; quantam, infirmis praesertim animis, ansam datam esse, ad suspicandum de mente Pastoris sui; quantam malis ad obtrectandum; quonam ore populum ad cupiditatem rerum humanarum fugiendam, terrenaque contemnenda hortaretur, cujus minister augendae rei cupiditati tantopere visus esset inservire; nexibus ejusmodi, tricis, involucris, ita enim appellabat, in discrimen vocatam fidem, existimationemque suam; et una cum ea, quod in primis dolebat, populi sui religiosas progressiones, ad id tempus, tanto studio, tantisque laboribus comparatas; quidvis perpeti se; aut amittere maluisse, quam ejusmodi compendia facere; si alia ratione pretium emptorum bonorum creditoribus solvi non posset, vendi se jubere quamprimum alias ecclesiae possessiones: quod re ipsa perfici quamprimum per Lanfrancum Regnam jurisconsultum, et canonicum Med. in eo munere substitutum, curavit, cum ex increpationis dolore, ut existimatum est, ille in morbum incidisset, mortemque non multo post angore confectus obiisset. Domui Praepositus postremis annis Antonius Seneca, sumptus magnitudinem respiciens, inter alia conquerebatur: ex familiaribus quendam, a se nulla facta potestate, cellis penariis omnibus afferre manus, et effundere largiter. Carolus autem ita sinere jussit, cum eleemosynis tribuendis ille praefectus esset. Lis illata erat ejus nomine Cardinali, primis Pii V annis, de nobili Abbatia aureorum annuorum circiter duodecim millium; cumque accepisset, sacros Rotae Romanae judices nonnulla judicasse, quibus facile, vel potius sine dubio sese caussam obtenturum speraret, sponte cessit, ac praeter omnium opinionem remisit, quidquid ea in re posset consequi; motus, ut ajebat, quod neque negotiis ejusmodi volebat suum a rebus divinis animum distrahi, neque cum collega judicio disceptare: omnino, quod litem nullam, quae ad se privatim pertineret, in qua esset actor, prosequi apud se constitutum habebat; non enim eam sibi satisfacere rationem, quod, posthabita omni diligentia, ne dum perturbatione, judicibus rem totam posset permittere: respiciendum namque esse quomodo posset ille, unde peteretur, ex actione commoveri, cujus animum remittendo sedare, et ad amorem allicere in sua manu esse videret. Factum mire collaudavit Pontifex; collegae aliique omnes: magnumque boni reliqui ex eo laetitiae fructum, propter illustris religiosique exempli utilitatem, perceperunt. Scimus alias etiam de privato jure suo non semel eum insigniter remisisse, tantum ne quid ex litibus in aliorum animis offensionis oriretur. Mercedes, et pretia rerum suarum, si creditores cum eo forte conquererentur, familiaresve ipsi consulerent, ita judicavit: ut non

aequitatem solum expleret, sed exspectationem quoque petentium, liberalitate vinceret, quibus de rebus hoc loco brevitatis caussâ non explicamus. Cum ad locum dioecesis quendam venissent, ultimis vitae suae annis, mulae et equi omnes, quibus ipse comitatusque vehebatur, hospitis vel domesticorum ejus culpâ incendio necati sunt: at nihilominus hospes incensi stabuli sui damnum resarciri a Carolo petiit, facileque impetravit. Quandiu summum sacrae poenitentiae magistratum tenuit, nulla unquam munia ad eum pertinentia vendi permisit; cumque modica inde percipi emolumenta nunciaretur, tantum abest, ut doleret, ut laetitiâ potius afficeretur. Cum Aronae arcem Gubernator, ut ante diximus, occupasset, adduci nunquam potuit, ut de restitutione quidquam ageret, aut suo nomine agi pateretur a Borromeis qui tamen aliquot post annis eam a Philippo Rege receperunt, immo cum ea de re nuncio Romam allato, Gregorius Pontifex graviter ferens, de ea restituenda suo nomine agi cum Rege jussisset, gratias egit ille quidem Pontifici, sed rogavit, ut, ea omissa cura, rebus ecclesiae suae potius perfecte consulere pergeret: de iis revera se vehementer sollicitum esse, atque utinam, dicebat, in arcem Aronae récidant, quaecumque possunt in ecclesiam committi, qua in re non rerum tantummodo humanarum contemptionem, sed charitatem quoque insignem Ecclesiae Carolus ostendebat; cujus rationes aliis utilitatibus omnibus semper voluit anteferri.....

§ 72. In ejus rerum gerendarum ratione, duo pene vulgari judicio pugnantia videbantur; ex altera parte si spectaveras, totam rem admirabili quadam fiducia divinae providentiae ita commissam videbas, ut nihil spei penitus in humanae diligentiae officiis relictum videretur; ex altera vero, cum nullum officii, studii, curae, industriae munus, tempusve praetermitteretur, nihil in divina ope positum propemodum arbitrabare. In negotiis suis mentem animumque in primis perturbationibus vacuum, in id firmiter intendebat, quod optimum, rectissimum, Deoque gratissimum videbatur; ea studiose Deo, plurimis deprecatoribus, publicisque supplicationibus adhibitis, commendabat, quemadmodum historiae cursu non semel indicatum est; tum, ut erat acri ingenio, judicioque, omnia circumspiciebat, commoda atque incommoda ponderabat, quibus viis detrimentum importari posset, quibus remedium afferri, diligenter investigabat; calamo etiam difficultates, remedia, argumenta, cautiones, et omnino quicquid in re tota esset, distincte ordineque notabat; ne quid elaberetur, aut imprudenter, permixteve fieret, alienum praeterea consilium prolixe ac patienter exquirebat; cumque plena quadam cognitione perfectioneque omnibus in rebus delectaretur, tamdiu fixo animo uni rei insistebat, donec ipsa negotii, ut ita dicam, viscera diligenter inspexisset, quidque potius, meliusve esset ad eligendum

cognovisset; quam ad rem subsidio erat capitis firmitudo ejusmodi, ut cum multas horas, puta sex, aut septem uni rei dedisset, tum etiam minime defatigatum, peneque integrum sese praeberet. Vetus proverbium sequebatur: Age quod agis; ita enim perfecte agitur, quamquam ille pro naturae quodam vitio sibi fere tribuebat, quod fixe adeo in opere proposito perseveraret. Res in omnes partes versata, pleneque discussa videbatur, cum ille adhuc plurima inveniebat, quae merito adderet, moneret, contradiceret. Scriptum, ab aliis intelligentibus perlectum, et emendatum, nam consuetudine sua multorum judicium adhibebat, pluribus tamen locis merito corrigendum demonstrabat, ipseque mutabat, limabatque diligenter pro negotii gravitate: ut molestum saepe esset, quibus tam perfecta rerum species proposita non esset, tam diu immorari, ac non tandem probare, modumque ponere. Ac diuturna quidem in dubiis rebus utebatur deliberatione; diu si spatium esset, secum habebat; saepius alienum consilium exquirebat; cum vero constituisset, celeriter fortissimeque exequebatur, sic, ut plerisque persuasum esset, ne quidquam, nisi per auctoritatem fortasse majorem, repugnari. Id ita praestabat, ut etiam gravissimas res facile ac nullo pene negotio facere videretur: neque enim vel insuetus motus apparebat, vel plura loquebatur, quam necessitas ferret; eam virtutem divina vi sustentatam, prudentes homines nonnulli, consuetudini tribuebant, antea maximarum rerum usu in administratione Pontificia, confirmatae. Dicebant enim, ut ii, qui primo discentes, litteris magnis pingendis assuescunt, cum ad communem formam redeunt, magna utuntur manus celeritate: ita Carolo maximis gerendis rebus Romae assuefacto, Mediolanensia negotia facilia, leviaque videri; quod ut aliqua ex parte verum sit, praestantiora tamen illa sunt, quam ut ea possit vis ejusmodi consuetudinis consequi. Quid supplicationes, fiducia, perturbatione liber animus, summa diligentia illi valerent ad rem gerendam, tum universae administrationis eventus satis docuit, tum certa negotia multa; non semel res ejus universae, saepe etiam singulae quaedam, in eum locum erant adductae, ut ad extrema ventum esse videretur; at repente, commutatione facta, in optimum statum, tamquam in lumen ex tenebris restituebantur; quae res erat ejus sensui consentanea: dicebat enim, qui Deo vere serviret, ei tunc maxime in rebus suis bene sperandum, cum extenuata maxime spes humano judicio putaretur. Caussae suppetunt gravissimae, in quibus cum virorum, doctrina usuque praestantium sententiâ, immo valde piorum impulsu ad judicandum urgeretur, ipse, redintegratis supplicationibus, diu cunctatus est, donec contra penitus ac alii putabant, rem se habere, cunctis admirantibus apparuit: exploratumque fuit, nisi ille distulisset, rursusque ad preces confugisset, incommoda maxima extitura fuisse, gravissimas

inimicitias, honoris, atque adeo quorumdam vitae jacturam: ut Carolum praecipuo quodam mentis lumine divinitus illustratum praedicarent omnes; quibus de caussis hoc tempore nobis minime videtur explicandum. Humanam prudentiam rebus divinis feliciter peragendis valde praedicabat adversari; quod pium religiosumque esset, etiam contra communes hominum sensus, constanter sequendum affirmabat; sed prudentiâ nihilominus, et etiam artificio laudabili quodam, ad ea quae recta piaque essent, consequenda, utebatur; cujusmodi Romae, rebus ejus in magnam, invidiam, ac non mediocre discrimen adductis, adhibuit, omni enim pietatis officio, sicuti suo loco narratum est, prius adhibito; prudentia mox alienissimos homines sibi conciliavit, in primis vero unum, cui dicitur Carolus ludibrio, et despectui adeo fuisse; ut ab eo palam stultus quidam spiritualis appellaretur; patientiâ enim, et dissimulatione, tum earum quoque rerum commendatione, quae vere laudabiles in amplissimo viro erant, eum ita sibi leniter placavit, ut magni demum judicii vir, valdeque sapiens ab eo diceretur: adversariique magnum suae caussae patronum sibi tam praeter opinionem ereptum, valde quidem dolerent, magis tamen mirarentur. Profanarum rerum controversias a principibus viris ad ejus arbitrium quandoque delatas, recusavit; de contrahendis matrimoniis agere, si rogaretur, negare solitus fuit.

§ **78**. Cum autem ea, quam exposuimus, praeparatione rem susceperat, utcumque illa procederet, constanter perseverabat, invictam mentem animumque metus expertem praestabat: certum illi erat, magna sibi ad propositum tenendum, vel daemonum insidiis, vel hominum errore, rebus omnibus fore impedimenta; maximas sibi, omnibusque Dei administris paratas esse difficultates; quae Dei clementia posset, soleretque in salutares animarum fructus vertere, haec cum ita proposita, provisaque haberet, minus mirabatur, aut commovebatur, si quid accidebat adversi; et, dure licet conflictatus, ab instituto non desistebat. Defatigatis interdum, fractisque bonorum virorum animis, qui in caussa non erant, spectatorumque tantum, ut ita dicam, officio fungebantur; ipse rerum omnium actor sese integrum, erectumque omni tempore praebebat, resque suas agebat, ut si non multum esset negotii; omnino in prosperis, et in adversis eundem se praestabat semper; neque laetitia efferri, neque dolore unquam abjici videbatur; eundem vultum, eundem statum ita retinebat, ut animi affectus, quo moveri omnes natura necesse est, cognosceret fere nemo. In gravissimis imminentium periculorum rumoribus, cum ex principibus civitatis nonnulli clam adirent, magno conatu gravissima pericula nunciarent, non aliorum sermone relatas, sed auditas a se minas aperirent, sibi diligenter cavere monerent, Carolus nihil movebatur, ac potius subridens contra monebat, ne

quid timerent, Deoque confiderent; de periculis hujusmodi quandoque invitatus a religiosis viris, ita fere loquebatur, ut de levibus, aut jucundis rebus; eamque mentem prae se ferebat, ut si quid gravius in eum accidisset, nihil sibi timendum magis, quam inanis gloriae sensum existimaret. Quod ad sua privatim pericula, doloresque pertineret, ferre se dicebat acerbius, si presbyter, aut clericus vitio aliquo transversus ageretur, clerique disciplinam turbaret, quam si principes viros multos haberet infensos. Magnum in primis erat ejus aequabilitati ac constantiae ad omnes casus firmamentum, divina voluntas et providentia, in qua sibi conquiescendum constituebat: immo certa spe nitebatur, ex omni eventu, quicumque esset, Dei benignitate boni aliquid extiturum, exempla fortitudinis, ac humanorum periculorum despicientiae; in primis vero singularis Dei fiduciae, quae verae solidaeque fortitudinis parens est, et altrix, superioribus libris plura, et gravissima continentur, quae quidem hic repetere non oportet, sed aliud hic afferemus. Triremes nonnullae ad litus Sabbatium, seu Savonense appulerant; quidam in eis vinctus nobili genere, Episcopo accersito, indicat: consilium de occidendo Carolo initum, immo data jam mandata; verum ne id esset, an confictum, novit Deus; homo certe non indignus, cui fides haberetur, neque libertatem, neque aliud sibi ex ea re quaerere ostendit; multaque protulit nominatim, quae rem probabilem facerent. Episcopus celeriter ad Carolum quidquid audierat, scribit; ipsius indicis litteras alligat, quibus de toto negotio plenius explicabatur; utrasque Mediolanum mittit ad Hieronymum Vicecomitem equitem nobilissimum, Borromeis affinitate conjunctum, cui de negotio item brevius scribit; et tamen generatim periculum demonstrat. Eques, orta vix, luce, litteras enim noctu acceperat, Carolum adit, cum difficilis aditus esset tali hora, Carolo nondum ad Missae sacrum parato, par esse arbitratus, ut officium, reverentiaque cederet rei gravitati, per se ingreditur, litteras offert, statimque, opinor, exquisitionis caussâ, quid iis contineretur, ostendit. Carolus, re audita, lumen postulat, quo allato, litteras obsignatas comburit; tum conversus ad equitem, mirantem, et prope subindignantem: omnino, inquit, praesidia, custodiaeve mihi adhibendae non erat, neque meis pro Ecclesia muneribus, ob hujusmodi suspiciones abstinendum: quid proderat alicujus peccatum nosse, vel quemquam habere suspectum, quae quidem odii, judiciive de alio temere faciendi, tum aliarum sunt offensionum invitamenta? Satius est Deo rem totam permittere, ejusque sola misericordiâ sustentari. Ita discessit eques. Carolus vero nullum penitus verbum de re praeterea fecit. Similem adhibebat aliis omnibus ferendis constantiam ac fortitudinem, quae quidem in hac vita possunt infeliciter accidere.

§ 74. Litterarum studiis deditus fuit a pueritia; hanc rem

demonstravit morbus, in quem ex assiduo ejus generis labore delapsus est adolescens; tum horae incommodae, ac nocturnae, avunculo vivente, inter ipsa orbis terrae negotia, litterariis exercitationibus datae: de quo superius commemoratum est; praeterea vero subcessiva tempora, quae inter gravissimas Pastoralis curae occupationes, nunc scribendis ad salutem sui gregis opusculis, nunc sacris decretis ad certiorem, facilioremque usum, novo ordine sibi, suisque distribuendis, aut vero parando concionum argumento consumebat. At rerum agendarum necessitate semper cum exercitatione litterarum conjuncta, cursum tenere non potuit, nisi impeditum, interruptumque studiorum, desideriique sui; qua in re cum se ipse vicisset, atque infregisset, tum alios quoque docebat, tantum litteras amare, quantum muneris ratio pateretur; tempusque illud tantummodo capere studiorum, quod ipsa commissae administrationis necessitas relinqueret. Usitatam jurisconsultorum scientiam, qua fuerat occupatus adolescens, minime ad se pertinere arbitratus; Theologica et canonica tantum novit, quantum Cardinali magnam ecclesiam regenti efficere posse concessum est; ex Theologia, Scripturas divinas potissimum sequebatur; tum veteres Patres, interpretesque illos, qui solidiorem sensum amplectuntur. Canonum ea scientia perjucunda erat, quae Patrum mores et acta repraesentans, ecclesiae componendae atque ordinandae rationem continet; dolens autem eos communi consuetudine tantummodo canones ad interpretandum seligi, qui ad lites judiciaque valent: constituit ipse, qui iis declarandis praeesset, unde sacra majorum instituta, et ritus optimumque ecclesiae administrandae genus hauriretur; quos vero ejusmodi cognitioni deditos nactus erat, eorum studiis, jam inde ab illis Sirleti initiis, benigne favit, ut quod etiam Romae postea ejusdem generis studium excitatum est, ei non exigua ex parte videatur adscribendum; placuit ei latinus sermo: neque ipse incommode locutus est, ut nonnunquam orationibus honoris gratiâ coram eo habitis latine responderet; Episcoposque valde hortaretur, ut in consultationibus Concilii tempore latine loqui vellent; decreta, ceteraque sua curavit eleganter scribi, etiam ea quae Italicam hujus temporis linguam requirerent; at, rejectis flosculis inanique ornatu, locutiones eas verbaque probavit, quae decorum ecclesiasticum quoddam retinerent; multo magis autem sensum personis rebusque sacris accommodatum quaesivit. Cum hac exigua quoque facultate nostra usus, scripta quaedam emendanda perlegeret; nobisque forte excidisset, dolere, quod non ita modicum tempus olim stylo dedissemus: « melius collocatum fuisse, respondit, quam in ea quae diu nos occupatos tenuerat, jurisperitorum facultate. Copiosa ipse oratione scribendo usus est, periodosque multis sententiis refertas, longiusque ductas adhibuit; quae scribi jusserat, ad ea emendanda, quicumque scriptores

essent, acre prudensque judicium adhibuit; libellum scripsit ipse, ubi religiosa monita plurima, facili quadam ratione, ad quotidianum populi usum complexus est, pro domestico cujusque officio separatim distincta; alium item, sublata pestis calamitate, ad memoriam divinae animadversionis conservandam, ut ea populus vitaret in posterum, quorum caussâ poenas ejusmodi dedisset. Omitto litteras tum ad publicam ecclesiae commonitionem, tum de gravissimis alioqui rebus ab eo saepius conscriptas; de concionibus quae scripserit, alio loco dicemus. Bibliothecam insignem habuit, quam collegio reliquit Canonicorum suorum; ac decreto provinciali constituit, in omnibus provinciae civitatibus ab ejusdem generis collegiis bibliothecas communes esse comparandas, quas singulas Canonicus deligendus conservari curaret ac augeri. Viros eruditos amavit, et in honore habuit semper; tum re, opera, commendatione, ad vitae sustentationem, ad studiorum adjumentum, ad honoris amplificationem juvit liberaliter: tales apud se habere studuit, multosque habuit, Romae praesertim; cum Italiae pene florem in eo genere sibi, et Academiae suae adjunxerat. Multa vero componi, et ad communem salutem edi curavit. De arte rhetorica librum, ejus hortatu, scripsit Augustinus Episcopus Veronensis ad ecclesiasticam rationem accommodate; de Episcopo item; et in sacrosancta Evangelia homilias ad Ambrosianae ecclesiae usum, minime adhuc editas; librum alium Silvius Antonianus de christiana liberorum educatione; alios ab eo postulatos scio, qui fortassis edentur.

§ 75. Labes animae, vel minimas exquisite vitabat; ne quid offenderet, etiam modici temporis otiosam amicorum consuetudinem, et supervacaneos sermones omnes studiosissime fugiebat: vel si una esse, ac alloqui ob virorum dignitatem necesse esset, attentissime ad usum, et ad pias utilitates omnia convertebat; ipsum temporis otiose traducti peccatum ita cavebat, ut etiam dum tonsorem adhiberet, vel salutari cogitatione, vel legendo, legentemve audiendo utiliter detineretur; quam diligenter autem majora peccata, et omnes offensiones devitarit; tum ex hoc facile conjici poterit, vel me tacente; tum ejus caeteri mores descripti clare demonstrant; omnino mos ejus fuit, curaque perpetua, ut omne peccatum, ejusque periculum, ac speciem quam longissimo intervallo declinaret; quod autem vitare non posset, qualecumque erat, quotidie solebat subjectissime, magnaque diligentia sacerdoti confiteri. Si quid incideret, in facultate sibi impetranda, in veniis obtinendis, ampliora semper poscebat, ut sibi tutius consuleret. Si quid ita illi remitteretur, ut ejus animae periculo esset, vel recusabat, si posset, vel miram adhibebat cautionem; quod agendum erat, in quo recte ne fieret, dubitatio oriretur; Mediolani, Romae, eorum qui doctissimi ac peritissimi haberentur, consilium semper exquirebat. In vitiis superandis, virtutibusque comparandis fixa

illi erat ea cura, quae omnibus perfectum vitae statum cupientibus proposita esse debet; ut ex Apostoli praecepto, iis quae fecisset, adeptusve esset, minime contentus, ad majora semper intenderet animum; quod ejus quotidiana fere incrementa superius suis locis notata demonstrant; omnino judicabat, animarum Pastorem satis officio suo in aliis juvandis facere non posse, nisi se ipse salutariter exercens, progressiones suas semper urgeret.

§ **76**. Summa diligentia usus est, ut rite, recte, ac religiose sacra omnia obiret: id quod etiam ante cogitando, meditando, sese assuefaciendo, consequi studebat; si quis ministrorum erraret, graviter corrigebat; distribuenti sanctissimam Eucharistiam Brixiae, nescio cujus fortuito succussu, vas pene excidit; particulae certe multae in pannum delapsae; ea re tantopere doluit, ut vix teneremus, ne ab se poenas alieni errati repeteret, quae sacris decretis ejus generis magnae negligentiae statuuntur. Missae sacrum facere nunquam omisit, nisi morbi necessitate, eaque non quavis, sed summa coactus; ejusmodi consuetudini plurimi ex vulgo ad res divinas attentiores, sic erant assueti; ut cum Episcopum, alterius sacerdotis Missae frequenter interesse feminae vidisset, percunctaretur, idque serio, num Episcopus ille Missa facienda esset interdictus. Nisi aliter necesse esset, sacello Archiepiscopalis palatii omissò, in ecclesiam ad altare suum subterraneum, vel omnino ad ecclesias, sacri faciendi caussa, ob eximiam sanctissimi mysterii dignitatem, accedebat. Solebat ille quidem, ut diximus, mane, antequam sacrum obiisset, neminem admittere: cum autem in via prohibere non posset, tantum respondebat, quantum ipsa modo necessitas postularet: sed in ecclesia aditum dare solebat nemini; et omnino cum eo venerat, procul omnia jubebat esse. Cum in omni actione, tum in rebus divinis praesertim, quid deceret, exquisitissime observabat; oculos, manus, omnem motionem atque gestum ita moderabatur, ut sacrorum dignitati, sanctitatique prorsus convenirent; neque tamen eorum esset conspicua cura; excreandi etiam, spuendique tempus opportunum, ac modum tenebat; vere, quidquid ageret, exemplar diceres ecclesiastici decori, ac sanctitatis; in Missa tamen haud nimis longum temporis spatium ponebat; ob eam quam dixi dignitatem, alienissimus semper fuit a sacellis, in privatis aedibus quacumque de caussa permittendis, ubi Missa fieri posset; eam rem tum decreto provinciali sanxit, tum severius usu firmavit perpetuo. Canonicarum horarum sacerdotales preces, et quae ad beatissimam Virginem habentur, quotidie humi positis genibus obibat. Quocumque loco esset etiam lutoso, publicum audiens Angelicae salutationis signum, genua ponebat in solo. Festis diebus in ecclesia divinis officiis omnibus assistebat: cum caeteris alte recitabat, seu canebat; sacerdotisque celebrantis, seu chorum

ducentis partes semper agebat ipse: dumque ex ritu standum erat, manus etiam ad Deum semper tendebat supplices; plerumque autem eveniebat, ut ab antelucanis officiis in ecclesia permaneret, donec omnibus peractis, ad corpus reficiendum discedendum erat; quod enim Missae sacro, concioni, caeterisque divinis rebus supererat, id temporis in subterraneo sacello consumebat secum orans; affirmabat, et re ipsa ita esse perspiciebatur, quamdiu esset in ecclesia, quiescere se, et jucundae admodum animi relaxationis instar, eam occupationem ducere; itaque mirabatur, sacra munera, etiam si longo essent spatio temporis obeunda, caeteris saepe gravia videri; dolebat divinorum officiorum disciplinam delicatae hominum consuetudini plerumque aptari: cum contra conandum esset, ut homines ad veterem se disciplinam, licet paulo magis laboriosam, accommodarent; id fieri posse docebat exemplo populi sui; quem integros pene dies variis rerum sacrarum exercitationibus intentum, suaviter in ecclesia retinebat. Cum ab eo missi ad principem virum ad urbem appropinquantem, paulo post essemus ad eum reversi, in coenobii virginalis aede sacrum faciebat; exspectamus donec distributa virginibus Eucharistia, Missae finem faciat; cum ad sedem rediisset, indumentaque deposuisset, ad sedentem mittimus, ut adire liceat; ipse vero quamquam caussa erat, cur nos audire cito studeret, atque adeo cur putaret celeriter consulendum; aditum minime concedens, alia sumpsit indumenta, quibus sacrum vestitum traderet novitiae virgini; rem conficit, concionem habet ad sacrum coetum: demum post duas, opinor, horas, cum exiisset, vocat, negotiumque admittit; res ita se habuit, ut opportuna fuerit ea dilatio; eumdem se praestitit, cum in aedibus seminarii in re non ita magni momenti, sed sacra occupatus esset, nuntiusque Roma, quem magno desiderio exspectabat, ob negotium gravissimum advenisset; nisi enim re perfecta, quam in manibus habebat, nuncio aditum non dedit. Indecorum judicabat rebus sacris interponere, sacrove loco admittere quidquam externum: sed simul etiam voluntate, ac desiderio reprimendo se exercebat, in quo studio, licet de re non magni momenti agatur, magnum tamen ad virtutem esse momentum existimatur; si de sacris reliquiis, aliisve rebus ejusmodi, ut saepe fit, aliquando dubium aliquod incideret, in eam partem semper propendebat, quae religiosior videretur, et magis pia. Antiquitati, majorumque consuetudini plurimum tribuebat. Si ecclesiam viseret religionis gratia, quoniam sunt loca saepe, vel sacella plura, quibus variis de caussis vulgo cultus adhibetur, adibat omnia diligenter, et vel rudiorum hominum piam consuetudinem in eo imitabatur.

§ 77. Deum orandi, divinaque meditandi studiosissimus fuit; cui studio cum se tradiderat, ita mente atque animo solebat haerere, atque ita, si tempus daretur, in intimas rerum spiritualium

cogitationes sese conjiciebat, ut ab aliis omnibus, vir incredibiliter occupatus, sese abstractum praeberet; id ipsi partim etiam ob vehementis applicationis, occupationisque in omni genere consuetudinem eveniebat, de quo jam attigimus; cum interdiu negotiis distineretur, nocturnum tempus ad orandum sumebat; cumque magni momenti res incidebant, ipsas noctes precando consumebat; locum ad eum usum sibi paraverat, usitato sibi cubiculo proximum, ita remotum, ut aliquis familiarium tamen saepe gemitus exaudiret. Praeter has quotidianas exercitationes, tum extraordinarias quoque multas, quae praecipuum studium, spatiumque longius requirebant, bis in anno saltem ab urbe discedebat, seque in remotis, solitariisve locis colligens, plures dies totos ab omni alia occupatione liber, tum superioris temporis errata dolebat, tum sese spiritualibus, divinisque contemplationibus ad majorem sanctitatem incitabat; qua de re supra non semel attigimus. Inde autem coelesti pabulo refectis animi viribus, ad sua curricula recens alacrisque descendebat. Praeterea vero, quod perpetuae supplicationis genus existimatur, quascumque res ageret, ita se comparabat, ut neque divinae praesentiae memoriam, neque motuum animi sui custodiam desereret: cum idem tamen, quae essent in manibus, tam perfecte tractaret, ac in omnes cujusque rei partes tam acriter, ut diximus, acie mentis penetraret, ut nihil fieri posse videretur accuratius; videbatur autem, si quis attenderet, in ipsa rerum tractatione interdum modico spatio, ab iis quae agebat, mente abstrahi, alias subito commoveri, speciem flentis nonnunquam prae se ferre. Ex eadem vigilantia, suique ipsius custodia fiebat, ut quidquid ad eum quis afferret, paratum animo semper, semper cautum inveniret; ne ulla re, vel nimis commoveretur, vel offenderet aliquo modo. Episcopo, dicebat, utpote rebus sacris administrandis assidue occupato, eam maxime custodiam convenire, ne actio a spirituali meditatione penitus unquam distraheretur. Itineris tempus ita consumebat, ut nisi quis interim audiendus, vel cum aliquo esset colloquendum, in rebus divinis semper animum defigeret, atque ita raperetur, ut pene sensuum intermitterentur officia. In Deciana via, cum iter noctu, densissimis tenebris faceret, et in foveas quasdam delapsus esset, mula super eum jacente, comitibus visus est, et in primis Caesari Speciano, qui nobis postea narravit Episcopus, ita permansisse in meditatione sua, ut ne de exitu quidem cogitaret, donec comites accensis facibus regressi, eum nihil querentem aut dicentem, extraherent: madidus vero, ac lutulentus nihilominus hilari vultu Mediolanum venit; interdum ita mula offendebat, ut procumberet; ipse vero, nisi corrueret penitus, nihil plerumque animadvertebat. A rebus novis nunciandis vel audiendis abhorrebat: praecipuum importari dicebat ex ea curiositate, spiritualem vitam agentibus

detrimentum; si quid ab amicis absentibus nunciaretur novi, quod ad munus suum minime putaret pertinere, nihil, aut quantum officio servando solum necesse esset, respondebat; quod satis docent ejusmodi litterarum responsiones ejus brevissimae; si quis quacumque dignitate adiret salutandi caussa, et de rebus ejusmodi vel percunctaretur, ut vulgo fit, aut referret, ipse vel tacebat, vel alium, eumque utilem sermonem inferebat. Ita se a rebus humanis avertebat, ut frequentes dies, et pene menses, qui agebantur, ignoraret. Sed vitae postremo tempore multo magis incitatus, ita sacris cogitationibus, contemplationibusque deditus erat, ut aliquid etiam operae necessariae, suae subtrahere videretur administrationi; illius operae saltem, quae ministris, aliisque audiendis, qui consulerent, danda erat; omnino ab ejusmodi studio nullo modo videbatur posse divelli; quo tempore, quae Christus Dominus pertulit, ea diligenter ad meditandum per particulas distribuisse, viamque, et rationem meditandi, precandique composuisse commemoravimus. De caetero ita contemplationem coluit, ut actionem semper, salutemque mortalium respiceret; itaque si qui a rebus publicis abstinere, quieti se tradere, sibique tantum, licet sancte, vivere vellent, his haud facile concedebat; aegreque adducebatur, ut cuiquam manus imponeret, si privati spiritualis fructus tantum gratia id peteret, ac non certae ecclesiae, certoque muneri vellet addici, cultuique divino publice operam dare; ad eam rem tum sacris legibus in primis movebatur, tum sensu quoque suo, qui sacros homines prodire, in negotiis sacris versari, de plurimis ad salutem benemereri, ad Antistitis jussus paratos se, facilesque praebere; neque otium, neque spiritualem quietem, ac ne illa quidem, quae ad victum necessaria essent, respicere, incommoda, et difficultates, locorum, munerumque mutationes pati, omnes volebat, atque hortabatur, eos maxime, quos licet probos, et divinarum rerum studiosos, sibi tamen libenter parcere, arbitrii sui, potestatisque jus studiose conservare, iis quae ipsi sentirent adhaerescere, aliis vero difficile assentire, videret. Cum ita ipse affectus, animoque paratus esset, ad eamdem sententiam maxime conformari cupiebat clericos suos, et eos cum se offerret occasio singulari quodam ad id studio erudiebat.

§ 78. Domesticos suos, vel clericos elegit, vel eos, qui essent in clericorum instituta, disciplinamque propensi, omnino autem eos, qui virtute, officiis, consuetudineque quotidiana, Deo dicatis viris essent, quam aulicis similiores; curabat eam rem, cum aliquem recepturus erat, per hominum probatae fidei testimonia; sed ipse quoque, cum in aliquem defixisset oculos, pro humana facultate ad sensus, mentemque cognoscendam valde penetrabat. Multi locum apud eum cupide quaerebant: atque nescio, utrum etiam aliquis illud postremo loco spectaret, quod Carolo probatam

operam dedisse, spectatae vitae grave testimonium, bonorum existimatione putabatur; illud item constabat, si quis moribus, doctrinaque valuisset, ei sine dubio Carolum beneficia sponte, administrationesque pro virtute mandaturum; quamquam nullo modo tamquam operae, obsequiive praemia. nam id cavebat diligenter, et certa cunctis alioqui stipendia tribuebat; sed ut hominibus, qui digniores occurrerent, vacantes ministris ecclesias, vel munera, ipsis pariter, atque aliis concedebat. At hoc minime spectare poterant, qui a facultatibus alioqui, honoribusque parati, omnia relinquentes, ad eum veniebant, tamquam ad religiosarum virtutum mercaturam; quos quidem hoc loco multos possem numerare; hique vel oblata beneficia recusabant, vel ita recipiebant, ut divina caussa tantum moverentur; ex ejus episcopali certe domo, atque disciplina, variis temporibus multi, praeter eos quorum mentio jam in historiae seriem incidit, tamquam in aciem quamdam ecclesiasticam prodiere, Praesules, gravibusque aliis Ecclesiae muneribus ac administrationibus praefecti: quorum alii aliud, plurima universi, praeclaraque in communem Ecclesiae usum ex Caroli schola contulerunt; quamquam suos et ipse habuit degeneres alumnos. Vestitu clericali, etiam qui clerici non essent, nisi ratio muneris, eo videretur indigna, omnes uti jussit; qui non uterentur, nigra tamen indumenta, eaque modestissima, et a profana consuetudine remota, omnes ad unum adhibuere; non serica solum, sed magna ex parte etiam, quae proxime accedunt, iis prohibita fuerunt. Nobiliores, quos addictos sibi famulos habere conveniebat, postremo tempore, non famulos, sed clericos fere apud se habere jussit; quibus inserviendi cura ita incumberet, ut etiam litterarii studii, sacrarumque exercitationum tempus daretur. Qui familiae toti praeesset, eum presbyterum elegit, neque vulgari nomine, sed praepositum domus appellavit. Oeconomum adjunxit, qui possessionum, fructuumque omnium curam gereret. Vicarium item, qui domi quotidiana quaedam, minutioraque curaret. Cubicularios, magnam partem, presbyteros habuit, eosque fere in doctoris gradu positos, sive canonum, sive Theologiae; in iis duos esse studuit spectatissimae vitae, quales unicuique sacrorum Antistiti esse debere dicebat, actionum omnium diurnos, nocturnosque testes. Domestica munera ita distribuit, ut unusquisque plura sustineret, nam et ipsos cubicularios, vel certis ecclesiae administrandae officiis praefectos habuit, vel aliis sacris rebus occupatos, ut eis quam minimum vacui temporis relinqueretur: neque frustra limina terendo, tempus consumerent; ex eo fiebat, ut ad ostia, cubiculave assisterent, tum foris etiam ii tantum comitarentur, qui necessarii erant, si modo vel ipsi quoque necessitati saepe aliquid non subtraheretur. suos non sibi, sed ecclesiae suae velle dicebat inservire: ac re vera nemo erat, vel ecclesiae, vel episcopali personae non necessarius;

valebat vero id, tum ad numerum, et officia religiose constituenda; tum ad hominum mentes, pro pietatis ratione rectius, fructuosiusque dirigendas. Homines nobilitate, scientia, vel spe aliqua inflatos recipere non solebat: neque illos, qui alibi, nisi forte apud religione praestantes Antistites, prius essent exercitati: receptos autem, ne quid elationis forte lateret, iis ministeriis exercebat, quae humilia, viliaque putantur; illustri genere orti, Comitis, aut doctoris dignitate insigniti, epistolis, aliisve rebus transcribendis saepe operam dabant: posteriorem vestis partem, cum prodibat Carolus, tollebant, in itinere sarcinas ferebant, crucem praeferebant, quamquam hoc inter digniora volebat officia numerari; hac de causa plerosque sine certo munere assignato primum recipiebat, eosque gradatim postea provehebat, pro virtute, ac habilitate perspecta, idque nisi spectatae jam in rebus, ac muneribus ecclesiasticis, virtutis, ac existimationis essent. Durior videbatur eorum conditio, qui Carolo operam dabant, ob labores, vigilias, plurimaque alia incommoda, et re vera erat; sed eam jam notam omnibus non imponebat ipse, sed ipsi suscipiebant; neque vero fieri potest, ut ducis summa vigilantia et labor, delicati, vel remissi militis operam ferat. Ac tametsi robustos, praesertim juniores, variis incommodis ferendis exerceret. magna tamen humanitate parcebat imbecillis: quod tum de aliis, tum de me ipso vere possum, ac largiter affirmare. Praeter eos qui domesticis muneribus proprie destinati erant, alios multos, si modo alioqui probati essent, facile recipiebat; sive advenas, ut eorum periculum faceret, sive etiam ex clero suo; quam ob causam, quantum in aedibus, amplissimis capi posset, tantum domi alere numerum solebat: ut uno tempore tum clericis subveniret, tum ministros pararet ecclesiae suae; omnes autem interim habebat, vel familiaribus, vel ecclesiasticis negotiis, vel divinarum rerum administratione occupatos; omnesque tenebantur institutis domesticae disciplinae. Eorum fere qui sacerdotes essent, institutum erat, quotidie Missam facere; reliquis sacramentorum confessionis et Eucharistiae certa tempora, eaque frequentia praescripta erant, cujus rei testimonium unusquisque afferebat; alia divini cultus officia varia, concionum, supplicationum, et ejusmodi colere suo tempore illos oportebat; omnino, ne minutiora singillatim persequar, non solum communi quadam probitate, sed praecipuis piae religiosaeque vitae institutis, atque exemplis, studebat populo familiam suam praelucere. Ad eam rem quotidiana suppeditabat adjumenta; erat etiam spiritualis disciplinae praefectus, qui quotidie aliis ex Evangelio, vel sacris omnino, divinisque rebus, articulatim tradebat, quae ad salutem suam cogitarent ac meditarentur; quae inter se deinde certo tempore conferebant, ac suum, intelligens quisque caeteris, cogitationis fructum communicabant; ea plerumque Carolus

tradebat ipse, praeeratque saepe, dum communicarentur. Horarum statarum breviores preces, quae Virgini tribuuntur, clerici, aliique quibusdam praecipuis muneribus minime occupati, ad certa signa in sacellum convenientes, obibant. Doctrinae christianae rudimentis rudiores instituebantur. Non deerat iis, qui egerent, grammaticae magister. Vesperi antequam cubitum irent, universi, ad excutiendam factorum diei conscientiam, accipiendamque sacrae aquae aspersionem, conveniebant, quo eodem tempore tum capita, quae commemoravimus pie cogitanda tradi solebant; tum statis etiam diebus, Caroli exemplo invitati, flagella sibi ad veniam peccatorum impetrandam, flagellationisque Christi Domini memoriam renovandam, plerique pie adhibebant. Cum uno loco, mensis circum dispositis coenobitico more accumberent omnes, erat etiam edito loco, qui de salutari libro legebat, a quo quidem munere vix ipsi causarum judices et Vicarii propter occupationes excusabantur. Cibus religioso item, et coenobitico modo fere dabatur; uno constabat obsonio, et jurulento ferculo, cum pomorum, vel simili additamento, altero ante, altero post reliquum cibum; omnia vero vulgaria: nihil prorsus delicatum, vel exquisitum; atque hujusmodi mensae universi accumbebant, summi et infimi: nam cuiquam cibum privatim in proprio domicilio sumendum dari, erat interdictum: eademque lege Vicarios teneri constitutum erat. Quemadmodum antequam assiderent, statam bene precandi formulam adhibebat qui primum ibi locum ex presbyteris tenebat; ita post cibum sumptum, eodem praeeunte, gratiae agebantur, et ordine omnes ex triclinio in sacellum ibant, ubi litania cum invocatione sanctorum consueta, precibusque adjunctis habebatur. Valetudinarium erat constitutum, quo aegroti saltem humiliores curabantur, salutaribus rebus juvabantur, ab ipso Carolo interdum visebantur, certo praefecto ei muneri constituto. Omnes familiae leges antea breviter, summatimque notatas, postremo describi jusserat copiosius; quamquam minime potuit opus absolvi; eas vero servari praecipuo quodam studio curabat, ministros saepius interrogando, et monendo; tum certis temporibus etiam eosdem cum aliis religiosis viris convocando, ut de rebus omnibus plenius consultaretur; quo loco recordor inter alium jussum ab eo frequenter, et inculcatum, ne quid aegrotis, imbecillis, hospitibusque deesset: sibi nunquam ministros satisfacere posse, donec id plene, cumulateque perfecissent; haec tantopere in aegrotos officia illi haerebant in visceribus: ut ex summis rebus, quas animo quotidie agitabat, ad ea, quamvis etiam tenuissima, frequenter respiceret; cum pene moribundus Mediolanum venisset; dum per gradus aedium ascendens sustentaretur, tanto studio quemdam ex suis praefecto commendavit, qui aegrotus itidem venerat, ut de illo multo magis quam de se ipso sollicitus videretur. Cum

apud eum Brixiensem ecclesiam visitantem, in morbum incidissemus, benignus pater invisens, pannum quo operiabamur suis manibus tentat: leviorem existimans, quam opus esset, aptiorem lecto suo detrahi jubet, atque afferri, ut incommodo suo nobis commodaret. Externis item aegrotis christianae charitatis officia libentissime tribuit; declaravit se libenter iturum, si quis aegrotans ab eo sibi priusquam moreretur benedici cuperet; immo ut eis subveniret cumulatius, suique Pastoris accersendi desiderium excitaret, plenariae indulgentiae iis tali tempore tribuendae, obtinuit a Pontifice perpetuam facultatem: neque id sibi solum, sed provinciae totius Episcopis, ut eos quoque ad idem piae benignitatis opus incitaret; quae quidem plenius in litteris Pontificiis editis explicantur: aegros autem saepe cum adiret ipse, sacerdotes suos etiam quandoque mittebat, qui ejus nomine benedicerent, indulgentiamque largirentur. Sed postremis annis, cum ad sanctitatis opinionem ei plurimum accessisset, increbuisset etiam, per eum esse redditam quibusdam sanitatem, ideoque jam ab nonnullis ad aegrotos desperatos accerseretur, multo cautius eundum sibi christianae humilitatis studio, constituit, atque etiam recusavit. Carolo Emanueli in primis Duci Sabaudiae pervulgatum est ab eo beneficium ejusmodi tributum esse: quem nulla pene vitae spe Vercellis jacentem cum adiisset, suis, populique supplicationibus magno studio adhibitis, discedens eo periculo liberatum reliquit; quae res et magnam multis admirationem, et summam piis publicaeque tranquillitatis studiosis laetitiam attulit. Homines sibi caros, immo qui magno etiam essent ecclesiae usui, benigne ille quidem complectebatur, dum manebant, omnique ratione studebat retinere: sed si quando ab eo discedere contigit, nihil fere visus est commoveri; eorum item si aliquis peccasset, minime dissimulabat, nisi aequum alioqui, christianumque parcere existimaret: id quod libenter iis tribuebat, qui erratum agnoscentes, et ex animo dolentes, veniam peterent. Cum iis, qui domesticis ministeriis addicti erant, minime solebat sermonem conferre; quae enim opus erant cum ipso domus praefecto agere satis habebat; nullius item facetias, leporesque admittebat unquam, seriis de rebus semper erat sermo; quidquid otiosum esset, indignum Episcopo censebat. Qui cum eo familiariter versabantur, iis nunquam aditum apertum esse volebat, ad remittendam eam quae personae deberetur, reverentiam; quae cum alioqui familiaritate, vestutateque saepe obsolescat, teneri vigereque semper aequum, decorumque putabat, tum ad disciplinam conservandam admodum utile.

§ 79. Coluit non mediocriter officium virtutemque illam quae in hospitibus benigne accipiendis posita est; peregrinos omnes, sacros praesertim, et probatos, principes item viros pie accepit, ac liberaliter. Studiose id faciebat, et libentissime, tum quia

christianae consuetudinis ea beneficentia fuit semper, tum quia multis ad salutem juvandis aditus ea via sibi videbat aperiri; ardebat namque desiderio in omni actione, in omni sermone, omni tempore curandae juvandaeque alienae salutis; exteros in primis earum regionum, quae corruptae fidei miseria premuntur, omni officio ac benignitate complectebatur: humanissime alloquebatur: extraordinariis honoris significationibus, si venientibus occurreret, si abeuntes prosequeretur, si cum iis esset, semper accipiebat: nihil praetermittebat, quo eos in recta fide, atque integra confirmaret, catholicaeque Romanae ecclesiae magis ac magis eorum studia, pietatemque conciliaret, ut omnes tantam humanitatem, cum sanctitate conjunctam. abeuntes infinitis laudibus extollerent. Cum Helvetiis et Rhaetis, qui frequentes rerum salutarium caussa orthodoxi ad eum veniebant, hilare more nationis agebat, ac familiariter: manum prehendebat; accumbebat comiter cum illis; atque licet disciplinae suae modum teneret nonnulla tamen concedebat: bibentium propinationes non respuebat, ab suo tamen modo, et ab aqua sua parum, aut nihil potius discedens. Praesules ad ecclesias, sacrasque res insigniores visendas invitabat; ipse etiam, si Cardinales, primarive Episcopi praesertim exteri essent, comes accedebat; in collegiis religiosioribus, loco recreationis animorum, cum iis erat; quo tempore de severitate sua multum remittere humanitatis gratia solitus fuit, seque ad hospitum mores, voluntatemque non mediocriter conformare; eosdem accipiebat in collegiis clericorum suorum, locorum communicabat instituta, disputationes, orationes coram iisdem haberi jubebat. Principibus viris laicis, sermonibus ad eorum documentum aptis, sacra lectione mensae adhibita, libellis optimis dono datis, prodesse quamplurimum studebat; eosdem ad vespertinam domus suae precationem, spiritualemque scholam invitabat: ubi sive bellatores essent, sive aliis vitae institutis addicti, dicebat ipse ad cujusque salutis rationem accommodate; erant nonnunquam, qui omissam multo jam tempore sacram confessionem dolentes, et vitae praeteritae mala detestantes, superioris temporis omnis peccata, prius quam abirent, confiterentur, melioremque sibi vitae rationem constituerent; ac quemadmodum ad rem aggrediendam cohortatione, ita Pontificia facultate, quae ampla nunquam ei deerat, si ob graviora peccata necesse esset, subveniebat ad perficiendum. Tanta erat hospitum frequentia, ut vel ipsi publicorum vectigalium conductores, portarumque custodes, Caroli nomine res tantas absque portorio quotidie victus caussa mirantes importari, eidemve alia adscribi, fraudemque suspicantes, Caroli procuratores adierint incredibile sibi videri, tantum commeatus in Caroli domo consumi, diligenter vellent animadvertere, ne qua in re sacrae immunitatis nomine fortasse fraudarentur, et aliqui ad quaestum

suum nomine Cardinalis abuterentur; qui ut hominibus iis satisfacerent, rerum, hospitumque summa facta, tercentos uno mense receptos hospites, qui vario temporis spatio morati essent, repererunt. Tam magni sumptus, rebus domesticis praefecti verebantur, ut Caroli facultatibus essent tolerabiles: cumque non semel monuissent, ille pluribus in consilium adhibitis, ea de re deliberavit, cum essemus in aedibus nostris Cernusculanis: et hospitii pio, salutarique fructu proposito, contraque rei familiaris ad sumptum sustinendum inopia, quaesivit, quid magis e re christiana esse judicarent: se, ne talis fructus eriperetur, vel id mendicitatis multorum caussa non refugere, si sic expedire putarent, ut arcam certo loco constitueret, qua eleemosynae subsidium ab hospitibus, qui dare vellent, colligeretur; in eam sententiam ventum est, ut ne hospitium intermitteretur, sed satis haberet, cum antea universum comitatum, equos et alia jumenta, vel invitis dominis, in domum acciret, principes ipsos nonnullis pro dignitate additis comitibus, suscipere, caeteros autem in cauponis relinquere; famulorum caussa disciplinae ordinem valde perturbari, inde autem ipsos referre utilitatis parum; ex iis, et jumentis simul, magnam sumptus partem existere; ita fore, ut propositum sibi, ex juvandis ad salutem multis, principibus praesertim, fructum perciperet, neque quidquam temere committeret, unde aere alieno immoderate gravaretur; caeterum nihil dubitandum, quin ad tam pios sumptus divina benignitas, quae opus essent, suppeditaret. Hospitum mensa domesticae finibus minime continebatur: sed propria quadam moderatione concilii provinciae decreto sancita constabat: sic tamen, ut qualis, quantusque cibus apponeretur, etiam summos viros non poeniteret. Verum postremo tempore hospitalitatis officium insigniter augeri constituerat: jamque paulo ante quam moreretur, Praeposito domus jusserat, ut ad omnes totius dioecesis clericos excipiendos, quibus ad urbem rerum suarum caussa veniendum esset, aedium partem instrueret: hospitio sacerdos praeficeretur, cui non hospitum solum commoda essent, sed mores etiam curae, quique eos studeret per certas exercitationes in ecclesiastica disciplina proficerent; ita etiam fore, ut neque levibus de caussis clerici ab suis ecclesiis abessent, neque nimis diu.

§ **80**. Religiosi animi viros vehementer diligebat, et magna voluntate complectebatur, ut licet necessitudinis, amorisve alia caussa intercederet nulla, essetque homo alioqui ignotus, studio faveret, ac re juvaret amicissime, non solum si rogaretur, sed sua sponte, si veniret in mentem; ejusmodi ad probitatem, religiososque mores propensio, tanta erat, ut vel specie ipsa interdum videretur commoveri, hominesque recipere, quorum bonitas ejus gratiae non responderet aequaliter. Sed ipse quamplurimis egens administris, interdum quorumdam operam ecclesiae suae

necessariam, et in praesentia utilem caute adhibebat, neque interim valde laborabat, vere ne ac omnino ii tales essent, quales specie videbantur; illud Apostoli, ut quandoque audivimus, usurpans, dum omni modo sive per occasionem, sive per veritatem Christus annuncietur. Ecclesiae Praesules, maxime si perfectae disciplinae desiderium in eis perspiceret, singulari quodam, non amore solum, sed suavitate ac delectatione tenebat amplexos: nihil officii praetermittebat; de communi munere, atque officiis attente communicabat, et suum alienumque ecclesiae optimae administrandae studium conabatur acuere; ac in primis de caussa mutuum Praesulibus congressum, expetendum dicebat, ut alter alterius sermone juvaretur; et si qua parte religiosus animi ardor deferbuisset, ea quasi exercitatione, divino afflante spiritu, recalesceret. Episcopos omnes praeter multorum consuetudinem, honoravit, plurimique se facere semper ostendit ad res ecclesiasticas bene gerendas studiose juvit: reverendissimos in epistolis appellavit: quod licet alii quoque Cardinales prius facerent; alii tamen ejus exemplum secuti sunt. Consuetum honoris officium in eosdem venientes, et abeuntes superavit. Atque a magno quodam principe hospitio in itinere acceptus, cum esset una, Episcopus civitatis nemine praemisso venit; doluit Carolus, quod ei occurrere non potuisset. Sed discedentem ipso relicto Principe, cui sciebat id molestum fore, ex consuetudine sua comitatus est, ut suum de dignitate episcopali colenda judicium ostenderet. Quorum virtus olim in Ecclesia floruisset, eorum instituta didicit, scripta conquisivit, ministros accersivit, ipsam vultus imaginem sibi comparavit, ut ob oculos collocata, vivam virtutis episcopalis memoriam, ad imitationis studium, in eo conservaret; hujusmodi fecit in primis erga Gibertum Veronensem Episcopum. Roffensem quoque, qui Christi caussa sanguinem, in Anglia, vitamque profudit, ante se pictum habuit, una cum S. Ambrosii effigie, quam omnibus aliis inspectis, quaecumque antiquiores haberentur curaverat exprimi. Regulares viros cujuscumque ordinis essent, quos sacrae disciplinae studiosos noverat, ita benevolentia prosequebatur, et honore, ut nemini prorsus cederet; eorum quoque opera, quibus rebus idonei essent, libenter usus est; res item vitae necessarias suppeditavit; id cum faciebat, ad coenobii mittebat Praefectum; hominemque tantummodo, cujus causa movebatur, jubebat, in ejus necessariis rebus commendari; contra si adversus instituta sua facere, si disciplinam negligere, si populi licentiam alere, si christianae disciplinae restitutionem, aut progressum impedire, cognosceret, eos corrigendos maxime curabat: monebat praefectos, ipsosve Cardinales ordini praepositos; ipse praecipua in eo genere praeter Tridentinum decretum, Apostolica auctoritate utens, haud quidem facile, sed cum erat opus, ut eorum, caeterorumque saluti consuleret, in eos animadvertebat;

ea res faciebat, ut in dioecesim Mediolanensem ordinum praefecti bonos, quantum fieri posset, mittendos curarent; observarunt quidam, Carolum, cum regularis ordinis quispiam in via ipsi honorem tribueret, si comitem videret, ut disciplinae coenobiticae leges ferunt, et benedicere manu solitum fuisse, et etiam paulum tollendo galero honoris significationem dare: verum si solus esset, praeteriisse, quasi nullum vidisset; vix caussa necessitatis adducebatur, ut eos ad parochias suas custodiendas admitteret; verebatur enim, cum animarum charitatem perspectam non haberet, ut aliis curandis esset idoneus, qui se ipsum ita non custodiret, ut assignatum divinitus locum posset tenere. Parvorum coenobiorum, quae in vicis sunt, ubi exigua vel nulla vigere solet disciplina, contra vero datur delinquendi locus, ita rationem haberi cupiebat, ut et ordini consuleretur, et populis; qua de re cum Pontifice Gregorio non multo ante mortem cum egisset, ejus jussu Praefectis omnibus vocatis, numerari coenobia curarat, et ad se referri, quem numerum soleret, eorum coenobiorum quodque continere, ad alia progressurus, si vita longior contigisset. Ipsam hominum Deo penitus addictorum regulam, ac statum tanti fecit, ut quemadmodum animo praeclare fecerat, quotidie studeret institutis domesticis imitari; eadem cum in collegia clericorum suorum induceret, fiebat saepenumero, ut ex ad coenobiticos ordines aliqui transire vellent; quod ille, cum vehementi regularium ipsorum cohortatione, vel quod eos severioris disciplinae taederet, evenire saepe suspicaretur, cumque necessitatem ecclesiae suae quotidie magis perspiceret, prius eorum voluntatem, consiliumque diu curabat, ac diligenter examinari, quam ea de re consentiret; quin etiam, Apostolica interposita auctoritate, providit, ne ad eorum ordinem, quorum domestica opera regebantur, et litteris erudiebantur, seminarii clericis aditus pateret, nisi quadriennio essent extra seminarium morati; ceterum si divino spiritu vere agi quem viderat, facile dimisit, et ad perficiendum juvit; si quis etiam, regulari vita prius sibi proposita, mutato deinde consilio, quod evenit, saepius vellet animum ad ejus disciplinam, Oblatorumve regulam adjicere, nisi illi, sibique, Theologis consultis, studiose cavisset, non recepit.

§ 81. Poterat vere de religiosis viris cum Domino dicere: hi sunt fratres mei; nam erga propinquos ita se habuit, ut eos potius sibi cavendos, quam amplectendos statuisse videretur. Tametsi autem illi, quantopere ex tanto viro augerentur, satis agnoscerent, erant aliqui tamen qui talem in eo suorum quasi despicientiam, ut sunt humani sensus, aegre quandoque ferrent, nonnihilque expostularent: Borromeam gentem ex eo sperasse semper dignitatis amplitudinisque accessionem; at contra prorsus accidere, cum ea, quae adhuc tenuerat, ejus caussâ, potius amitteret. Ille

vero sacram disciplinam et divinas res, quibus addictus erat, eccle-siaeque jura, non posse, ajebat, non curare, omnibusque viribus tueri; si ex ea cura detrimenti aliquid familiae afferretur, alio-rum esse culpam, contra suam id fieri voluntatem; ex Dei beni-gnitate tamen multo plura sperarent, quam ea, quae vel amitte-rent, vel ab eo, si ei rei studeret, possent adipisci; se tamquam Deo, divinisque obsequiis penitus traditum, ab eorum famili translatum putarent; quod quidem et re et nomine paulo po Aronae arcem ereptam, effici curavit; nam Jubilei caussa Roma profectus, consulto prius Pontifice, non se posthac Borromeu scripsit, aut scribi voluit, sed sanctae Praxedis Cardinalem, illu Prophetae amplexus: *Extraneus factus sum fratribus meis, et per grinus filiis matris meae* (*Ps.* 68). Sed antea quoque, cum in summ porticibus aedium canonicalium architectus insignia Borrom insculpi jussisset, praeteriens forte Carolus, et coeptum opus su spiciens, tum in posterum facienda prohibuit, tum facta juss excidi: quae tamen, curante nemine, Caroloque amplius non a vertente, in ipso operis principio remanserunt. Attamen char tatem propinquorum retinuisse illum dubitare nemo debet, qu tenus vel naturae, vel christianae disciplinae ratio postulat, it que amantissimi cognati officia, cum opus fuit, in suos cumula praestitit, favit, tutatus est; quid sororibus dederit, non comm moro: viri principis humanis opibus florentis potius, quam An tistitis religiosissimi illa fuerunt officia; sed ipsas sorores consili studio, opera sua semper amantissime juvit; propinquis mult magna nobilitate, parique inopia foeminis, dotes elargitus est nobilitati non omnino impares. Alios item egenos non deseruit modo a flagitiis abessent. Ceterum tantum aberat, ut suis quid quam largiretur, ut potius rebus eorum uteretur saepissime. A paterna quidem bona per fideicommissum relicta, Comiti Juli Caesari patruo dimisit, sed ea pactione, ut integros eorum fru-ctus quotannis perceperit. Illud autem sibi cavendum existima-vit, ne forte animo ita in eo genere flecteretur, ut officia Deo, ec-clesiae, gregique suo debita aliqua ex parte praetermitteret, quibus humanas charitates omnes cedere debere, nemo negaverit. Cum ei de Hortensiae sororis obitu nunciatum esset, non aus nos quidem, cum praesentes essemus, consolari tantum virum, cum aliquid tamen tangeremus, non negavit, parum se suorum morte commoveri solitum, verum id naturae potius, quam vir-tutis esse, modeste dicebat; ac multa tunc quidem ex eo sermone intulit, quam diligenter ecclesiasticos homines, cum cognatis suis conglutinationem animi quandam cavere oporteret: quorum mi-sericordia, precibus, suavitate facillime inflecti, et a vitae hujus contemptu, a sacris laboribus, a juvandis liberaliter egenis, avo-cari possent; tum adduci quoque, ut multa saepe Deo minime grata facerent, permitterentur, cum eorum offensione, quibus

optima semper ad imitationem exempla proponere debent; quo facilius id fieri posset, abstinendum monebat ab eorum consuetudine; deque se ipso tali viro affirmabat, nunquam se cognatorum suorum domum adire (adibat autem perquam raro), quin aliquo modo divinarum rerum studia, atque desideria retardari animo suo sentiret. Federicum suum propter optimae naturae specimen, atque adeo singularem ecclesiasticae probitatis indolem, a prima aetate dilexit plurimum, sed amorem ita coërcuit, ut neque apud se habere voluerit, neque vultu, neque verbis, neque re aliqua fere quidquam in eum praecipuae voluntatis demonstrarit. Cum annos XIII natum, doctrinae caussâ, Bononiam mitteret, nonnullaque per nos ei vitae praecepta daret, amplexurum illum esse vitam clericalem, gaudenti sane animo nobis aperuit: quamquam nihil ejusmodi palam prae se tulit; ac nos tunc quidem existimavimus, Federicum de ea re cum eo communicasse: postea vero permirum visum est, cum idem Federicus Cardinalis nobis affirmavit, neque tum se aliquid ejusmodi prae se tulisse, et a clericali vita eo tempore fuisse alienum. Propinquos per alios libentius, quam per se ipsos, aliquid petentes audiebat; omnino caute audiendos esse dicebat, animoque nonnulla suspicione occupato, ne quid minus justum, probatumve postularent: tum parato etiam ad negandum, si minus id rectum appareret, ne vi forte conjunctionis, ad aliquid minus justum concedendum impelleretur, qua remollescere fortis quoque animus facile solet, ac leniri. Cum alii fere, propinquitatis caussâ, multa tribuere, atque indulgere soleant, contra ille conjunctionis vinculo utebatur, quantum poterat, ut eo constricti cognati rebus omnibus magis, quam alii continerentur, ne ceteris exemplo quidquam nocerent, imo potius prodessent. Agebatur quandoque de episcopatu in provincia Mediolanensi mandando cuidam ejus affini, cujus doctrinam, alia fortasse nonnulla ad episcopatum gerendum necessaria cum desideraret, eum excludendum curavit; qua de re cum is, aliique conjuncti quererentur, libere caussas aperuit, quibus eam rem ipse probare non posset, imo sibi judicaret impediendam. Joan. Jacobi Medicis cadaver, jussu Pii IV ejus fratris in eleganti, ac magnifico marmoreo sepulcro collocatum in ecclesia majori Med. nihilominus deponi, atque sub terram conjici jussit, licet exceptum monumentum, in decretis eo de genere scriptis intelligi posset. Cum adhuc avunculo vivente, per Ormanetum collocutionis loca in monasteriis ad virginalis pudoris normam conformaret, in ipso monasterio in primis, ubi non soror ejus tantum, sed etiam Pontificis ipsius sorores erant, id effecit.

§ 82. Amicorum gratiae tantum tribuit, ut omnes tamen intelligerent, nihil ab eo impetrari posse, nisi justum, rectumque esset penitus, et suae ecclesiae institutis, atque utilitatibus, tum

vero universae ecclesiasticae disciplinae consentaneum; saepe evenit, ut quae alii leviora putassent, vel principibus viris, Cardinalibusque ipsis denegaret, quia ecclesiae suae disciplinam aliquo modo per ea laedi, fructumve ex parte aliqua impediri cognoscebat: unde majora deinceps sibi detrimenta exspectanda essent. Inter ejus familiares, nemo fuit, qui vere posset insigniter apud eum; aequabiliter omnes amabat, et pro eo, quantum unusquisque aptus esset, aestimabat, atque utebatur; qui plus fortasse posse videbatur, is nihil solebat alicujus gratiâ postulare, neque omnino quidquam alia de caussa proponere, quam quod ita rectum esse judicaret, et institutae disciplinae accommodatum. Et maxime recusabat Carolus, quae contra sacra decreta peterentur; timebat enim in administratione sua universa vehementer, indulgentiae genus ejusmodi; aegreque admodum committebat, ut quempiam lege aliqua solveret aliquando: cum ex diuturna experientia documentum caperet, si quid ex modica parte, vel specie sola relaxatum esset, quam facile, tempore procedente, plena consequeretur dissolutio, quemadmodum aggeris sublata particula sensim ea via facile tota vis erumpit fluminis. Ea re fiebat, ut interdum nonnullis videretur canonum sacra vincula constricta nimis habere. Sed ipse nullius gratiae, potentiaeve addictus, et momenta rerum, ab eo quod in posterum evenire facile posset, et ad divinam voluntatem diligenter perpendens, praescriptis suis religiosissime sibi haerendum statuebat; nam et simili constantia in iis tenendis legibus utebatur, quas semel sibi privatim constituisset: longum esset enarrare, quanto illi usui fuerit in proposito tenendo, decretisque tuendis accurata stabilitas. At in denegando, cum permagni intersit, qualem se quisque praebeat, multosque non tam recusatio ipsa perturbet, quam insuavis recusandi ratio, tam scite Carolus id facere, atque amabiliter solebat, ut non voluntatem, sed justam caussam, rationemve impedimento esse petentes agnoscerent. Roganti primariae matronae, in principio suae administrationis, nondum constricta recentibus decretis disciplina, ut filiam liceret in coenobio visere graviter aegrotantem, respondit Carolus: « Breve tibi, inquit, hoc erit solatium; at tibi tanta nobilitate, atque auctoritate, si denegari patiaris, quod te vehementer rogo, mihi nunc claustrorum religiosas leges renovanti, magnum praesidium attuleris, ut tui exemplo proposito, ceteris me possim excusare; » quibus verbis illa facile, placateque repulsam tulit. Si quid a Principibus viris ipse petere rogatus est, libenter, promptoque animo suscepit, modo gloriae Dei, hominumve saluti in eo posset inservire. De magistratu obtinendo non rogabat, nisi recte, jureque peti cognosceret; plerumque testimonium tantummodo dabat, hominem, quantum ipse nosset, aut a probis viris accepisset, sibi idoneum videri, cui, si magis idoneus non occurreret, mandari posset. Narrabat in ipsis

amplitudinis suae initiis, aliquid rogantibus, quod a Pontifice concedendum esse non putabat, ita respondisse tamen semper, ut verba speciem promissionis, ut fit, prae se ferrent; mox id minus ingenuum, doliquе genus quoddam cum existimasset, eam consuetudinem tenuisse, ut si concedendum non arbitraretur, aperte proferret; saepe etiam moneret, ut a proposito petentes declinaret, immo facturum se denunciaret, quominus Pontifex aliorum precibus in eo flecteretur. Ita factum esse, ut qui justa quaererent, fidem promissis haberent, quod antea pauci faciebant; ceteri moniti ab incepta re desisterent; suum canonum tuendorum studium, libertatemque id recusandi, quod ab eis alienum videret, illustri declaravit exemplo, quod hoc loco subjicere operae pretium existimamus. Sebastiano Lusitaniae Rege absque filiis mortuo *, creatus est Rex Henricus S. R. E. Cardinalis ejus patruus; quem vehementer rogatum, regni optimates, Praesules, populique exoraverunt, ut uxorem vellet ducere: sperabant enim ex eo, quamvis aetate confecta, procreandum in imperio qui succederet; praeter universi regni solatium, pietati, religionique valde consentaneum esse, discordiis, bellis, calamitatibus occurrere, quae Henrico mortuo, nullo regiae domus relicto successore, propemodum necesse erat existere. Henricus, ut Episcopus, religione solvi, uxorisque ducendae facultatem a Gregorio Pontifice sibi concedi, postulat; eodem tempore Mediolanum ad Carolum dat litteras: adductum se a Lusitanis suis, ut conjugio consentiret, quo tamquam unico remedio tranquillitati provinciae posset consuli; grave admodum sibi esse, ducereque in cujusdam loco sacrificii, in quo se ipsum pro suorum salute immolaret, sed publicae quieti cedendum judicasse; vehementer igitur rogare, ut quantum eniti posset, ad eam concessionem Pontificem perducere conaretur; idem viri principes alii majorem in modum a Carolo postulant, negotiumque ejus auctoritati commendant. Carolus amicissimi, optimique Regis postulationi, non quod is velle videretur, sed quae sanctae Ecclesiae putaret conducere, respondet: Magni quidem interesse videri, quaerere Lusitanis, qui ei sine controversia legitime posset in regno succedere; sed tali Antistiti potestatem facere conjugii, rem omnium videri gravissimam, neque ullo unquam tempore concessam. Personae Deo dicatae, in alio genere, factam quandoque dici potestatem nuptiarum: quod nullo tamen satis certi, probatique auctoris testimonio fere confirmaretur; omnino exoptatos ejusmodi nuptiarum, vel publicae quietis, vel successionis eventus minime contigisse; maxima etiam inde publice ac privatim extitisse incommoda, unde magnae utilitates exspectarentur; probandam magis, atque imitandam quorundam Regum continentiam, qui matrimonio conjuncti, cum recte, ac legitime filios possent suscipere, nulla

* Vita functus est anno 1578, in Africa, cum Mauris dimicans.

tamen haeredis, successorisve habita ratione, singulari castimoniae studio, tali matrimonii usu abstinuerunt; quanto magis, qui caelibem vitam professi, sine singulari quadam venia, sese ad connubium referre non poterant; quae dixerat, exemplis allatis confirmavit; postremo in re tanta, tamque difficili, nihil se aliud probare posse dixit, quam, ut quibus de caussis ea facultas postulanda videretur, eae caussae summo Pontifici candide, nulloque studio referrentur; quod is pro summa auctoritate, divinoque afflatu judicasset, aequo animo, voluntateque acciperetur. De re graviter ad Pontificem scripsit; quid sibi maxime probaretur indicavit; eventus qualis fuerit, ignorat nemo *. Cum autem aliquid sibi petendum, aut persuadendum Carolus statuisset, id faciebat vi quadam singulari, non is quidem contenta voce, vel corporis motu, neque dicendi facultate, quae modica erat, sed optimis argumentis, iisque ita explicatis, ut ratione tantum, veritateque, non studio, vel desiderio suo, nedum perturbatione duci satis intelligeretur; neque vero ad responsiones haesitabat, aut respondentis asperitate, vel importunitate commovebatur, sed, tum acute, tum sedate semper replicabat, ut plurimi praedicarent, invictum ab illo abire posse neminem, quem vincere is statuisset persuadendo; sicuti contra, a nemine illum vinci, flective posse, cum ita rectum esse, animo statuisset.

§ **83**. Monendi officium, quod amici, christianique in primis animi est, nescioque utrum magis, utile, vel neglectum, in quo publice opus esse cognovit, aut privatim, minime praetermisit. Episcopis, Cardinalibus, principibus, viris, suis ipsis adversariis, in eo genere non defuit; quod quidem, cum non minus amanter, quam libere faceret, non potuit ei non feliciter, fructuoseque, si non statim, at aliquando tamen, evenire. Vir amplissimus quidam quandoque fertur ejusmodi officium acerbe admodum tulisse, qui diu post gratias egit, magnumque inde fructum percepisse, Carolo ipsi modestissime testatus est. At se quoque mirâ modestiâ ipse passus est ab aliis moneri, cum opus fuit, submisseque vel suarum actionum rationem reddidit, vel fecit quod monebatur; neque solum erga viros aetate, atque auctoritate graves, ita se gessit, sed alios quoque monere ausos sic prorsus audivit, ut par omnino erat, si eos ille monuisset. Fuere tamen, quibus videretur Carolus in modo publicae privataeque disciplinae tenendo, non satis alienas quandoque curasse monitiones, qua de re commemoratum est supra. Verum, si quando non obtemperavit, monitionem nullo modo videtur contempsisse, sed ita rectius, Deoque gratius judicasse; enimvero omnium sequi consilia, etiam si boni, prudentesque videantur, solidae, praestantisque virtutis non est; aliis alia proposita sunt: quidam animi infirmitate male judicant;

* Anno 1580 e vita decessit. Lusitaniae autem regno Philippus II, Hispaniarum rex, tunc vi potiebatur.

multi mediocritate quadam contenti, vitae morumque communem quendam modum minime transire student; pauci ad perfectae virtutis praestantiam incitati feruntur; horum omnium sensus, animusque, infirma fere necesse est vulgariaque consilia pariat. At praecipuis quibusdam divini spiritus donis, viri excellentes affecti, propriisque divinitus illustrati luminibus, quorum vita, perpetuo quodam choro virtutum, ita sibi constat, ut cum alia recte procedant, alia non claudicent, ii, inquam, neque communibus consiliorum terminis sese continent, neque consuetis virtutum gradibus consistunt, sed longius multo progrediuntur, atque evolant altius; quotus enim quisque est ex summis, divinisque viris, quos colit Ecclesia Dei, cujus vita communibus praeceptis contineatur? Qui quidem singulari quodam divini amoris ardore inflammati, ad majora semper ita rapiebantur, ut in cursu charitatis infinito modum sibi satis definire non possent, ad eamque demum excellentiam pervenirent, quae caeteris eos mortalibus proposuit, ut perfectissimo exemplo ante oculos posito, neque illud desperent, quod alii divina ope sunt assecuti, et quo majori studio summa sequuntur, eo magis sese removeant ab infimis. Non id mihi arrogo, ut inter sanctos ejusmodi viros Carolum esse reponendum ego pronunciem; id viderint alii; sed quibus praecipuum illud lumen, vimque largitur Deus, iis eundem arbitror praecipuum quoque largiri munus, quo, neque alienum consilium, monitionemve contemnant, et cursum ab omni errore suum, constanti quodam, et certo conscientiae lumine confirmati, tueantur.

§ 84. Mansuetudine atque humanitate utebatur in omnes qui adirent, sed insigniter in eos, quos christianis esse moribus, religiosisque deditos operibus noverat, libentissimeque si pauperes essent: cum alioqui gravitatem personae semper cum primariis, principibusque viris, dignitatemque egregie tueretur; nunc humilem aliquem christianorum elementorum magistrum summa humanitate, ac propemodum abjectione accipiebat, paulo post cum amplissimo magistratu agens, nihil de summa sui gradus auctoritate remittebat; at enim minuta officiorum, quae in quotidiana consuetudine versantur, momenta, pro cujusque loco atque ordine cognita habebat exquisite, noveratque omnes honoris tribuendi, benigneque accipiendi vias, ut cum dignitatis suae locum teneret, tam nihil etiam praetermitteret in quemquam officii, vel humanitatis. Itaque tum passim praedicabatur officiosissimus et liberalis, tum mirabantur multi tantae sanctitatis Antistitem, tamque coelestium contemplationi deditum, quotidianis officiis, cum opus esset, sese tam intentum praestare. Morosos, ineptos, immodestos, aut etiam insolentes homines, si qui adirent, aequo animo ita ferebat, ut neque increparet, neque abire juberet, neque omnino quidquam faceret, unde perturbatus videretur; quod

justum esset, tantum respondebat, aut vero etiam modeste monebat; eundem se praebebat in omnes alios, quibuscum res illi esset, difficiles licet, injustos, imperitos; quamlibet enim justam offensionis, indignationisve caussam, ut uno verbo dicam, ejus virtus superabat. Quosdam in consultationibus, importune rectis institutis, decretisque contradicentes, et difficile acquiescentes, aequo animo semper argumentis refellebat, omnem iracundiae, atque objurgationis impetum comprimebat, omnes ineptias, imperitias, perversitates devorabat, et eâ patientiâ, demum quod volebat facilius consequebatur, hujus rei frequentissima potuerunt ab iis exempla observari, qui illi astiterunt. Hominem in ecclesia majore festis diebus concionantem diu sane tulit, qui se praesentem, nominatimque saepe reprehendebat, neque solum permisit, ut concionari pergeret, sed ipse quoque frequens erat ejus auditor; cumque alias audiens dormitare videretur, ei se praebebat attentissimum, neque vel inter suos accusabat unquam; demum, cum ita expedire ceterorum caussâ judicaret, eum missum fieri placide curavit. Neque vero non inter domesticos etiam suos, sive operae caussâ, quae usui ecclesiae esset, sive ad exercendam patientiam, similem aliquem toleravit; mitto incuriam, et indiligentiam, quotidiana domesticorum errata, quae licet levia sint, ob frequentiam tamen, et quoddam rerum familiarium commune fastidium, aequo animo tolerata, praecipuae cujusdam virtutis praebent indicium; ad quae se se Carolus animo sedatum, pacificumque praebuit semper. Evenit interdum ut ad ipsa sacra obeunda Carolo parato, negligentia ministrorum aliquid deesset, quod ille insigni temporis spatio, in ipso loco sacro, tam quiete, tamque sine ullo motu exspectavit, ut tamquam exemplar patientiae astantes omnes eum intuerentur. Sed unum ex familiaribus in primis pertulit plane molestum, odiosum, impotentem, qui nemini parceret, quotiescumque iracundia, vel perturbatione aliqua effervesceret: qui vel in ipsum Carolum maledictis nesciret abstinere, eidem saepe insigni contumacia contradiceret, atque resisteret; quo quidem vel unius hominis vitio, singularis Caroli patientia mirifice apud omnes illustrata est, diuturnaeque fuit multis tum admirationi, tum documento. At excusabat etiam Carolus, vitioque naturae insito, magis quam voluntati tribuebat: omnia vero morum gravitate sustentatus, sine aliqua dignitatis imminutione patiebatur.

§ **85**. Plurimos Carolus adversarios expertus, neque illos tamen suorum studiorum, sanctitatisque imitatores, tantum abest, ut accusandi unquam, detrahendive studium prae se tulerit, ut si quid vere dici ad eorum excusationem posset, id libenter enunciaret; cumque interdum eos in se acriores experiretur, quos antea majoribus ornaverat beneficiis, quos equidem plures possem numerare, neque accusabat, neque beneficiorum mentionem ullo

tempore faciebat, sive maledicto, impugnatione, atque adeo telo ipse peteretur, sive ministri violarentur, sive judicia ecclesiastica disturbarentur: licet adversarios perturbate agere, omniaque in pejorem partem trahere videret, nihil, quod perspici posset, indignatione, vel odio movebatur modestiae, gravitatisque suae locum tenebat; tranquille rebus suis operam dabat, ut nescio quid homine majus in eo quandoque offerretur intuendum; misericordiam potius turbatis, agitatisque animis tribuere cognoscebatur; cumque sacris precibus semper studeret eis benefacere, manifesta quoque opera, si locus daretur, libenter eorum saluti, commodisque consulebat: usque eo ab omni ulciscendi desiderio aberat. Exempla suppeditant narrata superius: ibique latius apparet, quam patienter ac benevole repetitis officiis, eos placare semper, sanareve studuerit, qui sibi acriter et inique adversabantur; quantis incommodis suis eorundem vivorum, mortuorumque salutem curaverit; quid pro iis ipsis liberandis fecerit, qui in ejus vitam conjuraverant. Sanctissima mansuetudinis exempla in ejus elucent scriptis, quibus de adversariis loquens, eisve respondens, cum ipse non obscure pertinax, imprudens, superbus, daemonis etiam arte illusus, furenter ab eis appellaretur, illius imitatione cui se totum addixerat, quae tantum oporteret ad caussae veritatem demonstrandam, resque sacras tuendas, mirifica patientia, modestiaque proferebat. Dum multa publicis dissidiis agitarentur, venit ex familiaribus quidam, scriptumque affert loco publico detractum, in quo multa in Carolum erant maledicta: quod vix aspectum Carolus, nullo facto verbo, rejecit ut combureretur. Amicus quidam Roma veniens, Carolo nonnulla narrabat: inter alia, nuper ibi actum de longinqua, gravissimaque legatione ipsi danda; hominem vero magnae auctoritatis maximis olim beneficiis a Carolo auctum, et ornatum obstitisse, et eum ut balbutientem improbasse; tum Carolus placide statim, vere, inquit, locutus est: ut amicus admirans obmutesceret. Eandem moderationem multo facilius in eos servavit, quibus in ejus caussis aliqua potestas erat, quidquid ii statuissent, contra quam vellet, expedireve judicaret ecclesiae suae; graviter saepe dolebant ejus minime stulti procuratores, multa querebantur; ipse vero non solum non incendebatur, sed suorum agendi modum potius temperabat. Nunc ad ecclesiae administrationem propius est accedendum.

§ **86**. Singulare quoddam divini cultus, et humanae salutis studium Carolus insitum sibi semper ostendit, ex quo de medio prosperitatis humanae cursu, ad meliorem statum divino munere revocatus est; cumque Tridentini concilii decreto, ne Cardinales quidem excusari vidisset, quin residerent in ecclesiis suis, ideoque in sede sua Mediolanensi perpetuo sibi manendum constituisset, quotidie magis ad commissi gregis commoda, salutaresque

progressiones affectus, et incensus, in eo custodiendo, atque omnibus rebus juvando, mirificam adhibuit attentionem, vigilantiam ac laborem. Qua in re naturali facultate quadam non mediocriter eum juvari concessit Deus: ut quibus in rebus sibi elaborandum constituisset, iis se rebus penitus, totumque daret. Ita certe se totum ad ecclesiae suae curam retulit, ita ei sese mancipavit, ut ejus gratia, et commodo amplissima donaverit; propter eam administrationibus se omnibus exsolverit; ipsum praeclarissimum Cardinalatus gradum, si ita oporteret, ob eandem caussam dimittere, quod temere non dico, paratus fuerit; in ea denique cum omnia studia, omnes animi, corporique vires posuerit et consumpserit, usque ad mortem. Cumque videret, quantum ex praesenti Pastoris ipsius custodia grex ad uberes Domino fructus ferendos juvaretur, praesentiam ipsam, residendique in suis ecclesiis continuum studium summopere semper extulit ac Episcopis omnibus toto animo persuadere conatus est; qua commendatione ac cohortatione profecit in multis, qui ejus sententiam secuti, vel se ad ecclesias suas retulerunt, utilitateque perspecta, gratias egerunt, vel, si residere nollent, munere ipso se abdicarunt; quibus Carolus ex animo gratulari solebat, quod absentiam a grege suo adeo non tulissent, ut pastorale munus potius sibi renunciandum existimarent; at Pontificia quoque auctoritate juberi, quos opus esse viderat, in primisque suae provinciae Episcopos curavit, ut ecclesias suas praesentes administrarent. Cardinalem cum esset cohortatus, ut in ecclesia sua resideret, ille vero sese excusasset quod non magnam ecclesiam habens, eam potius deberet alieni opera, custodiaque administrare, respondit, ne dum multa millia vel animam solam amplissimi cujusvis Antistitis praesenti custodia dignam. Cum Subalpinae regionis ecclesias visitandas audiisset sibi destinari, omni ratione onus a se avertit, ecclesiae suae necessitates excusans; at non eodem modo, de provinciae Mediolanensis ecclesiis, quae ob conjunctam metropoli administrationem, jusque metropoliticum in eas, ad ejus curam aliquo modo pertinebant. In Helvetios sibi, Rhaetosque eundum, ac tantopere de eorum salute, ut narratum est, ideo sibi laborandum putavit, ne mala eorum propinqua possent ad ecclesiam suam pervenire. De cetero absentiam ab ecclesia sua diligenter vitavit; ne ipsae quidem de jurisdictione ecclesiastica controversiae, potuerunt eum a grege suo paulum avellere. Quando autem, vel creandi Pontificis caussâ, vel ad Apostolica limina visenda, Romam proficiscebatur, quam citissime posset, redire maturabat: nisi, quod semel atque iterum evenit, jussu Pontificis menses aliquot moraretur ad aliquid instituendum, quod toti prodesset Ecclesiae. Quod nisi ita sensisset, fecissetque, tanto profecto, neque in publicis ecclesiae gubernandae rationibus, neque, in privata sanctitatis disciplina, consequi potuisset. Dicebat enim ad utramque rem valde

se incitari, cum eo se loco esse unum sentiebat, quo spectarent reliqui omnes, et unde virtutis exemplum sibi quisque petere deberet, commoverique vehementer, quod suis quotidie oculis aspiceret filiorum necessitates, tum vero animum eorum, ac voluntatem tantum in via salutari progredi paratam, quantum patris amore, studioque juvaretur. Animarum charitate sic flagrabat, ut dignitatis suae quodammodo oblitus, eorum presbyterorum conditionem quandoque toto corde videretur expetere, qui agrestibus asperisque locis parochias habentes, inopem, laboriosamque vitam in curatione animarum agebant; ibi demum charitatem ostendi posse, cui nihil humani desiderii, commodive esset admistum. Hanc suorum Oblatorum praecipuam esse virtutem cupiens, docebat eos frequenter, quam vehementer eam quaeri, colique ab iis conveniret, qui se Dei ministros profiterentur. Memoria teneo, cum in aedibus esset, quae Canonicae nomine appellantur, quotidie certa hora multos ejus collegii clericos, qui nomen in Oblatorum societatem dederant, advocasse, sententias ex Evangelio selectas, quae ad eam rem maxime valerent, tradidisse, ac diligenter explicasse: de quibus altero die, cum interim eas meditati essent, singillatim interrogabat, quid sensissent; quam quidem exercitationem miro studio, ac etiam abjectione obivit complures dies; quod cum aliquando faceret, praecipuo quodam affectus ardore, ad nos conversus: « Quam libenter, inquit, nisi hoc essem loco, eam amplecterer conditionem, ut bono Episcopo deditus, nulloque stipendio, certove hospitio nixus, huc illuc animarum caussa mitterer, nulla cujusvis incommodi, vel laboris habita ratione. » Eorum ille quidem res minime cognoscere studebat, qui suae curae non essent, neque operae aliquid suis subtrahendum putabat, ut aliis tribueret: cumque aliquando quispiam suaderet, ut pro Cardinalatus officio, eam personam suscipere vellet, quae, ad universam spectaret Ecclesiam, ut quid ubique opus esset ad pietatem recte colendam, et nosset, et provideri curaret, ei rei se assentire non posse dicebat, propterea quod ante omnia sibi ecclesiam suam curandam ex sacris legibus agnosceret, cui ne totis quidem viribus suis, totoque vitae curriculo posset satisfacere. Sed quia tamen multa nunciabantur, multi ad eum confugiebant, et omnino de rebus externis multa cognoscere necesse erat, officiis, admonitione, consilio, etiam longinquis saepe subvenit. De ecclesiis, provinciisque sublevandis, aut componendis, de legatis mittendis, visitationeque mandanda, ad Pontificem saepe retulit; maxime vero frequenti supplicationum publicarum exercitatione, res Ecclesiae totius Deo curabat commendari. De regularium quoque disciplina monebat quos oporteret; omni officio, studioque regulares ordines, juvabat. Sed ita tamen, ut in ecclesia sua administranda interim desudare non desisteret.

§ 87. Concionandi munus, quod praecipuum Episcopi esse, Tridentinae Synodi constitutione judicatum viderat, studiose in primis suscepit; ac primo Romae, ut est demonstratum, remotioribus locis sese in eo exercuit. Mediolani deinde sedens ad altare, neque admodum frequenter, verba fecit; donec calamitosissimo pestis tempore in suggestum ascendere, frequentiusque ad populum necessitate pene coactus, coepit concionari. Institutum semper deinceps tenuit: et quod initio difficillimum experiebatur, usu paulatim facile admodum sibi reddidit. Cum in privatis sermonibus ex praecipiti quadam pronunciatione, verba frequenter minus expressa proferret, mirum in modum id vitii publice dicens temperavit. At aliud item erat impedimentum quodammodo contrarium, quod aegre verba inveniebat, quibus animi sui conceptiones explicaret: idque ea fere de caussa, quia verborum momenta singulari quodam judicio ponderabat, non solum, ut quod volebat proprie significarent, quod quidem magis commune est, sed etiam ut decorum quoddam haberent homine sacro, et Antistite dignum, de quo non in locutione solum, sed in aliis omnibus limatius ipse, quam alii plerique, solebat judicare; exiguitas quoque temporis ad legendum, meditandumque dati, erat impedimento; neque enim poterat ab occupationibus tot, tantisque districtus, majus, quam antecedentis fere noctis spatium ad id sibi sumere. In hisce difficultatibus et naturae, et muneris, sibi tamen committendum minime existimavit, ut tam graves partes suas relinqueret: quod sacri nonnulli homines interdum suaserunt. At vero cum ad se concionem tantum pertinere judicaret, quantum et Tridentina constitutio, et ratio, divinaque confirmaret auctoritas, habilitas etiam tanta erat, tantum personae gravitas, et in vultu, motuque omni sanctitas, paternusque animus elucens, efficiebat, tantum res ab eo sanctissime ac prudentissime dictae valebant, ut ad eum licet crebro concionantem magna concurreret multitudo, quae dicentem attentissime audiret; non multi quidem nobiles, sed ii quorum debebat salus esse carissima. In eo genere, sicut alias semper, facultati suae minus etiam tribuens, quam ipsa res pateretur, eam sibi in dicendo tenuitatem usui esse contra elationem animi, nimiumque erga se ipsum amorem, et propterea gratam dicebat: quoniamque fructum eorum, quantuluscumque esset, nolebat deperdi, qui curioso doctrinae, ornataeve orationis studio, conciones cura et vigiliis elaboratas quaerunt: concionatores eorum item caussa curabat in eo genere excellentes haberi. Ipse aliis contentus, satis interim suo muneri, pioque plurimorum desiderio faciebat, et salutari multitudinis fructu potiebatur. At enim divino quodam spiritu, praeter morem, interdum etiam praeter meditata, sic ferebatur, ut omnes commoveret vehementer. Ad ecclesiasticos autem homines verba faciens cum ipse coelesti quodam ardore inflammaretur, divinas

etiam quasdam dicendi faces animis auditorum videbatur admovere: dum gravissima presbyterorum, altissimaque munera commemorans, ex altera parte, quam lente, quam oscitanter, quam foede nonnunquam, ab iis administrarentur, divinitus ostendebat. De me ipso affirmo: cum ad eum audiendum, ut alias saepius, in synodo esse pro modestia sua jussisset, si quid in rebus, voce, gestu observarem, de quo moneri illum oporteret, occulta quadam verborum illius vi, mentem meam subito ab ea observandi attentione abductam, ad divinas sententias, quae loquebatur, ita conversam, atque adeo raptam fuisse, ut quam ob caussam eo vocatus essem, oblitus, toto animo in ejus oratione defixus tenerer: tum, quasi aliquid rebus humanis majus viderer aspicere, atque audire, mecum, quotquot ubique sacri divinarum rerum administri essent, ibi adesse optarem; demumque ad satis longae concionis exitum nimis celeriter me adductum, cum dolore sentirem. Commemoratus antea in toto clero synodi tempore animorum motus, satis idem confirmat. Porro res ipsae, materiesque concionis, judicii semper, et ingenii, in primis vero pietatis cujusdam exquisitae lumen praeseferebant; eadem materies plerumque divinarum litterarum locis nitebatur: iis enim libris perlegendis, et meditandis fere consumebat, quidquid ad eam rem dabatur otii. Prophetis maxime studebat: qui loci aptissimi essent ad hujus temporis usum, eos habebat in promptu, tractabatque accurate; ad eam rem, tum ad universa, quae inciderent concionando, Ludovici Granatensis scriptis utebatur plurimum: cujus hominis alioqui penitus religionem, judicium, doctrinamque multis libris declaratam, adeo amavit et observavit, ut familiariter, amicissimeque per litteras salutaret; neque ipse solum, quam ejus labores sibi grati essent, saepius significavit, sed ut Pontifex Gregorius litteris suis idem publice testaretur, effecit; immo curasse scimus, ut in Cardinalium collegium ille cooptaretur; optimus vero senex eum contra ob singularem virtutem, religionemque colebat observantia singulari, mirumque in modum ejus eximiis virtutibus, rebusque gestis laetabatur; de quibus ut scriberemus, saepius urgendo nos appellavit, et ad rem perficiendam suis precibus, vivens, et ut spero post mortem, amanter juvit. Postremo vero Carolus amplam sibi ipse locorum, sententiarumque silvam comparabat, ex divinis Scriptis in primis, sed ex aliis quoque sacris libris: tum ex probatis etiam sanctorum virorum historiis, salutarium copiam exemplorum: quibus omnibus distincte, ordineque sepositis, ad diversas conciones uti posset, quotiescumque usu veniret, cum praesertim propter occupationes, spatium minime daretur singillatim conquirendi. Varia genera mente comprehendebat, de quibus sibi essent verba ad populum facienda; tum divinos libros attente legens, quod in quoque genus conveniebat, illud notabat diligenter

ac distincte describi jubebat, ad varios usus silvam conformabat suam: sed elaboraverat in primis in iis colligendis, quae ad sacrorum hominum cujusvis ordinis officia pertinerent, plenamque eorum, densamque silvam effecerat; eam rectius dirigendam, colendam atque dilatandam post ejus mortem, a Joanne Francisco Episcopo Vercellensi susceperat Franciscus Adornus, qui quidem singularem, reconditamque doctrinam, cum exquisito christianae disciplinae, religionisque studio conjunctam ad opus efficiendum afferre poterat. Sed Carolum, ut praesenserat non multo post secutus est; praesensit Franciscus obitum suum hoc modo, quemadmodum, vel de suggestu ipse publice testatus est. Narrabat Caroli effigiem pulcherrimam ei per quietem objectam; admiranti, percunctantique, quid sibi vellet tanta pulcritudo, illum respondisse: «Bene mecum agitur, tu quoque brevi accerseris;» verum ille visum credidit: neque ita multo post expectatam Genuae mortem obiit in patria sua, magni consilii magnaeque virtutis sacerdos, dignusque cui ad maximas res pro Ecclesia Dei gerendas, ingens aperiretur campus; has demum aliasque lucubrationes idem Episcopus Vercellensis sibi legatas optimis Cardinalibus reliquit. Augustino Valerio et Federico Borromeo, quibus opus nemo curare melius posset ac diligentius. Concionandi munus in Episcopo, atque adeo in presbyteris omnibus magni Carolus faciebat, indignum judicans, quorum illud proprium, praecipuumque esset, ab iis negligi, aliis vero, hoc est regularibus totum relinqui, qui tantum missi essent subsidii loco; ac quamvis propter occupationes ecclesiae administrandae illi aeque instructi ad dicendum venire non possent, cum regulares viri in ea re una omnem aetatem saepe consumant, paterna monita, pastoralemque vocem non esse tamen suis subtrahendam praedicabat, quae plus saepe multo ad docendum, cohortandumque valeret, quam dicendi facultas, et industria; itaque urgebat parochos, ut non solum festis diebus, ex Tridentino decreto verba facerent ad populum suum, sed ter etiam singula hebdomada, dum Quadragesima erat; idoneos ad id viros, quantum poterat, in parochiis collocabat; quos educabat clericos, in eo genere exerceri jubebat a pueris; alios quosque, qui habiles viderentur, ad id incitabat; ex conciliis sacrisque libris aliis, ac rhetoricis quoque, multa colligi jussit, libellumque edi, quo ad sacrae praedicationis munus rite, decore, fructuoseque obeundum, vitiaque multa fugienda, concionator monetur; ob eamdem caussam Valerii, Granatensisque de arte rethorica libros ad ecclesiasticam rationem formatos, a suis adhiberi jussit, et ejusdem Granatensis conciones Mediolanensibus typis imprimi, ut eas unusquisque parochus in primis, tum alii quoque facilius sibi compararent: nam in eis auctor, ad omnia concionum genera studiose locos suppeditavit. Episcopos etiam, quotiescumque se occasio offerret,

hortari non desistebat: et cum ad eum Mediolanum venirent, contendebat maxime, ut sanctis cohortationibus de suggestu populum ad studia pietatis excitarent; ac raro quidem, nisi manifesta essent naturae, doctrinaeve impedimenta, quamvis saepe resisterent, et pene moleste ferrent, dabatur facultas elabendi; quod quidem minime consequi potuisset, si, ut quidam suadebant, desiisset ipse, ne si quidem minus ipse fuisset in eo genere frequens. Itaque festis diebus semper concionabatur, interdum non mane solum, sed etiam vesperi; in Quadragesima vero, partitis aequaliter cum alio concionatore diebus, nisi, quod infrequentiores fere sibi ipse reservabat. In omni quoque Pontificio munere obeundo: nam, sive homines initiandi essent, sive dedicanda ecclesia, vel altare, sive aenea vasa ad populum convocandum consecranda, velanda virgo, ejusque sacra possessio recipienda sacramentum aliquod administrandum, publicae supplicationes habendae, ecclesia recognoscenda, concionem addebat semper, idque ad mysteria, quae tractaret declaranda, ad populum pro eo quod in praesentia opus erat, commovendum, omnino ad fructum astantium salutarem. Cum ad concionandi munus duo sibi necessaria judicaret, preces et lectionem, si forte quod saepius evenit, angustia temporis, et ad precandum, et ad libros evolvendos spatium non daretur, precationem praeferebat lectioni; meminique, cum ad collegium virginum verba faceret, eum opportune narrasse, sibi eo die valde occupato in dubium venisse, utra re paululum quod erat temporis, consumeret, legendo, an orando, et eam voluntatem, ut daemonis dolum repudiasse, quae ad libros potius incitabat. Quoniam vero Pastoris vox ad omnia loca pervenire non potest, ut ejus tamen monita quam plurimi non solum in urbe, sed etiam in agro facilius acciperent, litteris usus est, quas pastorales appellant: quae quidem, exemplis typorum arte multiplicatis, per ecclesias promulgarentur, et per loca omnia disseminarentur; his utebatur cum gravis inciderat causa, quamobrem populi monendi, docendive essent, quod ad communem salutem pertinerent.

§ 88. Quae ad catholicam fidem tuendam pertinerent summo studio curavit semper; decreta ipsa in hoc genere sancita per se loquuntur, gestaque per eum, in Rhaetis Helvetiisque, tum alibi quoque, sicuti narravimus, demonstrant; sed caussarum, quae ad fidem pertinentes, vel Mediolani essent, vel Romana auctoritate illi mandarentur, accuratissima tractatio itidem declaravit; libris importandis, edendisve ne quid periculi fidei, vel moribus afferretur, religiosi, doctique hominis assidua cura providebat. Consultationibus earumdem caussarum ipse intererat: diligenter Romam, quaecumque in eo genere opus essent, sua plerumque manu praescribebat. Praeterea in urbe Mediolano, tamquam in sublimi quadam specula collocatus, totam hanc Italiae regionem

alpibus viciniorem singulari vigilantia custodiebat; locus vero est ob proxima pluribus ex partibus pericula, satis opportunus: nam et Romani Imperatores hanc urbem, quasi Italiae propugnaculum, contra nationes transalpinas quandoque habuerunt. Ad Subalpinae regionis custodiam, quantum ejus consilia, atque actiones valuerint, hujus loci, vel temporis non est explicare. Si quid ubique toto hoc tractu oriretur hujus generis incommodi, providebat, Romam nunciabat; nam pii et religiosi viri ex omni parte ad eum potissimum, quaecumque acciderent, tamquam ad rerum divinarum, salutariumque vigilantissimum custodem, procuratoremque diligentissimum omnia deferebant. Cum militum Germanorum cohortes nonnullae, donec alio vocarentur, essent in dioecesi collocatae, multorum impietatem ex publicis factis quibusdam odoratus, eo venit ipse, licentiam repressit, Gubernatorem monuit, litteras ad Philippum Regem dedit, malum aversum est. Apostolicam Romanam Sedem summo semper honore veneratus, ejus dignitatem, auctoritatemque religiosissime tueri studuit, et propagare. Apostolicis mandatis suscipiendis, promulgandis, exequendis, nihil apud se unquam ad honorem atque reverentiam summae Sedis debitam deesse voluit; neque si opus fuit, fortitudinem suam passus est in hoc genere desiderari; ac litteras quidem Apostolicas cum acciperet, aperto prius capite, venerans osculabatur. Quidquid in privatis publicisque rebus non satis certum incidebat, considerandum judicandumque Romam deferebat semper. Quae illi, ut tali ecclesiae Antistiti veniebant in mentem, quae ad meliorem rerum statum Romae fieri oportere putaret, ea modestissime suppeditabat; pii homines plurimi, si quid rectius publice faciendum existimarent, ad eum referebant: quorum si quis immoderato fervore commotus, paulum modestiae fines transiret, graviter reprehendebat; neque enim equum judicabat, ut vel ipso nimio pietatis ardore debita Principibus Ecclesiae reverentia pelleretur.

§ **89**. Ritus et caeremonias ecclesiasticas exquisite cognoscere, servareque studuit: quo de genere certum sacerdotum numerum delegit, qui consultarent, cum dubitationis aliquid afferretur; nec vero gravabatur consultationi praeesse, diligenterque de iis quoque diu disquirere, quae levia saepe vulgo putantur; nihil enim ad divinum cultum pertinens, non dignum arbitrabatur, in quo curam diligentiamque collocaret suam. Caeremoniarum magistrum, honestis tributis stipendiis, in ecclesia majore constituit. Romae, quod antea tetigimus, idem studium juvit, consultationemque Cardinalium ad id constitui curavit: quos ipse in primis consulere solebat frequentissime. Hujusmodi cognitione curabat clericos omnes, eos praesertim qui in seminario alebantur diligenter institui; ac ea quidem peritia solebat in ecclesiis Mediolanensibus, praesertim in ecclesiae majoris sacris officiis, magno fructu

pietatis, elucere. In ipsis laicis non vulgaris saepe cognoscebatur hujus generis observatio. Cum Episcopus advena post Caroli mortem, Missae solemnia celebriter agens, mitra ab altari ad thronum rediens deposuisset, Gubernatoris salutandi gratiâ, qui erat extra cancellos, mulier erratum notans, ne vultus quidem significatione, mitratum Carolum dixit, quemquam extra cancellos salutasse. Quoties minus usitatum aliquid agendum esset in ecclesia, tunc in primis consulebat, quae ipsi in eo genere agenda, vel cavenda essent, ad ea libris allatis, ritu omni considerato, experientia adhibita, sese diligenter parabat. Ita plene perfecteque curabat instituta sacra omnia exequi, ut eo ipso die, quo ex hac vita abiit, tantulo allato cibo, preces ad eam rem clericis praescriptas, ante et post integras obiret: quibus psalmum quinquagesimum ex Ambrosiano ritu inserere semper solebat: cum jussisset ob magnam in eo genere plurimorum ignorationem, omnes ante sacram confessionem symbolum Apostolorum, Decalogumque cum Dominica oratione, salutationeque Angelica recitare, ipse, quo ceteri facilius facerent, eadem prius quotidianae suae coepit praeponere confessioni.....

§ 90. De sanctissimis Sacramentis, rebusque sacris omnibus, ...e constituerit, effeceritque, hujus loci non est explicate nar...re: alioqui decreta, praescripta, monita, quae multis eo de ...nere conscriptis libris continentur, oporteret huc transferre. ...rum Sacramentorum administrationem ad animarum fructum, ...centiamque sacram sancte conformavit; canonicarum precum ...tum, ac dignitatem restituit; divina munera, officiaque omnia ...ctius ordinavit. Pontificias celebritates, et munera imitatione ...terum instauravit; sacri chori disciplinam, silentium, reverentiam, ordinem, apta indumenta, censuram item erratorum, ...nstituit; non risus eo loco, non collocutio, non somnus; intra ...ncellos laicus nullus, quacumque is esset dignitate; cumque ...umoris nonnihil esset Philippum Regem Mediolanum venturum, ...rcunctanti, quid tandem putaret, si Rex venisset, num et ipsum ...cusasset in eum locum recipere, pro suo eximio disciplinae ...clesiasticae studio Carolus respondit, sperare se, ne ipsum qui...em Regem, ut ejus erat egregia pietas, eo perventurum, maxime ...um argumenta sua cognovisset. Qui musice canerent in ecclesiis, ...os clericos, si fieri posset, alioqui tunica clericorum simili, et ...inea veste saltem indutos, et certo loco separatos, constituit: ...ua consuetudine etiam ipsius Gubernatoris cantores, si ad ec...lesias adducerentur, contineri volebat. Regulares viros non ita ...benter in eorum numerum admittebat, praesertim si regulae ...everiori addicti essent: nam et omnino musicam ab eorum ec...clesiis alienam putabat. Quae canerentur, ea non solum sacra, ...ed ad praesens officium accommodata, esse jussit, cantumque ...ita temperari, ut verba intelligerentur. Altaria ex ejus praescripto

decore munita fuerunt, et instructa, sepimentum ab omni parte, certi gradus, tegumen alte superimpendens : ad instruendum, ornandumque vestis, et supellex varia, et decora clerícus plerumque, cum superpelliceo certe, quicumque esset, sacrificantis administer ; sacraria ipsa nitida, et ab omni importuno hominum ingressu libera ; supellex non integra solum, et munda, sed apte decoreque collocata, et pro temporum, dierumque varietate plene comparata. Imagines et inscriptiones probari voluit prius ab eo, quem ei rei praefecerat, quam in ecclesias admitterentur. Sedes in ecclesiis praecipua cautione praescriptae, quibus ad majorem modestiam, interposita tabula presbyteri feminarum confessiones ita audirent, ut impediretur aspectus. Sellas altiores, summis quibusdam viris exceptis, ob sacrorum reverentiam adhibere permisit neminem. Magistratibus tamen sedes a multitudine separatas constituit. Missae sacro, utroque posito genu, semper, si tempus excipias evangelii recitandi, omnes interesse docuit: ut non minus rarum postea fuerit, stantem nedum sedentem videre, quam antea genibus nixum ; in ecclesiis mares a feminis, etiam tabulatis interpositis, ut jam commemoravimus, distingui jussit: feminas autem ipsas caput velo contectum habere, quamquam difficilius ob ornamentorum corruptelam id videbatur. Quae in ecclesiarum lateribus essent, januas clausit, ubi commoditate invitati homines, per eas indecore, quasi per vias, neglecta sacrorum reverentia, transire possent; quae res ad separationem quoque feminarum melius tenendam valebat. Cadavera in sacris locis sublimia, signaque militaria sepulcris apposita, in suis alienisque ecclesiis, quas visitavit, sustulit, licet clarissimorum Ducum suorum ejusmodi monimenta studiose civitates retinere cuperent. Ecclesiae omnes, quotquot in dioecesi tota numerantur, ejus jussu, operaque restitutae sunt, atque ornatae ; multae de integro, veteribus dirutis, aedificatae; omnium formas in ecclesiae tabularia jussit afferri, ut quid facto esset opus, cum usu veniret, facile posset judicari ; nihil autem aedificari, dirui, mutari licuit, primariis ejus adjutoribus inconsultis, quamquam pleraque cognoscebat ipse, et magna etiam ex parte memoria tenebat uniuscujusque ecclesiae formam. Ut autem et ipsa aedificia sacra et earum supellex decenter ubique haberetur, libellum de fabrica, et supellectili ecclesiastica edidit, in quo uniuscujusque loci, instrumenti indumentique ecclesiastici genus, formam, mensuram, numerum diligentissime praescripsit : quarum quidem praescriptionum, omnisque diligentiae, quae ad fabricam, supellectilem sacram pertineret, Ludovicus Moneta, praecipuus administer, consiliariusque fuit. Hujusmodi studium fecit, ut sacri homines, qui Archiepiscopali auctoritate non continentur, communi quadam incitatione ducti, suas item ecclesias, ecclesiasticasque res reficere ac ornare, tum divina etiam munera decentius obire

rarent. Insignis ecclesia Raudensis Virgini dicata ejus jussu affluentisque multitudinis liberalitate, coepta est aedificari, cum anno MDLXXXII in remota vici aedicula, ad ejus imaginem invocata Virgine, multa mirabiliter impetrata essent: quae nos legitimis testimoniis confirmata, vera esse comperimus. Instauratio quoque basilicae S. Laurentii, cujus amplissima testudo rotunda corruerit, ejus jussu ita inchoata est, ut ab eo etiam de suggestu praedictum affirment ejus parochiae viri graves, magnum subsidium ad, quod eo mortuo, Virginis munere simili, a nobis itidem approbato, concessum vidimus. His rebus omnibus etiam ipsa bis artificia incrementum accepere non mediocre: quae in ecciis aedificandis, caedendis lapidibus, vasis fabricandis, vebus sacerdotalibus efficiendis, opere vario, ac multiplici verntur. De septem ecclesiis, totiusque anni stationibus, supra imus, ad Romanarum similitudinem in urbe constitutis. Quoianam precationem instituit, quam, indulgentiâ propositâ, pous universus haberet, certo sub noctem exaudito campanarum no. Festis diebus in parochorum ecclesiis certas supplicationes publicis rebus, temporumque difficultatibus pium populum ere curavit. In unaquaque parochia Sancti diem, cujus noe ecclesia dedicata est, honore praecipuo colere vicinos jussit; jejunium quoque pridie servare cohortatus est; sacras exertiones nullo tempore passus est deficere ad augendam semper uli pietatem; mane ac vesperi frequentes conciones; crebrae iis de caussis sacrae celebritates: magna semper in ecclesiis uli frequentia; ad officia pietatis alacritas; celebris ubique ctissimorum Sacramentorum administratio; festi dies ab omni rcandi opere, praeter necessarium, tum a profanis spectaculis, reisque fere ex toto vindicati; jejunia restituta; sed de his tenus: salutaria enim instituta, corruptelasque divini honoris lia sublatas, infinitum prope esset enumerare.

91. Omnia Pontificalia munera magna voluntate obibat ipse; urrebat longius, cum opus erat ad ecclesiam, altare, campan, et ejusmodi alia consecranda; hujusmodi administrationis tia, neque laboribus, neque incommodis parcebat ullis: neque pestate, viisve etiam deterrimis unquam retardabatur. Ea o tam ad se pertinere secum statuerat, ut licet aliquando, de ario generali recipiendo; qui episcopalis ordinis erat, agere, denuntiaverit tamen, nolle se in eum ejusmodi munerum uid transferre. Ac his minime contentus, ad alia item vebat, quibus ad conficiendum Pontificia dignitas necessaria non et: veluti vestitus est sacrarum virginum, ac professio. Sic cium suum Deo praestabat, gregique sibi commisso cumuus, sacris functionibus majorem conciliabat auctoritatem: tum ipse, ad actionis decus sanctius, et ad eventum fructuosius inistrabantur; iis eo plus honoris tribuere hoc tempore

convenire judicabat, quo magis haeretici detrahere conantur. Sacramenta, quorum est etiam presbyterorum administratio, saepius ipse tamen obivit: Baptismum, stato tempore Paschali, ad similitudinem antiqui ritus, quo tempore civitatis infantes jubebat ad id reservari: praeterea quotiescumque rogatus, pietati viri principis alicujus ea in re satisfaciendum putabat. Eucharistiae praebendae labores jam pluribus attigimus locis: erat enim in eo genere frequens. Poenitentiam interdum ministrare, ab Episcopi officio alienum non putavit: et Episcopos commendavit, Nicolaum Cremonensem, Hieronymum Bergomensem, Franciscum Vercellensem, cum id quandoque fecissent; seque idem velle demonstravit, licet, quod sciam nunquam perfecerit, Unctionem extremam tribuit pestilentiae tempore, sicuti narratum est; matrimonium saepius celebravit; idque libenter primariis viris concedebat, ut ea via sponsos ad matrimonium sancte contrahendum adduceret, immoderatasque cohiberet nuptiarum voluptates.

§ **92**. Ejus erat non dissimile studium in munerum functionibus exquisite requirendis, quae ad inferiores clericorum gradus attinent: quibus singulis quid assignaretur officii distincte declaravit, et unumquemque jussit singillatim obire, dum per eos gradus proveheretur; viri graves, etiam dignitate, genereve praestantes, quique confirmata, interdum etiam provecta aetate, ad ecclesiasticum ordinem transibant, humilis tamen clerici munia exequebantur, nunc custodienda, mundandave ecclesia, nunc aere convocationis gratia pulsando, alias vasculum thuris ministrando, alias presbyteris sacrum facientibus, vel Eucharistiam distribuentibus inserviendo: quae quidem ad populi documentum, ad sacrorum dignitatem, ad fructum eorum qui faciebant mirum quiddam valebant; neque vero quemquam ad superiorem ordinis gradum admittebat, cujus de inferioris functione adhibita testimonium non videret: id quod etiam provinciali decreto sanciverat.

§ **93**. Cum permagni referat in Ecclesia, quae de hominibus in sacrum ordinem recipiendis, vel ad sacra munera admittendis disquisitio habeatur, de qua graviter veteribus Ecclesiae decretis recentibusque praeceptum est: tum de moribus, tum de litteris periculum fieri diligenter jubebat: sive quis ordinandus, sive ecclesiastico muneri perpetuo deligendus, sive ad confessiones audiendas, concionesve habendas admittendus esset; qua in re nimis exquisitam interdum interrogandi diligentiam questos esse nonnullos audivimus. Carolo quidem ea res cordi vehementer erat, unde populorum salus magna ex parte pendere videtur; satis erat illi tamen, quantum rei gravitas posceret, tantum in eo poni sedulitatis. At erat ab eo quoque alienus, ut cuiquam in eo genere parceret: licet ob doctrinam, auctoritatemve quibusdam paulo durius videretur, communem experimenti conditionem

subire; his vero de caussis Carolus faciebat, quod opinioni, ac famae saepe veritas non respondet, quod alioqui doctissimus, ea quandoque negligit, de quibus agitur: omnino, quod, si est idoneus, summissionis christianae gratiâ, homo Christo consecrandus, vel jam sacer, illud fructuose pati potest; si vero minus idoneus, merito probandus offertur, ut possit repelli; praeterea, vero, quia sacrorum canonum accurata custodia, quae illi summopere proposita erat, ita videretur postulare, ne qua parte disciplinae sacrae, quasi rimas negligent, forte ruinae periculum adiret. Interrogandi rationem unicuique ordini convenientem decretis provincialibus expressit. Subdiaconos creandos praecipuâ statuerat esse probandos diligentiâ, quod eo gradu divinis sese perpetuo manciparent officiis, perpetuaque castitatis lege devincirent. Ab iis qui essent initiandi, certo die coram se vocatis, testimonia multa exigebat, de natalibus, de vitae ratione, de sacramentorum usu, de divinis officiis, de promulgatione nominis, de patrimonio si de subdiaconatu ageretur, de approbatione doctrinae, aliisque, de quibus hoc loco mihi explicandum non arbitror, cum ea decretis ad Concilii Trid. normam descriptis contineantur, quae sunt in promptu. Ibi vero ipse cujusque vultum, compositionem, vestitum diligenter considerabat, si ordini ecclesiastico essent accommodata. Subdiaconos, presbyterosque designatos, certis ante ordinationem diebus in remotum locum venire, ibique, relictis omnibus, apto aliquo sacerdote duce, salutari contemplatione sese exercere jubebat, cujus adjumento ad meliorem, sanctioremque vitam, suscipiendique muneris plenam cognitionem, adducerentur; ad eam rationem tradendam a societate Jesu primo ductam, multos demum presbyteros plane aptos ipse habuit; locum ad eam exercitationem accommodatum, multis cubiculis distinctum, aedificavit, in hortis ecclesiae, quae Canonicae nomine appellatur, et Asceterium congruenter nominavit. Ad alios Episcopos, hujusmodi sacramenti suscipiendi gratiâ, fere suos non dimisit, ne vel ex eo se labore eximeret, vel aliqua consuetae diligentiae pars in eis approbandis omitteretur.

§ 91. Adhibita in iis diligentia, qui clericali se ordini darent, multum valuit ad cleri mores sanctitatis studio conformandos. Sed alia quoque cura, multiplicique disciplina Carolus eum in officio continere studuit; omnes alioqui non addictos, ecclesiae certae jussit assignari, ubi festis saltem diebus divinorum officiorum sese praeberent adjutores. Quam frequenter peccata confiterentur, et Eucharistiam sanctissimam acciperent, observavit; certos ex religiosioribus, sed magno tamen numero, sacrae confessionis ministros assignavit; litteras discere, qui per ingenium et aetatem possent, curavit; liberam consuetudinem, vagationemque per praefectos coërcuit, ut neque cum laicis, nisi justa

de caussa essent, neque in januis, vel vicinorum tabernis sederent otiosi; ubi, et quibuscum habitarent, singillatim novit, habitationisque locum inspici jussit interdum, si arma essent, si libri, imagines, aliave ab ecclesiastico decoro aliena: nam arma ne in itinere quidem ulla concessit. Ex agro Mediolanum venientes in certum diversorium ad id institutum omnes convenire jussit, quo laici non reciperentur, clerici vero ipsi certis legibus ad ecclesiasticam disciplinam accommodatis haberentur. Discessum ab ecclesiis, itinera, peregrinationes, nisi ex facultate praescripta, non permisit. Statum cujusvis clerici, conditionemque certo libro distincte, subtiliterque notatam habuit, ordinis gradus, beneficia, studia, cognatos, habitationem, ministerium, et si quid aliud nosse interesset; eam notationem, quoniam mutari aliqua semper necesse erat, certo tempore, vocatis omnibus singillatim recognovit, et quibus rebus opus esset, renovavit; ex eo libro subito poterat de unoquoque clerico suo plene omnia cognoscere. At alias etiam fuit magnus reconditus libellus, in quo de uniuscujusque moribus notatio brevis continebatur: ut cum de aliquo esset statuendum, quid ei committi posset, perlideret. Foeminas apud se habere vel nullas passus est, vel eas, si necessitas cogeret, quae senectute, sanguinis conjunctione, moribus, ab omni suspicione essent alienae. Canonicos, quantum potuit, in eorum aedes, plerisque locis coenobii cujusdam instar apud ecclesiam fabricatas, compulit: neque laicorum contubernia, nisi salva disciplina toleravit. Parochis, et eorum muneri valde favit, quippe suis in animarum curatione praecipuis adjutoribus; quibus etiam proprium tradidit magnae gravitatis indumentum; eorum Missas, ecclesiasque frequentari, auctoritatem, officiaque conservari, et ab omni aliorum impedimento defendi, studiose curavit. Vestitum clericalem synodalibus decretis constituit, pro cujusque loco ac dignitate distinctum, idque ad eam fere rationem, qua clerici veteres utebantur, Monitaque una cum sociis S. Sepulcri cultoribus sancte retinebat. Cum Episcopum ad clericorum collegia visenda Caroli jussu essemus comitati, fassus est postremo, rectores, praefectos, administros clericos, quos ibi vidisset, ex modesto, religiosoque habitu regulares putasse, donec secus admoneretur. Eundem vidimus admirantem, quod in ecclesiis, aut in via, ne unum quidem ex infimis clericis, male, ne dum sordide vestitum vidisset; si publicis in gymnasiis canonicae doctrinae caussâ clericos morari permitteret, frequens Episcopi, Vicariive urbis illius testimonium requirebat, de vita modeste religioseque acta. In laicorum familia quacumque dignitate illi essent, neminem, maxime presbyterum, ita esse permisit, quod saepe antea non sine magno sacrae dignitatis contemptu fiebat, ut ullo modo in famulatu esse videretur. Haec attigisse breviter sufficiat, ut hujus generis speciem saltem quamdam exhiberemus. Quae quidem

disciplina, litteris adjunctis aliisque nonnullis tuendae dignitatis adjumentis, de quibus exponemus, ad existimationem gravitatemque cleri pene abjectam erigendam magnopere valuit, qui quidem non exiguus fuit inter alios Caroli laborum fructus, ex quo multa populis salutaria extiterunt; nam, ut in officio clericos continuit justeque punivit delinquentes, ita bonis benignissime favit, et universi ordinis existimationem studiose defendit. Honoris insignia libenter tribuit; cappas, ut dicimus, rubeas canonicorum ecclesiae majoris confirmari curavit; caeteris canonicis, quas appellant Almutias, Praepositisque nigras cappas tribuit. Prothonotarios, quod non ita passim creandos existimavit, tum ad eamdem pertinuit dignitatem, tum etiam ad inane studium honoris in quibusdam comprimendum. Facultates etiam, ut ad vitae clericalis decentiam cuique pro loci conditione essent, attente curavit.

§ 95. Collegia constituit plura, quae virtutum essent, et ecclesiae, immo et reipublicae ipsius seminaria, ubi vita more coenobiorum ageretur; probe namque noverat, quid valeret educatio. Diximus de collegio nationum finitimarum; de nobilium adolescentum alio tetigimus, quos litteris christianisque moribus, accuratissime instituendos curabat, ut ex iis probos litteratosque viros reipublicae subministraret: quo quidem exteri multi, nobilissimique adolescentes cupide mittebantur; quos, quoniam fidei suae Carolus commendatos sciebat, et spectatissimos sacerdotes eorum gubernationi praeficiebat, et cives optimos rerum familiarium curae; tum ipse saepius invisens, accurate de rebus omnibus percunctabatur, omnia cognoscebat, Eucharistia, verbis divinis pascebat. Sed de collegiis dicamus cleri sui. In ecclesiae majoris seminario proprie appellato, quod jam usque ab initio per Ormanetum constituerat, clericos Mediolanenses ad centum quadraginta solebat alere, et ecclesiastica disciplina, tum litteris, et humanioribus, et philosophicis, et divinis, pro cujusque captu instituere. Ad tantum numerum sustentandum, paulatim idoneas facultates beneficiorum, quae simplicia dicuntur, prout possessoribus vacarent, ex variis locis, ubi eae minime essent necessariae, variis temporibus attribuit, et alias Apostolica in primis auctoritate comparavit, ad aureorum nummum circiter sex millia annua. Facilioribus litteris domi erudiri, graviorum vero studiorum caussâ Braidensis collegii magistros adire constituit: quorum scholas, ... ad hanc rem unam fundaverat. Quae ad conformandos mores, ad mentem religione sanctitateque imbuendam, sacrorum disciplinam discendam, administrandae ecclesiae facultatem comparandam, valebant, iis exerceri jussit; clerici nihil facultate non impetrata facere, ne abire quidem e conspectu; binos exire domo; ordine, modesteque ire, tum vestitu nulla parte sordido, vel indecoro; probati homines sacri, die nocteque, suo quisque numero,

assidere; domo simul exeuntes comitari; Praefectus litterarum perpetuo doctrinae studia progressionesque urgere, disputationibus concertationibusque litterariis occupatos habere; Rector loci, gravis presbyter omnia moderari, sacramentorum usum frequentiamque curare, frequenti exercitatione communicationeque rerum spiritualium divinarumque, ad solidae religionis praestantiam, sensusque sanctissimos perducere. Carolus ipse saepenumero adibat, audiebat pie declamantes; intererat disputationibus; aderat divinas res inter se conferentibus; singillatim cognoscebat uniuscujusque mores, litterarumque progressiones; statis praesertim temporibus erat praesens, cum de eruditione periculum fieri, et uniuscujusque conditione moribusque diligenter examinatis, qui ecclesiae usui esse possint, dijudicari solet. Hujus disciplinae instituta fuse descripta, nondum plene recognoverat, probaveratve, cum ex hac vita migravit. Clericos indole atque ingenio ad ecclesiastica munera, quantum fieri posset, aptissimos recipi curabat; aetate vero annorum circiter XVIII ne vel propter majorem aetatem, ad scientiarum integra studia minus apti, vel ob minorem, loco diutius oneri essent; facile quoque ex vicis locisque, ubi litterarum magistri fere non haberentur: quae illa tenebat, ut justa de caussa tamen sententiam saepe mutandam putaret. Ut quisque, ejusve parentes essent a facultatibus instructi, ita quod in annos singulos penderent sumptus caussâ, constituebat; qui sumptum integrum non solverent, eos adhibere sponsorem jubebat, qui quod ob inopiam remissum esset, solvere promitteret, si clericus ecclesiae Mediolanensi postea noluisset inservire; exteros fere non admisit, aut ita, si sumptui integre satisfacerent. Haec primo collegia, clericorum societatis Jesu cura operaque instituit; postea cum Mediolanenses clerici multi eis succrevissent, alii quoque eadem disciplina instituti essent, eos adhibuit. Qui clerici vel aetate jam confirmata, vel hebeti ingenio ad statum disciplinarum cursum minime apti videbantur, eos alio loco latinis litteris, doctrina sacramentorum, et ea facultate, quae in cognitione peccatorum, castaque tuenda conscientia versatur, instituit erudiri, numero fere sexaginta. Sed aliud collegium itidem quasi parochorum seminarium habuit, in quo minori numero, homines aetate media, propiori ad parochias administrandas studio instituerentur.

§ **96**. His collegiis, adjuncta Oblatorum sodalitate, magnum sibi Carolus ecclesiae administrandae subsidium comparavit. Ex ejusmodi enim seminariis, quasi arbores pubescentes, alias alio transferens, ut opus esse animadverterat, agrum suum bene consitum, uberemque reddebat; extra collegia quoque, multi Braidensis gymnasii bono utentes, Theologi evasere: exteri praeterea eadem commoditate usi, optimaque deinde Caroli administratione, tum auctoritate etiam invitati, sese ecclesiae Mediolanensi

addixerunt. Ex omnibus item partibus ille studiose homines adducere solebat doctrina moribusque probatis, quos in ecclesia sua varie, pro eo quod opus esse videretur, disponebat: cum in suis retinendis contra, vel tenacitatem quandam adhiberet. Ita fecerat, ut in praecipuis dioecesis locis, aut ecclesiis insignioribus, viros graves Theologos, vel juris canonici peritos plurimos, et in canonicorum singulis collegiis, Tridentini praesertim canonis auctoritatem secutus, Theologos haberet. Regulares quoque homines quamplurimos adjutores quaerebat. Societatis Jesu constituit coenobia duo: primum ad ecclesiam S. Fidelis; alterum collegium fuit Braidense, ea conditione in perpetuum firmata, ut in eo logicae, philosophiae, theologiae, rhetoricae, grammaticae, linguarum graecae et hebraicae scholas apertas haberent, ad totius juventutis provinciae Mediolanensis, et clericorum in primis honestissimum fructum: ad eam rem, loco, ut superius tetigimus, Gregorio Pontifice demum impetrato, suam Societati contulit Aronensem Abbatiam, ut novitiorum domus Aronae constitueretur, et Mediolani magistri, aliique magno numero, pro eo quod opus erat, facilius sustentarentur. Quae quidem collegia docendo, concionando, sacris confessionibus audiendis, virtutum christianarum exemplis, magnos ecclesiae suae videbat esse usus ad salutem allatura. Clericos alios regulares a Paulo IV institutos in urbem deduxit; quorum vita religiosissima, tum assiduus in peccatis dijudicandis, viaque salutis tradenda labor, gregis fructum valde cumularet. Aliis ordinibus quaerebat locum, si quid saluti suorum inde afferri posse videret adjumenti. In ea vero, quae jam erant monasteria viros doctrina religioneque probatos mitti curabat, quibus uti posset; omnino mirum ministrorum adjutorumque desiderium gregis charitas in eum immiserat, cujus salutari progressioni quamplurima videbat esse necessaria; ac revera, etiam numero multo majori, nullam reliquisset otii facultatem, tanta erat rerum multitudo, quas curari, effici, recognosci assidue oportebat, tamque in omnibus rebus religiose componendis progrediebatur in dies. Alias litterarias exercitationes ad cleri usum induxerat, tum proprias quandoque alicujus urbanae regionis, tum communes omnium; nam in suis aedibus delegerat, qui certis diebus doctrinam de peccatis publice traderet, quo jubebat ecclesiasticos homines, etiam parochos ad audiendum convenire. Ut autem quae semel didicissent, tenerent firmius, congregationes menstruas in unaquaque urbis, et agri regione instituerat, quo ex ea regione tota certis diebus illi convenientes, variis propositis quaestionibus, de sacramentorum administratione, de animarum vinculis solvendis, disputationem haberent; piamque ei rei accessionem fieri jubebat, sacra pro mortuis communiter celebrata; cujus instituti rationem libello fusius comprehensam edidit. Sed propria etiam cura parochos urbanos ad conciones juvari curabat:

quibus hebdomadis singulis, quod proximo festo legendum ex
Evangelio in ecclesia erat, prius exponi quandoque jussit, et
quasi concionum materiam explicatam tradi; quos etiam interdum,
ut quid possent, efficerentque, melius cognosceret, scriptas ad se
mandabat conciones afferre. Praeterea veteres canones a Gratiano
collectos, uti diximus, interpretari jussit; quo in studio, quamvis
summa fuerit Caroli voluntas, paucis tamen id persuasit: tra-
huntur enim facile omnes ceterorum exemplo, eaque libente
sequuntur, quae plurimorum judicio, et usum afferunt, et nomen
qualis est vulgaris canonum peritia, scholasticique Theologiae
progressus; at veteris ecclesiae ratio bene cognita, solidae utili-
tatis est; arma contra haereticorum impugnationes suppeditat
et ad ecclesiam ordinandam constituendamque magnum praebe
adjumentum. His institutis, mutata prorsus ecclesiae specie, ub
presbyteri indocti, saepe etiam sordidi erant, doctos habuit, e
religiosos: qui populos salutariter docere regereque possent, e
quae Carolus in dies ad meliorem rerum omnium conditionem
efficiendam praescriberet, diligenter exequerentur: ex quo etiam
populi ad debitam sacerdotibus reverentiam, obedientiamque sa-
lutariter excitati, magis in salutis via proficerent. Ac litterari
quidem cleri studia, vel ipsi majores multo, quam alioqui solere
esse, bibliopolarum quaestus, ostendebant.

§ 97. Beneficia omnia sic mandavit, ut amicitiae, gratiae
propinquitatisve caussâ nihil moveretur. Si quempiam alicuj
commendatione, gratiave uti, vel omnino ambitiose quaerere an
madvertisset, ea ipsa de caussa indignum judicabat; ipse ve
suos noverat, omniumque actiones, vitam, studia, per se, ac p
ministros observabat, et cum locus daretur, nullius officio inte
posito, vocabat ipse nec opinantes, sacerdotiaque mandabat; unu
vero satis esse cuique beneficium, nisi aliter necessario fieri d
beret, omnium maxime volebat; ac illud in Carolo multis adm
rationi fuit, quod etiam de facie suos fere omnes vel infim
clericos agnoscere videbatur. Optima temporum conditio, ad h
nores ceteraque virtutis praemia, gratiae, audaciae, ambitio
aditus esse interclusos, probitati vero doctrinaeque sic aperto
ut ultro etiam invitaretur! Nobilitati favebat libenter, modo cu
virtute conjunctae: sed humiles saepe probos, doctosque eo v
cabat, quo nunquam ipsi, vel ambitionis fortasse stimulis inc
tati, ausi fuissent aspirare; quae quidem ratio, tum ad virtutu
optimarumque disciplinarum studia, tum ad ecclesiae dignitate
populorumque salutem vehementer valuit; ac licet ob human
mentis latebras, pro virtute aliquid sese interdum insinuaret hy
pocrisis, simulatio tamen non conniventibus oculis, vel perluc
dum est, vel certe minime diuturnum malitiae velum; omni
tolerabilius judicabat, virtutis veste vitium aliquando latere, virt
tique servire, quam apertum cognitumque palam recipi; interi

sibi cavendum noverat, ne cuiquam non plene probato per se aditus esset ad peccandum liber. Eundem sensum praestabat, si de beneficio, honore, facultatibusve ecclesiasticis alicui impetrandis rogaretur; cum ejusmodi aliquid tentari posse perspiceret, maxime si de episcopatu ageretur, hominem, si probaret, tantum proponebat, testimonium dabat, quod teste conscientia poterat: rogabat vero nunquam, ne dum urgeret, nisi id se officii Deo, et Ecclesiae debere, manifeste vidisset; rationem suam quibusdam interdum ita probavit: si nemine urgente, quis dignitatem susciperet, clarius esse divinae voluntatis indicium. Federico suo, neque puero, ex ecclesiasticis facultatibus quidquam vel contulit vel ad majorem aetatem reservavit: neque postea tanta indole adolescenti quaesivit unquam: ipsam Aronensem Abbatiam dudum in familia sua retentam, non conquievit, donec a se, atque a familia repelleret, ne quid forte olèret haereditarium. Nobilis vir, oblata beneficii occasione, in ecclesiasticum ordinem, se dare nomen velle significavit, Carolique auxilium imploravit; cui negavit ille, minimeque probare respondit, hominem vitae clericalis alioqui non studiosum, beneficii gratiâ clericum fieri velle. Si de augendis Praesulis alicujus inopis facultatibus rogaretur, suadebat, ut paucis contentus esset; at nihilo secius adjuvabat, ubi animum cognoverat neque avaritia, neque inani splendore captum, sed sacri muneris perfecte administrandi studiosum. Episcopo consulenti, utrum ob tenues facultates, contraheret aes alienum, an dimisso episcopatu alio quodam loco viveret, ubi in sumptum plura subministrarentur, neutrum respondit sibi placere; assistere gregi suo sacerdotem debere, nisi aliter qui potest, juberet; abdicare sese episcopatu, si quid offerretur difficultatis, ejus non esse, qui integre casteque vocatus iniisset; sumptui pro facultate modum ponendum, veterum maxime Praesulum imitatione, qui et facultatum subsidio, cum suppeteret, sancte usi erant, et eo destituti, sancte tamen episcopatum administraverant. Annuam pensionem Carolo solvèbat Episcopus; ei vehementer postulanti, ut illud sibi juris remitteret, et reficiendae ecclesiae necessitatem, tenuesque fructus excusanti, libere respondit, nullo modo ei se velle condonare, qui episcopatum, etiam adjecta pensionis conditione, quaesierat; facturum tamen, ut ea pecunia quotannis in ecclesiam illam reficiendam, vel ornandam aliorum opera insumeretur; ita omnino concedendum quod petierat, si modo ecclesiae caussâ vere postulasset. Fructus suos unicuique ecclesiae, presbyterisque singulis, integros relinqui curavit vehementer, et effecit; eo namque primum ecclesiam capescente, vel magna ex parte, vel toti, alienis hominibus erant reservati: ex quo fiebat, ut qui essent aliquo numero presbyteri, sacerdotia recusarent, quorum facultatibus, pro dignitate, vitae cultum minime possent conservare; qui vero accipiebant, parvi pretii homines, neque doctrina, neque

auctoritate satis muneri suo facere valebant: ut praeter sacerdotis, ut tempora sunt, ex ea re contemptum, neque sacra supellex pro decoro parari, neque refici, vel ornari ecclesias, neque sarta tecta haberi possent. Igitur neque pensionis onus vel minimum cuiquam ecclesiae imposuit unquam, et si quis forte per auctoritatem superiorem obtinere vellet, contra totis viribus pugnavit; cum ex satis magnis Praeposilurae facultatibus, ex suis quidam, quo plurimum utebatur, annuam pensionem sibi fere impetrasset, ea Carolus ut auferretur, statim effecit; neque alius postea unquam conari aliquid simile ausus est. Sacerdoti tantum pensionem concessam scio; is cum ecclesiae diu utilem sane operam pro doctrina virtuteque sua navasset, demum multi laboris parochiam habens, infirmaque valetudine confectus, cum eam relinquere cogeretur, neque aliunde haberet vitae sumptum, moderatam pensionem ex ecclesia sua, quae erat ex locupletioribus, a Carolo accepit. Quoniam vero ecclesiis sacerdotiisque plerisque, licet integrae, tenues erant tamen facultates, quibus id opus fuit vel parochiae administrandae, vel Theologiae docendae, vel omnino necessaria de caussa, alias adjunxit, ex iis quae simplicia vocant beneficia, quibus nullum ferre munus conjunctum est; quod genus alioqui nemini unquam, vel ipse contulit, vel passus est conferri; ac ex iis beneficiis unum, cum ex domesticis quidam, cujus operâ Carolo valde utilis erat, sibi, Carolo ipso insciente, comparasset, hominem, ut aliis esset exemplo, missum fecit; tum suis omnibus convocatis, denunciavit, qui ei, vel potius sacrae administrationi suae inservire vellet, suo contentus stipendio, nihil ejusmodi unquam, neque omnino quidquam ex ecclesiarum suarum fructibus speraret, nisi quis a se idoneus judicatus, vocatusque, cum adjuncto munere, atque opera beneficium accepisset.

§ **98**. Cum totius ipse gubernationis auctor, tanta per se obiret, efficeretque, quanta unius, modo hominis, viribus tolerabilia non videbantur, multis tamen eguit Vicariis et administris. Ac ea quidem quae ad forum judiciaque pertinent, fere non attigit, nisi quatenus ad judices constitutos in officio continendos, corrigendosve necesse esset, ut non tam jurisconsultorum libris ad judicandum, quam prudentia, pietate, animi lumine, sanctorum patrum decretis, exemplisque opus esset; de cetero, spiritualia in primis sibi suscipienda statuerat: quibus administrandis, ob rerum agendarum multitudinem, plures sibi necesse fuit adjutores adsciscere. Primo igitur jurisdictionem gubernationemque ecclesiae suae ita distribuit. Tres constituit praecipuos Vicarios: unum, qui de rerum controversiis litibusque, alium qui de criminibus cognosceret; primarium vero, ac generalem, qui omnibus judiciis, totique praeesset gubernationi ac disciplinae. Auditoris nomine alium delegit, qui ditionis ecclesiae res, tum alia quoque

cognosceret, et Vicarios alioqui maxime occupatos sublevaret; quos omnes una cum fisci procuratore, quantum fieri posset, fide, probitate, doctrina spectatos jurisconsultos elegit: Vicarium vero generalem in primis gravem, pietateque et religione praestantem, cum praeterea disciplinae sacrae studio incensum sacerdotem. Hos adhibere exteros solebat, ne forte amicitia, propinquitate, gratia, aut vero metu adducti, jus aliquo modo quandoque violarent, minusve libere dicerent; eosdem certo constituto stipendio, domi suae alebat; cumque honoraria omnia, in caussis quidem suae dioecesis prohibuisset, in externis exigua constituisset, penitus etiam interdixit, ne vel minimam rem ullam a quoquam dono acciperent: nam vel de se ipso affirmabat, si munusculum a quoquam accepisset, aliquam in eum ea de caussa voluntatis inclinationem sentire sibi videri; si forte gratiae, pecuniaeve judex serviret, quod attentissime jubebat observari, confestim missum faciebat; suis vero reliquis jusserat, ne caussam, hominemve quemquam iis unquam commendarent. De litibus est memorabile, notariis, scribisque fori, Caroli tempore accidisse, ut peritiam earum litium, quae de beneficiis alibi tam frequentes inter clericos esse solent, pene dediscerent: nulla enim eo vivente lis erat ejusmodi; vocatus quisque nihil agitans, ne cogitans fere quidem, beneficium accipiebat, sine controversia retinebat, sine auctoritate sui Antistitis non dimittebat, aut permutabat. De criminibus, justam unumquemque subire delicti poenam volebat, si res in judicium deduceretur; si vero quis peccatum dolens, tempestive, atque ingenue fateretur, tantopere commoveri se dicebat, ut ipsius misericordiae modum vix teneret. Aliquos etiam, si res ita ferret, prius semel, atque iterum monebat, antequam in judicium vocarentur. Mitius egit postremo suae administrationis tempore; ac initio quidem, ob magnam inveteratamque licentiam, severitate opus fuit; postea vel disciplina, vel metu facilius in officio clerus retinebatur. Clericorum mores corruptos, qui tamen ad crimina legum poenis digna non pervenirent, ita quandoque puniebat, ut homines non usitato carcere, sed suarum aedium cubiculo certis diebus contineret, quibus eorum petulantiam jejunio, custodiaque castigaret, et piorum quoque virorum oratione revocaret ad sanitatem. Hominem ventri deditum, cum illud quoque nosset committere, ut aestivo tempore vinum sacrificii caussâ paratum aqua gelida juberet refrigerari, complures dies inclusum ita tenuit, ut aqua illi tantummodo, eaque ad id in sole tepefacta, potus caussâ praeberetur. Mulctas reis irrogatas in pios usus, praecipue vero in pauperum ecclesiastica collegia jussit insumi. Qui ex clero juris essent periti, eos ex forensi quaestu studuit ad religiosiora studia revocare, quamquam eorum facultate multis alioqui rebus usus est; ex his aliisque, quos domi plures semper habuit jurisconsultos, alios aliis muneribus praefecit; Judices ab

Romana Sede dandos iis qui provocarent, in synodo elegit; pauperum advocatos; reorum, qui essent in carcere, communem patronum; alium qui pia legata solvi curaret; Visitatores, aliosque, de quibus postea dicemus; Cancellarium ecclesiae, quo munere laicus antea fungebatur, clericum, eumque majoris templi canonicum, imitatione veterum elegit. Quoniam ex decretis plurima scripto concedi variis de caussis necesse erat, gratis fere dari omnia constituit; si qua de re autem, ad notariorum mercedem, rerumve scribendarum copiam, exigi aliquid oporteret, id modicum, aut etiam intra modum constituit; quibus de rebus, aliisque multis in libello explicatum est, quem hoc de genere forensi conscribi, edique jussit. Urbis sex regiones singulis probatis, primariisque sacerdotibus assignavit, qui Visitatorum auctoritate clericorum omnium mores vitamque specularentur, ecclesiarum cultum et divina munera observarent; omnem denique disciplinam et canonica praescripta custodirent; quae oporteret, ad Vicarium generalem quotiescumque opus erat referrent; tum certis diebus ad eundem convenientes, de statu rerum suae quisque regionis, plene docerent, et quae providenda, vel ordinanda viderentur, ex ejus sententia constituerent; omnia vero Caroli nutu administrabantur: vel enim intererat, vel de gravioribus saltem rebus, Vicarios, regionum praefectos, alios administros audiebat.

§ **99**. Dioecesis Mediolanensis in certas regiones, quas appellant plebes, dividitur; in unaquaque regione, praecipua ecclesia est, eaque in vico fere, aut castello, quod est, anteave fuit regionis praecipuum; ecclesiis ipsis presbyteri praesunt, Praepositi dignitate insigniti: et quantum ex antiquis vestigiis perspicitur, collegia canonicorum adjuncta erant, quorum aliqua nunc etiam manent. Jus quoddam ecclesiae, Praepositoque fuisse videtur in tota plebe, quae multarum est parochiarum, non dissimili, quibusdam in rebus, veterum Corepiscoporum instituto. Illud juris praecipui, praeter nomen, vestigium est, quod Baptisteria sunt insignia, hoc est sacella satis ampla, separatim fabricata, ubi aqua baptismi stato tempore consecraretur, et, ut puto, totius regionis infantes antiquitus sacro baptismo abluerentur. Hanc divisionem ordinationemque secutus Carolus, presbyterum, certa mandata jurisdictione ac potestate, in singulis regionibus constituit, qui Vicarii nomine, aliis presbyteris, clericis ecclesiisque praeesset: Praepositum quidem ipsum, si videretur idoneus, alioqui alium, a quo posset arbitratu suo potestatem in alium transferre. Sunt hi Vicarii circiter quinquaginta: et quod in urbe Praefecti, hoc ii fere sunt in agro; horum ad quemque gubernatio regionis cum referatur, ipsi ad arbitrium Vicariorum urbis, generalis praesertim reguntur, et ad eum de regionis suae rebus, singulis mensibus, vel prout opus est, scribere solent. Sed commodioris administrationis gratiâ duos ex primariis sacerdotibus in Urbe delegerat,

Visitatoresque generales appellaverat, quorum alter rerum Urbanarum, reliquarum alter, ut generalis Vicarii adjutores, curam gererent. Ita cum dioecesani Vicarii de regionis suae statu tum aliis viis, tum ex parochorum menstruis congregationibus cognoscant, Mediolanumque scribant; urbis autem praefecti frequenter itidem, ut dictum est, de rebus Urbanis referant, quo modo se res in tota dioecesi habeant, singulis mensibus Archiepiscopus scire potest. At plures etiam, puta sex, sive ex ecclesiis, sive ex domo sua delegerat, qui dioecesim certis temporibus, in sua quisque assignata parte, peragrarent, omniaque visitarent, ac recognoscerent: vix enim fieri potest, ut perfecte pareatur, nisi sit qui frequenter instet, et quid agatur coram inspiciat; ac ne Visitatorum hujusmodi sumptus presbyteris esset gravis, eos, honestos tamen viros, sine famulis, uno comite notario, jubebat proficisci. Hanc administrationem, cui vir unus, Archiepiscopo absente, satis antea faciebat, tempusque praeterea supererat, quod relaxandi animi gratiâ consumeret, nunc tam magno numero administri, perpetua Caroli ipsius addita cura et labore, vix, aut ne vix quidem sustinebant.

§ 100. Ipse quoque, cum reliquo tempore, ad urbanas ecclesias visendas uteretur, quotannis quibus diebus urbi minus incommoda foret ejus absentia, exibat ad reliquas recognoscendas; ii dies erant, a Pentecoste ad Adventum; si tamen ad Virginis celebritatem ecclesiae majoris praecipuam Mediolanum recurreret, mense Septembri; reliquis anni temporibus, erat manendi caussa major, vel ex antiquis Patrum decretis: nam quae tempora sanctius colenda piis hominibus ecclesia proponit, iis adesse populo suo Episcopus maxime debet, ac precibus, concionibus et exemplo salutariter eum excitare, ut Adventus et Quadragesima est, cum adjunctis celeberrimis festis; ante Quadragesimam, omni ratione populi petulantia coram est reprimenda; a Paschate, ut temporis celebritatem omittamus, synodis, et Confirmationis sacramento debita opera videtur. Igitur vicanas ecclesias lustrans, celeritate, continentibus laboribus, numero comitum exiguo, magna parsimonia utebatur: quibus rebus etiam onus hospitii levabat, quo tamen uti commode poterat jure suo; ne quis omnino praeter necessitatem esset in comitatu, tum sua quemque ad necessitatis normam praescripta, tum necessariam quoque Pontificiam supellectilem, scriptaque ad ecclesias pertinentia, viritim distributa, suos jubebat, etiam honestos, et jurisconsultos, in equis ferre famulorum more; plura singuli munera obibant, obeuntique Carolo variis rebus inserviebant; hi sacramentorum loca, omnemque rationem recognoscere; ecclesiae sacram supellectilem, tecta, et parietes inspicere; beneficiorum, altariumque jura, institutiones, conditiones cognoscere; si presbyteri et clerici munera debita obirent, quae ratio vitae, consuetudinis, studiorum, diligenter

inquirere; de christianis scholis, piarum sodalitatum exercitationibus, populi cultu investigare; haec, et ejusmodi alia praestare; simul sacris faciendis in ecclesia inservire, cubiculo Caroli assistere, litteras scribere. Carolus ne puncti quidem temporis, sine labore traducti sibi veniam dabat; neque caloris, neque ullius tempestatis habita ratione, ecclesia recognita, statim adibat aliam; ubique concionabatur, sacramentum Eucharistiae praebebat, coemeteria, ecclesias, campanas, ubi opus esset, sacrabat; pervulgata erat, quasi proverbium quoddam, itineris suscipiendi horam quam frequenter Carolus, in maximis caloribus eligebat, ut ea ratione tempori magis parceret: ea erat meridiana; praescriptas parsimoniae leges in victu nemini licebat, vel minima ex parte violare. Cum prompto animo, atque alacriter munera sua obibat semper, tum hoc visitationis extra urbem libentissime; expressior ea videbatur, ut dicere solebat, Salvatoris imitatio, qui vicos et castella, magno cum labore, salutaria docens peragrabat, tum in urbem quibusdam temporibus, festisque revertebatur; delectabatur etiam natura hominum simpliciori, tum fructu in primis quem ex suis laboribus, eorum pietate animoque ad res salutares propenso, capiebat, sane multo quam in civitate uberiore; neque vero non gratissima erant incommoda hospitia, perpetuique labores, operis atque itineris; nullus erat tam desertus locus, nullum tam asperum montis jugum, quo is non perveniret, nulla tam remota, destitutaque ecclesia, quam non adiret; laeto animo corpus lacte sustentabat, cum opus erat, et castaneis, in foliis cubabat, omnem ferebat inopiam: neque enim ad commoditatem in comitatu portari quidquam patiebatur: quae postremo tamen inopia, erat ejus asperitate perpetua multo minor. Ibi vero silvestres homines, quorum multi nunquam Episcopum vidissent, qui tantam in summo viro cernerent mansuetudinem, sanctitatem, patientiam, gaudebant incredibiliter, magnaeque se felicitati reservatos putabant. Ut autem ad interrogandum et consulendum pro eo ac canonica disciplina postulat, esset in visitatione paratior, Concilii Tridentini canones, synodorumque suorum omnium decreta, in minuta, breviaque pronunciata partitus est, eaque ad certa genera redacta composuit in libello, quem muneris hujus gratiâ, tum aliis quoque de caussis frequenter in manibus habebat.

§ **101**. Vicario viro gravi, spectataeque integritatis sacerdote, ad coenobiorum muliebrium gubernationem, proprie usus est. Non mediocris est occupationis et laboris ejusmodi cura, ob praecipuam, quam in eo genere Carolus curavit rerum omnium conformationem: quibus de rebus plurima sunt in conciliis provincialibus variis locis constituta, quae quidem in unum corpus Caroli jussu redacta, et ex latina lingua conversa sunt, ut ipsae virgines intelligerent; hujusmodi Caroli studium magnopere valuit, ut Pontificiae constitutiones hoc de genere variae sancirentur.

quarum magnus ad plurimorum salutem, fructus extitit. Restitutum hujus generis disciplinam, decretisque ipsis expressam, longum esset explicare; sed illa praecipua fuerunt, exquisita in iis tantummodo recipiendis, et ad solemnia vota admittendis diligentia, quae sponte, ac ex animo perfectiorisque vitae desiderio vellent; perfecta claustrorum ex omni parte custodia, ut nemo ingredi, nisi nominatim probatus, et ex caussa necessaria posset: ac ne adire quidem sine scripta facultate cuiquam liceret; fenestrae ad collocutionem, rotae ad aliquid immittendum, emittendumve, summa cautione factae, quibus audire quidem, sed videre nemo posset, nisi, quemadmodum certis de caussis permissum est; quae foribus, rotaeve assisterent, quae collocutionibus omnibus interessent, spectata fide delectae; omnia inter virgines communia; sacramentorum frequentia; regularis spiritualisque vitae cognitio; divinorum officiorum integra disciplina, ad quae vel musica, vel alia re hominum frequentiam minime allici volebat. Ad haec consequenda, religiosos probatosque ex omnibus presbyteros adhibuit, qui sacras confessiones audirent, et quae opus esset docerent, hortarenturque. Ipse vero quotannis, nisi alias quoque necesse esset, improviso cum spectatissimis aliquot sacerdotibus singula monasteria ingrediens, omnia diligenter perscrutabatur; id cum ageret, ex senioribus aliquot semper virgines adesse jubebat, et comitari; reliquas omnes in Ecclesiam suam sedere; atque perscrutandi diligentiam initio ministros exemplo suo docuit: qui sese ad omnia demittebat, ut omnia penitus inspiceret. Foris vero ad crates consistens ipse, vel per sacerdotem idoneum singillatim omnes audiebat, interrogabatque, ut res omnes, quo pacto se intus haberent, perfecte cognosceret. Quotiescumque monasterium adibat, nisi aliud impediret, tum sanctissimam eis Eucharistiam solebat in Missa praebere, tum concionem quoque ad eas accommodatam habere; munus tradendi vestium, professionisque recipiendae foris in ecclesia conficiebat, ut ingressus caussas nullas admitteret, nisi prorsus necessarias. Cuidam ex suis forte intervenit, cum ille dierum singulorum actiones ipsius scribens, notaverat, eum in monasterium quoddam introiisse, neque caussam addiderat; reprehendit hominem, quod Episcopi in monasterium ingressum notasset, neque caussam adjecisset, quasi arbitrio, non necessitate id fieri videretur, interdixitque, ne in ea scriptione pergeret. Cum ejus soror, ob inopiam monasterii, saepe egeret, nihil tamen unquam perpetuum assignavit; tantum mittebat, quotiescumque opus esset, qui ad regulae normam necessaria suppeditaret. Hanc disciplinam cum Vicarius curaret, quae graviora tamen inciderent, ad congregationem sacerdotum, quos ad id Carolus elegerat, referebantur.

§ 102. Multis consiliis, seu congregationibus reliqua continebatur administratio, quibus pro vario rerum genere, variae

conditionis homines ex clero adscribebat, ipseque, quantum posset, intererat: ad catholicam fidem tuendam; ad graviores fori caussas rectius cognoscendas; ad jurisdictionem ecclesiae conservandam; ad respondendum confessionum sacrarum administris, qui ex tota dioecesi de rebus ad animas juvandas pertinentibus consulebant; tum praeterea, de ritibus et sacris caeremoniis, deque libris ecclesiae emendandis et conformandis, de disciplina, ut dictum est, virginum regularium, de domestica familiae Archiepiscopalis gubernatione. Mitto congregationes eorum, qui collegiorum curae, piisve locis praefecti erant. Certis etiam anni temporibus varia ministrorum aliorumque genera ad se convocabat: nunc regionum urbis praefectos; nunc ex dioecesi tota Vicarios, qui quidem bis in anno advenientes, de clero ecclesiisque sibi commissis referebant, quae opus essent, petebant, si quid esset caussae, reddebant suae rationem administrationis; ex bono, malove, quod in aliqua parte esse comperiebatur, consulebatur reliquis; quod unus ad meliorem rerum statum in medium afferret, ceteris omnibus proderat; ut autem Vicarii venirent instructiores, jubebat Carolus regionis suae parochorum unumquemque prius eodem modo conventum habere. Appropinquante voluptario tempore, convocabat ex utroque clero multos: de sacris exercitationibus ad populum alliciendum, avertendumque a voluptatibus agebat, conciones, supplicationes, sacras quasdam celebritates in praecipuis ecclesiis constituebat. Alias congregabat concionatores variis ecclesiis attributos; praecipua populi mala corruptelasque commemorabat; eos officii graviter admonebat. Alias cogebat sacerdotes audiendis confessionibus praefectos; plurimorum licentiam, diuturnam in peccato permansionem, libidines, improbatos quaestus, alias permanentes populi pestes, enumerabat; quantum remedii positum esset in eorum auctoritate, diligentia, libertate, constantia, demonstrabat; divinis verbis ad animarum charitatem incensos, ad earumdem salutem vere curandam stimulabat. Parochos tum alias, tum appropinquante jejunii fine, sicuti in historia demonstratum est, ad se adire, de publicis quorundam criminibus, quorum exemplum noceret quamplurimis, docere jubebat: sacerdotem toti negotio praeficiebat, qui sacris legibus in eos ageret. Ipse, cognito sacerdote, cui flagitiosus quisque soleret peccata confiteri, hominem accersitum reprehendebat; nisi officio suo satisfaceret, auctoritateque attributa salutariter uteretur, sese ademptururn minabatur. Tempus constituit quo parochus quisque, iis, qui in unaquaque domo primum locum tenerent, in ecclesiam accersitis, eorum praecipua officia commemoraret, et ex praescripta formula moneret in universum, quae facere, quaeve cavere oporteret. Canonicos solos vocabat interdum; quae propria essent illius muneris; de publicis horarum canonicarum supplicationibus et sacrificiis, de sacrorum stipendiorum distributione,

de notatione censoria in choro habenda, utrum juste, libere, et omnino ex praescripto fieret, investigabat. Presbyteros etiam minores, quos capellanos dicunt, congregabat; quae ad eos pertinerent, percunctabatur, ac monebat. Coenobitas interdum vocatos, ut sese administrationis ejus vere adjutores praestarent, hortabatur, qua ratione id facerent, quibus abstinerent, quae perficerent, ostendebat. Quodam tempore invitabat magistratus, et verba faciebat, ad eorum munus apposite; alio jurisconsultos, alio notarios, litterarum magistros, artifices: et unumquemque ordinem, diversis diebus; et ecclesiis juvabat separatim, Eucharistia sanctissima praebenda, concioneque ad unumquodque genus accommodata.

§ **103**. Virgines, quae domi cum suis viventes, in beatae Ursulae tutela, Deo dicatae, absque solemni voto castitatem profitentur, maximo numero tum in urbe atque in agro provenere. Multi etiam laudabiles coetus imitatione coenobiorum, non solum in Ursulae, sed aliarum quoque sanctarum in fide clientelaque sunt consociati; tanta enim vis est illius unguenti mystici, quod sacerdotis capiti divinitus infusum, in reliqua membra sensim fluit, ut unius Praesulis sanctitate constituta, multa passim pie sancteque fiant, quibus etiam nihil is, ut fierent, contulisse videatur. Atque has quidem interdum in suis ecclesiis, ut occasio ferebat; illas vero certo tempore in unam ecclesiam collectas, cibo duplici, Christi Domini corporis, et ejusdem divini verbi, pascebat; omnibus vero licet praeesset coenobiorum praefectus, spectatae tamen etiam integritatis religionisque sacerdos earum proprie curam gessit, qui voluntatem cujusque moresque ante probaret, quam ad institutum admitteretur, vestitum traderet, voventem reciperet, tum vitae quoque omnium rationem, specularetur, si castitatis religionisque professioni responderet. Ex his autem societatibus duo conflata sunt monasteria; alterius institutio sic se habuit. Cum vulgatum jam esset, Romae, Perusii, et aliis quibusdam locis virginum coenobia nuper esse instituta, quae Capuccinorum institutum imitarentur; puellis quibusdam ex iis quae Patrum sancti Barnabae praecepta secutae, virginitatem colebant vitamque religiose agebant, eam Deus mentem dedit, ut, Patris eorum cohortatione accedente, ejusmodi suscipere vellent disciplinam; quae cum in insigni vitae duritie diu perseverassent, vestitus asperitate tamen in publico occultata, ad ecclesiam prodeuntes sacramentorum gratiâ diu ventitassent. Actum est denique de clauso coenobio in sanctae Clarae tutela rite constituendo: quod negotium Carolus, qua opus erat auctoritate usus, cito confecit. Quatuor ejusdem ordinis virgines Perusio accersivit, quarum in primis ductu tota disciplinae ratio, animi virtutibus asperitateque excellens, recte institueretur; vestitum iis numero circiter viginti, in ecclesiam majorem per nobilissimas

matronas deductis, rite tradidit vi Calend. Maji MDLXXX: quam actionem, Pontificia Missae solemnia, Caroli concio, cleri totius conventus celeberrimam reddidere. Mox congruo tempore solemnem earum professionem accepit, atque, amplificato spatio, ecclesiam sanctae Praxedis nomine aedesque ad institutum accommodatas aedificavit, sumptu sane quidem magno, ex piorum hominum fere liberalitate suppeditato; atque mira omnino frequentia locum sibi virgines Mediolanenses in eo coenobio postea quaesiere, ut circiter ducentas quandoque numeraremus, quae omni diligentia conquirentes, qui apud Carolum, aut Vicarios commendatione valerent, omni ratione suffragationeque sese inferebant, studio profecto non minori, quam in petendis honoribus ambitiosi homines uti consueverint. Aliud monasterium itidem S. Clarae disciplinâ institutum est; cum enim Joanna Vistarina Mediolanensis puellas inopes secum in domo piae liberalitatis gratiâ sustentare, piis et religiosis moribus, eorumdem Patrum S. Barnabae ductu praeceptisque instituere coepisset, quorum ad ecclesiam erat ob sacramenta frequens, auxit paulatim numerum; tum Carolo consulto, viro consentiente, domum iis coëmit, ecclesiam et monasterium aedificavit, et S. Barbarae nomine locum dedicavit; hoc item coenobium Carolo propter exquisitam animorum Deo penitus deditorum religionem, victus ac disciplinae omnis duritiem, valde probatum fuit. Alia foeminarum pia collegia, vel coepta jam confirmavit multumque auxit, vel instituit ipse. Viduarum societas in sanctae Annae tutela, ejus est auctoritate constituta, nempe earum, quae post unius viri mortem castitatem conservare, et praecipua diligentia pie vivere vellent. Honestae mulieri multum favit, quae eo se munere occuparet, ut virgines earum sumptu religiosa simul educaret disciplina foreque ad regularem vitam suscipiendam institueret. Locum, qui Succursus appellatur, coeptum illum quidem antea Hispanae cujusdam insignis mulieris operâ, fabricâ caeterisque rebus constituit, ubi foeminae interim servarentur, dum vel pudicitiae consuleretur, vel cum viris componerentur lites; sanctae Valeriae domum, quae Conversarum dicitur, auxit, ubi quamplures ad perpetuo religioseque convivendum ex impudica fere vita recipi solent. Aliud fundavit, Depositumque S. Mariae Magdalenae nominavit, ad ecclesiam S. Viti, ubi eae reponantur, quae subito de coeno turpitudinis in quo jacent, extrahendae sunt, ut interim, quid iis faciendum sit, consulatur. At marium quoque coetus, praeter ea quae diximus seminaria, nonnullos instituit. Qui, pestilentiâ demum extinctâ mendici ad Victoriam reliqui fuere, eos in urbanas aedes Stellae nomine appellatas deduxit, unde virginum collegium eduxerat: piumque opus augens, vagos homines, qui victum ostiatim mendicant, quorum vitam, ob incertas sedes speculatur nemo; qui saepe ad turpem inertiam desidiamque,

piorum hominum abutuntur misericordia, in eumdem locum compelli, certa disciplina certisque faciendis operibus contineri curavit. Sodalitia quoque hominum eorum, qui alioqui laici ordinis, certis piae vitae legibus continentur, ecclesiae sibi assignatae cultum procurant, festis diebus ad simul precandum in eam conveniunt, habitu ad mundi contemptum poenitentiamque accommodato, publicae supplicationis gratiâ exeunt: haec inquam, et quae multa jam erant, auxit, et alia instituit; qua ratione quamplurimos ad meliorem vitam adduxit, ab otio vitiosisque factis, die festo, traduxit ad res salutares; eorum tamen insignia quaedam privilegia benignitate Pontificum impetrata, quibus abuti multos sic animadvertebat, ut ecclesiastica disciplina corrumperetur, ipse qui rerum veritatem inspiciebat praesens, rebus Romam relatis, temperari ac imminui curabat. Religiosius vero sodalitium in S. Mauritii tutela constituit eorum, qui matrimonii expertes, in posterum quoque sibi vitae castitatem proponerent, et vivendi rationem a vulgaris consuetudinis vanitate sejunctam amplecterentur; quorum operâ Carolus, cum aliis piis officiis, tum in christianis scholis habendis praecipue usus est: licet multo plures ea res requirat operarios. Hae scholae ad tradenda maribus foeminisque separatim christianae doctrinae rudimenta, per ecclesias, foris et in urbe passim habentur. Unaquaeque schola, et regios suos habet administros, qui festis diebus, suos quisque loco et munere, ei operi vacant: universis sacerdos est praefectus, visitatoresque constituti, quibus caeteri ministri frequenter de religiosae exercitationis progressu statuque omni referant, qui certis temporibus communicent inter se, locaque perlustrent, et quemadmodum se res habeat, ubique diligenter inspiciant. Haec exercitatio ante Caroli adventum boni viri laici studio incoepta, non solum ignorantiae malo in iis quae salutis sunt, medetur, sed in maxima et prope infinita multitudine bonos mores religiosumque cultum conservat. Ac de hujusmodi institutis societatibusque singulis leges, praescriptave conscripta, et ex majori parte edita sunt.

§ **104**. Haec disciplinae gubernationisque ratio, quae ut per nos fieri potuit, breviter adumbrata est, synodorum provinciae, dioecesisque decretis continetur, tum magna quoque ex parte edictis, praescriptionibus, monitis, litteris publicis, quas pastorales dicunt, explicatur: quorum magnum volumen edidit Petrus Galesinus, inscripsitque, *Acta Ecclesiae Mediolanensis;* incredibili studio nunc ab omnibus orbis christiani partibus expetitum. Episcoporum concilia sex cum celebraverit, ut suis locis in historia tetigimus, sex etiam edidit decretorum volumina, iisdem rerum fere generibus titulisque distincta; quae omnia in unum corpus, sub iisdem capitibus componere, ad faciliorem usum cupiebat, jamque opus ipse propemodum absolverat, cum ex hac

matronas deductis, rite tradidit VI Calend. Maji MDLXXX: quam actionem, Pontificia Missae solemnia, Caroli concio, cleri totius conventus celeberrimam reddidere. Mox congruo tempore solemnem earum professionem accepit, atque, amplificato spatio, ecclesiam sanctae Praxedis nomine aedesque ad institutum accommodatas aedificavit, sumptu sane quidem magno, ex piorum hominum fere liberalitate suppeditato; atque mira omnino frequentia locum sibi virgines Mediolanenses in eo coenobio postea quaesiere, ut circiter ducentas quandoque numeraremus, quae omni diligentia conquirentes, qui apud Carolum, aut Vicarios commendatione valerent, omni ratione suffragationeque sese inferebant, studio profecto non minori, quam in petendis honoribus ambitiosi homines uti consueverint. Aliud monasterium itidem S. Clarae disciplinâ institutum est; cum enim Joanna Vistarina Mediolanensis puellas inopes secum in domo piae liberalitatis gratiâ sustentare, piis et religiosis moribus, eorumdem Patrum S. Barnabae ductu praeceptisque instituere coepisset, quorum ad ecclesiam erat ob sacramenta frequens, auxit paulatim numerum; tum Carolo consulto, viro consentiente, domum iis coëmit, ecclesiam et monasterium aedificavit, et S. Barbarae nomine locum dedicavit; hoc item coenobium Carolo propter exquisitam animorum Deo penitus deditorum religionem, victus ac disciplinae omnis duritiem, valde probatum fuit. Alia foeminarum pia collegia, vel coepta jam confirmavit multumque auxit, vel instituit ipse. Viduarum societas in sanctae Annae tutela, ejus est auctoritate constituta, nempe earum, quae post unius viri mortem castitatem conservare, et praecipua diligentia pie vivere vellent. Honestae mulieri multum favit, quae eo se munere occuparet, ut virgines earum sumptu religiosa simul educaret disciplina fereque ad regularem vitam suscipiendam institueret. Locum, qui Succursus appellatur, coeptum illum quidem antea Hispanae cujusdam insignis mulieris operâ, fabricâ caeterisque rebus constituit, ubi foeminae interim servarentur, dum vel pudicitiae consuleretur, vel cum viris componerentur lites; sanctae Valeriae domum, quae Conversarum dicitur, auxit, ubi quamplures ad perpetuo religioseque convivendum ex impudica fere vita recipi solent. Aliud fundavit, Depositumque S. Mariae Magdalenae nominavit, ad ecclesiam S. Viti, ubi eae reponantur, quae subito de coeno turpitudinis in quo jacent, extrahendae sunt, ut interim, quid iis faciendum sit, consulatur. At marium quoque coetus, praeter ea quae diximus seminaria, nonnullos instituit. Qui, pestilentiâ demum extinctâ mendici ad Victoriam reliqui fuere, eos in urbanas aedes Stellae nomine appellatas deduxit, unde virginum collegium eduxerat: piumque opus augens, vagos homines, qui victum ostiatim mendicant, quorum vitam, ob incertas sedes speculatur nemo; qui saepe ad turpem inertiam desidiamque

piorum hominum abutuntur misericordia, in eumdem locum compelli, certa disciplina certisque faciendis operibus contineri curavit. Sodalitia quoque hominum eorum, qui alioqui laici ordinis, certis piae vitae legibus continentur, ecclesiae sibi assignatae cultum procurant, festis diebus ad simul precandum in eam conveniunt, habitu ad mundi contemptum poenitentiamque accommodato, publicae supplicationis gratiâ exeunt: haec inquam, et quae multa jam erant, auxit, et alia instituit; qua ratione quamplurimos ad meliorem vitam adduxit, ab otio vitiosisque fatis, die festo, traduxit ad res salutares; eorum tamen insignia quaedam privilegia benignitate Pontificum impetrata, quibus abuti multos sic animadvertebat, ut ecclesiastica disciplina corrumpetur, ipse qui rerum veritatem inspiciebat praesens, rebus Romam relatis, temperari ac imminui curabat. Religiosius vero sodalitium in S. Mauritii tutela constituit eorum, qui matrimonii expertes, in posterum quoque sibi vitae castitatem proponerent, et vivendi rationem a vulgaris consuetudinis vanitate sejunctam amplecterentur; quorum operâ Carolus, cum aliis piis officiis, tum in christianis scholis habendis praecipue usus est: licet multo plures ea res requirat operarios. Hae scholae ad tradenda maribus foeminisque separatim christianae doctrinae rudimenta, per ecclesias, foris et in urbe passim habentur. Unaquaeque schola, et regios suos habet administros, qui festis diebus, suos quisque loco et munere, ei operi vacant: universis sacerdos est praefectus, visitatoresque constituti, quibus caeteri ministri frequenter de religiosae exercitationis progressu statuque omni referant, qui certis temporibus communicent inter se, locaque perlustrent, et quemadmodum se res habeat, ubique diligenter inspiciant. Haec exercitatio ante Caroli adventum boni viri laici studio incoepta, non solum ignorantiae malo in iis quae salutis sunt, medetur, sed in maxima et prope infinita multitudine bonos mores religiosumque cultum conservat. Ac de hujusmodi institutis societatibusque singulis leges, praescriptave conscripta, et ex majori parte edita sunt.

§ 104. Haec disciplinae gubernationisque ratio, quae ut per nos fieri potuit, breviter adumbrata est, synodorum provinciae, dioecesisque decretis continetur, tum magna quoque ex parte edictis, praescriptionibus, monitis, litteris publicis, quas pastorales dicunt, explicatur: quorum magnum volumen edidit Petrus Galesinus, inscripsitque, *Acta Ecclesiae Mediolanensis;* incredibili studio nunc ab omnibus orbis christiani partibus expetitum. Episcoporum concilia sex cum celebraverit, ut suis locis in historia tetigimus, sex etiam edidit decretorum volumina, iisdem rerum fere generibus titulisque distincta; quae omnia in unum corpus, sub iisdem capitibus componere, ad faciliorem usum cupiebat, jamque opus ipse propemodum absolverat, cum ex hac

vita decessit. Tanti hanc synodorum actionem faciebat, ut Episcoporum excusationes difficiliter acciperet, ne convenirent; quin etiam Cardinalem episcopum provinciae, sub concilii tempus, nulla necessaria caussa Mediolano abiturum, cum precibus non posset, auctoritate Pontificia, jureque suo tenuit, ut concilio interesset. Dioecesis synodos, ad sacrorum canonum praescriptum, vel habuit quotannis, vel si distulit, a summo Pontifice dilationis impetravit facultatem; ibi praeter decreta populo suo, proprie accommodata, quorum libelli quatuor habentur, multa efficiebat ad recognoscendam conservandamque cleri disciplinam, de quibus superius commemoratum est. Haec omnia decreta, vel ex eo faciebat, quod usus, ac assidua speculatio in clero populove, corrigendum, meliusve reddendum docuerat, vel ex eo, quod antiqua disciplina suppeditabat, ad perfectiorem ecclesiae conformationem; ex his alia prius in decreto erant, quam in usu, alia usus ante probaverat, quam in decretum venirent; quaedam in sua dioecesi constituta prius et perfecta, ad universae provinciae usum deducebat.

§ **105**. Ad hoc tantum tamque multiplex gregis universi curandi studium ac laborem, quotidiana possunt addi paternae charitatis officia, quae singulis ille petentibus, viduis praesertim ac pupillis negavit nunquam, sive consilio quis, sive gratia, sive re juvandus esset; quae quidem benignitas fecerat, ut qui calamitate aliqua premeretur, qui ad grave aliquod munus, opusve ad pietatem pertinens esset, aggressurus, aut de summa rerum suarum deliberaturus, ad eum tamquam ad patrem confugeret; privatis publicisque rebus suis homines etiam exteri salutare auxilium ab eo quaererent. Itaque damnatis a Principibus, repetitis acriter officiis, vitam impetravit, miseris studiose subvenit, si misericordia digni visi sunt. Romae cum esset, infelix vidua magistratus sententiâ capite damnatur; illa ad Carolum mittit: testatur sese vi cruciatuum coactam, confessam esse, quae vere non fecerat. Carolus Pontificem adit: ut caussae cognitio repeteretur obtinet, mulieris patrocinium suscipit; ea demum, innocens cognita, absoluta est. Homines perditos, qui conscientiae stimulis agitati, suaeque miseriae ac officii divinitus admoniti, extremo interdum consilio supplices adière, consilio, auctoritate, idoneorumque sacerdotum operâ, juvit peramanter, et in rectam vivendi viam reduxit. Principes, ac militiae duces etiam ex longinquis provinciis in suis difficultatibus, obsidionibus ac bellis, pia quadam fiducia, precum ejus subsidium, consilium etiam, atque operam petière. Civitatem vero suam non iis solum rebus, quae ad animae salutem pertinent, sed aliis quoque juvit amantissime, quotiescumque fuit opus; multa sunt quae ad patriae commodum ac ornamentum curavit, Pio praesertim avunculo vivente; annonae inopiam, frumento ab exteris impetrando, profusis

dandis eleemosynis, omni denique ratione sublevare conatus est: quamquam eo vivo modica, prae tempore quod sequutum est, illa fuit. His rebus incredibilem sibi conciliaverat omnium ordinum amorem atque observantiam; vel aspectu ipso videbantur homines ad bene vivendum incitari; cum exiret fere quotidie ad varias sui muneris functiones, quacumque tamen transibat, cupide accurrebant ad eum, ex aedibus inter se vocabant, ut viderent, et signi salutaris fructum perciperent, quod manu modo ad hanc, modo ad illam partem versus, incedens perpetuo faciebat; atque cum ita accurrissent, utrumque genu humi ponebant omnes; ex equo plerique descendebant: quae quidem abundantia quadam pietatis et amoris, sponte sua facere instituerunt; ac solebant foeminae, magnam partem, cum is transiret, sibi velum, ut in ecclesia jubebantur, imponere, et non ex edito, sed plano loco se venienti offerre, ea quoque de caussa, quod ab eo doctae erant, contra christianum officium videri, ex fenestris, et omnino ex editiore loco sacros ordines, resque sacras praetereuntes spectare. Qui cacodaemonum vexatione laborabant, ii adducebantur dum praeteriret: ac clamabant illi quidem, agitabanturque vehementer, sed ad ullum expellendum nunquam sese Carolus convertit: tantum, cruci extra portam Tonsam erectae, quod pestis caussâ factum erat omnibus compitis, solemni ritu benedicens, eorum procaciam repressit. Nam eo concionante, cum mulieres duae, seu daemones in eis, adeo magnos ederent clamores, ut verba minime possent exaudiri, nemoque efficere potuisset, ut tacerent; tandem ad eas Carolus conversus, cum manu tantum benedixisset, tacito jussu ita paruerunt, ut nihil amplius auderent mutire, cum ibi tamen usque ad finem permansissent: quod cum attenderent astantes, sese mutuo prae admiratione intuebantur. Ac non reverentiâ solum erga Pastorem suum, sed re ipsa, moribusque christianis mirum in modum profecêre Mediolanenses: nam ut alia omittam hujus rei indicia, a Caroli tempore, sicuti ab ipsis magistratibus accepi, criminum judicia multo pauciora fiunt; qua ex re quaestores regii mulctarum, bonorumque publicatorum dimidio fere minus habent, quod in fiscum referant, quam antea consuevissent. Non est tamen negandum, quod ad nobilitatem magis excitandam valere velim, solitum fuisse Carolum queri, quod reliquam multitudinem satis facile flectens, patritios tamen, quos semper et initio praesertim juvare studuisset, invenerit in salutis negotio plerumque duriores. Cum se totum in unam gregis sui curam concludere videretur, ejus nihil minus nomen Deus apud omnes nationes summa cum laude virtutis admirabilis, celeberrimum reddidit. In Lusitaniae finibus cum essem, et ex incolis quidam Mediolanensem esse me audirent: « Ita ne, ajebant, ex ea civitate, ubi sanctus ille Cardinalis est Episcopus? » Verum haud ita subito Deus tantam ei conciliavit

opinionem; plurimi enim, primis annis variis nominibus obtrectabant, simulationem, quidquid egregie conaretur, dicebant; ipsam honorum facultatumque amplissimarum contemptionem multi cavillabantur; cum vero diuturnitas et constantia, in primis vero vitae pericula, pestis tempore, adita, simulationis crimen satis refellissent, bonam mentem fatebantur, sed judicium prudentiamque requirebant; tantis rebus demum tam praeclare gestis, talique rerum omnium exitu, sensus ejusmodi, non ille quidem omnino extinctus erat, sed tamen, quantum humana consuetudo miseriaque patitur, imminutus; quod de ipso evenit, id caeteris praedicare solebat antequam eveniret: non deterreri Episcopum debere, aliumve Dei servum, si primo quae faceret multis displicere, si etiam obtrectari sibi videret: nam si recta via pergeret, fore tandem, ut aliud plerique sentirent. Integram autem Episcopo in primis dicebat propositam esse debere virtutis disciplinam; nam si qua parte deficeret, ibi obtrectandi calumniandique reliqua, malevolis ac infirmis aditum dari: et ex ea parte rem totam facile corrumpi. Magnum igitur erat ejus apud omnes pondus auctoritatis; verebantur illum etiam summi viri, summisque locis collocati: si quid peccati esset, studiose cavebant, ne ad eum referretur; eo adveniente, removebant, si quid non optime se haberet apud se adverterent. Quidvis illi recte committi posse putabatur; in ejus fidem nihil suspicionis ab ulla parte cadere; sua quisque ejus arbitrio libentissime permittere, tutum sanctumque existimare, quod ejus fidei commendatum esset. Ipsi haeretici si forte viderunt, aut de eo audierunt, virtutis eximiae vi coacti, magno sunt eum honore prosecuti. Qui ex transalpinis ecclesiis in Italiam venirent, iis quantum ex multorum facto cognovimus, propositum in primis videbatur, Mediolanum ad eum visendum divertere. Italiae aliarumque provinciarum Episcopi ecclesiasticae disciplinae, ecclesiaeque bene gerendae studiosi, ab eo praecepta auxiliumque petebant; designati curabant, ut ab eo sibi manus imponerentur; ejus acta, praescriptaque, totius denique gubernationis, atque adeo vitae rationem, postulabant: quod idem amplissimi Cardinales multi fecere; quibus Carolus neque optimo consilio auxilioque deerat, et pari modestia tamen respondebat. Episcoporum porro non magister solum, sed perfugium quoque habebatur: qui si difficultate aliqua premerentur, magnâ ad eum fiduciâ confugiebant, ejusque commendatione ac patrocinio apud summum Pontificem, sacrumque orbis christiani Senatum, tum etiam apud Reges Regulosque utebantur. Ex eis multi ad eum veniebant; nonnulli diu morabantur, ut omnia plenius cognoscerent; praeceptis scriptisque variis locupletati discederent; quandoque etiam clericos ejus gubernationis peritos impetrabant, quos ille, si videret ita reip. christianae conducere, parcus alioqui, tenaxque in suis sibi conservandis, ad tempus non negavit; concessit

Vincentium Albanum Theologum Alexandro Archiepiscopo Aquarum Sextiarum in Gallia: qui disciplinae caussâ plures Mediolani moratus menses, magno accensus imitandi Caroli desiderio, demum in patriam reversus, non pauca restituit, aliaque gravia conatus est ad animarum fructum, disciplinaeque sacrae instaurationem; concessit Dominicum Ferrium Theologum et Canonicum Mediolanensem Andreae Battorio, quem fratris filium Stephanus Poloniae Rex Romam mittens, primo jussit ad Carolum divertere, ejusque praecepta diligenter audire. Carolus autem optimae indolis adolescentem omni humanitate complexus, ita juvit ut ab eo patris nomine mira observantia appellaretur, et mirum in modum coleretur; potuit Andreas in ea erga Carolum observantia, quam semper conservavit, Regem ipsum imitari: cum is mirifice Carolum observaret, ex animo se, bellorumque suorum eventus precibus illius commendaret; consilia sua interdum communicaret. Alii Reges, Reginae, Principes, populi ejus nomen, sanctitatemque magna pietatis ac venerationis significatione coluerunt; ejus consilia monitaque cum usu venit plurimi fecerunt; imaginem quoque adhuc viventis studiose multi quaesière, ipseque Philippus Rex Catholicus eam in cubiculo suo jussit asservari. In his Italiae Regulos omnes numerare possumus: sed Emanuelem Sabaudiae Ducem memini frequentes ad eum litteras sua manu scriptas mittere; summissioneque incredibili, supplicem, et orationis, et monitionis auxilium postulare; testari vero aperte, ab eo sese monita tamquam ab ipso Deo accipere; cujus pietatis studiosum imitatorem filium reliquit. Alexandri Parmensis Ducis venit in mentem, qui ad Carolum scribens affirmabat, in difficili illa Belgica administratione aditurum se fidenter omnia pericula, modo sciret ejus se quotidianis precibus Deo commendari; ex aliarum vero provinciarum Regulis, Gulielmus Dux Bavariae pro suo summo in pietatem, christianaeque vitae sanctitatem studio, nemini concessit, qui Carolum singulari amore atque observantia prosequeretur: quod iis officiis omnibus semper ostendit, quae Antistiti patrique optimo tribui maxima potuerunt. Post mortem quaenam ejus sit existimatio, declarat eorum fiducia, nobis ante commemorata, qui passim in calamitatibus suis eum invocant adjutorem; prudentia vero animique lumen in administranda Ecclesia tanti aestimatur, ut huc plerique deveniant, qui rebus ecclesiasticis ordinandis student, scripta conquirant, instituta discant, auferant quidquid possunt; praeterea, si quid apud eos qui caeteris praesunt, in dubium vocatur, eos etiam ipsos qui ab eo vivente dissenserunt, illud sufficere videtur ad confirmandum, si Carolus ita fecisse demonstretur.

VITA ET MARTYRIUM

SANCTORUM GALACTIONIS ET EPISTEMES

AUCT. SIM. METAPHRASTE HABETUR IN TOMIS ALOYSII.

Passi sunt sec. III — Phoenici.

§ 1. Phoeniciae, quae est ad montem Libanum, multae quidem sunt aliae quoque civitates, tam ad austrum, quam ad septemtrionem : ejus autem est ea quoque, quae est aliarum omnium praestantissima, et ad partes sita boreales, Emesa*: quae quidem tulit et aluit virum nomine Clitophontem, genere insignem, divitiis nulli civium inferiorem: intelligentia aliis longe acutiorem. Ei conjuncta erat uxor nomine Leucippe, alioqui quidem bonis moribus, et tali marito conveniens, et ne pulcherrimis quidem cedens forma corporis: uno autem hoc solo erat infelix, quod esset sterilis. Qua de causa cum multis probris a marito appeteretur, magna opprimebatur animi aegritudine, et curis vexabatur, et nihil non moliebatur, cupiens solvi ab his vinculis.

§ 2. Cum ambo ergo hoc sibi probro ducerent et dedecori, quod non essent parentes filiorum, neque ullum essent habituri haeredem suarum facultatum, per quem genus rursus eis conservaretur, quoniam acciderat ut illo tempore valde invalesceret cultus simulacrorum, et cuidam Secundo civitatis Emesae rectio committeretur, gentili quidem religione, animo autem plane barbaro, cui nihil aliud erat curae, nisi omnes evertere Christianos, et pietatem pro viribus excindere radicitus: quoniam, inquam, res piorum in tanto versabantur periculo, unusquisque fuga sibi salutem comparabat. Unus vero, nomine Honofrius, habitu monachus, moribus bonus et religiosus, omnino quidem recedere, et in tali tempore ac tempestate relinquere periclitantes animas imbecilliorum, statuit non esse viri pii, et ejus qui se ascripsit choro eorum qui sunt ejusmodi. Verumenimvero cum libere èloqui pietatem, et in pericula seipsum conjicere, judicasset non esse alienum a reprehensione, neque consentaneum legibus verae religionis, tenebat medium: et alba veste contegens monasticam, erat animo vere monachus, et ea exercebat quae ei vitae conveniebant, et ita callide eludebat impietatem. Itaque propter pietatem paupertatem simulans, erat mendicus voluntarius, et domos obiens ob usum rerum necessariarum, ipse dabat potius panem, qui potest confirmare animos, eos in quos inciderat, instruens

* Nunc *Hems* vel *Hims*. Hac in urbe imperator salutatus fuit Heliogabalus.

sermonibus pietatis, et adhortans fugere pro viribus ab iis qui se procul a vita removent, et separant a creatore.

§ 3. Cum ergo aliquando accessisset ad aedes Clitophontis, petebat alimentum, manus extendens, et voces emittens, quae possent inducere animum ad misericordiam. Accidit autem, ut tunc esset Leucippe conturbata, et plena tristitia, utpote quod maritus ei exprobrasset sterilitatem. Cum ergo Honofrio, qui videbatur molestus, jussisset occludi fores: ille autem, ut qui nihilo magis sciret, quid vellet, et quod accessisset potius daturus, quam accepturus, propterea instabat petens, donec propter hanc laudabilem impudentiam fuit accersitus, et benigne acceptus. Motis ergo verbis et sermone próducto, de se quidem narravit Leucippe, quod manca esset ei matrix, et quod nullus deus esset inventus usque in hodiernum diem, qui eam posset relaxare ab iis vinculis, et liberare a dedecore filiorum egestatis. « Sed merito, inquit Honofrius, non es consecuta quod petebas, quae tales voluisti adjutores habere sterilitatis. Nam qui ipsi exercuerunt opera plena probro et dedecore, quomodo possent ipsi alios a dedecore liberare? Sed si nunc audiens, et verum Deum velis agnoscere, qui cuncta potest, videbis ad te solam redeuntem utilitatem. Quinetiam tuum genus poteris afficere beneficio, tamquam quamdam haereditatem ad eos transmittens veram religionem. » Leucippe his adhibebat animum, et se tamquam bonam terram praebebat verborum illius seminibus.

§ 4. Hic autem vir divinus primum quidem excelsae Trinitatis divinam introduxit ei cognitionem. Deinde eam est adhortatus ad studium virtutum. Deinde eam docuit sanctificationem, quae efficitur ex salutari baptismate: per quod erit expurgatio priorum inquinamentorum. Ostendit autem habitum quoque monasticum, quo erat quidem indutus, sed eum tegebat, declinans insultum malignorum venatorum, et quod accessisset propter ejus salutem, simulans petere eleemosynam. Illa vero ad haec respondit: « Timeo, inquit, ne inciderim in duo contraria. Unum quidem, quod iis qui hanc habent fidem, et appellantur Christiani, magnae quidem intenduntur minae ab eo qui nunc rerum potitur: graviora autem sunt quae eas consequuntur, supplicia. Alterum vero, quod si ego transeam ad pietatem, et recedam a decretis Majorum, si qui mecum cohabitat, non subierit eamdem mutationem, sed deinceps sequatur eam quam nunc tenet religionem, quomodo in uno et eodem consenserimus, qui debemus esse unum, cum simus maxima parte divisi? Hanc mihi solve dubitationem, et me liberabis ab aliarum rerum sollicitudine. »

§ 5. Ille autem cum et multa alia dixisset, et adjecisset: « Tuus quoque maritus mox convertetur ad eamdem religionem: » ei adeo paruit, ut ancillis quoque statim jusserit, ut facerent quod ipse diceret. Cum unum ergo ex doliis, quae alicubi illic erant in

horto, ita jubente Honofrio, illae aqua implessent, catechismo prius instituta Leucippe, aliis, quoque ab eo factis, quae fiunt de more Christianis, divinum baptismum consequitur. Paulo post autem illinc quidem recessit Honofrius, ei diligenter praecipiens, ut fidem servaret et Christi praecepta. Leucippe autem fingens se aegrotare, erat separata, fugiens mariti consuetudinem. Neque enim volebat, cum jam esset purificata spiritu, et divinum accepisset lavacrum, id polluere incestis mariti congressionibus. Cum autem dies aliquot praeteriissent, agnovit se in utero concepisse, quod etiam paulopost evadit manifestum Clitophonti. Ille autem ignorans veritatem: « Nunc mihi, inquit, vidèris o uxor, placuisse diis immortalibus: et propterea digna es judicata, cujus curam gererent.» Illa vero cum se parum retinuisset: « Ne mihi, inquit, deos nomines, o marite; nolo enim; sed Deum unum, qui est universi Dominus et effector, qui tui et nostri curam gerit, qui non solum potest solvere sterilitatem, sed etiam facile est illi facere quaecumque vult. » Ille autem: « Et quis est hic, inquit, aliorum fortissimus, et qui nos tam benigne intuetur? » Leucippe autem: « Mihi, inquit, is in somnis apparuit, o suavissime, formam quidem habens humanam, manus autem extensas in cruce, qui etiam mihi uteri statim solvit vincula, et ad hanc conceptionem excitavit admirabiliter. Cur ergo non nos quoque eum potius attendemus et colemus, et omnia nostra ab ejus benignitate pendère oportere statuemus? »

§ 6. Dixit autem Clitophon, cum parum siluisset, ut daret menti tempus deliberandi: « Scio, inquit, quem dicis: nempe is est, qui colitur a Galilaeis: et revera habet magnas vires et inexpugnabiles. Sed quis feret ejus, qui rerum potitur, saevitiam? » Leucippe autem lubenter quod dictum fuerat arripiens: « Interim quidem, inquit, o caput mihi venerandum, occultus erit noster in eum cultus. Sic enim effugerimus impiorum malitiam. Licebit vero aliquando, ejus virtute nobis opem ferente, etiam in die honeste ambulare, et lucis opera facere manifeste. » Haec dicens, postquam habuit maritum, ad omnia parentem (oportebat enim et Christi apparere benignitatem, et quod ei de marito praedixerat Honofrius, minime excidere), deinceps nihil amplius reticendo, sed libere et aperte omnia de monacho exposuit: quod is scilicet eam baptizaverit, et quod hoc est, quod ejus matricis solvit nodos difficiles. Deinde etiam adjecit, nihil esse impedimento quo minus ipse quoque divinum baptismum consequatur. « Etenim mihi inter caetera hoc quoque praedixit vir ille divinus, fore ut te quoque, o charissime, mox haberem meae fidei socium. » Haec et illa dixit, et quae dicta sunt, paulopost deducta sunt ad effectum, et ipse quoque divinum baptismum est consecutus, et didicit arcana pietatis, cum divinus et admirabilis Honofrius ad haec rursus inserviisset.

§ 7. Cum autem jam venisset tempus pariendi Leucippes, et illam peperisset masculum, accersitus rursus Honofrius, consueta utilitas, bonum a Deo missum, et quod genitum fuerat, rursus per ipsum fuit regeneratum beato baptismate, et ab ipso accepit appellationem et fuit nominatus Galaction: fuitque appellatio, certa futurorum praedictio. Is enim editus fuit mundus ex mundis, et ex generosis germen vere generosum. Procedente autem tempore, paulatim Galaction additamento aetatis adjecit etiam intelligentiam, atque adeo habebat ingenium supra aetatem. Traditus vero ludis litterariis, et in perfectioribus exercitus disciplinis, praeclara sua indole vel ipsos magistros relinquebat a tergo. Cum ageret autem vicesimum et quartum annum, curae erat patri, ei convenientem vitae conjungere sociam, cum mater Leucippe jam e vita excessisset.

§ 8. Erat autem tunc quaedam virgo, pulcritudine et morum honestate antecellens omnibus. Ei erat nomen Episteme, quae nobilitatis et gloriae famam habebat primam inter mulieres. Eam despondit Galaction, nunc quidem ad speciem matrimonii, postea autem ad unionem animae. Cum vero vitae cum ea societatem aegre ferret Galaction, et aperte ostenderet se ejus congressus et complexus non admittere, propter religionis dissimilitudinem, et quod ea non esset particeps divini baptismatis, a necessariis saepe exigebantur rationes, qui eam rem aegre ferebant, et graviter expendebant. Cum autem solus aliquando apud solam fuisset Epistemen, ab ea rogatus, quaenam esset causa odii, dixit Galaction se non posse aliter ferre vitae cum ea societatem, nisi eam viderit secum convenire in religione. Dicebat enim aperte, esse impium, mundum conjungi cum immundo. « Si ergo, o uxor, est tibi grata nostra tecum vitae societas, crede mihi optima consulenti. Et quoniam in praesentia est inopia sacerdotum, qui constituti sunt ad hoc, ut ad baptismum inserviant: fieri autem non potest, ut aliter sit quispiam et nominetur mundus, nos hoc donum, prout tempus concedit, ipsi utcumque peragemus. »

§ 9. Cum autem vidisset eam ad hoc morem gerentem, jubet unum ex tubis horti impleri aqua: et ita omnibus inscientibus baptizat Epistemen. Ipsa autem, cum post baptisma octo dies praeteriissent, novam quandam et insolitam videt in somnis visionem. Videbatur enim versari in quibusdam aedibus regiis, pulcritudine quae verbis explicari non potest, insignibus: in quibus tres utrinque chori stabant circa parietes. Quorum unus quidem habebat viros visu honestos, et veste nigra indutos. Secundus autem mulieres, quae se habebant similiter. Tertius vero erat virginum, in quibus jucunda quaedam florebat alacritas, et liberalis gratia in vultu arridebat. Mulieres autem illae nigra veste indutae, videbantur etiam habere quasdam pennas, et ignem emittere, a quo quicquid incidebat, videbatur comburi. Cum autem id quod

visum fuerat, audivisset Galaction, dicebat id hanc habere potestatem. Dixit enim hos tres choros esse eorum qui se a mundo separant, et ab iis quae sunt mundi, et servant virginitatem, et elegerunt vitam agere Christo convenientem. Eorum autem qui erant nigra veste induti, ipsos dixit esse similes Angelis: illorum enim pennae et ignis, simul celeritatem et vires exprimunt inexpugnabiles.

§ **10**. Episteme autem, his auditis, statim ostendit generosum animum, et rerum honestarum amorem; et capta desiderio magnitudinis eorum quae visa fuerant: « Num vero, inquit, o marite, si a nobis invicem discesserimus, et ad Deum accesserimus, poterimus eam quoque, quae est inter nos, conservare affectionem? Da mihi hujus rei firmam et certam cautionem: nec ego unquam recusabo, quo minus sim tibi socia hujus propositi. » Cum autem sibi invicem sancte dedissent fidem, nunquam esse a se invicem animis disjungendos, Galaction cum Deum precibus de more esset allocutus, suggessit Epistemae ea quae erant futura ei conducibilia, dicens: « Tu quidem abi, et indigentibus, quas habes facultates, distribue liberaliter, credens te non eas consumere, sed thesaurum potius in locum tutum reponere. Ego autem hujus rei me tibi proponam exemplar, et primus rerum mearum faciam distributionem, non avara et parca manu, sed munifice et abunde eas exhauriens. Venies autem tertio die, et prout utrisque visum fuerit, dispensabimus. »

§ **11**. Cum ergo ea, quae habebant, distribuissent, et inter se convenissent, Eutolmio omnium, quos habebant, famulorum benevolentissimo sequi jusso, egressi sunt vitam suscepturi solitariam. Cum autem confecissent iter decem dierum, veniunt ad montem, qui ab incolis quidem appellabatur Publius: est autem prope montem Sina. Quo in loco cum in decem monachos incidissent, qui vitam exercebant monasticam, eis narrarunt suum scopum et institutum, et rogarunt, ut adscriberentur in eorum numerum: quod quidem fit non multis post diebus. Et Galaction quidem refertur in ordinem horum virorum; Episteme autem mittitur ab ipso ad quoddam procul remotum monasterium, in quo quatuor exercebantur virgines.

§ **12**. Cum hanc ergo vitae agendae rationem elegisset Galaction, quam non viam quidem iniit, quae posset docere moderationem? Quem autem sensum non erudit, limites et modos imponens omnibus, et cogens eos parère rationi? Ita autem ei curae fuerunt jejunia, ut duos annos semel in hebdomada pane solo vesceretur, eoque modico, et quantum satis esset ad vivendum. Cum inedia vero se etiam exercebat in vigiliis, et in perpetuo studio orationis. Pudicitiae autem tantam curam gessit, ut nec venire quidem in conspectum mulieris unquam induxerit in animum, ex quo fuit ad vitam adscriptus monasticam. Hujus autem

rei est apertum indicium, quod cum duo monachi matrem haberent, quae non solum curam gerebat virtutis, sed jam erat provectae aetatis, et consenuerat in vita monastica, et rogarent ut eam videret, et maternarum esset precum particeps, non sustinuit.

§ **13**. Cum sic ergo se haberet, et ad omnem virtutem recta via incederet, non visum est hoc maligno tolerandum: sed eum subiens, qui tunc administrabat imperium, eum irritavit adversus omnes Christianos, et effecit, ut adversus eos apertam moveret persecutionem. Eos enim invasit, partim quidem per se, partim autem per similiter affectos vicarios gravissime puniens. Ad eum autem accedentes, qui tempori serviebant, dixerunt eos, qui montem Sinam habitabant, deos quidem habere contemptui: unum autem solum Deum colere, eumque Crucifixum, et ei omnem offerre adorationem. Statim ergo illa, tamquam stimulo, percussus oratione, jussit cohorti militum ire ad montem, et vinctos ad se ducere eos, qui ipsum inhabitant, Christianos. Quo autem tempore, qui missi fuerant, in locum venerant, et viros divinos erant comprehensuri, Episteme in dicto monasterio se exercens ut monacha, circa mediam noctem videt somnium. Videbatur enim simul cum Galactione venire in quoddam palatium: fuisse autem eorum capita coronis a Rege redimita. Mane vero oeconomo monasterii ea quae viderat, communicans, aperte didicit quorsum tenderet somnium. Is enim dixit palatium quidem esse regnum coelorum; Regem autem ipsum esse, qui vere et solus et naturaliter regnat; coronas autem hoc significare, eos mox esse processuros ad certamina, et adversariis futuros plane superiores.

§ **14**. Cum ergo milites, ut jussi fuerant, accessissent, et alii omnes se in fugam conjecissent, inveniunt duos solos monachos, quorum unus erat Galaction. Cum ergo ille quoque ab eis ductus esset, et hoc rescivisset Episteme, et sedisset in loco sublimi montis, ex quo ipsa videns non poterat videri, illa cernebat oculis, quae non potuisset quidem auribus accipere, vinctum abduci Galactionem, et qui esse gravia passurus pro certo putabatur. Se ergo humi prosternens, vehementer rogabat ancillam, ut sineret eam properare ad Galactionem, et si liceret, eadem subire vincula. Si autem vitam quoque illum oporteret relinquere, ipsam quoque eamdem mortem esse subituram. Inter utrumque enim jampridem convenisse, ne unquam disjungerentur ab eadem mente et affectione. Grave ergo et indignum esse dicebat, si tempore vocante ea videretur esse oblita pactorum conventorum. Ministra autem verbis quidem primum conabatur eam abducere ab incepto; cum autem non persuaderet, sinit eam facere quod vellet.

§ **15**. Illa ergo cum eas quae cum ipsa erant, postremo esset allocuta, institit vestigiis Galactionis. Cum autem prope esset: « Domine mi, clamabat, et dux meae salutis, ne me quae tua sum recuses: nec obliviscaris eorum quae inter nos convenerunt. »

Quae cum audivissent acres ministri impietatis, e media via sunt reversi, et comprehensam iisdem circumdant vinculis, cum nihil aliud dixissent, sed valde laetati essent ad ipsam interrogationem. Galaction vero ne sic quidem affectus, a divinis abstinebat admonitionibus: sed, et ingrediens, et circumdatus vinculis, ea dabat quae par erat, monita: « Ne te, dicens, o uxor, fraude circumveniant inimici, aut gravia ad terrorem intentantes, aut iis quae sunt mundi incitantes ad impietatem.» Interim autem dum haec dicerentur, venit quidam festinanter, et vultu magnum tumultum significans, in crastinum diem esse reservatam sanctorum examinationem, cum ita sit visum Praesidi. Mane ergo Judex jubet eos adduci in locum, in quem mos est adduci reos judicandos.

§ **16**. Cum ii autem magno studio producti essent, Praeses statim non de fortuna, non de ea quae ipsos tulit patria, non de aliquo alio ex iis quae consueverunt: neque accessit ad verba quae possunt persuadere; sed torve et minaciter intuens Galactionem: « Quis hic est tristis et cogitabundus (nimia ira dixit incitatus), et cuinam alii divinum cultum tribuens, deos negligit?» Galaction autem nihil formidans, neque de solita quicquam mutans constantia: « Vita quidem, inquit, sum monachus; a Christo autem habeo, quod vocor Christianus: cui etiam, ut qui recte sentiam, tribuo cultum. » Cum vero sanctus eum multis probris insectaretur, et deos ejus ludificaretur, et aeque amentes vocaret eos qui colunt haec inanima, pone vinctum manibus jussit execrandus eum verberari immisericorditer. Cum is autem flagris caederetur, adspiciens Episteme, et mirandum in modum aegre ferens: « O, inquit, insatiabilem animam ad puniendum! Cur tales plagas intentastis membris tam juvenilibus, et consumptis multis laboribus exercitationis? Quomodo autem manus ministrorum, tot illatis plagis, non obtorpuit? » His Praeses magis ad iram accensus: « Hanc impudentem et temerariam, inquit, foeminam ad lineam usque tunicam nudate vestibus, et flagris valde caedite, ut caute discat eloqui, et non se tam arroganter gerat adversus superiores. »

§ **17**. Hoc autem cum factum esset magna celeritate et in longum jam esset productum supplicium, adversus omnia quidem, quae inferebantur, molesta et aspera, Martyr mirandum in modum decertabat: minime vero intermittebat vociferari adversus judicem, et ei exprobrare turpitudinem, quod naturam, quam oporteret quidem manere non venientem in conspectum hominum, non solummodo sustinuit aperire, sed multis etiam videntibus jussit cruciare. « Propterea te, inquit, manent illic supplicia. Caeterum hîc quoque non diu abhinc, vos justum Dei puniet supplicium. » Dixit, et e vestigio secuta est justitia, et visu orbati conspecti sunt qui erant circa Praesidem. Hoc autem Sanctae quidem

gloriam, iis vero qui puniebant, conciliavit salutem. Oculorum enim caecitas depulit animae nubem, et eos illuminavit luce Dei cognitionis. Propterea confessi sunt se Christo credere, et rursus cum luce animae acceperunt etiam lucem oculorum corporis, viri non duo aut tres, sed quinquaginta tres numero.

§ 18. Sed licet haec facta fuerint, Praeses adhuc mente caecutiens, utpote quod vitium esset ei alte impressum, jubet in extremo acui arundines, et infigi Sanctorum unguibus. Quod cum celerrime factum esset, Sancti in doloribus majorem ostendebant fortitudinem, ei propter quem haec sustinebant, magnas agentes gratias, et falsos deos afficientes contumeliis. Judex autem rursus jubet eos privari manibus simul et pedibus, et praeterea linguâ, propriam quodammodo voluptatem capiens sanguinivora anima in hominum, qui sunt ejusdem generis, suppliciis. Cum autem haec cito facta essent, Martyribus nihilo secius eodem modo se habentibus, qui erat quidem saevus in judicando, crudelissimus autem in puniendo, fert ultimam in Martyres sententiam, jubens eos mortem subire gladio. Atque ii quidem hinc excesserunt, sacris eorum capitibus amputatis quinto Novembris: pretiosa autem eorum corpora cum in quodam vase pretioso imposuisset is, quem diximus, Eutolmius, qui sequi jussus fuerat a Martyre, effecit ut etiam ab aliis haberentur in honore: ad gloriam Patris, Filii et Spiritus Sancti, unius Dei in Trinitate: quem decet omnis honor, majestas et magnificentia, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

VITA S. LEONARDI CONFESS.

PER LAUR. SURIUM EX MSS. CODICIBUS PRESSIUS DESCRIPTA.

Floruit sec. VI — Nat. Gallus.

§ 1. Beatus Leonardus * sub Athanasio Imperatore in Galliis natus est. Parentes claros habuit, et magnae apud Clodoveum Regem dignitatis et auctoritatis. Clodoveus is primo paganus fuit, sed ad beati Remigii Episcopi praedicationem, Christiana religione initiatus est: et ut graves affirmant testes, Leonardum puerum e sacro baptismatis fonte suscepit, quod parentes ejus imprimis caros haberet. Postquam autem Leonardus puer adolescentiae robur adeptus est, noluit Regi terreno militare, ut fecerant majores ejus: sed spiritu divino promptus, ad beatissimum

* Vulgo S. Lienard. — Le Cointe, Baillet et Moreri lectores monent in hac S. Leonardi Vita a Surio edita plures fabellas resque omnino absurdas contineri.

Remigium Episcopum imitandum se contulit. Cujus salutares admonitiones non surda accipiebat aure, sed ut futurus verbi Dei seminator, in pectoris sui armario recondebat. Inde est, quod quemadmodum beatus Remigius olim a Franciae Regibus impetrarat, ut quoties Rhemorum * urbem aut ingrederentur, aut praeterirent, captivi omnes e vinculis et carceribus dimitterentur: quod quidem hodieque observatur: ita boni magistri bonus discipulus Leonardus a Rege obnixe petiit, ut in vincula conjectis, si ipse eos inviseret, libera potestas fieret abscedendi. Cumque id a Rege obtinuisset, ubicumque comperit vinctos in carcere detineri, summopere eos inde extrahere conabatur. Sciebat enim illud dictum a Salvatore: *In carcere eram, et venistis ad me* (*Matth.* XXV), et, *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis.*

§ 2. Crescebat interim tota Gallia fama virtutis ejus, quod multi incommoda affecti valetudine, ad eum confluerent, et sani reverterentur, corporea et spiritali ab eo alimonia recreati. Erat vir Dei alacer in exhortando, suavis atque humilis in sermone, in actione simplex et pudicus, in promissis verax, in eleemosynis largus et munificus: in reddenda ratione modestus, atque adeo tenuis et submissus, ut non familia nobili, sed abjectissima ortus videri posset. Ejus fama permotus Franciae Rex, honestos ad eum legatos misit, qui eum accersirent, aitque venienti ad se: « Obsecro te, vir Dei Leonarde, ut non recedas palatio meo, donec sis pontificia, ut dignus es, functione ornatus. » Erat enim jam in clerum adscitus, moribus humilis et mansuetus. Respondit vir beatus: « Si more majorum meorum Regibus Franciae militare voluissem, non dubito, domine mi Rex, quin in palatio tuo non mediocri fuerim loco potiturus. Sed quia potius elegi abjectus servire Deo meo, quam in loco sublimi servire Regi terreno, eas, quas mihi promittis, dignitates et infulas largire illis qui eas appetunt: mihi satis est, si liceat in solitudine laudare Deum et Dominum meum. Nec tamen hoc ita accipi velim, serenissime Rex, quasi execrandum sit Episcopi munus illis, qui illi obeundo sunt idonei: sed quod mihi magis libeat abjectum esse in domo Dei mei, quam habitare in aulis Regum et principum mundi hujus. »

§ 3. Ita ergo posthabito dignitatis terrenae fastigio quod Rex offerebat, tamquam fidelis agricola verbum Dei seminans, Aureliam ** pervenit, inventoque haud procul extra urbem venerabili viro Maximino monacho, aliquandiu apud illum moratus est. Divina autem revelatione admonitus, inde recedens, in Aquitaniam profectus est. Cumque sancto Liphardo fratri suo, qui fidus ei comes fuerat, eam revelationem indicasset, orans ut secum iret, beatus Liphardus respondit: « Equidem, mi frater, nisi tibi molestum est, hic apud Ligerim *** mihi commodum construam

* *Reims.* ** *Orléans.*
*** *Loire*, Galliarum flumen.

domicilium: tu vero pergas ire, quo te vocat Dominus Jesus: isque tibi ubique propitius sit. Ita cum se invicem osculati essent, a se separati sunt: et Liphardus quidem Madunum petiit, ubi etiamnum requiescit: Leonardus vero abiit in Aquitaniam. Cumque per Biturigum * regionem iret, haudquaquam mortis metu se celavit: sed sicut vir strenuus, armis fidei munitus, Christum praedicabat. Iis enim in locis tum recens admodum erat Christiana religio, necdum abolito prorsus ethnicismo. Itaque vir Dei, quantum poterat, verbis et factis Christum annunciabat, pellebat daemones; surdos, claudos, caecos, et morbidos omnes ad ipsum venientes, curabat. Interim suum prosequens iter, galea salutis et scuto fidei instructus, tandem in silvam pervenit, quam Pavum vocant. Ea feris abundans, Reges Galliae et Aquitaniae principes invitabat ad venationes. Ferunt etiam singulis annis Galliarum Regem eo venisse animi gratia, plerumque etiam Regina comitante. Aberat is locus a Lemovicum ** urbe decem fere milliaribus. Cum autem beatus Leonardus per eam transiret silvam, Rex eo venerat cum Regina, quae ex partu in magnum vitae discrimen adducta, Regem non mediocri animi dolore affecit. Adhibebatur varia medicorum opera, sed nihil promovebatur. Plorabat omnis aula et familia Regis, quod Regina tam misere abiret e vita. Ut autem lamentantium voces sensit beatus Leonardus, ab itinere nonnihil deflectens, eo se contulit, multa animi commiseratione permotus, scire volens, quid sibi vellent lugubres illae voces atque clamores.

§ 4. Quem simul atque conspicati sunt aulici, Regi *** indicarunt de eo, quod quidam vir Dei adesset, qui Angelicum prae se vultum ferre videretur. Mox ad eum advolans Rex, et secum introducens in aulam, ita eum compellat: « Dic nobis, venerande pater, cujas sis, unde veneris, et num sis medendi arte instructus. » Vir sanctus respondit: « Patria mihi Francia est: ut autem huc accederem, lamentabiles voces me impulerunt: neque vero eam calleo medicinam, quae ab herbis petit remedia: sed, invocato Christi nomine, soleo varios curare morbos. » Iis auditis, laetatur Rex, sciscitaturque ex viro Dei, quo vocetur nomine. Respondente illo se Leonardum dici, servumque esse omnipotentis Dei et beati Remigii auditorem. Rex audiens tam boni magistri eum esse discipulum, nihil ambigit sanctum et bonum virum esse, ad ejusque se genua submittens, prae ingenti animi dolore orat, ut opituletur Reginae, ex partus difficultate morienti. « Affer mihi, inquit, vir sanctissime, geminam consolationem Reginae restitutae, et prolis feliciter editae. » Tum vir sanctus, solita humanitate commotus, lacrymas fundit, Regemque elevans, cum illo et paucis satellitibus ejus intrat in cubiculum, ubi Regina decumbebat,

* Scilicet *Biturigum Cuborum*, quorum Avaricum (*Bourges*) urbs erat praecipua.
** *Limoges*. *** Theodebertus, Austrasiae rex.

oculisque in coelum sublatis, Dominum pro illa deprecatur. Deinde exeunte illo cum Rege, confestim Regina peperit, et omni dolore absoluta est. Itaque Rex cum omnibus suis tollit ad sidera manus, laudat omnipotentem Deum, quod per servum suum Leonardum tam insigne ediderit miraculum: jubet proferri aureos scyphos et pateras argenteas, permultaque alia, et gratitudinis ergo donari beato Leonardo. Sed ille homo Dei, cui mundus erat crucifixus cum omnibus pompis suis, regia munera non accipit, sed accito ad se Regi dicit voce mitissima: « Donum Dei, mi Rex, pecunia non comparatur, sed pretio fidei fidelibus administratur. Ea igitur, quae mihi largiri volebas, da pauperibus, viduis, pupillis, et rerum inopia laborantibus, ut possis post obitum aeterna felicitate perfrui. Ego nullo horum indigeo: sed in desertis locis, contemptis mundi divitiis, soli Christo servire cupio. Atque ea causa fugio hominum turbas, ut Christo nocte et die serviens, possim ad opes pertingere nunquam perituras. »

§ **5**. Respondit autem illi Rex: « Sanctissimae voluntati tuae equidem abunde possum satisfacere, et ecce totum hoc nemus tibi tradam possidendum. » — « Ego vero, inquit beatus Leonardus, non totum, sed ejus tantum partem quandam a te accipiam, serenissime Rex, quando adeo promptum te experior. Itaque quantum nocte potero asello meo vectus circumire, tantum dari mihi peto. » Annuit Rex libentissime, jussitque omne illud spatium lapideis terminis definiri. Mansit autem vir Dei in illo loco, condiditque ibi oratorium in honorem beatissimae Matris Dei, in cujus sinistro latere altare alterum construxit in beati Remigii memoriam. Vixit vero parcissime, corpus jejuniis, vigiliis et precibus macerans. Adjunxit quoque sibi duos monachos, vita et moribus religiosos, ut in ea ecclesia perpetim divina mysteria celebrarent, quando ipse sanctorum limina orandi causa visitaret. Solebat enim pro more saepissime adire basilicam beati Martialis Episcopi Lemovicensis: atque ea causâ nolebat oratorium suum esse sine ministro, dum ipse abesset. Difficulter autem illic a monachis aqua obtineri potuit, quod fere uno milliari apportanda esset. Rogarunt igitur beatum Leonardum, ut juxta ecclesiam aquam ipsis impetraret. Jussit ergo humum instar putei fodi, stansque supra effossam humum, oravit Dominum, et mox perennes eruperunt aquae, quae usque in hunc diem loci ejus habitatoribus potum praebent. Porro locum ipsum beatus Leonardus Nobiliacum * dici voluit, quod a nobilissimo Rege eum dono accepisset.

§ **6**. Etsi autem latere percuperet vir sanctus, et hominum frequentiam fugeret, quando tamen civitas abscondi non potest supra montem posita, infinita ad eum male valentium turba confluxit, curabaturque ab eo. Fama sanctitatis ejus Aquitaniam

* Circa coenobium hoc a S. Leonardo conditum, pagus deinde exortus est, qui S. *Léonard le Noblat* nuncupatur.

omnem et Britanniam minorem * impleverat, atque usque in Germaniam sese effuderat: atque adeo Deus ornavit et illustravit illum, ut si quis in carcerem conjectus, ejus nomen invocaret, ruptis catenis, nullo impediente, liber abscederet. Inde accidit, ut multi etiam ex longinquis regionibus a vinculis et carceribus per eum liberati, ad eum venirent, et compedes atque catenas secum afferrent, ad ejus sese pedes humiliter abjicientes. E quibus etiam non pauci apud eum manebant, se illi servos offerentes: sed vir Dei illis potius servire studebat, partem eis silvae distribuens, ut consuescerent agriculturae operam dare, et inde sibi parare victum, non inhiare praedis, ne rursus in vincula conjicerentur et obscuros carceres. Simul autem salutari eos Evangelii praedicatione instituebat, praetereaque omnes ad se venientes variis affectos morbis, sanabat sanctis precibus, et optimis sermonibus continenter pascebat, nudos vestiebat, esurientes alebat; cunctisque necessaria pro viribus suppeditabat. Itaque amabant eum haud secus, atque solent filii parentes suos.

§ 7. Cum autem haec ejus praeclara facinora in Francia divulgarentur, multi ex cognatis ejus, plerique etiam familiares ejus, distractis rebus et possessionibus suis, cum uxoribus et liberis ad eum se contulerunt. Quos ut ille vidit, non mediocriter admirans, ait ad eos: « Ego vos fugi, et ecce vos me sequimini, quandoque etiam ad paradisum me secuturi. » At illi prosternentes se, « Domine pater, inquiunt, tui sumus, et a te, si placet, nunquam recedemus. Vias tuas ostende nobis, et semitas tuas edoce nos. » Respondit vir sanctus: « Ego vos, dilectissimi, Prophetae verbis appello: vos autem reponite ea in cordibus vestris. Junior fui, etenim senui, et non vidi justum derelictum, nec semen ejus quaerens panem. Timete ergo Dominum, quoniam non est inopia timentibus eum. Divites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum, non minuentur omni bono. Itaque filii audite me: timorem Domini docebo vos (*Ps.* 36 *et* 33). Ea causa tulit vos Deus e populorum tumultu et strepitu, ut in hac solitudine mecum commorantes, recte hic vivatis in justitia et sanctitate, memores illius propheticae sententiae: Melius est modicum justo super divitias peccatorum multas (*Ps.* 36); itemque illius: Melior est buccella sicca cum gaudio, quam plena domus cum jurgio (*Prov.* XVII). » Post id genus salutares adhortationes septem eis nemoris sui partes assignavit: tot enim erant familiae; jussitque eos labore manuum suarum victitare, quemadmodum Apostolus se fecisse dicit, ut haberent unde possent indigentibus elargiri. Praeter hos autem alii multi et ex propinquis et longinquis regionibus ad eum adventabant, cupientes ad mortem usque cum illo permanere. At ille amplectens omnes, fovebat eos ut solet gallina pullos suos. Robur erat validis, atque infirmis medicina, in templo Dei tamquam stella

* *Bretagne*, Galliarum provincia.

matutina refulgens. Vixit diebus vitae suae in timore Domini, ornatusque virtutum gemmis, servivit Creatori suo sine querela. Denique cum jam bonum certamen certasset, fidemque servasset, quando visum est Altissimo, ut e praesenti seculo emigraret, octavo Idus Novembris * sanctissima anima ejus ab Angelis recepta est in coelum : corpus autem sanctissimum a fidelibus humatum est in ecclesia, quam ipse construxerat in honorem beatissimae semperque Virginis Mariae et beati Remigii Rhemorum Episcopi. In ea autem ecclesia multa divinitus miracula fiunt, caeci vident, leprosi mundantur, paralytici curantur, variique hominum languores, ejus precibus depelluntur, praestante Domino nostro Jesu Christo.....

VITA

S. WILLIBRORDI TRAJECTENSIS EPISC.

AUCTORE ALBINO FLACCO ALCUINO, CAROLI MAGNI PRAECEPTORE.

Obiit anno 738 — E Britannia insula.

PROLOGUS AUCTORIS.

Domino eximio, venerabili atque laudabili Beornrado Archiepiscopo, humilis Levita Alcuinus salutem. Delatis ad nos vestrae excellentiae litteris, in quibus vestrum agnoscens in Domino studium, et diuturnam in lege ejus meditationem, magno me gaudio affectum esse fateor. Sed tamen longe imparem me petitionis vestrae consideravi, utpote nullo praerogativae munere eloquentiae suffultus ad implendum, quod jussistis: ac nisi me charitas urgeret, quae nulla negare solet, non auderem ultra meae paupertatis vires negotium attingere. Tamen vestris orationibus, divina donante gratia, et sanctissimo patre Willibrordo intercedente, cujus me vitam, mores et miracula scribere sic studiose rogas, tuis parui, pater sancte, praeceptis, et duos digessi libellos: unum prosaico sermone gradientem, qui publice fratribus in ecclesia, si dignum tuae videatur sapientiae, legi potuisset; alterum Pierio pede currentem, qui in secreto cubili inter scholasticos tuos tantummodo ruminari debuisset. Uterque tamen propter occupationes diurnas furtivis noctium lucubratiunculis dictatus est, et eo

* Quo anno, incertum. -- S. Leonardi cultus, ob insignia miracula, praecipue in captivis liberandis, ejus intercessione patrata, in Angliae regnum propagatus est, ibique diu viguit. S. Leonardus et in ecclesia Taurinensi colitur.

magis vestrae indigent defensionis, quo minus ab auctore proprio expoliti sunt. Meum fuit, praecipientis non spernere auctoritatem: tuum est, obedientis defendere imperitiam....

§ 1. VITA. Fuit in Britannia insula, provincia Nordanhumbrana *, quidam paterfamilias genere Saxo, et nomine Wilgis, religiosam in Christo cum conjuge et omni domo sua, sicut post signis patefactum est, agens vitam. Nam, relicto habitu seculari, monachicam conversationem elegit, ac non multo post crescente in eo fervore vitae spiritualis, arctiori animi studio solitaria seipsum mancipavit districtione in promontoriis, quae mari Oceano et Humbri ** flumine cinguntur. Ibi etiam multo tempore in quodam parvo oratorio, sancti Andreae Apostoli Christi nomine dicato, in jejuniis et orationibus atque vigiliis Deo serviens, etiam miraculorum signis claruit, et nomen ejus celebre factum est. Nec confluentes cessabat ad se turbas suavissima verbi Dei admonitione cohortari. Sed et illius gentis Regi et optimatibus honorabilis effectus est: intantum, ut ei aliquas terrarum possessiunculas, illis promontoriis adjacentes ad aedificandam Deo ecclesiam, dono perpetuo contulerint. In qua pius pater modicam quidem, sed honestam, Deo servientium adunavit congregationem. In qua et post multiplices sancti laboris agones, a Deo coronatus corpore requiescit, et posteri ejus usque hodie ex sanctitatis ejus traditione possident. Quorum ego meritis et ordine extremus, eamdem cellulam per successiones legitimas suscepi gubernandam, qui hanc historiam sanctissimi patris et summi sacerdotis Willibrordi, te jubente, beatissime pontifex Beornrade, conscripsi: qui tanto patri et summi sacerdotii dignitate, et generis posteritate, et sanctorum locorum observatione, quae ab eo in Dei honorem constructa esse noscuntur, secundum datam tibi a Deo gratiam, haeres dignissimus extitisti.

§ 2. Et ut ejusdem sancti patris Willibrordi altius nativitatis originem, et mox in utero matris divinae electionis repetam praesagia, revertar unde egressus sum. Nam sicut sanctissimus praecursor Domini nostri Jesu Christi beatus Joannes Baptista, ex utero matris Deo sanctificatus, religiosis parentibus, ut Evangelica narrat historia, Christum ceu solem praecedens lucifer, multis in salutem profuturus, natus est: ita et sanctus Willibrordus in plurimorum genitus salutem, religiosis parentibus natus esse dinoscitur. Nam vir venerabilis Wilgis, de quo nobis paulo ante sermo fuit, ad hoc tantum, Deo praedestinante, matrimonio junctus est, ut talis ad profectum multorum populorum ex eo ederetur proles. Igitur uxor ejus, mater scilicet beati Willibrordi

* Vulgo *Northumberland*. Seculis VI, VII et VIII, haec provincia regnum erat, cui sui proprii reges imperabant.
** Vulgo *Humber*, ex quo *Northumberland* nomen accepit.

patris, intempesta noctis quiete coeleste in somnis vidit orama *. Visum est ei, quasi novam in coelo videret lunam, crescente illa usque dum plena videbatur esse. Quam diligentius intuens, repentino cursu lapsa ruit in os ejus. Qua devorata, ejus intima splendore perfusa sunt. Evigilans vero, timore perterrita, cuidam religioso presbytero retulit somnium, illoque interrogante, si ea nocte, qua ei visio facta est, suo more solito jungeretur viro, acceptaque ab ea ejus rei confessione, ita respondit: «Luna, quam, ex modica vidisti in magnam crevisse, filius est, quem in ea nocte concepisti: qui luce veritatis caliginosos tenebrarum errores discutiet, et quocumque perrexerit, comitante superni luminis splendore, plenum suae perfectionis ostendet globum: coruscanteque rumoris ejus candore, et morum pulcritudine, multorum in se alliciet adspectum.» Hujus ergo somnii interpretationem, rerum veritas subsecuta est.

§ **3**. Factum est post circulum dierum, et mulier peperit filium **, sacroque fonte baptismatis regenerato, imposuit ei mater nomen Wilbrord. Et statim ablactatum infantulum tradidit eum pater Ripensis*** ecclesiae fratribus, religiosis studiis et sacris litteris erudiendum, ut fragilior aetas validioribus invalesceret disciplinis, ubi nihil videret nisi honesta, nihil audiret nisi sancta. Quem divina mox gratia ab ineunte pueritia et sensu proficere, et moribus pollere, quantum ad tales congruit annos, concessit: ita ut nostris temporibus novum Samuel nasci putares, de quo dictum est: *Puer autem Samuel proficiebat, atque crescebat, et placebat tam Deo quam hominibus* (1. *Reg*. II). Ibique in praedicto monasterio multis profuturus puer, clericatus accepit tonsuram, et pia professione monachum se fecit esse, et inter caeteros ejusdem sanctissimi monasterii adolescentes enutritus est, sed nulli alacritate minor, nulli humilitatis officio secundus, nulli lectionis studio inferior: sed sic quotidie bonae indolis puer proficiebat, ut teneros pueritiae annos, morum gravitate transcenderet: factusque est grandaevus sensu, qui corpusculo modicus fuit et fragilis.

§ **4**. Igitur in sacris eruditionibus, et in omni sobrietate, morumque honestate, beatissimo usque ad vicesimum aetatis suae annum adolescente proficiente, arctioris vitae ardore succensus, et peregrinationis amore instigatus, et quia in Hibernia scholasticam eruditionem viguisse audivit, etiam quorundam sanctorum virorum fama narrante, conversatione incitatus, et praecipue beatissimi patris et Episcopi Egberti ****, qui cognomento sanctus vocabatur, necnon et Wicberti venerabilis viri et sacerdotis Dei, quorum uterque ob coelestis patriae amorem, domo, patria,

* Scilicet *visionem*. Graecum vocabulum est.
** Circa annum 658.
*** Scilicet *Ripon*.
**** S. Egbertus die 24 aprilis colitur. Vide ad hanc diem Martyrologium illustr.

cognationeque relicta, Hiberniam secessit, ibique dulcissimos supernae contemplationis fructus seculo nudus, Deo plenus, solitaria quotidie hauriebat conversatione. Horum beatus adolescens aemulari cupiens religionem, cum conniventia sui Abbatis et fratrum, in Hiberniam veloci cursu contendit, praedictorum patrum se familiaritati conjungens, quatenus ceu prudentissima apis, ex eorum propinquitate mellifluos pietatis carperet flores, et in sui pectoris alveario dulcissimos virtutum favos construeret. Ibique duodecim annis inter eximios simul piae religionis et sacrae lectionis magistros, futurus multorum populorum praedicator, erudiebatur, donec occurreret in virum perfectum, et in aetatem plenitudinis Christi *.

§ **5**. Tricesimo itaque et tertio aetatis suae anno, major egregio viro fidei flamma crescebat in pectore, ita ut parum ei videretur sibi soli tantummodo in religionis sanctitate sudasse, si non et aliis quoque in praedicationis veritate prodesset. Audivit in borealibus mundi partibus messem quidem multam esse, sed operarios paucos. Sed ut somnii, Deo dispensante, impleretur veritas, quod mater olim de eo se vidisse testatur, suae conscius voluntatis, licet adhuc divinae dispensationis ignarus, illas in partes navigare cogitavit, et clarissima Evangelicae praedicationis luce, torpentes longa infidelitate populos, si Dei esset voluntas, illustrare. Assumptisque secum duodecim fratribus, eo fidei fervore armatis, quo et ipse, navim conscendit ** : quorum aliqui postea, ob praedicationis Evangelicae instantiam, martyrio coronati sunt: aliqui vero Episcopatus ordinem accipientes, post sanctae praedicationis labores, in pace quieverunt.

§ **6**. Igitur vir Dei cum sociis, sicut praediximus, navigavit, donec prospero cursu ad ostia Rheni fluminis vela deposuit, ibique optata telluris statione refocillati sunt, et mox ad castellum Trajectum ***, quod in ipsa fluminis ripa situm est, pervenerunt, in quo etiam post aliquod tempus, Deo donante, et verbo fidei crescente, idem sanctus Willibrordus sedem Episcopatus sui habuit. Sed quia eadem gens Frisonum, in quo idem aedificatum est castellum, cum Rege suo Cadbodo paganis adhuc ritibus sorduit, visum est viro Dei Franciam contendere, ac Ducem illorum adire Pipinum, virum strenuum, triumphis clarum, et moribus probum. Qui eum cum omni honore suscipiens, sed nolens tanto doctore se vel suam privare gentem, loca ei opportuna intra terminos regni sui praevidit, quo potuisset idololatriae spinas extirpare, et purissima verbi Dei semina per munda novalia abundantius spargere: ut impleret propheticum praeceptum: *Novate vobis novalia, et nolite serere super spinas* (*Osee* x). Cumque

* Coenobium, cui S. Egbertus praeerat, apud Rathmelsing positum erat.
** Anno 690.
*** Quod et Ultrajectum, Wiltenburg, Antonina civitas nuncupabatur. Vulgo *Utrecht*.

studiosissime vir Dei per loca singula discurrendo, optatum evangelizandi opus exercuisset, et semina vitae, supernae gratiae rore irrigante, longe lateque in agris multorum cordium ad ejus praedicationem pullulassent, congaudens praedictus Francorum Dux ejus sanctissimae devotioni, et verbi Dei clarissimae multiplicationi, majoris profectus occasione, prudenti cogitabat consilio eum Romam mittere, ut a Domino Apostolico Sergio *, viro sanctissimo, tunc temporis, in summi sacerdotii honorem ordinaretur : quatenus Apostolica benedictione et jussione suscepta, majori ab eo missus fiducia roboratus, in opus Evangelii reverteretur, juxta Apostolicum illud : *Quomodo praedicabunt, nisi mittantur?* (*Rom.* x). Quod cum viro Dei persuadere tentaret, renuit primum, nec se tantae auctoritatis honore dignum esse referebat. Enumeratisque Apostolicae sanctionis praeceptis, longe se inferiorem huic virtutum catalogo asserebat, quem egregius mundi praedicator, filium suum Timotheum erudiens, oportere Episcopum habere censuit. Dux vero contra religiose suasit, quod vir Dei verecunde negavit.

§ 7. Tandem omnium unanimitate victus, et (quod majus est) Dei dispensatione coactus, consensit, magis volens plurimorum humiliter obedire consilio, quam suam pertinaciter defendere voluntatem. Et sic cum honorifica legatione et muneribus, auctoritati Apostolicae condignis, Romam directus est. Sed die quarta, priusquam illo veniret, beatissimus Apostolicus, Angelica in somnis responsione admonitus est, ut cum illum summo honore susciperet, et quod multarum animarum esset illuminator futurus, a Deoque electus, et ad hoc venisset, ut summi ab eo sacerdotii honorem susciperet, nihilque ei negandum esse, quicquid petisset. Qua factus Apostolicus admonitione certus, cum magno gaudio et summo eum suscepit honore; et ut in eo fidei agnovit fervorem, religionis devotionem, sapientiae plenitudinem, die competenti populo adveniente, advocatis venerabilibus ad societatem ministerii sacerdotibus, publice in ecclesia ** beatissimi Petri principis Apostolorum cum magna dignitate more Apostolico eum ordinavit Archiepiscopum, ac ordinato nomen imposuit *Clemens*, vestimentisque suis sacerdotalibus induit eum, et sancto quasi superhumerali Aaron, pallio dignitatis et indumenti confirmavit gloria : et quicquid voluit vel petiit, aut in patrociniis sanctorum, aut in rebus Ecclesiasticis, cum tota mentis alacritate tradidit illi, firmatumque benedictione, donis ditatum cum salutaribus praeceptis iterum eum in opus Evangelii remisit.

* S. Sergius hujus nominis I (687-701). Natione Syrus, Panormi in Sicilia exortus est. Concilium *in Trullo*, quod Justinianus imperator fieri jusserat, damnavit, rejecitque, *eligens*, ut Anastasius Bibliothecarius scribit, *ante mori, quam novitatum erroribus consentire*. Is statuit ut in Missa, tempore confractionis Dominici Corporis, a Clero et a populo decantaretur *Agnus Dei*, etc.

** Ut e probatis Historiis desumimus, S. Willibrordus in ecclesia S. Ceciliae, die ipsa qua haec Sancta V. et M. colitur, Frisiae episcopus consecratus est; anno vero, ut ipse S. Willibrordus in *Martyrol. Epternac.* adnotavit, 695 (Vide De Rossi, *Rom. Subter.*, vol. 2, pag. XIV).

§ 8. Accepta ergo Apostolicae auctoritatis benedictione, cum majori fiducia devotus verbi Dei praedicator, ad praefatum Francorum Ducem regressus est. Qui eum cum summa honoris magnificentia receptum, cum suae potestatis jussione in opus Evangelii direxit, maxime tamen in borealibus regni sui partibus, quo eatenus ob raritatem doctorum, vel duritiam habitatorum, fidei flamma minus relucebat. Eo vir Dei instantius illis in regionibus semina vitae sparserat, quo plus necessarium antiquam ignorantiae famem depellere perspexerat. Qualem, divina gratia adjuvante, illis incolis fructum fecisset, testes sunt usque hodie populi per civitates, vicos et castella, quos ad veritatis agnitionem, et ad unius omnipotentis Dei cultum pia admonitione perduxerat. Testes quoque ecclesiae, quas per loca singula construxerat: testes et Deo famulantium congregationes, quas aliquibus adunavit in locis.

§ 9. Tentavit quoque idem vir Dei ultra Francorum regni fines coelestis doctrinae flumina derivare. Nam tunc temporis Regem Frisonum Radbodum cum gente sua paganum non timuit adire, et quocumque perrexerat, verbum Dei cum omni fiducia loquebatur. Sed praefatus Frisonum Rex licet virum Dei humilitatis gratia benigne susciperet, nullis tamen vitae fomentis saxeum ejus cor emolliri potuit. Cum ergo apud eum vir Dei fructificare se non posse sentiret, ad ferocissimos Danorum populos iter evangelizandi convertit. Ibi tum, ut fertur, regnabat Ongendus, homo omni fera crudelior, et omni lapide durior: qui tamen, jubente Deo, veritatis praeconem honorifice tractabat. Quem dum obduratum moribus, et idololatriae deditum, et nullam melioris vitae spem habentem offendit, acceptis tunc triginta ejusdem patriae pueris, ad electos a Deo populos regni Francorum reverti festinavit. Sed in eo ipso itinere catechizatos eosdem pueros vitae fonte abluit, ne aliquod propter pericula longissimi navigii, vel ex insidiis ferocissimorum terrae illius habitatorum, damnum pateretur in illis, volens antiqui hostis praevenire astutias, et Domini sacramentis animas munire acquisitas.

§ 10. Et dum pius verbi Dei praedicator iter agebat, pervenit in confinio Frisonum et Danorum ad quandam insulam, quae a quodam deo suo Fosite, ab accolis terrae Fositesland * dicebatur: quia in ea ejusdem dei fana fuere constructa. Qui locus a Paganis in tanta veneratione habebatur, ut nihil in ea vel animalium ibi pascentium, vel aliarum quarumlibet rerum, quisquam gentilium tangere auderet, nec etiam a fonte, qui ibi ebulliebat, aquam haurire, nisi tacens, praesumeret. Quo cum vir Dei tempestate jactatus est, mansit ibidem aliquot dies, quousque sepositis tempestatibus, opportunum navigandi tempus adveniret. Sed parvipendens stultam loci illius religionem, vel ferocissimum Regis

* Probab. insula, quae *Helgoland* dicitur.

animum, qui violatores sacrorum illius atrocissima morte damnare solebat, tres homines in eo fonte cum invocatione sanctae Trinitatis baptizavit: sed et animalia, in ea terra pascentia, in cibaria suis mactare praecepit. Quod Pagani intuentes, arbitrabantur eos vel in furorem verti, vel etiam veloci morte perire. Quos cum nihil mali cernebant pati, furore perciti, Regi tum Radbodo, quod viderant factum, retulerunt. Qui nimio furore succensus, in sacerdotem Dei vivi, suorum injurias deorum ulcisci cogitabat: et per dies semper tribus vicibus suo more mittebat sortes, et nunquam damnatorum sors, Deo vero defendente suos, super servum Dei, vel aliquem ex suis, cadere potuit: nec nisi unus tantum ex sociis forte monstratus, et martyrio coronatus est. Vocabatur vero vir sanctus ad Regem, et multum ab eo est increpatus, quare sua sacra violasset, et injuriam deo suo fecisset. Cui praeco veritatis constanti animo respondit: «Non est deus, quem colis, sed diabolus, qui te pessimo errore deceptum habet, o Rex, ut animam tuam aeternis tradat flammis. Non est enim Deus, nisi unus, qui creavit coelum et terram, et omnia quae in eis sunt: quem qui vera fide colit, vitam habebit sempiternam: cujus ego servus hodie tibi testificor, ut ab antiqui erroris vanitate, quam coluerunt patres tui, tandem aliquando resipiscas, et credas in unum Deum omnipotentem Dominum nostrum Jesum Christum, et vitae fonte baptizatus, abluas omnia peccata tua, et projecta omni iniquitate et injustitia, deinceps novus homo vivas in omni sobrietate, justitia et sanctitate. Hoc faciens, cum Deo et sanctis ejus gloriam possidebis sempiternam. Si vero me contemnis, viam salutis tibi ostendentem, scito certissime, quod aeterna supplicia et infernales flammas tu cum diabolo, cui obtemperas, sustinebis.» Ad haec Rex miratus, respondit: «Video te minas nostras non metuisse, et verba tua esse, sicut et opera.» Etsi autem nollet veritatis praedicatori credere, tamen ad Pipinum Ducem Francorum eum cum honore remisit.

§ **11**. Qui in ejus laetatus adventu, rogavit eum destinato verbi Dei operi insistere, eradicatisque idololatriae spinis, verbum Dei instanter per loca singula serere. Quod etiam pius praedicator haud segniter implere satagebat, circumiens omnes illius terrae regiones, per urbes, vicos, castella, ubi prius evangelizaverat, exhortans omnes, quatenus bono animi proposito in verae fidei permanerent firmitate. Et dum per singulos dies numerus crescebat fidelium, et major credentium turba ad verbi Dei agnitionem confluebat, coeperunt plurimi, fidei fervore incitati, patrimonia sua viro Dei offerre. Quibus ille acceptis, mox ecclesias in eis aedificare jussit. Statuitque per eas singulos presbyteros, et verbi Dei sibi cooperatores, quatenus novus Dei populus haberet, quo se diebus festis congregaret, vel salutares audiret admonitiones, vel a quibus sacri baptismatis munera acciperet, et Christianae religionis regulas

edisceret. Et ita vir Dei magis ac magis de die in diem divina donante gratia, proficiebat.

§ 12. Contigit autem, Pipinum Ducem Francorum diem obire *, et filium ejus Carolum ** regno patris potiri. Qui multas gentes sceptris adjecit Francorum: inter quas etiam cum triumphi gloria Frisiam, devicto Radbodo, paterno superaddidit imperio: in qua tunc gente sanctus Willibrordus positus est praedicator, sedique Episcopali in Trajecto castello delegatus est. Qui majori Evangelizandi occasione accepta, nuper gladio acquisitam gentem sacro baptismate abluere conatus est. Nec quicquam in ea vetusti erroris, nec tenebras ignorantiae latere sinebat: sed totam Evangelica luce sine dilatione perfundebat, ita ut in eo populo subito propheticum illud impleretur testimonium: *Et erit: in loco, ubi dicetur eis, Non populus vos: dicetur eis, Filii Dei viventis* (*Osee* I). Plurima quoque divina virtus fecit per servum suum miracula; licet omni miraculorum operationi et signorum ostensioni ministerium Evangelicae praedicationis praeferendum sit, tamen quae gesta narrantur, ad gloriam donantis Dei non tacenda esse censeo, sed magis stylo alliganda, ne pereant posteris seculis, quae priscis temporibus acta esse noscuntur.

§ 13. Quodam igitur tempore, dum venerabilis vir iter evangelizandi more solito ageret, venit ad quandam villam, Walachrum nomine, in qua antiqui erroris idolum remansit. Quod cum vir Dei zelo fervens confringeret, praesente ejusdem idoli custode, nimio furore succensus ille, quasi dei sui injuriam vindicaret, in impetu animi insanientis, gladio caput sacerdotis Christi percussit: sed Deo defendente servum suum, nullam ex ictu ferientis laesuram sustinuit. Socii vero illius hoc videntes, pessimam, praesumptionem impii hominis vindicare concurrerunt. Sed a viro Dei pio animo de manibus illorum liberatus est reus, ac dimissus: qui tamen eodem die daemoniaco spiritu arreptus est, et die tertia infeliciter miseram vitam finivit. Et quia vir Dei, juxta praeceptum Domini, suas injurias ulcisci noluit, citius a Domino vindicatum est, juxta illud: *Mihi vindicta, et ego retribuam* (*Ad Hebr.* X, 30). Alio quoque tempore iter beato viro faciente ad quandam suae ditionis cellulam, quae ex nomine praeterfluentis aquae Suestra dicitur, propter compendium propioris viae per segetes cujusdam divitis angustam subintravit semitam. Quod earumdem segetum custos cernens, nimio inflatus furore, virum Dei blasphemare coepit. Quem convicia viro Dei inferentem cum socii, qui cum eo erant, vindicare vellent, miti animo Dei famulus eos compescuit, nolens aliquem sua causa perire, qui salutem sitiebat omnium. Sed cum insanientis animum nullo modo lenire posset, dans locum irae ejus, via qua venit, reversus est. Sed die

* Anno 714.
** Carolus cognominatus *Martellus*, qui anno circiter 686 natus est, obiit autem anno 741.

postera idem infelix, qui famulo Dei convicia dicere non abhorruit, multis cernentibus, in eodem loco repentina morte periit. Cum vir Deo plenus propter evangelicae praedicationis instantiam loca circumiret maritima, aquae dulcis penuriam patiebatur. Quod dum cernebat commilitones propter ardorem sitis, graviter sustinere: vocato uno ex illis, praecepit ei intra tentorium suum fossam aperire parvam. Ubi secreto fixis genibus orabat Deum, ut qui populo suo aquam in deserto produxit de petra, servis suis eadem misericordia de arenosa terra aquam produceret. Qui mox exauditus est; nam subito fons dulcissimi saporis fossam implebat. Quod sui cernentes, gratias agebant omnipotenti Deo, qui sanctum suum magnificavit, et exaudire dignatus est. Bibebantque usque ad satietatem, secumque ad praedestinati itineris necessitatem, quantum sufficere videbatur, portare curabant.....

§ **14**. Idem quoque vir Deo amabilis, quaedam prophetico praedixerat spiritu, quae post rerum eventus vera probavit. Baptizavit enim Pipinum *, filium Francorum fortissimi Ducis Caroli, patrem hujus nobilissimi Caroli, qui modo cum triumphis maximis et omni dignitate gloriosissime Francorum regit imperium. De quo Pipino patre ejus idem sanctus vir praesaga voce coram discipulis suis praedixit hoc vaticinium: « Scitote, inquiens, quod iste infans sublimis erit valde et gloriosus, et omnium praecedentium Francorum Ducibus major. » Hujus itaque vaticinii veritas nostris probata est temporibus, nec opus est testimoniis assequi, quod totius regni agnoscit auctoritas. Scit namque omnis populus, quibus nobilissimus victor celebratur triumphis, vel quantum terminos nostros dilatavit imperii, vel quam devote Christianam in regno suo praeparavit religionem, vel quid pro defensione sanctae Ecclesiae Dei apud extraneas exercuit gentes: quae omnia melius oculis probari, quam verbis explicari queunt.

§ **15**. Fuit vero iste vir sanctus, omni dignitate praeclarus, statura decens, vultu honorabilis, facie venustus, corde laetus, consilio sapiens, ore jucundus, moribus compositus, et in omni opere Dei strenuus. Cujus autem patientiae esset, ex antedictis ejus gestis ostenditur. Quantam vero habuerit industriam in Evangelio Christi praedicando, vel qualiter illum in opere praedicandi divina adjuverit gratia, non necesse est nostro prosequi stylo, quod totius populi testimonio comprobatur. Porro ejus secreta conversatio in vigiliis et orationibus, in jejuniis et psalmodiis, ex vitae sanctitate et signorum ostensione intelligi datur. Charitatem scilicet assiduus labor ostendit, quem quotidie pro Christi nomine sustinuit. Denique vir sanctus omnibus diebus vitae suae in divino proficiens opere, Deo amabilis, et omni populo gratus, temporibus Caroli antiqui, fortissimi Francorum Ducis, senex et plenus in omni perfectione dierum, appositus est ad patres suos, multiplicem

* Pipinus *le Bref* cognominatus (714-768).

laboris sui fructum accepturus a Deo, seculum hoc relinquens, ut coelum possideret, Christum sine fine in aeterna gloria visurus: in cujus dilectione quam diu nobiscum vixerat, laborare non cessabat. Die septima mensis novembris, id est, septimo Idus, ex hac peregrinatione ad perpetuam migravit patriam, et sepultus est in monasterio Epternaco*, quod ipse Deo, ut praefati sumus, construxerat. Ibi usque hodie, divina operante misericordia, signa et sanitates ad sancti Dei sacerdotis reliquias fieri non cessant. Ex quibus aliqua huic nostrae de eo historiae subjicienda esse aestimavimus, in gloriam et laudem Domini nostri Jesu Christi, qui haec per servi sui patrocinia saepius operari dignatus est. Conditum est venerabile corpus in sarcophago marmoreo, qui primum toti Dei famuli corpori, quasi dimidio pedis brevior inventus est, fratribus ob hoc valde contristatis, et saepius tractantibus, ubi aptum sancto corpori invenirent locellum. Sed miro modo, divina donante pietate, inventus est subito sarcophagus tanto viro Dei corpori longior, quanto brevior ante apparuit. Et in eo viri Dei corpus cum hymnis, psalmodiis et omni honore condentes, sepelierunt illud in ecclesia praefati monasterii, quod ille summus Dei sacerdos in honore sanctae Trinitatis aedificavit et dedicavit. Sed et miri odoris fragrantia omnium perfuderat nares, ut perspicue intelligeretur, ad exequias viri sancti angelicum venisse ministerium.

§ **16**. Sed et cuidam religioso sancti viri discipulo longius posito, in oratione vigilanti, obitus illius revelatus est. Nam vidisse se testabatur animam sanctissimi patris sui cum magna luminis claritate, cum consona canentium laude, ab angelicis exercitibus ad coelorum regna portari. Multi quoque fratrum testati sunt, crebro se super lectulum, in quo beatam animam suo Creatori reddidit, mirabile vidisse lumen, suavissimamque odoris dulcissimi sensisse fragrantiam: ut omnino his signis crederetur, coelestes locum frequentasse cives, in quo sancta anima migravit ad Dominum. Per unctionem quoque olei, quod supra corpus sancti lucere solebat, multi infirmi, Deo donante, et fide illorum cooperante, curati sunt. Poenitentes quoque, saepius ad eamdem venientes ecclesiam, circulis ferreis more solito circumdati, ruptis circulis subito vincula sua resoluta senserunt. Cujus rei, adhuc in ecclesia circuli pendentes, testes sunt.....

* Post apostolatus annos quinquaginta. In monasterio Epternaco, scilicet *Echternach*, in dioecesi Trevirensi sacrae ejus exuviae reconditae sunt. Ejus virtutum atque laborum breve, sed maximi sane ponderis compendium nobis exhibet in sua epistola ad Papam Stephanum S. Bonifacius qui cum S. Willibrordo, in Christi fide praedicanda tres annos in Frisia conlaboraverat. En sua verba: " Tempore Sergii, apostolicae sedis Pontificis, venit ad limina SS. Apostolorum presbyter quidam mirae abstinentiae et sanctitatis, generis Saxonum, nomine Willebrod et alio nomine Clemens vocatus, quem praefatus Papa episcopum ordinavit et ad praedicandam paganam gentem Fresonum transmisit in littoribus Oceani occidui. Qui, per quinquaginta annos praedicans, praefatam gentem Fresonum maxima ex parte convertit ad fidem Christi, fana et delubra destruxit et ecclesias construxit, praedicans usque ad debilem senectutem permansit, et sibi coëpiscopum ad ministerium implendum substituit, et finitis longaevae vitae diebus in pace migravit ad Dominum " (Epist. 105 Ed. Würdtw). De S. Willibrordo plura scripsit et Ven. Beda in *Hist.* lib. V.

VITA

S. ENGELBERTI ARCHIEPISC. COLONIENSIS

QUI PROPTER JUSTITIAM CAESUS EST.

AUCTOR EST CAESARIUS MONACHUS HAISTERBACENSIS *

Obiit anno 1125 — Nat. Germanus.

§ 1. Ad honorem Dei Patris, et Filii ejus Jesu Christi, Domini ac Salvatoris nostri, et sanctae matris Ecclesiae: actus, passionem et virtutes pretiosi martyris et Archipraesulis nostri Engelberti descripturus, gratiam invoco Spiritus Sancti: ut qui jam positus super candelabrum, fulgore miraculorum lucet in domo Dei, et in Ecclesia specialius beati Petri Apostoli, styli mei ministerio utcumque valeat illustrari, et ad posterorum notitiam utiliter declarari. Videtur mihi imprimis Antistitis nostri vocabulum, quoddam futurae beatitudinis ejus fuisse praesagium. Ex Teutonico enim Latinoque compositum, *Angelicam* sonat *libertatem*, significans, Engelbertum de jugo peccatorum per mortis necessitatem ad Angelicam migraturum libertatem. Si Deus a nobis mirabilis praedicatur in sanctis suis antiquis, multo magis mirabilem se ostendit in novo martyre, et tali martyre diebus his novissimis, eo quod miraculorum tempora modo non sint, ut quidam ait: *Rara avis in terris, sanctitas hujus temporis.* Et ideo miracula crebra, quae de patre nostro videmus et audimus, et per ipsius merita fieri credimus, tanto nobis debent esse gratiora, quanto propter tempus rariora. Sanctitatem, quae vitae defuit, mors pretiosa supplevit: et si minus perfectus in conversatione, sanctus tamen effectus est in passione. *Consummatus in brevi, explevit tempora multa: placita enim erat Deo anima illius* (*Sap.* IV). Nam placens Deo aeterna praedestinatione, factus est dilectus in passione. Quis enim sanctitati ejus contradicat, quem cordium cognitor, et meritorum ponderator Dominus, signis tam variis mirificat? *Non qui seipsum commendat*, ut ait Apostolus, *ille probatus est: sed quem Deus commendat, ille probatus est* (2. *Cor.* X).

§ 2. Videtur sancto Engelberto congruere, quod per Salomonem dicitur: *Laeva ejus*, id est Christi, *sub capite meo*, et

* Is inter praestantiores Historicos, qui, saeculo XIII, in Germania floruerunt, adnumeratur. Coloniae Agrippinae genitus, anno 1199 Cisterciensi Ordini, in coenobio Haisterbacensi, apud civitatem Bonn, adscitus fuit. Plura exaravit edíditque, quorum, praeter hanc S. Engelberti Vitam, recordari juvat Opus, quod *Catalogus Episcoporum Coloniensium* inscribitur, anno 1845, primum, in *Fontes rerum Germanicarum* editum.

dextera illius amplexabitur me (*Cant.* 2 *et* 8). Ad laevam sponsi pertinent bona corporalia et terrena; ad dexteram vero, bona spiritualia atque coelestia. Bona corporalia sunt, generis et morum nobilitas, valetudo corporis et pulcritudo. Bona dexterae, virtutes sunt, quibus in praesenti anima illuminatur; et vita aeterna, quae virtutibus promeretur. Sanctus autem Engelbertus quandiu vixit, gloria et divitiae in domo ejus fuerunt: cujus justitia, quam per passionem meruit, pèrmanet in seculum seculi. Quam copiose in praesenti bonis sinistrae sustentatus sit, et in illis quieverit, paucis explicabo. Quae enim in tempore geruntur, cum tempore volvuntur; et nisi scripto perpetuentur, citius ab hominum memoria delentur. Erat autem vir nobilis valde, et spectabilis genere, filius Engelberti Comitis de Monte *. Cujus patrui fuere Fridericus et Bruno Archipraesules Colonienses: Adolphus vero, qui Brunoni in Episcopatu successit, patrui ejus filius fuit. Mater ejus, filia erat Comitis Geldrensis, viri divitis atque potentis. Theodoricus Episcopus Monasteriensis **, et Engelbertus Osnaburgensis *** electus, nepotes patrui ejus extitere. Ecce de tam nobili ac insigni prosapia martyr noster carnis duxit originem. Nec degeneravit moribus: quia ab ineunte aetate puer prudens erat et amabilis, secundum nominis sui participium, gerens vultum Angelicum: tractabilis, liberalis, humilis satis, et gratiosus valde. Annos pueriles transcendens, et in adolescentem proficiens, ita se omnibus conformare studuit, ut clericis se clericum, et militibus se militem exhiberet. Erat etiam in eadem aetate tantae pulcritudinis, ut in omni clero, nec in laicis quidem, vir illo pulcrior inveniri non posset. Adspectu decorus, statura procerus, viribus robustus: ita ut speciali quodam privilegio mater natura tantae speciei congaudere, et in illo quasi in speculo resultare videretur. Hujusmodi divitiis naturae, accesserunt divitiae, ut ita dixerim, fortunae. Nam cum adhuc puerulus studeret in scholis, sic stipendiis Ecclesiasticis oneratus est, et honoratus ecclesiis, videlicet Praebendis et Praeposituris, ut magis dignitates et divitiae eum venerari, quam ipse illas, viderentur. Non opera justitiae haec, neque salutis divitiae, sed retia daemoniorum, instrumenta et laquei peccatorum, quos ipse evadere non potuit. Nam mundanae gloriae deditus, totus illis multipliciter est irretitus: Sed *Electis*, teste beato Paulo Apostolo, *omnia cooperantur in bonum* (*Rom.* VIII). Haec idcirco commemoro, ut cognoscat lector, de quali viro martyrem sibi elegit Dominus, de vase irae faciens vas gloriae. De scholis emancipatus, in Praepositum majorem est

* Scilicet ex illustri familia Berg. *Berg* enim aeque ac *Mons* latine sonat. Comitatus Bergensis, anno 1389, in Ducatum provectus fuit; anno 1806, sub *Magni-Ducatus* titulo, a Napoleone I imperatore Joachimo Murat traditus est; anno demum 1815 in Borussiae ditionem venit.

** Germ. *Münster*.

*** Germ. *Osnabrück*. Tam Münster quam Osnabrück, urbes in Westphalia sitae, antiquae, ob pacem, qua 1648 atrocissimo bello *Triginta Annorum* finis impositus fuit, iisdem in urbibus initam, aliosque plures eventus, haud parum celebres, Borussiae imperio, vi belli, subjectae sunt.

electus. Electus est deinde in Episcopum Monasteriensem: sed eundem Episcopatum suscipere non acquievit, adolescentiae suae forte pertimescens.

§ 3. Circa idem tempus dominus Adolphus Coloniensis Archiepiscopus, a pravis consiliariis seductus, insuper multâ pecuniâ corruptus, ab Othone filio Henrici Ducis Saxoniae, quem ipse ex consensu domini Innocentii Papae *, Romanorum Regem creaverat, et Aquisgrani coronaverat, rupto jurejurando recessit, et adversarium ejus Philippum Ducem Sveviae, filium Friderici Imperatoris eligens, in sede regia consecravit. Propter quod in civitate propria, Colonia scilicet, ex mandato jam dicti Innocentii, a judicibus ad hoc delegatis citatus, excommunicatus et depositus est. Excommunicati sunt cum eo universi pene nobiles terrae, eo quod ei adhaerent, et Philippi partes fovèrent. Quanta eodem tempore in Episcopatu Coloniensi perpetrata sint incendia, provinciae vastatae, ecclesiarum bona direpta, nunc Othone, nunc Philippo praevalente, paucis non potest explicari. Adolpho successit Bruno, Praepositus Bonnensis, qui a Philippo Rege, qui cum exercitu Episcopatum Coloniensem intraverat, in castro Wassinberg magis dolo, quam vi captus, vinctus est et eductus. Philippo autem occiso, et Othone in regno confirmato, ad sedem suam rediit: et non multo post in fata cedens, Theodorico sanctorum Apostolorum Praeposito sedem reliquit. Hic praesente Rege Othone in Archiepiscopum est electus, et pallii dignitate ejus gratia celerius donatus. Rege vero ab Innocentio in Imperatorem consecrato, propter retractionem terrae Mechtildis, quam Papae contulerat, tam graves inter eos oriuntur inimicitiae, ut Othonem, quem usque ad hoc tempus paterno affectu foverat, excommunicaret, eique Fridericum Henrici Imperatoris filium et Regem Siciliae adversarium suscitaret. Ad cujus promotionem Sifrido Moguntinensi Archiepiscopo plenariam potestatem legationis contulit: qui Theodoricum Archiepiscopum, eo quod fautor Othonis esset, indigne satis deponens, Adolphum restituit. Neuter tamen illorum Episcopatum recuperare valuit, licet in Curia Romana ab utroque satis pro illo laboratum sit: sed utrique trecentae marcae ex redditibus Episcopalibus sunt assignatae. Ecclesiae vero Coloniensi libera electio remissa est. Haec inserta sunt, o lector, ut posteris innotescat, in quali statu Ecclesiam, per longa et varia schismata laceratam et depauperatam martyr noster factus Episcopus invenerit, et in quali illam dimiserit.

§ 4. Post depositionem Othonis Friderico adhaerens, ac per

* Hujus nominis Tertius (1198-1216), qui, cum, post Henrici VI imperatoris obitum, Germania in duas partes scinderetur, alteram nempe, quae Philippo, Henrici VI fratri, adhaerebat, alteram vero, quae Othonis, Saxoniae Ducis, partes sequebatur, post longam animi fluctuationem, Othonem ut imperatorem habuit salutavitque, quia Philippus haereditate, quam Mathilda, piissima Tusciae Ducissa, S. Petro obtulerat, impie potitus erat. At postea, cum et ipse Otho haereditatem hanc occupasset, Innocentius III eum anathemate percussit, atque Fridericum, Henrici VI filium, ad imperium promovit.

hoc favorem domini Innocentii Papae conquirens, communi consensu in Archiepiscopum electus est. In ipsa die electionis ob praecedentem infirmitatem tam debilis fuerat, ut vix stare aut incedere posset: eratque signum, quod flebile principium melior fortuna sequeretur. Nam circa principium electionis ejus, totius pacis inimicus diabolus, qui fervescere facit quasi ollam profundum maris, suscitavit ei adversarios acerrimos, scilicet Theodoricum Comitem de Clevo *, et Walramum Ducem de Lymburg ** et Comitem in Lutzelburg *** eorumque cognatos et auxiliarios, ut futurus Machabaeus in eis experiretur. Quos ita humiliavit et repressit, ut illorum exemplo caeteri Comites ac nobiles terrae territi, contra ipsum mutire non auderent, verentes sibi evenire posse, quod quidam ait: *Tum tua res agitur, paries cum proximus ardet*. Aedificaverat enim Walramus castrum et villam forensem in Ducatu Coloniensi, quam dominus Archielectus destruxit et exussit. Ob quam causam tam graves ortae sunt inter eos inimicitiae, ut dominus Archielectus, et frater ejus Comes Adolphus, divortium fieri vellent inter Henricum filium Ducis Walrami, et filiam ejusdem Adolphi, consanguinitatem praetendentes, ne Comitia ad Henricum uxoris gratia devolvi posset. Non fuit adeo potens, qui in Ducatu ejus vel Episcopatu, inimici sui terram vastare auderet per incendium. Sic Comitum sive aliorum nobilium vel potentum insolentias repressit, ut pene nullius castrum destrueret, vel terram vastaret: magis prudentia, quam bellorum copià, sibi subjugans omnia, ita ut de eo dictum videatur,

Quique dolet, quoties cogitur esse ferox.

In civitatibus suis principalibus, Colonia scilicet et Susatia ****, majorem exercuit potestatem zelo justitiae, quam aliquis Episcoporum ante eum. Ad curias Friderici Imperatoris, tunc Regis, cum tanta gloria et expensis ascendit, ut caeteris principibus superior gloria et honore haberetur. Quantum eidem Friderico adstiterit, quantum ejus partes contra Othonem promoverit, usque hodie experitur. Et cum maximas haberet expensas, tum propter curias regales, tum propter supradictos nobiles, quorum timore corpori suo custodiam adhibebat satis sumptuosam, ab Honorio Papa qui Innocentio successit, antequam pallium ei dare vellet, solvere cogebatur, quae ejus antecessores Adolphus, Bruno et Theodoricus, dissensionis tempore consumpserant in curia, cum sorte usuras gravissimas, quorum summa transcendisse dicitur sexdecim millia marcarum.

§ 5. Friderico Rege ab Honorio ***** in Imperatorem coronato, cum intrasset regnum Siciliae, audita Archiepiscopi sibi in

* Nunc *Clèves*. ** Nunc *Limbourg*. *** Nunc *Luxembourg*.
**** Germ. *Soest*, urbs olim hanseatica, dein imperialis, nunc Borussiae regi subjecta.
***** Tertius hujus nominis. Ab anno 1198 usque ad 1227 regnavit.

Alemannia bene noti probitate, per litteras Imperiales regni negotia citra Alpes illi commisit, Henrici filii sui eum constituens tutorem, et totius regni Romani per Alemanniam provisorem. Qui regni negotia non absque timore suscipiens, Reipublicae tam utilem et tam fidelem se exhibere studuit, ut de contingentibus vel modicum, vel nihil negligeret, et invidus, ubi detractionis dentem figeret, in ejus verbis vel actibus non inveniret. Congregatis principibus, Henricum puerum * Aquisgrani in Regem consecravit: quem nutriebat ut filium, et honoravit ut dominum. Cum quo et sine quo diversas regni partes perlustrans, tantam fecit pacem, ut Augusti tempora crederes. Videntes hujusmodi virtutis opera praedones et dissensionis amatores, gloriae pontificis, sicut de Jonatha legitur, invidentes tabescebant: boni vero, et maxime negotiatores, ipsum laudantes et benedicentes Deum, pro concessa potestate glorificabant. Die quodam mercator quemdam Archiepiscopum Imperii, ipso audiente, pro fide publica per quaedam loca dioecesis ejus interpellabat. Quam cum ille dare renueret, nobilium sive militum illic habitantium malitiam praetendens, gloriosus Archiepiscopus et Dux Engelbertus, non Episcopo insultando, sed petenti compatiendo, ait: « Dic mihi, bone vir, audèsne te committere conductui meo? » Respondente illo constanter, *Etiam domine;* subjunxit Machabaeus noster: « Sume istam chirothecam, et si necesse habueris, pro signo ostendas: et si aliquid tibi vi sublatum fuerit, ego tibi omne damnum restituam.» Et fecit sic, gratia signi, immo timore Episcopi, sua securus deducens. Sicut scriptum est de Juda, *Similis factus est leoni in operibus suis, et protegebat castra Israël*, id est, bona Ecclesiae sibi commissae, *gladio suo* (*Mach.* III). Natura leonis esse dicitur, ut prostratis parcat, et erectos invadat. Noverat leo noster, Machabaeus noster, tum ex nobilitate naturae, tum ex zelo justitiae parcere subjectis, et debellare superbos. Erat enim defensor afflictorum, et malleus tyrannorum, magnanimus et humilis, gloriosus et affabilis, rigidus et lenis, multa pro tempore dissimulans, et cum minus speraretur, ad vindictam se accingens. Acceperat autem cum Episcopatu gladium spiritualem, et cum Ducatu gladium materialem. Utroque gladio rebelles coërcuit, quosdam excommunicando, quosdam per militiam debellando. Sic Machabaeus prius proprio in dejectione inimicorum, deinde Apollonii gladio legitur pugnasse. Et quid ejus laudi immorer, cum gloria, divitiis et potentia, sicut de Salomone legitur, omnes supergressus sit pontifices, qui ante eum fuerunt in Colonia: excepto Brunone primo, cujus gratiâ Ducatus Episcopatui per Othonem primum Imperatorem, cujus frater erat, additus est?

* Scilicet Romanorum rex, anno 1220. Is primogenitus erat Friderici II imperatoris: sed cum postea vita functo S. Engelberto, in patrem ipsum arma movisset, regia dignitate anno 1235, ab eodem spoliatus fuit. Obiit infelicissimus Henricus anno 1242.

In rebus exterioribus et fama sub nullo pontifice usque ad diem hanc, tantum Ecclesia Coloniensis profecit, quantum sub Engelberto. Praedia plurima simul et feuda, Ecclesiae diu subtracta, et a multis ejus antecessoribus sive per torporem, sive per invaletudinem neglecta, ipse per judicium et sententiam recuperavit. Puto tamen, quod judicio vel sententia modicum profecisset, si animi virtus et militiae robur illi defuisset. Praeter redditus Episcopales, post mortem fratris tenebat terram patris, de qua habebat ministeriales multos et redditus magnos. Ob quam causam Ducis Walrami, cujus filius Henricus filiam Adolphi Comitis duxerat uxorem, contra se non modicam excitaverat invidiam: sopita tamen omnia fuerant tali pacto interveniente, ut dominus Episcopus, quoad viveret, teneret terram: ille vero ab eo singulis annis in pecuniis reciperet pensionem. Praeterea feudis multis ac praediis diversis Ecclesiam Coloniensem ditavit et sublimavit, terminos ejus civitatibus, castris et possessionibus ampliavit. Quaedam ex his de novo aedificavit, quaedam renovavit, nonnulla pecunia comparavit. In quibusdam civitatibus et turribus suis, turrita satisque pulcra construxit palatia. Henricus Dux Lotharingiae et princeps Imperii, probitate praesulis attractus et illectus, et quia prudens esset in consilio, et validus in auxilio, quaedam sua praedia, quae hic nominare necesse non est, de manibus praesulis Engelberti jure feudali suscepit, tanto pontifici ejusque Ecclesiae volens arctius adstringi, et bonis propriis ab eo gaudens beneficiari.

§ 6. Joannes * Rex Jerosolymitanus propter eum, et cum eo Coloniam divertit: ubi tam magnifice susceptus est, ut tam ejus quam civitatis gloriam admirari non sufficeret. Quod dictum est de Salomone, qui regnavit in Jerusalem, quod Reges terrae desideraverunt videre faciem ejus, et audire sapientiam ejus, et obtulerunt ei munera: etiam de ipso exponi potest. Cognitâ ejus sapientiâ atque potentiâ, et quod potentior esset in imperio, Reges terrae, Franciae scilicet et Angliae, Daciae, Boëmiae et Hungariae, miserunt ei munera in auro et argento, gemmisque pretiosis, ejus adspectu et colloquio vel pro amicitia comparanda, vel pro diversis causis et necessitatibus uti desiderantes. Haec, quae a me in ejus laude scripta sunt, qui legerit, et illius gesta vidit, dicere poterit, quod regina Saba Salomoni dixit: *Probavi*, inquit, *quod media pars mihi nunciata non fuerit. Major est sapientia tua et opera, quam rumor quem audivi* (3. *Reg*. x). Fama nominis ejus et operum jam usque ad exteras nationes pervenerat, et timebant eum Saraceni. Cui nomen Salomonis re vera congruebat, eo quod esset multum pacificus, pacem diligens, et pacem faciens. Gratia pacis reformandae neque expensis, neque corpori pepercit. Unde

* Joannes ex illustri familia *De Brienne*. Is, quum Mariam, e Montisferrati Marchionibus Jerosolymitani sceptri haeredem, anno 1209, accepisset, illius urbis rex effectus est.

si beati pacifici, immo quia beati, et ipse beatus est. Qui cum aliquando argueretur a religiosis, quare exactiones faceret in populum sibi subjectum, humiliter se excusavit, culpam recognovit, dicens sine pecuniis pacem se non posse facere in terris. Tempore quodam de tali materia conferens cum magistro Joanne Abbate sancti Trudonis, ajebat: « Magister, nostis quid facere cogitaverim? » Respondente illo, « Non, domine: » subjunxit: « Super omnes redditus meos duodecim sculletos * ordinare disposui, ut illis caeteri administratores rationem reddant, et ex illis duodecim singulis mensibus singuli mihi meisque administrent, et ita non erit necesse, ut aliena rapiam, sive per exactiones aliquem gravem. »

§ 7. Ditaverat illum gratia divina, secundum usum exteriorem, spiritu sapientiae et intellectus, spiritu consilii et fortitudinis, spiritu scientiae et pietatis, nec deerat ei spiritus timoris Domini. Secundum usum exteriorem dixi, eo quod spiritualiter sine charitate haberi nequeant. Statum ejus interiorem Deus novit. Sed et quidam ex ejus Cappellanis, qui conscientiam ejus noverat, de ipso cum Abbate nostro conferens, sic ait: « Licet dominus meus secularis habeatur, non tamen intus talis est, qualis foris apparet. Sciatis eum multas occultas consolationes habere a Deo » Erat enim sapiens ad omnia, et intelligens. Sapienter ad omnia respondit, et quid quisque dicere vellet, facile intellexit. Cum venissent Coloniam fratres de novo Ordine Praedicatorum, necnon et fratres, qui dicuntur Minores, et graves quidam eis essent ex Clero, eisque coram Archiepiscopo Engelberto diversa objicerent, illos accusando, respondit: « Quamdiu res in bono statu est, stare sinite. » Cumque instarent tam primores, quam plebani, et dicerent: « Timemus ne isti sint illi, de quibus Spiritus Sanctus per os beatae Hildegardis prophetavit, per quos Clerus affligetur, et civitas periclitabitur; » verbum notabile respondit: « Si divinitus prophetatum est, necesse est ut impleatur: » quo verbo compescuit omnes. Spiritu consilii sic abundabat, ut in consiliis dandis esset providus, et in responsionibus tam promptus, ut consiliarii ejus sua parvipendentes consilia, mutuo dicerent: « Dominus noster consilium suum in crumena sua portat. Spiritu fortitudinis ita pollebat, ut neque minis frangi, neque blanditiis facile flecti posset, os habens agninum, et cor leoninum. Hinc est, quod cum dominus Conradus Episcopus Portuensis, et tunc temporis in Alemannia legatus, diceret praedicto Abbati Joanni: « Unde est, quod dominus Coloniensis ita timetur? » Respondit ille: « Ex quadam gratia speciali Dei est. » Spiritus scientiae illi non deerat: quia tanto rationis vigebat acumine, ut prudenter inauditas et difficiles solveret quaestiones: quod, multo litteratiores eo, facere non poterant. Cui etiam spiritus pietatis tantus

* *Schultetus* idem erat ac praetor urbanus, vel judex.

inerat, ut, si in turbis positus, consideraret ex remoto pauperem sibi loqui volentem, nutu, sive per nuncium, illum vocaret, et querimoniis ejus cum multa patientia perauditis, efficaciter expediret. Hoc saepius illi contigisse certum est. Quam pleno sinu necessitatibus afflictorum sit compassus, subjecta declarant exempla.

§ 8. Sedente eo Coloniae in palatio Episcopali in judicio, vidua quaedam causam habens, propius accessit, petens sibi dari advocatum, qui ejus querimonias proponeret. Cui beatus Episcopus compassus, advocatorum avaritiam non ignorans, viduae respondit: « Bona domina, liceat tibi pro te loqui: tu melius nosti quae necessitas te urgeat, quam alii. » Dicentibus scabinis: « Domine, hoc est contra jus civitatis: » non advertit verba illorum: hoc tamen adjiciens: « Nos bene intelligimus verba ejus. » Alio tempore, descendente eo de palatio, occurrit quidam, in partibus superioribus nescio a quo se spoliatum conquerens. Qui statim in gradibus gradum figens, ita ut erat vestibus ad iter accommodis indutus, et calcaribus instructus, substitit, et cum multa patientia hominem audire coepit. Marestallo * dicente: Domine, ascendite equum, quia via longa est et tempus breve: acsi non audiret, hominem monuit, ut causam suam peroraret. Cumque iterato clamaret Marestallus, conversus ad illum Episcopus ait: « Modo negotium produxisti. » Cumque plene intellexisset, ubi vel a quo spoliatus esset homo, accito notario, litteras in eodem loco et scribi et obsignari jussit, easque viro tradens, « Vade, ait, et ostende ei, qui tibi tua abstulit, has litteras: et si tibi non fuerint restituta, rursus ad me venias, et ego tibi tantumdem reddam: » sicque equum ascendit, et abiit. Ostendit et aliud signum magnae pietatis. Anno praeterito, cum annona venderetur sex solidis, et eo amplius, et, quod magis terruit homines, nec haberi quidem posset pro pecunia, naves cum annona comparans, auctoritate sua e provincia Moguntina eas jussit adduci, et per coenobia, quae magis indigebant, distribui. Eodem tempore Coloniae et per totum Episcopatum suum, ad totius provinciae subsidium, cerevisiam coqui inhibuit, malens maximis redditibus, quos recipiebat ab illis qui cerevisiam coquebant, carere, quam questus sui causa populos fame perire. Spiritu timoris Domini alienus non erat: quia nullus nostri temporis pontificum summo Pontifici plus illo timoris et reverentiae exhibebat. Unde cum dominus Honorius Papa mortem ejus deplangeret, dixisse fertur hoc verbum: « Omnes de Alemannia, timore ejus me timebant. Nam propter obedientiam, quam Papae et Regi exhibuit, occisus est. »

§ 9. Religiosos, immo in religiosis Christum, ita honorare studuit, ut personis privatis assurgeret, et tam humiliter cum eis

* Seu Marescalcus, scilicet equorum custos et curator.

loqueretur, acsi illis subditus esset. Sacerdotes seculares et pauperes valde, personis illustribus, secularibus tamen, neglectis, de sua scutella comedere, et de suo scypho bibere saepissime coëgit. Vestimenta sua aliquando satis pretiosa, quibus ad breve tempus usus fuerat, non histrionibus, sed sacerdotibus: non scurris, sed Clericis dare consueverat. Et quia timor sine dilectione minus placet, beatam Virginem Mariam, quae mater est pulcrae dilectionis, id est, Christi, qui fons est et auctor totius amoris, intantum dilexit, ut per annos aliquot, omnes quartas ferias in ejus honore jejunaret, et duabus vicibus, postquam factus est Episcopus, limina ejus in *Rupe amatoris visitaret.* Decorem domus Dei cum sancto David sic dilexit, sic desideravit, ut ecclesiam sancti Petri, quae mater est omnium ecclesiarum provinciae Coloniensis, renovare fratres hortaretur, promittens se quingentas marcas statim ad inchoationem oblaturum, ac deinde annis singulis marcas totidem, donec fabrica consummaretur. Fecerat autem ante mortem suam vestimenta pontificalia ex purpura et lino subtilissimo, fimbriis et laminis aureis, itemque margaritis et gemmis tanti decoris, ut cordis ejus devotio in illis tamquam in speculo reluceret. Semel tantum iis vestimentis usus est, idque in velatione sanctimonialium: quod officium sine lacrymis exercere non potuit. Calicem vero aureum ex gemmis pretiosis, a diversis Regibus illi missis, valoris, ut ajunt, plusquam quingentarum marcarum, ad honorem domus Dei fieri curavit, quem devotus super altare beati Petri Apostolorum principis obtulisset, si non prius de passionis calice bibisset. Haec de vita et actibus beati viri dicta sufficiant, ex multis pauca. Non enim tam multa, quam vera probitatis ejus acta scribere proposui, ne mihi ab iis qui virum noverant, de mendacio possit insultari, eo quod nondum expletus sit annus, ex quo passus est: et ne congestorum copia legentibus generet fastidium. Nunc autem quam feliciter, etsi difficulter, de laeva temporalium per ascensum purpureum, id est, martyrii meritum ascenderit ad amplexus veri Salomonis, id est, ad quietem divinae contemplationis, stylus manifestet; quia, ut ait quidam ex ejus concanonicis, sacerdos devotus ac litteratus, aliam viam, per quam in statu tali positus januam regni coelestis, quae angusta est, intrare potuisset, non considero.

§ **10**. Vas electionis beatus Paulus Apostolus, electorum gloriam, et divinam circa illos intelligens dispensationem, ait: *Quos autem praedestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, hos et magnificavit* (*Rom.* VIII). Quatuor hic enumerat, praedestinationem, vocationem, justificationem, magnificationem. Primum aeternum est, et est causa trium subsequentium. Quos Deus ab aeterno praedestinat, hos in tempore vocat, justificat et magnificat. Beatum pontificem Engelbertum, ab aeterno praedestinatum, praedestinantis gratia ad

martyrii locum tempore et occasione, quibus voluit, vocavit: vocatum, contritione, confessione et proprii sanguinis effusione justificavit: justificatum, signis et virtutibus post mortem magnificavit, et quotidie magnificare non cessat. De magnificatione ejus coelesti, dicere non sufficimus: quia qualis vel quanta sit, nescimus. Causa vero martyrii ejus, per quam illam promeruit, talis erat: Fridericus Comes de Isenburg, *Advocatus* * fuit Ecclesiae Essendiensis. Est enim Abbatia regalis, et ab Imperatore tenetur. Iste Fridericus, fratre seniore in fata cedente sine filio, ut fratris esset haeres, recedens a Clericatu, factus est miles: et tanto fortassis ad malignandum promptior, quanto a gratia remotior. Fuerat enim Fridericus majoris ecclesiae Coloniensis canonicus. In Comitem ex Clerico mutatus, fit Ecclesiae Essendiensis *Advocatus* nomine, re ipsa inimicus. Non enim defendere, sed magis depraedari didicit. Cum pater ejus Arnoldus Comes de Altena, vir admodum prudens et modestus satis in genere suo, ratione advocationis satis indebite jam dictam vexasset Ecclesiam, iste novissimus Fridericus exossavit eam. Advocatos sive sculletos Ecclesiae, contra voluntatem Abbatissae et sororum, amovit: pro libitu novos instituit: homines ad monasterium quocumque jure attinentes, tantis vexationibus angarians, tantisque exactionibus excorians, ut nobilis illa Ecclesia subsistere, vel diutius ejusdem incubatoris insolentiam sustinere non posset. Non legerat, vel potius non attenderat scriptum, si legerat, miserrimus ille: *Vae qui praedaris, nonne et ipse praedaberis?* (*Is.* XXXIII). Abbatissa saepius cum sororibus Coloniam veniens, cum coram primoribus suas miserias, et Friderici violentias prius domino Theodorico, ac deinde ejus successori Engelberto Archiepiscopo exponerent, modicum profecerunt, quod amore cognationis multa circa illum dissimularent. Post annos aliquot sororum querimoniis dominus Papa Honorius, necnon Imperator Fridericus defatigati, compatientes saepe dictae Ecclesiae, urgentes litteras Episcopo direxerunt. Qui cum Ecclesiae Imperialis injurias diutius dissimulare nec auderet, nec vellet, Comitem serio monuit, sed nihil profecit. Intantum autem ei pepercit, ut de propriis redditibus annis singulis certam pensionem ei offerret, modo advocatione legitime uti vellet: sed ille minime acceptavit, quoniam in malevolam animam non intrabit sapientia. Intelligens autem idemipse Fridericus praesulis voluntatem, quod eum exhaeredare vellet, cognatis conqueritur et amicis. Et ecce flante Behemoth, cujus halitus prunas ardere facit, sic succensus est ad Episcopum interficiendum, ut verbis fumantibus carbones, idest, satellites suos, homines in malitia exercitatos, et ad omne facinus pronos, ad

* Advocatus Ecclesiae, Aevo Medio, is dicebatur, qui contra hostes ipsam tuebatur, juraque ejus coram judicibus defendebat. Nomine, honoribusque Abbatis vel Canonici, proventibus, privilegiisque multis, Ecclesiarum Advocati fruebantur; qua de re munus hoc a Principibus vehementer expetitum erat.

parricidium inflammaret. Fridericus, dictio Teutonica est, et significat *pacis divitem*. At misero isti non nisi per antiphrasim, id est, a contrario congruebat. Nam pacis inops erat, pacis inimicos sibi socians. Mox cultelli, lanceae, enses praeparantur, a misero miseri falsis promissis animantur. « Ego sum, inquit, Comes, castra fortia habens et terram. Duo ex fratribus meis Episcopi sunt. Dux Walramus, et terrae nostrae potentissimus, affinis meus est, cujus filius Comitatum Montensem habiturus est. Consobrinus sum Theodorici Comitis Clivensis, cujus fratruelis est nobilis vir de Hennisberg. Godefridum Comitem de Arnsberg, Othonem Comitem de Tekelenburg, Herimannum potentem de Lippia, et alios complures injuriis affecit, laesit et offendit, nec est qui sanguinem ejus vindicet. Omnes vos ditabo, protegam et sublimabo. » Simili quiddam clandestino huic parricidio, antequam occideretur beatus Episcopus, frater Friderici Engelbertus cuidam honesto militi, sicut nuper ab ejus ore audivi, proposuit, ita dicens: « Tales et tales sunt cognati mei, tales et tales sunt affines mei, praedictos nobiles nominans, et quis mihi fratribusque meis nocere posset? » Respondente milite: « Nullus sane possit, maxime quamdiu vobiscum est dominus et cognatus vester Archiepiscopus: » ille subjunxit: « Ponamus non superesse Archiepiscopum, ecquis nobis vim vel contumeliam inferre posset? » Miles quidem respondit, sicut et prius responderat, sed satis displicuit ei hic sermo, cum postea comperisset, quare prolatus esset ab eo. Atque inde conjici potest, hoc sacrilegium non tum primum, cum Episcopus occisus est, fuisse conceptum, sed diu pertractatum. Feruntur huic conspirationi consensisse nonnulli potentes, quos fama quidem non tacet, sed propter tempus nominare non licet: sed veniet narrandi opportunitas, dicente Salvatore: *Nihil est opertum, quod non reveletur: et occultum, quod non sciatur* (*Matth.* x).

§ **11**. Post festum omnium Sanctorum Deo dilectus pontifex propter bonum pacis Susatum venit. Venit et Fridericus cum fratribus suis Episcopis, aliisque cognatis suis atque consiliariis. Ubi cum triduo pro compositione pacis laboratum esset, nulla via, quae Friderico placeret, inveniri potuit. Induraverat enim diabolus cor ejus quasi lapidem, et strinxerat id quasi malleatoris incudem. Ejus consiliariis tunc temporis congruebat, quod de diabolo, cujus membra per conspirationem effecti sunt, paulo superius ad Job dictum est a Domino: *Corpus illius quasi scuta fusilia, compactum squamis se prementibus. Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas. Una alteri adhaerebit, et tenentes se nequaquam separabuntur* (*Job* XLI). Ita erant, quicquid ore dicerent, conspiratores illi in concepta malitia pertinaces et indurati, ita cohaerentes et confoederati, ut nullum pacis consilium corde possent admittere.

§ **12**. Placuit circa idem tempus Spiritui Sancto, martyris sui finem quibusdam viris religiosis, idque diversis in locis, revelare. Monachus quidam congregationis nostrae, juvenis probatae vitae, Abbati nostro secretius dicebat: « Domine, si qua habes tractanda cum Archiepiscopo, ne differas: quia brevi morietur. » Post dies paucos infirmarius noster, Winandus nomine, pro negotio quodam ad illum, Susatum directus est. Qui cum in Veteri monte, domo Ordinis nostri pernoctaret, et mane vellet recedere, Supprior subsecutus, ait ad eum: « Est apud nos conversus quidam, spiritum habens propheticum, sicuti saepe experti sumus. Is tribulationem ingentem brevi domino nostro Archiepiscopo eventuram prophetat. Quapropter rogo vos, ut moneatis eum ut cautus sit, seque custodiat. » Cui ille respondit: « Satius est me id tacere: nam pro frivolo habiturus est. » Veniens inde ad Episcopum, benigne susceptus est et expeditus, nec quicquam tamen illi hac de re indicare ausus fuit. Die sequenti dominus Episcopus litteras indices mortis suae accepit. Quas cum legisset, in ignem mittens, pedibus conculcavit, ne discordiae seminarium fierent inter ipsum et cognatum suum Comitem Fridericum. Recitavit tamen eas Episcopo Mindensi, qui praesens erat. Cui cum diceret ille: « Cave tibi, domine, propter Deum, non solum tua causa, sed etiam pro utilitate Ecclesiae nostrae, et totius terrae salute: » respondit ille: « Angustiae mihi sunt undique, et quid mihi faciendum, Dominus novit, prorsus ignoro. Vae mihi, si tacuero: si autem eis proposuero, dicent, immo amicis et cognatis de me conquerentur, quod parricidii crimen eis impingam. Non solum de Friderico, sed etiam de Godefrido et Willelmo, fratribus ejus, suspicio fuit: » et adjecit: « Ego ab hac hora corpus et animam meam divinae committo providentiae. »

§ **13**. Assumensque Episcopum illum in sacellum suum, solus soli coepit confiteri omnia peccata sua ab ineunte aetate, cum tanto imbre lacrymarum, ut totum pectus ejus infunderent, et cordis maculas crebris stillicidiis, ut speramus, diluerent. Cumque diceret ei dominus Mindensis: « Timeo adhuc latère in conscientia vestra, quod mihi dictum non sit: » respondit beatus ille: « Dominus scit me ex industria nihil subticuisse. » Postea tamen plenius cogitans de peccatis suis, summo mane in priorem locum ducens confessorem suum confessor Domini, in spiritu humilitatis et in animo contrito, quod memoriae occurrerat, rursus cum tantis lacrymis confessus est, ut in tali persona talem gratiam lacrymarum Episcopus Mindensis mirari non sufficeret, et ille merito cum Propheta dicere posset: *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodivi legem tuam* (*Ps.* 118). Teste eodem Episcopo, cujus relatione haec comperta sunt, sic se contritione cordis coram Domino mactavit, sic se oris confessione mundavit, tam sollicite utraque justificatione se praeparans, acsi ipsa die moriturus esset.

Postea conscientiâ serenatâ, confidenter ait: « Modo voluntas Dei de me fiat. » Interim pulsabatur ad ostium sacelli, sed non permisit aperiri dominus Archiepiscopus, eo quod haberet oculos ex fletu adhuc tumidos et humidos. Cumque pulsando perseverarent, dicerentque Monasteriensem et Osnaburgensem Episcopos ad ostium stare, postquam oculos extersit et faciem siccavit, permisit eos intromitti: quibus et ait: « Vos, domini, ambo cognati mei estis: ego, sicut optime nostis, in nullo vos laesi, sed quantum potui, semper promovi. Et ecce a diversis, tam litteris quam verbis, indicatur mihi, Comitem Fridericum fratrem vestrum, quem ex animo dilexi, et cui non nocui, malum mihi machinari, meque velle occidere. » At illi simulantes, quod in pectore non habebant, pavidi responderunt: « Absit hoc, domine, absit: nihil necesse est vos hoc reformidare, quia nunquam ascendit in cor ejus. Omnes per vos ditati, honorati et sublimati sumus. » Et hoc quidem verissimum erat. Nam Theodoricum, electus in Archiepiscopum, statim promovit in summi templi Praepositum, ac deinde in Monasteriensem Episcopum; Engelbertum vero in Praepositum S. Georgii, et postea in Episcopum Osnaburgensem: et Philippum fratrem illorum, in summa Coloniensi ecclesia Canonicum, et thesaurarium fecit. Atque eo tempore quo occisus est, operam dabat, ut Bruno frater eorum Praepositus fieret summae aedis Trajectensis. Quae idcirco commemorare volui, ut lector cognoscat, qualem ei vicem rependerint. Revera retribuerunt ei mala pro bonis; et cum loqueretur illis et pro illis bonum, impugnant eum gratis.

§ 11. Comes Fridericus ut conceptam malitiam melius dissimulare posset, pro bono pacis ipsi a domino Episcopo oblata verbotenus acceptavit, cum eo a Susato exiens, eumque tam familiariter deducens, ut ei Episcopus diceret: « Cognate, cum multa jucunditate simul ascendemus ad solemnem Regis et principum conventum, qui Nurenbergae * celebrabitur.» Sciens autem Fridericus, quod postera die dedicaturus esset ecclesiam in Swelme **, oblata hac occasione, exemplo Judae petiit licentiam ab Episcopo discedendi, sicque ad satellites suos rediit, eosque diversis in locis insidias tendere jussit, quidque facerent instruxit, et omni quo potuit studio ad facinus animavit. Erat tum sexta feria post festum omnium Sanctorum, et Domini electus eodem die Sanctis omnibus per meritum passionis sociandus, ad dedicationis locum jejunus venire constituit. Eodem autem die occurrit ei vidua quaedam, super duabus causis sub divini nominis obtestatione judicium illius flagitans. Cujus vociferatione sacerdos Dei commotus, ne in hoc inferior videretur judice illo iniquitatis, de quo Dominus dicit in Evangelio, quod nec Deum timebat,

* Germ. *Nürnberg*, gall. *Nuremberg*, urbs antiqua et imperialis, anno 1805 Bavariae regno tradita.
** Germ. *Schwelm*.

nec hominem reverebatur: mox de equo descendit, et, sede compositâ, loco Ducis, ad judicandum sedens, super feudo, de quo vidua conquerebatur, sententiam quaesivit et accepit. Audiens vero pro se et contra viduam sententiam esse latam, ex multa cordis commiseratione protulit verbum memoria dignum: « En domina, inquit, feudum hoc, de quo conquereris, tibi per sententiam ablatum, mihique adjudicatum est. Sed ego propter Deum, dolens miseriam tuam, id tibi relinquo. Porro alterius negotii tui ad me non pertinet querimonia.» Simile quiddam legimus in Romana historia de pio principe Trajano: qui cum esset in expeditione positus, et militia vallatus, vidua illi vetustissima in foro occurrit, et injuriam suam illi conquesta est. Cumque ille diceret se jus ei dicturum cum rediret, et illa responderet incertum esse reditum ejus: mox dominus orbis substitit, viduam audivit et vindicavit, omnia illi restituens. Amplius aliquid operatus est princeps noster. Trajanus per judicium viduae fecit justitiam; Engelbertus omne judicium convertit in misericordiam. Et quia sine fide impossibile est placere Deo, si Imperator illam humanitatem exercuit zelo justitiae, non appetitu secularis gloriae, poterat ei esse ad mitigationem poenae, quod sacerdoti Domini, eo quod esset vir catholicus, contritus et confessus, meritorium fuisse creditur vitae aeternae. Opus Imperatoris, cum extra charitatem factum sit, mortuum remansit. Opus vero Episcopi, quod ex charitate factum speramus, ad martyrii gloriam valde eum habilem reddidit.

§ **15**. Cum autem Episcopus properaret ad locum destinatum, Comes Fridericus circa meridiem venit ad eum, certior fieri cupiens quo tenderet, et qui vel quot cum eo essent. Episcopus illum salutat, utque apud se pernoctaret, plurimum invitat: sed ille non acquiescit, aliquid semper, ut prius, causae praetexens. O cor agninum! o oculum columbinum! Cor sine felle, oculus sine suspicione! Invitat amicus hostem, domesticus latronem, hostia carnificem. Comite recedente, et pontifice procedente, tempus adest vespertinum. Vesperis vero dictis, rursus adest Comes. Eum cernens eminus Conradus, Comes Tremoniae, ait ad Episcopum: « Domine, creber Comitis hujus accessus et recessus mihi multum est suspectus. En nunc tertio venit, et non, sicut ante, in palefrido, sed in dextrario *. Consulo vobis, ut et vos dextrarium vestrum ascendatis. » Cui ille respondit: « Hoc nimis esset notabile. Non enim timeo: quia non nocui illi. » Cumque appropinquaret, viderunt vultus ejus colorem penitus immutatum. Heu quam difficile est, ut quidam ait, crimen non prodere vultu! Coepit autem eum alloqui Episcopus, et dicere: « Sciebam, cognate, quod tandem maneres mecum: » sed ille nihil respondit.

* *Dextrarii* nuncupabantur equi majores et cataphracti, quibus milites utebantur potissimum in bellis. Gallice ii dicuntur *dextriers* vel *coursiers*.

conscius ipse sibi; pergebantque simul. Ea causa quidam tam ex Clericis, quam ex militibus suspicione territi, ab illorum se comitatu subduxerunt. Magna vero pars Episcopalis familiae cum cocis jamdudum ad hospitium praeparandum praecesserat, et pauci cum pontifice remanserant. Sole properante ad occasum, hostia cum immolante properat ad aram, ut fieret Domino sacrificium vespertinum, quod dignius erat in lege.

§ **16**. Circa crepusculum ventum est ad locum insidiarum, et ecce Comes enormitatem concepti facinoris considerans et abhorrens, dicere coepit ad suos: « Vae mihi misero! Quid est, quod facere voluit, ut dominum et cognatum meum occiderem? » Sed mox illi, quos ipse jam ante flatu Behemoth succenderat, eum rursus inflammantes, adeo ad facinus instigaverunt, ut instar colubri venenum, quod ad breve tempus evomuerat, ardentius resorberet et resumeret; statimque cum Heriberto de nece Episcopi tractans voluntatem suam ei exposuit. Ille confestim, ut edoctus fuerat a fratre suo dapifero, assumpto secum Heriberto de Swerem, dominum Archiepiscopum praecesserunt: et cùm in ascensu montis esset, Comes ait: « Domine, haec est via nostra. » Cui Episcopus respondit: « Dominus nos custodiat. » Non enim sine suspicione fuit. Tunc parum exspectans Comes, alios famulos post eum misit, praecipiens eis, ut Heriberto assisterent in eo, quod ille moliturus esset. Cumque jam concavam viam, quae in summitate duabus hinc inde semitis cingebatur, dominus Episcopus ingrederetur, praemissi servi Comitis cum tanto strepitu aditum praeoccuparunt, ut etiam ipse pontifex, sicut hodie testis est Cellarius de Hemenrode, turbatus miraretur. Alii a dextris, alii a sinistris gradiebantur: quidam vero retro cum Comite insidias observantes, sequebantur. Tunc Heribertus signum eis dans qui in latebris erant, tam horrificum edidit sibilum, ut non modo homines proditionis ignari, sed etiam equi, quibus insidebant, stuperent. Mox ii qui praecesserant, extractis gladiis reversi sunt. Id ubi conspexit miles quidam, qui inter illos et Episcopum erat, territus clamavit: « Domine, ascendite cito dextrarium vestrum, quia mors in januis est.» Ducebatur enim dextrarius a tergo ejus a nobili adolescente de Hemirsbach. Videntes autem famuli Comitis, quod dextrarium ascendisset, objecerunt se ei, et unus ex illis vulneravit eum graviter in crure, nullo eum defendente, excepto milite Cunrado de Tremonia, qui districto ense Heriberto Rinekore se objecit, quem tamen is Heribertus antevertens, dire in fronte percussit; et cum se ab illo Cunradus averteret, alio ictu inter scapulas eum vulneravit. Atque hic est ille Heribertus, qui paulo ante dominum Episcopum praemonuerat, ut si secus, quam ipse sperabat, res eveniret, excusare se posset. Ut autem viderunt haec illi qui erant cum Episcopo, omnes, relicto eo, fugerunt. Quid post haec de illo gestum sit, tum propter suorum fugam,

tum propter imminentem noctem plene sciri non potuit. Sed ecce nutu Dei actum est, ut Comes Fridericus ab urbe rediens, Coloniam captivus adduceretur, ex quo martyrii ejus ordo modusque cognitus est. Is enim facinus suum palam confessus, paricidii reos nominatim expressit, etiam fratres suos de reatu accusans. Captus est cum eo, et milite quodam, Tobias notarius ejus: qui in vinculis positus, ad preces quorundam Canonicorum, qui me ad scribendum amplius sollicitarunt, ut verius scribi posset, quemadmodum et a quibus occisus esset Episcopus, spe consequendae veniae manifestavit, Deum testem adhibens, se vera dixisse, prout ipsius Comitis in agone, et aliorum nefandorum Romae confessio patefecit. Ut ergo Tobias ille scripsit, cum dominus Episcopus in via concava positus adhuc esset, satellites praeire jussi, tanta vi arrepto freno dextrarium ejus verterunt, ut frenum ei e manibus extraherent: cumque ex utraque parte alio divertere non posset, quod via arcta et concava esset, per mediam illam fugere coepit. Illis autem eum insequentibus, Joachim dextrarium ejus in femore vulneravit: et cum ex neutra parte in via eum antecedere possent, Heribertus extra viam cum equo exiliens, in arctissima semita, sicut ipse confessus est, eum praeveniens, per capitium arripuit, et eum ex latere ad se inclinans, secum in terram traxit. Sed mox violenter surgente beato Episcopo, quia fortior illo erat, cum extra viam in rubo Comes audisset, propius accedens, clamasse dicitur: « Apprehendite et tenete eum, quia fortior nobis efficitur vir.» Cumque verba supplicationis ederet Episcopus et diceret: « Sancte Petre, quid mihi imputant homines isti? » frendens Fridericus ait: « Caedite latronem, caedite qui et nobiles exhaeredat, et nemini parcit. » Tunc Giselbertus videns Heribertum chlamydi ejus inhaerentem, ocyus descendit, et furibunde accurrens, primum vulnus capiti ejus inflixit, secundo ictu vibrans ferrum, manum ejus, ut puto, amputavit, corpusque ejus gladio transfixit. Tobiae sunt haec. Eadem hora Jordanus qui ab eo proscriptus fuerat, superveniens, maximum vulnus capiti ejus imposuit, quemadmodum in Isenburg jactitavit, semel atque iterum dicente Episcopo: « Eheu, eheu.» Tum seorsum eum inclinantes, Heribertus primo cultello eum perfodit, Comite, ut ajunt, ejulante et clamante: « Heu me miserum : nimium est.» Cum autem Giselbertus caput ei praecidere vellet, a Godefrido, quem Comes ad prohibendum miserat, per capillos abstractus est. A quercu autem, ubi primo caedi coeperat, usque ad locum, ubi detractus est et extractus, ubi hodie super martyrium ejus sacellum fabricatum est, vix decem passus distant. Ubi super eum velut canes rabidi ac famelici, filii perditionis congregati, cultellis acutissimis ad hoc praeparatis sic totum corpus ejus perfoderunt, ut a vertice usque ad plantam nulla pars corporis a vulnere vacua remaneret. Porro unus ex eis,

fertur eum sub pede incidisse, exploraturus an extinctus esset. Deinde ad equos suos singuli revertentes, ad Comitem convenerunt, corpore Episcopi in terra relicto. Patrato tanto parricidio, homines malo daemone pleni cum suo Comite, immo totius malitiae fomite recedentes, Domini sacerdotem, acsi unctus non esset oleo, reliquerunt in sterquilinio. Miles autem quidam, Leonis nomine, qui illi adhaeserat, cum primum detentus et vulneratus fuit, Henricum Cellarium de Hemenrode, qui paulum praecesserat, subsecutus, ait ad eum: « Heu, domine Cellarie, quid faciemus? Dominus noster Archiepiscopus graviter vulneratus est, et a Comite Friderico captivus abductus est. » Cui ille, supra quam credi potest turbatus, respondit: « Pium est, ut revertamur et videamus quid circa illum agatur, vel quorsum abducatur. » Cumque simul reversi essent ad locum caedis, audiunt clamores carnificum illorum in nemore errantium. Erat enim nox, et cum undique circumspicerent, offenderunt corpus martyris extinctum, confossum, ipsoque adspectu nimis horrendum. Valde igitur consternati, suadente Cellario, ne a feris corpus exanime, si illic nocte remaneret, indigne attrectaretur, abeunt ad proximas aedes, atque inde bigam stercorariam, qua illa die fimus evectus fuerat, adducunt; et ecce corpus clarissimi principis, quod ex parte vestitum reliquerant, pene totum reperiunt nudum. Nam praeter femoralia et subuculam, quae collo ejus adhaerebat, nihil ei reliquerant: diploidem vero et pileum ejus juxta corpus invenerunt. Quae omnia ita erant sanguine infecta et dilacerata, ut tamquam nulli usui accommoda spoliatores illi neglexerint. Per quae tamen hodie multi sanitatis beneficia consequuntur. Cellarius vero et miles atque eleemosynarius corpus tollentes, et linteamini involventes, vehiculo imposuerunt. Cumque Swelme illud perduxissent, et in ecclesia ponere decrevissent, non permisit sacerdos, contaminationem basilicae praetexens, cum potius sanguine martyris dedicaretur. Sed propter hoc et alia quaedam, quibus martyris gratia se indignum reddidit, usque hodie satis graviter in suo corpore divinitus flagellatur. At tamen positus est in eadem domo in qua pernoctare et comedere proposuerat sacerdos Dei vivus, duaeque candelae dedicationi praeparatae illic collocatae sunt, una ad caput, altera ad pedes. Cum autem inter se vigilias noctis partiti essent, et Cellarius usque ad mediam noctem corpori assideret, precesque horarias beatae Dei Genitricis et Virginis Mariae lectitaret, sicut hodieque testis est, nunquam aliquid horroris ex contactu illius, ut de cadaveribus occisorum fieri assolet, passus est. Haud dubium, quin ex praesentia sanctorum Angelorum gratia haec extiterit, qui apud corpus martyris coelestes excubias celebrabant. Fuerat autem is Henricus Cellarius ante conversionem miles, et tanto fortasse ad hujusmodi opus expeditior et audacior quanto assuetior.

§ 17. Mane martyris corpus currui impositum est: cumque illud deducerent, plures ex familia Episcopi, qui timore mortis dispersi fuerant, deducentibus adjuncti sunt. Venientibus autem ad novum castrum, quod beatus Episcopus suis expensis aedificaverat, cum intrare vellent, ut illic corpus lavarent et componerent, negatus est introitus, timore, ut aestimo, Henrici nunc Comitis de Monte. Sed Randulphus Prior Montensis coenobii, ante castrum illis occurrit, eoque duce ad monasterium festinatum est. Cumque appropinquarent monasterio, fratres cum Cruce et thuris suffitu eis obviam processerunt. Corpore sacro in feretrum de curru deposito, quidam e senioribus Henricus nomine, nunc ejusdem monasterii Prior, linteamen de capite martyris removit, vultum ejus cruentum et confractum fratribus ostendens. Quo viso, lacrymati sunt valde, tam dilecti patris morte, et tali morte, plurimum consternati. Specialiter enim ille dilexerat Montense coenobium, utpote ab ejus proavis fundatum. Henricus vero cum ob cruris infirmitatem uno pede nutaret, cogitans beatum virum a nocentibus innocenter occisum, brachium ejus nudum nuda manu tetigit, et plena fide eamdem benedictionem ad crus nudum transmittens, gradum pedis vacillantis roboravit. Nam sicut ab ejus ore nuper audivi, ipsa hora coepit lenius habere, et gradatim proficere. Deinde cum vocibus lacrymosis corpus in oratorium illatum est, et eadem nocte quibusdam fratribus mirificae visiones de gloria martyris in somnis oblatae sunt. Postea magno studio corpus ejus in coenobio lotum et evisceratum est, mirrhaque et sale conditum, et vestibus sacerdotalibus decenter indutum. Numerata tum sunt in martyris corpore quadragintaseptem vulnera, exceptis parvis punctionibus.

§ 18. Feria secunda pontificis corpus Coloniam perducitur, et ad gradus ecclesiae sanctae Dei Genitricis, cum moerore totius civitatis excipitur. Quantus tum illic fuerit gemitus, dolor, planctus Clericorum, clamor et ululatus eorum qui erant in ministeriis, plebis diversi sexus et aetatis quanta vociferatio, pastoris sui mortem deplorantium, probitatis ejus insignia commemorantium, et Friderico mille mortes imprecantium: nullius vox dicere, nullius stylus conscribere sufficit. Praeferebatur feretro interula, martyris sanguine purpurata, quae ad commiserationem movit universos. Nec mirum, si Colonia tanto pastore viduata planxit. Erat enim ille maxima columna templi, honor Cleri, inter proceres regni famosissimus, patriae pater : et ut breviter dicam, speciale decus fuit temporis. Tam autem fidelis fuerat Ecclesiae sibi commissae, ut quodam tempore uni e ministris suis dixerit : « Non tu tam sollicitus es, ut liberis tuis, quos unice diligis, amplam relinquas haereditatem, quam ego sollicitus sum, ut beatum Petrum et Ecclesiam ejus haereditate ditem. » Reipublicae quoque tam fuit utilis, ut neque corpori, neque expensis

parceret, modo prodesset multis. Deportatur inde corpus martyris per curam Episcopalem cum lacrymis multis, cum Crucibus et thuribulis in domum beati Petri, ibique deponitur; multaque ei beneficia per multos dies tam in Missis, quam in Psalmis, more Christiano impenduntur. Diu enim in illa ecclesia mansit corpus inhumatum, quod per futurum antistitem primores et qui ministeriis fungebantur, illud conventui principum praesentiare, et de percussoribus ejus conqueri statuissent, sicut et factum est. Ea enim causâ sacrum corpus coquentes, carnes ab ossibus separaverunt. Sicut autem testantur qui aderant, ita martyris calvaria gladiis caedentim confracta et comminuta fuerat, ut de caldario corpore extracto, particulatim vix posset conjungi. Cum tristis rumor occisi pontificis Ecclesiam perturbasset, Dux Walramus dolorem super dolorem ejus addens, tertia die a caede ejus, ante quam corpus ejus venisset Coloniam, congregato milite copioso et multis rusticis, castrum Valantiam, quod beatus vir ad munimentum terrae non longe a castro Rodensi, maximo sumptu aedificaverat, absens obsedit, et post paucos dies cum magno suorum tripudio dejecit. Nam propter Episcopi repentinum interitum, et Walrami improvisum adventum, qui in castru erant, propter penuriam annonae, armorum et propugnatorum hostibus se dediderunt. Walramus ut a facto excusare se posset, sicut et fecit, praesens adesse noluit: sed fratrem suum Gerardum cum filio Walramo ad castrum destruendum misit. Ajebat enim in suam ignominiam illud extructum. Gerardus vero, qui in castro diruendo multum fervebat, eodem die, quo solemne tricenarium ejus qui castrum extruxerat, agebatur Coloniae, vitâ privatus, in Wassenberg sepultus est. Eum post quinque menses frater ejus Dux Walramus secutus, eamdem viam universae carnis ingressus est. Post cujus mortem duo filii ejus Walramus junior et Comes Henricus, gravi admodum infirmitate correpti, satis vexati sunt, nec adhuc plene convaluerunt. Causam vero tum mortis illorum, tum horum male valetudinis Deus novit *......

* Refert nunc monachus Caesarius plura miracula, quae, ipso teste, S. Engelberti intercessione patrata fuere; dein, quanto ardore Henricus, S. Engelberti in Coloniensi sede successor, crudele impiumque facinus persecutus fuerit; quasnam demum poenas Fridericus Comes dederit, enarrat. Quae omnia, necessaria brevitate coacti nos praeterimus.

VITA S. WILLEHADI

PRIMI EPISCOPI BREMENSIS

PER L. SURIUS EX MS. CODICE, MUTATO FERE STYLO, DESCRIPTA. EST HISTORIA FIDE DIGNA, TAMETSI AUCTORIS NOMEN CODEX NON HABET, SED AB ALIO ABBREVIATA VIDETUR.

Obiit anno 789 — Nat. Anglus.

§ **1**. Willehadus vir venerabilis, ex Britannia majori originem duxit. Porro spiritualibus instructus disciplinis, sacerdotio initiatus est. Ubi vero comperit Frisones, hactenus gentilismi erroribus implicatos, Christianae fidei expetere mysteria, magno zelo incitatus, accurate coepit perquirere, qua posset ratione ad eam gentem pervenire. Atque eo salutis animorum zelo, agente Spiritu Dei, in dies augescente, accessit ad Regem Anglorum Alachintum *, eique aperuit, quo zelo esset incensus, petivitque ejus permissu sibi licere praedicandi verbi vitae causa ad Frisones proficisci. Rex, compertâ ejus sanctissimâ voluntate, convocato ad se Episcoporum servorumque Dei non parvo coetu, de communi omnium sententia et consensu, jussit eum adire gentem illam, eique fidenter annuntiare verbum Dei.

§ **2**. At vir Dei gratulabundus accessit ad mare, eoque transmisso, venit in Frisiae locum quendam, quem Dockinge ** vocant, ubi jam ante beatus Bonifacius fuit martyrio coronatus. Cujus concionibus multi illic fidem edocti, et Christiana religione initiati fuere. Unde factum est, ut honorifice illic Willehadus exciperetur. Multo vero tempore ibi habitans, docuit ea quae sunt Dei, ita ut etiam permulti nobiles, suos filios ei traderent instituendos, et multi ab errore in viam revocarentur, et magna infidelium turba ejus praedicatione instructa, undis salutaribus expiaretur.

§ **3**. Inde autem proficiscens vir Dei, trajecto flumine Lavinca ***, venit ad locum, quem Huchmarke **** appellant: cumque ejus habitatores ab idolorum cultura ad verum Deum colendum revocaret, illi furore perciti, exclamarunt, virum tam profanum prorsus e medio tolli oportere. Nec deerant tamen moderatores

* Northumbriae rex. Northumbria autem unum e septem Regnis, quae sub Heptarchiae nomen veniunt, erat.

** *Dockum*.

*** Vulgo *Lauwers*, medius inter Frisiam Occidentalem et Groningiam.

**** In ea provincia, quae *Over-Yssel* nuncupatur.

quidam et sanioris consilii, qui more gentis sorte experiendum dicerent, num morte afficiendus esset. Sed agente divina providentia, sors eum non attigit. Itaque liberam ei fecère abeundi potestatem. Illis ergo relictis, venit in Drentiam *, ubi multi ejus praedicatione conversi, crediderunt in Christum, et baptizati sunt. Porro discipuli ejus, divino eos impellente amore, idolorum fana demoliri conabantur : sed id barbari molestissime ferentes, eos trucidare voluerunt. Caesus tum fustibus est beatus Willehadus, et multae ei plagae impositae sunt. Quidam vero ex illis, districto gladio in eum irruit, et caput ei amputare voluit : sed vir sanctus thecam, in qua Sanctorum reliquiae inerant, ad collum suspensam habebat. Itaque ictus ille in ejus caput vibratus, partem quidem ligaminis thecae discidit, sed eum prorsus nihil laesit. Eo miraculo pagani territi, illum cum discipulis illaesum, a se dimiserunt.

§ 4. Porro invictissimus Francorum Rex Carolus **, audita ejus famâ, eum egregie animavit ad propagandam Christi religionem, veritus ne fractus injuriis, a praedicando verbo Dei cessaret. Tum vero in Wigmodiam *** se conferens, ecclesias illic condidit, et populum salutari praedicatione alacriter erudivit. Denique anno Christi septingentesimo octogesimoprimo, omnes Frisones circumcirca degentes, Christianam fidem se complecti velle promiserunt. Sed anno tertio Wedekindus **** Saxonum dux, congregato exercitu, adversus Carolum Regem rebellavit, Christianosque persequi, et e suis finibus profligare coepit. Id ubi comperit vir Dei Willehadus, abiit in Utriustri *****: sed ibi quoque imminentem persecutionem, Christi benignitate evasit. Inde vero Romam proficiscens, cum sanctissimi Pontificis Adriani consolatione animatus esset, in Franciam laetus rediit. In illo itinere scutella ejus linea confracta, creditur meritis ejus redintegrata.

§ 5. Porro autem Carolo Francorum Rege jubente, in Wigmodiam reversus, Christi fidem publice et strenue praedicavit, destructaque templa instauravit : conatusque eos Domino adjuvante et prosperante, eodem anno Frisones fidem Christi, a qua defecerant, rursus complexi sunt : atque etiam Wedekindus ipse, totius mali auctor, Regi Carolo se submittens, baptismi gratiam percepit. Carolus autem Rex cum esset Wormatiae ******, servum Dei Willehadum Episcopum consecrari ******* voluit, ideoque factum est tertio Idus Julii. Ejus autem paroeciae subjecit Wigmodiam, Haras, Utriustri, Astergam, Wangam et Noërden. Et illic quidem primus Episcopus fuit beatus Willehadus : in ipsa autem functione

* Drentia est Hollandiae provincia.
** Carolus Magnus, Galliarum rex et Occidentis imperator. Vita functus est anno 814.
*** Ita nominabatur regio, quae inter flumina Wisurgim (*Weser*) et Albim (*Elba*) sita est.
**** *Wittikind*, celeberrimus Saxonum dux, qui, post varia belli discrimina, tandem Caroli Magni armis subactus, pacem et baptismum, anno 785, petiit.
***** *Utriustrum* est *Riustri* pars exterior prope mare; *Ubriustrum* pars interior.
****** Germ. *Worms*.
******* Anno 787, die 13 julii.

Episcopi admodum pie et religiose se gessit, virtutumque studia multis modis auxit. Cum autem corporis incommoda valetudine admodum confectus esset, Hadrianus Pontifex jussit, ut piscibus vesceretur, quibus ob studium abstinentiae uti non solebat. Nullus prope dies abiit, quo non sacra Missarum solemnia cum magna cordis contritione celebraret, insuper nonnunquam duo vel tria Psalteria lectitans. Ita vir beatus doctrinam suam egregie ornabat, exemplo suo confirmans quod ore praedicabat.

§ 6. Bremae aedificavit templum elegantissimum, dedicavitque illud Calendis Novembris Dominico die in honorem Domini nostri Jesu Christi, et beati Petri Apostoli. Atque ea in urbe Episcopi sedem constituit.

§ 7. Tandem cum universam paroeciam suam studio piae intentionis crebro perlustrasset, in locum, qui Bleckensee * dicitur, pervenit: ubi tam acri correptus est febre, ut discipuli qui cum eo erant, vitam ejus desperarent. Unus autem ex eis familiariter ei adhaerens, dolorem, quem ex ejus obitu impendente conceperat, lacrymis et querimoniis testatus est: « Noli, inquiens, pater sancte, plebem, quam pascendam suscepisti, quaeque cultui divino sese accommodare videtur, deserere, ne tenellus grex, te decedente, luporum morsibus exponatur. » Ei vero beatus vir sic respondit: « Noli, fili mi, a Domini mei conspectu diutius me avocare. Oves ab illo mihi commendatas, ei tuendas committo. Non deerit vobis benignitas ejus, cujus misericordia plena est terra. » Atque ita pia animi devotione vir Domini coelo semper intentus, sexto Idus Novembris, cum jam virtutibus perfectus esset, in Christi pace obdormivit. Ad ejus exequias plebs devota undique accurrens, patrem et doctorem optimum cum hymnis et laudibus ad Bremensem ecclesiam, quam ipse condiderat, deportaverunt, in eaque sacrum corpus ejus tumularunt. Fuit in Episcopatu Bremensi annos duos, menses tres, dies vigintisex **.

* *Flexem* in Frisia, quo S. Willehadus, praedicandi causâ, sese contulerat.

** S. Anscharius, tertius S. Willehadi, in Bremensi episcopatu successor (845-865), Vitam ipsius, quem is probe cognoverat, descripsit. Eam edidit Pertz. Nonnulla de ejus gestis habet etiam in sua *Historia eccles. Saxoniae* Albertus Krantz († 1517).

VITA

S. GODEFRIDI EPISC. AMBIANENSIS

AUCTORE NICOLAO MONACHO SUESSIONENSI, EJUS AEQUALI.

CUJUS TAMEN DICTIONEM PASSIM MUTAVIT ET PLERUMQUE CONTRAXIT *

LAURENTIUS SURIUS.

Nat. anno 1066, mortuus anno 1115 — Nat. Gallus.

§ 1. Venerabilis Godefridus pago ** Suessionensi editus est in lucem, habuitque parentes ingenuos, fide et actione catholicos. Pater ejus Frodo, mater Elizabeth dicta est. Degebant autem illi in praedio Moulicurtensi, et coenobio beatae Mariae Novigenti *** e suis redditibus, terris et vineis, non parum multa contulere. In eo autem coenobio annis aliquot vixit Frodo in habitu monastico, praeclaraque innocentiae et patientiae exempla reliquit: mater vero orbata viro, instar turturis, casu aliquo conjugem amittentis, in viduitate et animi puritate perseverans, usqueadeo supervixit, ut filium suum viderit ejus monasterii regimen obtinere.

§ 2. Est celebre monasterium in Veromanduorum solo, in beati Quintini martyris honorem conditum, Peronae oppido propinquum. Ei per id tempus praeerat vir pius Godefridus, et morum integritate, et generis nobilitate clarus. Fuit enim patruus Idae, filiae Alberti nobilissimi Comitis Namurcensis, quae juncta matrimonio egregio consuli Boloniensis **** provinciae Eustachio, Godefridum et Balduinum ei peperit: qui postea itineris Jerosolymitani, quod, jubente Urbano Pontifice maximo *****, susceptum fuit, duces et moderatores invictissimi divinitus instituti, urbem Jérosolymam, in qua totius mundi vita a sacrosanctae Crucis patibulo pependit, armis expugnarunt, atque in ea alius post alium imperium obtinentes, annis aliquot barbaras et a Christi religione alienas gentes egregie debellarunt, et tandem illic animas Christo reddiderunt, honorifice ea in civitate, ubi sepulcrum est Domini, tumulati. Quae quidem idcirco mihi commemorata sunt,

* Nos quoque, brevitatis studiosi, nonnulla, more nostro, omittemus.

** In ea regione scilicet quae ab urbe *Soissons* nomen accepit. Locus autem, ubi S. Godefridus exortus est, *Moulicourt* vel *Moulincourt* dicitur.

*** Scilicet de *Nogent*, in dioecesi Lauduni Clavati (*Laon*).

**** Haec Galliarum provincia *Comitatus* titulo juribusque tunc temporis fruebatur. Bononia gallice *Boulogne* vocatur.

***** Hujus nominis II (1088-1099), qui, anno 1095, primum Crucesignatorum bellum indixit promovitque.

ut possit intelligi genus illustre tanti patris, quem constat etiam gregi suo magna cura invigilasse, religione celeberrimum, litterarum scientia et rerum quoque externarum et politicarum peritia, cumprimis instructum fuisse.

§ 3. Cum autem ille die quodam per pagum Suessionensem iter haberet, hospitio uti voluit ejus, quem diximus, Frodonis. Qui cum uxore sua tamquam Dei servum honorifice eum accepit, et charitatis officiis, multaque humanitate prosecutus est, et ad pedes ejus pariter provoluti, ab ore ejus verba salutis attentis animis perceperunt. Omnis enim sermo ejus e divinis erat Scripturis depromptus, de gloria justorum, de poenis impiorum, de contemptu rerum visibilium et caducarum, de invisibilium semperque manentis beatitudinis et felicitatis appetitione. Cumque ille eis loqueretur, inter alia sciscitatus est ex eis, num quemquam e liberis suis (duos enim filios, illos habere didicerat) Domino serviturum obtulissent. Tum vero illi alta trahentes suspiria, multoque ab oculis manante lacrymarum imbre, ajunt se id necdum fecisse : eos, quos ante genuissent, quorum alter Fulco, alter Odo dicebatur, jam seculari militia implicatos teneri : se vero jam toto decennio nullam edidisse prolem, et jam tendere ad senectutem, nec ullam deinceps sperare sobolem : orare tamen, ut a Christo ipse eis impetrare velit filium, quem possint monasticae professioni mancipare. Respondet ille, ad eam rem promerendam, expetenda esse justorum suffragia et merita, piorum lacrymas, monachorum et circumquaque degentium servorum Christi preces. « Non enim, inquit, unum me sufficere video huic rei impetrandae : sed quia ex propheta didicimus, fidelem Dominum in omnibus verbis suis, quid ille in Evangelio promittat, interioribus auribus fideliter accipite : *Si quid, ait, petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis* (*Jo.* XVI). Vos ergo in nomine filii patrem rogetis, credatisque vos accepturos, et fiet vobis. » His dictis, ad sua abiturus, illis valefacit, hortaturque ut in preces et opera pietatis incumbant. At illi duas vineas, alteram apud Morellichortem, alteram apud Cuphejas, cum redditibus ei dono dedere, ut fratres, qui sub ejus cura degebant, inde sustentarentur. Quae quidem ille cum gratiarum actione suscipiens, ubi ad monasterium suum rediit, convocatis fratribus, quid illo itinere evenisset, exposuit, Frodonis quoque et conjugis ejus devotionem et pietatem, atque ab eis munus liberaliter collatum, indicavit. Fratres, iis auditis, Christo ingentes agunt gratias, offerunt sacrificia, jejuniis et litaniis praepotentem Deum permovere conantur, ut ocyus illorum voto satisfiat. Christus, cui humilium et mansuetorum semper placuit deprecatio, exaudit desiderium pauperum : Elizabeth concipit filium, suo tempore in domo Dei, quae est Ecclesia, luminare magnum futurum. Accurrunt cognati et vicini, mira omnes laetitia et exultatione afficiuntur : et deinde edita

tanta prole, non modo homines, sed etiam coelestis patriae cives, gratulantur.

§ 4. Ut autem baptismi gratiam perciperet natus puer, ad monasterium sancti martyris Quintini deportatus, atque a monasterii patre Godefrido, cujus paulo ante meminimus, amanter exceptus et baptizatus est, atque etiam e fonte sacro ejus manibus susceptus, ejus nomine appellatus est. Jussit autem idem Christi servus, nescio quid divinae in illo gratiae praesentiens, accurate eum enutriri, ut in templo Domini tamquam alter Samuel, quandoque jugiter serviret, et crescente in illo gratia Spiritus Sancti, intrans in sancta sanctorum, offerret sacrificium pro populo Dei : quod et factum est, ut suo loco dicemus.

§ 5. Ablactatus inde cura parentum, cum jam quinquennis esset, rursus ad eundem patrem Godefridum adductus est. Ille vero puerum exosculans, habitum religionis ei tradidit, disciplinisque tum liberalibus, tum monasticis diligenter erudivit. Et ille puerulus, perinde ut solet humus, nimio solis adusta fervore, infusum imbrem celeriter imbibere, et fertile solum, accepto semine, messori copiosam refundere segetem : a magistro tradita, avide hauriebat : et reipsa quoque et opere exequi, avidius et ardentius conabatur. Unde factum est, ut ab illo monasterii patre impensius amaretur, et suis quoque coaetaneis et aequalibus non mediocri venerationi esset. Augebatur interim in illo gratia Dei, et coram Deo et hominibus in dies aetate et sapientia proficiebat.

§ 6. Erat ei vultus propemodum angelicus : nec modo aequaevos, sed etiam aetate majores, morum honestate et maturitate anteibat. Erat in vigiliis pernox, creber in precibus, Scripturae divinae studiosissimus, non id spectans, quod plerique solent, ut doctus videretur : sed intime lucis suavitatem, et lacrymarum largos imbres inde eliciens, atque intelligentiae pennis ad superna se erigens, quae lectione didicerat, tamquam mundum animal assidua commemoratione ruminabat. Cibi potusque multa in eo cernebatur parsimonia : quippe memor erat illius Boëthianae sententiae, naturam paucis minimisque rebus esse contentam. Itaque non modo superflua, sed etiam necessaria corpori non raro subtrahebat, adeo ut plerumque fratribus cibum capientibus, solus in templo meditationi sive lectioni operam daret, atque usque in noctem jejunium protrahens, confectum inedia corpusculum tum demum non exquisitis epulis, sed pane et aqua reficeret. Os ab obtrectatione et otiosis sermonibus perpetuo refrenavit, nec ad aures ejusmodi virus admittere voluit. Non tantum superioribus et aequalibus, sed etiam inferioribus, Christi Salvatoris vestigiis pro modulo suo insistere cupiens, obedientem et morigerum se praebuit, ut etiam extrema quaeque ab illis imperata, haud secus atque si Christus jussisset, sine mora exequenda susciperet.

Portionem vini, quae illi apponebatur, nunquam visus est hausisse totam, sed plerumque mediam, saepissime totam egenis impertiit, idem faciens de piscibus, et aliis rebus esculentis. Et quid me necesse est multa singulatim perstringere? Erat omnibus ceu speculum ob oculos positus, ut facile quivis in eo possent animadvertere, quantum a perfectionis culmine abessent.

§ 7. Duo illic erant constructa oratoria, alterum Thomae apostoli, alterum Aegidii confessoris : e quibus unum valetudinario, aliud dormitorio propinquum erat. In iis vir beatus saepissime solebat noctu vigilare. E suo enim lectulo, fratribus nescientibus, surgens, et nocturnas vigilias antevertens, eo se conferebat, hymnis et laudibus divinis vacans, cum multis lacrymis ad vitae fontem et domus Dei ubertatem suspirans, ut posset ipse quoque dicere cum Propheta : *Fuerunt mihi lacrymae meae panes die ac nocte* (*Ps.* 41). Iis enim delectabatur et fruebatur, earum consolatione fretus, per desertum et arentem hujus exilii solitudinem, coelestis patriae ardens desiderio, ad bravium supernae vocationis constanter contendebat.

§ 8. Habebat in eodem monasterio germanum fratrem, Odonem nomine, mirae simplicitatis et innocentiae virum. Quem a seculari militia orationibus, mellitisque sermonibus abstraxerat, et monachorum contubernio adjunxerat. De cujus vita, quando se offert occasio, obiter pauca dicemus. Quadraginta ille et eo amplius annis in monasterio monachus sobrie, pie et juste versatus est: et divinas quidem ignorabat litteras, sed praecepta Dei ab aliis edoctus, opere implere studuit. Decem et octo annis esu carnium abstinuit, donec Abbatis imperio et fratrum sententia compulsus, communem monasterii regulam vel invitus ea in re sequeretur. Tempore Quadragesimae decem annis usqueadeo silentii tenax fuit, ut nullum prorsus, praeterquam in confessione sacramentali, verbum fuderit. Nec solum iis Quadragesimae, sed etiam aliis anni diebus, pane et aqua contentus, carnem multis afflixit modis, quotidianisque virgarum et flagellorum ictibus contrivit. Monasterii rebus, quae ei creditae erant, tanta fide usus est, ut, quod possit incredibile videri, non modo extraneis, sed ne cognatis quidem, obolum unquam volens gratis dederit Abbatis injussu. Cum jam extremus adesset vitae ejus dies, coram fratribus Dominica percipiens sacramenta, manibus in prece extensis, hilari vultu animam expiravit. Potest hinc animadverti, quam religiosum et pium Godefridi genus fuerit.

§ 9. Provincia illa, in qua monasterium hoc situm est, omnibus pene frugibus abundat: vineis magna ex parte caret. Itaque habitatores non fere nisi aliunde importato vino utuntur. Abbas vero et monachi non ignorantes Godefridi industriam, id officii ei demandarunt, ut vinum compararet in usus fratrum, atque etiam pauperum et hospitum, ad ipsos divertentium. Id ille

quidem initio graviter accepit, sciens aegre posse eorum animos in virtutibus habere progressus, qui rebus mundanis distrahantur. Sed cum vera humilitas nunquam destituta sit comite obedientia, admodum reverenter et submisse eam provinciam recepit. Statuerat enim apud se, non suo vivere arbitratu, sed alieno parere imperio. Interim tamen suis meritis minime praefidens, fratrum opem sedulo expetebat: et tum sanis, tum debilibus, atque etiam pueris permulta humanitatis officia praestabat, ut Christum ardentius deprecarentur, quo per regium incedens iter, onus impositum ferret humiliter, et neque ad dexteram, neque ad sinistram deflectendo, ad Christum pertingere mereretur. Adeo autem divina illi adfuit gratia, ut monasterii res, ab ejus antecessoribus afflictas, et aere alieno obligatas, monasterio restituerit, et fratribus illic degentibus, aliisque eo adventantibus res necessarias abunde suppeditarit.

§ **10**. Cum aliquando pagum Suessionensem, in quo natus fuerat, circumiret, ad quoddam monachorum coenobium pervenit eo die, quo sanctorum martyrum Crispini et Crispiniani illic quiescentium, solemnitas magno concurrentis plebis studio celebrabatur: quorum quidem martyrum ille perpetim memor erat. Adjungens igitur se monachorum clericorumque psallentium frequentiae, animi sui sinceram pietatem ac devotionem in psalmis, hymnis et canticis spiritualibus suave sonantis Ecclesiae perspicue declaravit. Erat enim non legendi dumtaxat, sed etiam canendi apprime peritus, tamque suaviter Christi depromebat laudes, ut qui eum audirent, lacrymas funderent. Porro autem paulo ante, quam Missarum solemnia celebrarentur, in refectorium ingressus, casu illic multos offendit monachos, poculis et carnibus vescendis operam dantes: qui ubi eum conspicati sunt, nonnihil verecundari coepere: sed quod eis esset carissimus, deterso rubore, invitant eum, ut cum ipsis comedat. At ille: « Nolite, inquit, fratres isthuc a me petere; » moxque non sine magna admiratione subjungit: « Aequumne est, cibum ventris refectioni mentis anteferre? Nondum completa est Missarum celebritas, et jam ventrem epulis infarcire juvat? Oremus, psallamus, debitas Christo et Sanctis ejus laudes persolvamus, esurientes animas verbi Dei adipe saginemus, impleatur in bonis desiderium nostrum, primum quaeramus regnum Dei et justitiam ejus, reddamus quae sunt Dei, Deo, postea ad reficienda corpora accedamus. » His illi non, uti par erat, emendati, sed animis exulcerati, et atra bile perciti: « Veni, veni, inquiunt, paries dealbate, pinguissimo cibo unge arteriam, ut clarius vox tua percutiat ac penetret aures nostras; » multaque alia in venerandum virum probra conviciaque jactarunt. Ita solent mali etiam recte facta bonorum sinistre interpretari. Porro Godefridus nihil his motus, sed cogitans illud Sapientis: *Qui erudit derisorem, ipse injuriam*

sibi facit (*Prov.* IX): submisso capite, depressisque luminibus, ad templum mox rediit, cum timore et gaudio spiritali festum diem peragens. Hujus rei in eo monasterio hodieque fit mentio et commemoratio: in quo nunc gratiâ Dei, sanctorumque illic quiescentium intercessione, et fratrum labore, monastica disciplina vel maxime viget.

§ **11**. Postquam autem Godefridus quintum et vicesimum aetatis excessit annum, Abbas ejus sanctitate permotus, voluit eum sacerdotio initiari. At ille se ad ejus pedes abjicit, flet largiter, nec ut plerique solent, verbis fictis, sed ab intimo animi affectu expressis, etiam lectoris, nedum sacerdotis, munere se indignum proclamat. Sed tamen pergit Abbas, jubet Godefridum ad Noviomensem * adduci Ecclesiam, cui tum Episcopus Rachodus praesidebat, vir sane doctissimus. Cui etsi Godefridus et notus admodum, et carus esset, at nihilominus perfecti monachi Deoque digni vita et mores ei indicantur. Itaque illum ad se accersitum Episcopus amplectitur et deosculatur, loculentoque sermone e divinis scripturis docet et ostendit, subditos suis praefectis per omnia obedire debere. Deinde nulla interjecta mora, Godefridus sacerdos ordinatur, ipso praesule admodum exultante, quod suo ministerio id in tanto viro esset effectum. Ille vero quantum augebatur gradus dignitate, tantum et virtute et sanctitate crescebat. Castissimae vitae ejus fama, non solum in vicina, sed etiam remota loca se diffundebat. Optabant omnes eum habere pastorem. Quis enim non summopere appeteret illius erudiri magisterio, imbui institutis, felici gubernatione dirigi?

§ **12**. Monasterium beatissimae Matris Dei, quod Novigenti praeclare extructum est, per id tempus ab Henrico Abbate sancti Remigii Rhemensis, administrabatur. Porro Ingelrammus Comes castelli Cociati, pater Thomae imprimis strenui militis, et Helinandus praesul Laudunensis **, cum viderent, neque spiritalibus, neque externis bonis, quantum ipsi vellent, illud augeri, ab Henrico Abbate magnis precibus contenderunt, ut aut accuratius id, quam hactenus fecisset, instauraret, aut ab illo se prorsus removeret. Se enim nolle amplius ejus ferre detrimenta, quorum studio et beneficiis fundatum esset. Ille vero tum adversa valetudine, tum ingravescente aetate impediri se sentiens, quo minus praestare posset id, quod exigebatur, liberam eis permisit pastoris eligendi facultatem. Mox illi communicato cum Rainaldo Rhemorum Archiepiscopo, caeterisque Episcopis consilio, Godefrido hoc onus imponendum communi sententia decernunt. Comperta enim eis erat integritas, virtus et modestia ejus. Refertur autem isthuc etiam ad Philippum Francorum Regem: isque tanti viri electione mire gratulans, rem jubet accelerari, missis etiam litteris suis ad Godefridum Abbatem montis S. Quintini, quibus

* *Soissons* scilicet. ** Gall. *Laon*.

eum rogabat, ut Godefridum monachum suum eo mitteret, ubi nutu Dei Abbas esset electus. Eas litteras ubi accepit senes ille venerabilis, infusus lacrymis: « En, inquit, senectutis meae baculum, in quo mihi solebat in perturbationum et tempestatum fluctibus esse perfugium et quaedam respiratio, quemque huic loco ego deliberabam pastorem praeficere, nunc mihi repente auferre vultis? » Monachi quoque pariter lacrymari, *eheu eheu* crebro dicere, vereri loci desolationem, mortem oppetere malle, quam tanti fratris et sodalis amico contubernio et praesentia fraudari, quem omnes se patrem et Abbatem habituros sperassent. Sed cum Regis voluntati, et Episcoporum postulationi reluctari non auderent, Abbas Godefridus eum perduxit Laudunum clavatum, ad Helinandum Episcopum, ubi ille coram omnibus crebra trahens suspiria, opponebat aetatis et morum immaturitatem, scientiae inopiam, indignum se asserens, qui in templo Domini extremi aeditui fungeretur ministerio, tantum abesse, ut custos vasorum fieret. Sed quantumvis ille haec aliaque id genus allegaret, non solum non est exauditus, sed quamprimum pastorale munus tueri ac sustinere jussus est, Novigentumque honorifice adductus, non modo hominibus, sed uti credere par est, etiam coelitibus ea re gratulantibus.

§ **13**. Cumque eo pervenisset, non nisi sex monachos et duos puerulos illic invenit: nihil ibi vel vini, vel frumenti supererat: cellas admodum humiles et angustas videre licebat (mapalia diceres), virgis vel viminibus intextas. Excreverant dumeta, tribuli, rubeta, et alia arbusta passim: quibus succisis et extirpatis, agroque eruderato, a fundamentis extruxit loca, monachorum habitationi opportuna et accommoda. Domum quoque aedificavit, in qua pauperes et aegri reciperentur, quibus fovendis terras et vineas delegavit. Ad eam domum solebat quotidie se conferre, eorum qui illic morabantur, pedes abluere, vestes eis praebere, defunctos officiosissime sepulturae mandare.

§ **14**. Multi vero ad eum confluere coeperunt, quemadmodum solent apes ad florentem thymum, vel cytisum: in quibus fuere duo patres egregii, Lambertus coenobii Floriniacensis, et Walradus S. Nicolai de Ribodi monte, praefecti: qui nativum solum et monasteriorum regimen sive gubernationem relinquentes, in ejus se disciplinam tradiderunt, vel extremis ejus vestigiis insistere cupientes. Inter hos medius recumbens Godefridus, cum illo jubente, multa essent in mensam fercula illata, vix quicquam inde degustavit, herbis virentibus vel arborum fructibus corpusculum sustentans. Quae supererant, egenis vel male valentibus alacriter distribuebat. Non mediocriter mirabantur omnes, quod usque adeo in se gulam edomitam haberet.

§ **15**. Sub eo interim militum Christi exercitus et merito et numero augebatur, inter quos ille optimus pater, quodammodo

oblitus dignitatis suae, qua caeteros antecellebat, parvulum se exhibuit, admonuitque ut sedulo in ea essent cogitatione, unde vel qua causa venissent, quo tenderent, et qua irent: ut nihil sibi peculii vendicarent, voluntatem propriam frangerent, puritatem cordis, oris veritatem, corporis munditiam momentis omnibus Christo exhiberent, atque ut invicti milites, in spiritalis pugnae procinctu stantes, fraterna acie stipati, charitatis glutino inter se conjuncti, summopere in eam curam incumberent, ne quis in ipsos hostilibus insidiis patèret accessus. Aegrotos incredibili animi commiseratione prosequebatur, ita ut propemodum cum illis eadem pati videretur. Eorum salutis et sanitatis instaurandae causa nullis parcebat sumptibus, immo nec sibi ipsi quidem, si posceret necessitas. Omnia omnibus factus erat, ut omnes Christo lucrifaceret. Interim tamen sicut erga bonos multa utebatur benignitate et morum suavitate, ita improbis severum et rigidum se exhibebat. Noverat enim, quid naturae, quidve vitiis deberetur. Hos itaque acriter objurgabat, urgebat, spiritualis medicinae cauterio urebat, modis omnibus id agens, ut integre curari possent.

§ 16. Eo tempore, quo Godefridus Abbatis munere fungebatur, in peccatores divina justitia magno coeli ardore animadvertit. Arescebant prae nimio aestu arbusta et segetes omnes, messis nulla spes in his regionibus relicta erat, flumina quoque magna ex parte exsiccabantur: pisces vi caloris et igneae vaporationis praefocati, super undas ferebantur: jumenta et pecora prae siti passim domi et in agris exanimata, corruebant. Ipsi etiam homines ex corrupto aëre quandam mortis speciem contraxisse videbantur, cute turgente et livida. Quid plura? Diceres confusa elementa pene omnia, et, si dici fas est, in quoddam chaos cuncta redacta. His igitur paternis castigationibus eruditi praevaricatores, redeunt ad cor, videntque in se impleri illud Sapientis: *Pugnabit pro eo orbis terrarum contra insensatos* (*Sap.* v, 21). Jam tacti montes fumigant, jam perpendunt, quam vilis est carnis materia, quam brevis et foeda voluptas: itaque ad poenitentiae lamenta confugiunt. Interea Hugo, Suessionum Episcopus, admodum angebatur animo, quod gregem sibi commissum, videret tam atroci vastari exterminio, nec tamen aequissimum Dei judicium culpare posset. Mittit ergo Novigentum, accersit inde patrem Godefridum, sciscitatur ex eo, qua ratione sit avertenda praesens ira Dei. Illo consulente, indicitur per omnem dioecesim jejunium, non hominibus dumtaxat, sed etiam jumentis et pecoribus, ut olim apud Ninivitas, ut quod noxiorum culpa commeruerat, lactentium, insontum atque etiam brutorum animantium abstinentiâ expiaretur. Indicto jejunii die innumera utriusque sexus hominum turba apud Suessiones confluxit, adducebantque sacras reliquias in aedem Stephani protomartyris, quod ea tantae

multitudini capiendae aptior videretur. Ibi tum Episcopus orat B. Godefridum, ut populum tanta calamitate oppressum, sermone consoletur et erigat, aitque se non dubitare, illius et sanctorum, quorum reliquiae adessent, meritis Christum placatum iri. Non recusat Godefridus, sed luculenta et mellita oratione, et quae sale condita esset, auditorum animos medullitus compunxit. Cumque sermonem protraheret, subito densae nubes coelum omne occuparunt, crepant tonitrua, micant fulgura, ruit impetu e coelo largissimus imber, dimanant per plateas et agros aquarum rivuli, populusque festinat domum, quod diluvium impendere videretur. Quis ambigat, tam necessarium munus clementissimum Deum ob merita servi sui et sanctorum suffragia, quorum illic cineres populus fidelis pie venerabatur, de repente contulisse? Et quid mirum, justos homines impetrare a Deo quae petunt, quando licet corpore degant in terris, animo tamen cum illo versantur in coelis, et unus cum eo spiritus sunt, dicente Apostolo: *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est?* (1. *Cor*. VI).

§ **17**. Manasses Rhemorum Archiepiscopus, quandoque accivit beatum virum ad synodum Rhemensem, et coram omni frequentia rogavit eum, ut monasterium B. Remigii gubernandum susciperet. Erat illud prope Rhemorum urbem, Novigenti coenobio divitiis et dignitate praestantius. Sed vir prudens respondit, se neque ea esse industria et peritia, ut tanto muneri par esse queat, neque se velle semel a Christo acceptam ecclesiolam deserere. Cumque et Archiepiscopus et alii antistites etiam atque etiam hortarentur et obsecrarent eum, ut id faceret, ille immota animi constantia Niceni Concilii Canonem sibi servandum statuens, in medium prosilit et exclamat, *se neque posse, neque velle, pauperculam sponsam praeditiori contemnere*. Mirantur omnes beatum virum divitias paupertati, mundi gloriam humilitati posthabere.

§ **18**. Per id tempus Gervinus Ambianensium * Episcopus, vir non admodum sanae mentis, quibusdam rebus adversis vexatus, sedem suam plane deseruit, ita ut Ecclesia illa aliquandiu pastore careret. Quod cum periculo vacare non posset, indictum est tota dioecesi jejunium, misericordiae operibus et precibus atque litaniis divina pulsata clementia. Tandem electus est ** Godefridus, Novigenti monasterii Abbas qui jam bonus erat Christi odor in omni loco, et sanctitatis suae fama etiam illas partes compleverat. Missa quoque legatio est ad Philippum *** Regem Gallorum: qui ubi comperit Godefridum electum, ingentes Deo gratias egit. Erat enim Regi illi pro sanctitatis suae reverentia carissimus et valde familiaris; statueratque Rex, opportunitate oblata, eum ad Episcopi munus provehere. Jussit igitur more regio, ejus promotionem accelerari.

* Gall. *Amiens* ad Samaram (vulgo *Somme*) flumen, olim Picardiae metropolis.
** Anno 1104.
*** Hujus nominis I, e Capetorum progenie. Obiit anno 1108.

§ **19**. Eodem tempore Richardus Cardinalis et Apostolicae sedis legatus, apud Trecenses * celeberrimum habuit conventum Episcoporum, Abbatum, et Galliae procerum. Eo igitur se Ambianorum legati conferunt, proponunt se pastore orbatos, unanimiter a Clero et populo electum asserunt Godefridum, Rege quoque assentiente. Tum vero omnes qui in eo conventu Godefridum noverant, Christum summopere collaudarunt: sed ille interim fugam meditabatur. At vero interceptus, jubente Cardinali et Episcopis, in medium eorum adducitur, cunctis acclamantibus dignum eum fore Ecclesiae ministrum, strenuum dispensatorem: beatum futurum populum, qui talem sit pastorem habiturus. Ajunt omnes tunc, *Te Deum laudamus*, cantasse. Inde vero servus Dei regressus est Novigentum, expectaturus illic consecrationis suae ministrum Rhemorum ** Archiepiscopum Manassem. Magnus autem dolor obtinuit omnes, qui hac occasione se propediem ejus gratissima praesentia carituros sentiebant.

§ **20**. Postquam Manasses Rhemorum Archiepiscopus domum rediit, proceres Ambiani Novigentum veniunt, Godefridum peramanter Rhemos perducunt. Magnus eo totius regionis Episcoporum fit concursus, in quibus erant etiam Lambertus Atrebatensis *** et Joannes Morinensis **** Antistites, sapientia et eruditione insignes, religione et sanctitate celebres, sponsae Christi bases et firmamentum, beato Godefrido prae caeteris addicti. Quanta illic animi et corporis humilitate, quanta lacrymarum vi consecratus sit vir Dei, nullis verbis explicari potest. Noverat enim, etsi grandis sit honor, tamen etiam grande esse ejus pondus honoris. Potentes namque, ut Scriptura ait, potenter tormenta patientur, et fortioribus fortior instat cruciatio, nisi ministerio suo recte perfungantur. Cumque ex more Evangelii codex ejus capiti imponeretur, et explicaretur, statim occurrit locus ille: *Elizabeth impletum est tempus pariendi, et peperit filium* (*Luc.* I). Non mediocri id omnibus admirationi fuit. Ut enim Joannes Baptista, ita et Godefridus matrem habuit Elizabetham, decem annis sterilem atque senescentem. Paravit ille viam Domino, paravit et Godefridus. Laudabant itaque Deum universi, qui quasi argumento quodam indicare voluisset, vitam servi sui sibi gratam, qui per ostium, et non aliunde intrans, verum et idoneum se suis ovibus dictis et factis pastorem esset exhibiturus.

§ **21**. Hactenus, quae beatus Godefridus adhuc monachus egit, carptim annotavimus, nihil admiscentes, nisi quae fide dignorum hominum relatione cognovimus. In quibus ne qua esset falsi suspicio, simplici potius oratione, quam compta et phalerata, uti voluimus. Neque enim sancti homines tam sunt angusta virtute,

* Gall. *Troyes*. ** Gall. *Rheims*.
*** *Atrebates* vel *Nemetacum*, nunc *Arras* dicitur.
**** *Morinorum* urbs praecipua erat, quae nunc vocatur, *Thérouanne*.

ut ea nostris vel mendaciis, vel fucis amplificari et ornari egeat, cujus et testis et remunerator est Christus Deus qui eos accumbere facit in regno Patris sui, gloria et honore eximie coronatos. Postquam vir Dei Rhemis consecratus est, Ambianos proficiscitur: adventanti urbs tota obviam ruit, exceptura pastorem suum. Ubi ad beati Acioli martyris aedem, quae extra urbis muros est, accessit, a jumento desiliens, per asperrimam viam, utrumque latus ejus stipantibus Lamberto et Joanne Episcopis, quos supra diximus, usque ad beati Firmini martyris ecclesiam nudis pedibus, cunctis cernentibus, ingressus est, ab imo pectore interim suspiria trahens: ubi ad populum sibi commissum egregiam concionem habuit, cui intererant multi litterati viri, non pauci etiam, qui postea Episcopi, Abbates, et ecclesiarum rectores effecti sunt. Iique omnes uno ore testabantur, nunquam se ex quoquam, tam divina, tamque sublimia et recondita percepisse: veritateque compellente, ajebant eum revera esse sancti spiritus organum.

§ **22**. Ille vero Episcopi dignitate auctus et sublimatus, Salvatoris vestigia consectabatur, et plus factis quam dictis suos instituere nitebatur: ita ut etiam, tacente lingua, moribus et exemplis eos erudiret, quo tendere sine intermissione deberent. Non est exaltatum cor ejus, neque elati sunt oculi ejus, nec ambulavit in magnis et mirabilibus super se. Non illi studium erat cultioris habitus et pretiosarum vestium; monastico cucullo indutus fuit, qui pallio non valde ambitioso operiebatur. Quotidie ad mensam suam tredecim pauperes habuit, quos, ablutis sua manu pedibus eorum, cibo potuque largiter reficiebat, eisque officiose admodum inserviebat. Domus ejus, non Episcopi, sed Christi aula videbatur. Orphanorum et miserorum magna illi cura erat, eripiebat inopem de manu fortiorum ejus, egenum et pauperem a diripentibus eum, ut inter filios excelsi numerari posset. Ea causa dente canino a quibusdam rodebatur, quos ille obturata aure praeteribat, thesaurizans in coelo, quo fur non appropiat, neque tinea corrumpit.

§ **23**. Accepi a quodam ejus familiari viro reverentissimo, et in domo Dei super candelabrum posito[a], cum aestivo tempore pauperes ei cuncti venissent obviam, et multi obstructis naribus eos praeterirent, quod male olere viderentur: illum miseros amplexatum et exosculatum, nec solum blandis sermonibus, sed etiam larga stirpe eorum inopiam sublevasse. Quae etsi multis gravia, plerisque intoleranda videantur, at ille tamen adeo jam illis assueverat, ut etiam delectationem ei afferrent. A puero namque, immo ab ipso pene matris utero, jugum Christi suave et onus leve ferre, multisque modis carnem edomare consueverat.

§ **24**. Venerunt quandoque ad aedes ejus multi leprosi, et ubi Episcopus esset perquisierunt. Responsum est a ministris, eum pro more in beati Firmini martyris aede precari. Illi eo se

conferunt, et cum aliis mendicis sustinent inde prodilurum. Solebat enim vir beatus, ab ecclesia hora matutina exiens, pauperibus cunctis ei occurrentibus sua manu stipem elargiri, ita ut vix quisquam ab eo vacuus recederet. Volebat implere, quod Salvator ait: *Omni petenti te tribue* (*Luc.* vi). Egredientem igitur e templo circumsistunt leprosi, et ejus benignitate freti, quippe ipsis familiarissimi, non tam orant, quam propemodum imperant, ut victum necessarium ipsis suppeditet. Erant sane adspectu horrido, cute lurida, sanie defluente, vultu vulneribus occupato, ita ut prae horrore quidam eos intueri non possent. Eos vir pius non abominatur, sed salutat officiosissime, summissoque capite, orat ut sibi bene precentur. Mire interim animo angitur, quod nihil in manibus sit, quod eis largiatur. Tandem accersit oeconomum suum, imperat ei, ut sine dilatione ciborum copiam eis paret. Ille, aliis intentus, negligit, quod jussus erat. Post horas tres aut quatuor veniunt ad fores Episcopi, et mire crepitaculis suis perstrepunt. Mox Episcopus advolat, audit eos nihil ab oeconomo accepisse. Quid faceret vir misericors? Nihil aeris in arca remanserat: totum in pauperes effusum erat. Ad culinam, quam neque ante illum diem unquam in Episcopatu suo ingressus fuerat, neque postea ingressus est, necessitate pauperum adactus, humilitate atque charitate eum urgente, se confert, cernit illic piscem grandem, qui coenae apparabatur (erat autem salmo); eum in suos conjicit humeros (tantae enim molis erat piscis, ut nullius manibus ferri posset); deponit eum ad pedes leprosorum: « Hoc, inquit, munusculum e manibus meis accipite, et ubi defecero, in aeterna tabernacula me recipere dignemini. » Tollunt illi piscem gratulabundi, et tanta benignitate compulsi, testantur apud omnes, neminem Godefrido Episcopo posse aequiparari. Oeconomus vero domum rediens, ubi comperit Episcopum tam insignem piscem, quem ipse pridie comparasset, leprosis dedisse, quibusdam, ut ajunt, furiis agitatus, irrumpit ad eum, multisque proscindit conviciis, ait non sano esse cerebro, qui sic res profundat suas; nisi manum contrahat, brevi ad summam inopiam ipsum rediturum. At vir Dei nihil motus, blande eum compellans: « Itane tibi, inquit, equum videtur, homines eodem pretio redemptos, Christi sanguinem bibentes, coelesti beatitudine donandos, fame cruciari, mihi vero extremo homuncioni ferculorum lautitias apparari? » Manet ergo justitia ejus in seculum seculi, ut Propheta ait (*Ps.* 111), quandoquidem omnia sua pro Christo in pauperes dispersit, ut cum illo omnia in coelis possideret.

§ **25**. Et quia nunc sese offert occasio, operae pretium nobis videtur commemorare, quanta animi devotione sacrosancta Missarum mysteria quotidie celebrarit. Valde enim metuimus, ne nos jure reprehendant, qui haec noverunt, si quid silentio praeterire velimus, ubi tanta suppetit rerum copia. Quando igitur ad

altare accedebat, ipso vultu Angelicam quodammodo dignitatem prae se ferre videbatur. Sub sacrificio non erat mente vagus, sed seipsum transcendens, oculis fidei incarnati Verbi contemplabatur mysteria, et frequentiam spirituum beatorum: sicque extremis pedum articulis toto corpore innixus, non genua defigens, non latera aut brachia deponens, adeo ex abundantia mundi cordis verba proferre videbatur, adeo piis desideriis totus cremebatur, adeo lacrymis irrigabatur, ut vix vocem attollere, vix codicem aperire posset. Atque ita divina peragebat mysteria. Eam autem animi puritatem summopere horis omnibus conservare ac tueri nitebatur, omni custodia, ut admonet sapiens, servans cor suum.

§ **26**. Cum aliquando vir beatus dioecesim suam visitaret, ad beati Walerici monasterium venit. Id ubi Abbas Lambertus et monachi perceperunt, illico ad cryptam properant, ubi ille residebat: rogant qua causa eo accesserit. Respondet vir Dei: « Hi presbyteri (illi enim circumstabant) longe ab Ambianorum civitate separati, orant me, ut calices et lintea, in quibus divina tractantur mysteria, ipsis consecrem. » Tum illi magno furore perciti, et vix manus cohibentes: « Nunquam, ajunt, ullus Ambianorum Episcopus hic consecrationis alicujus ministerium executus est. » Cernens vir beatus immodice illos commoveri, blandis verbis ait ad eos, lenire eos volens: « Licet Episcopis ubivis locorum vasa Dominici ministerii consecrare. Quod ergo omnibus passim licet, mihi uni hoc loco non licebit? » Attamen cedens ad tempus invidiae, abiit inde, lugens domum orationis mutatam in speluncam latronum. Ea enim tempestate domus illa vitiis scatere videbatur, sed nunc adeo in melius mutata est, ut illis in partibus totius religionis exemplar sit. Postquam autem domum rediit Episcopus, convocato Clero, exponit eis, monachos sancti Walerici jactare immunitatem suam, et quod non sint subjecti Ecclesiae Ambianensi, seque cum ignominia ab illis repulsum. Id illi audientes, valde commoti sunt, missisque litteris, accersiunt Abbatem. Venit ille ad Ambianorum urbem: sed auri sacra fames quid non mortalia cogis pectora? Non pauci ab Abbate largitione corrupti, eum adversus Episcopum et matrem Ecclesiam acerrime tuebantur. Id vir beatus animadvertens, ad Archiepiscopum Rhemensem Manassen causam rejiciendam statuit. Itaque sic tum discessum est.

§ **27**. Porro monachi commentitia fingunt privilegia, eaque cujusdam Romani Pontificis nomine falso inscribunt, atque deinde frequentes ad Rhemensem urbem accedunt, ubi tum celeberrimus procerum Galliae conventus habebatur. Adfuit etiam venerabilis Ambianorum Episcopus Godefridus. Procedit in medium Abbas cum monachis suis, accusat Episcopum Godefridum, quod magna ipsum injuria affecerit, profert litteras commentitias, nulli, praeterquam Romano Pontifici, ipsos esse subjectos. Leguntur litterae, jubente Archiepiscopo, moxque insultatur Episcopo ab illis qui

muneribus depravati erant: « Cessa, ajunt, praesul sanctissime, innoxios persequi monachos, qui olim etiam inimicos solebas diligere. Nec te eo impellat gradus sublimior, nisi fortassis etiam in te quadrat illud : *Honores mutant mores.*» Multaque alia in eum indigna jactantibus illis, vir beatus inter eos et animo et vultu columbino stabat immotus. Cum autem Archiepiscopus imperaret silentium, ille parum fidens litteris, quas recitarant, petit eas sibi dari inspiciendas. Accurate igitur illas contemplans, et veste sua leviter abstergens, fraudem deprehendit, exclamansque: « Huc, quaeso, inquit, oculos omnes advertite : en membranas et atramentum scripturamque plane recentia, nec Romano more obsignata, meritoque ea causa rejicienda. » Accurrunt omnes, diligenter inspiciunt: rem esse, ut ait Godefridus, comperiunt: qui paulo ante canino ore eum lacerarant, rei evidentiâ convicti, mirantur ejus prudentiam, laude et praedicatione mire eum efferunt. Monachi pudefacti, ad Romanum Pontificem provocant, Romamque illico proficiscuntur.

§ 28. Idem facit beatus Antistes, propter justitiam adversa omnia perferre paratus. Verebatur enim, ne ipsius desidia et ignavia jus aliquod suum amitteret Ecclesia, cui praesidebat. Habebat in comitatu suo multos egregios et reverendos viros, qui postea Ecclesiarum antistites facti sunt. Ubi ad Alpes ventum est, jubet socios antecedere. Omnino enim inter equitandum haec ei praedicanda erat consuetudo, ut comites vel praecedere, vel subsequi vellet, neminem propius ad ipsum se adjungere, ne otiosis sermonibus daretur occasio : atque ita ille psalmis sanctisque meditationibus vacans, a patria coelesti se exulare lugebat. Cum jam magna ex parte juga Alpium emensus esset, arcta et horrida, glacie ac nivibus impedita, semita ingressus, audit tenuiter gemitus hominis. Subsistit igitur, arrigit aures, circumfert oculorum obtutus, et ecce videt foeminam pauperculam, inter densas nives frigore prope enectam, et jam supremum trahentem spiritum. Totus mox prae commiseratione lacrymis diffluit, et « Heu, me miserum, inquit, qui cum sim mortalium omnium ultimus, magno comitatu fruor et interim quod natura omnibus commune esse voluit, mihi speciatim vendico, eoque plus quam opus sit, utor : et haec paupercula dum veste caret, dolore conficitur, frigore consumpta perit. » His dictis, suo se vestimento nudat, ut pene nudus videretur, induit ea miserrimam foeminam, atque inde sensim membris recalescentibus, reducit eam in viam : porro ipse socios insequitur, valde interim frigore eum infestante, adeo ut ubi illos attigit, tremebundus adstaret coram illis, solo cilicio et cucullo indutus. Percontantibus eis, ubi esset vestis superior, modis omnibus ille celatum cupiens quod fecerat, ait se magno onere pressum, juga montium scandere non potuisse : vestem tuto reliquisse loco, Christi benignitate restituendam. Prudenter

id quidem, et tamen citra mendacium, significare volens neminem divitiarum fasce depressum, posse ascendere in montem Domini: qui autem misericordiae operibus dediti sint, eos a Christo recepturos centuplum.

§ **29**. Monachi vero Romam veniunt, munera largiuntur, redeunt ad sua laeti et alacres, omnibus pro voto impetratis a Romano Pontifice. Postquam in Ambianorum fines pervenere, insolenter jactitant, se ab Episcopi Godefridi ditione immunes, redire in patriam incolumes, illum in peregrino solo exulem degere, et dignitate Episcopi nudatum, quod eos injuste vexasset. Populus, his auditis, male metuere coepit atque pudore suffundi.

§ **30**. At vir Dei Romam ingressus, limina beatissimorum Apostolorum Petri et Pauli religiose invisit, ac deinde ad Paschalem * Pontificem se confert. Mox advolant causidici, sperant ab illo quoque se accepturos munera largissima. Sed Godefridus, qui non confidebat in homine, nec ponebat carnem brachium suum, ut a Domino recederet cor ejus, qua causa tam difficile et longinquum suscepisset iter, absque ullis vel verborum fucis, vel munerum pollicitationibus simpliciter edicit. Sed contradicunt causidici, ajunt monachos ab eo injuste vexari, dumque nulla sperant ab eo munera, causam malam eum fovere affirmant. Videns ergo vir Dei se humano patrocinio destitutum, labentia cuncta forti et excelso animo contemnens, exclamat: « O pastor orthodoxae matris Ecclesiae, eâ causâ Christus te voluit suo loco illi praeesse, ut lucem a tenebris, verum a falso discerneres: ut enim a capite membra reguntur, et ad illius nutum, membrorum vitia corriguntur: sic etiam a te Christianorum omnium non facta dumtaxat, sed etiam malae voluntates comprimendae sunt. Sed quia nunc cerno, justum quandoque crimen iniqui, occulto Christi judicio perpeti, malim privatus vivere, quam admittere, ut Ecclesia Ambianensis, me praesule, jus amittat suum. » His dictis, Pontifici valefacit, et ad Barensium urbem, ob invisendas beati Nicolai reliquias, ardenti studio proficiscitur. Postquam abiit, Pontifex diligenter perquisivit, quae vitae ejus sanctitas, quaeque illius auctoritas esset, quod tanta dicendi libertate uteretur. Ita qui antea citra Alpes celebre sanctitatis nomen fere ubique obtinuerat, etiam Romanae urbi praeclare innotuit. Nam interroganti Pontifici indicatum est, quod ab ipsis pene incunabulis disciplinis Ecclesiasticis imbutus sit, quod pro virtutum incremento ad altiora provectus, primo Abbas, inde Episcopus creatus sit, quod ejus egregia sit religio, jureque cunctis sacerdotibus anteponendus videatur, quod pauperum et viduarum magnam curam gerat, quod Galliae proceribus notissimus, et cunctis fere

* Hujus nominis II. Anno 1099 ad Summum Pontificatum evectus fuit; obiit anno 1118. Is Guibertum antipapam e Roma pepulit: concilium Laterani celebravit; atque pro libertate Ecclesiae tuenda cum Henrico V imperatore strenue contendit.

carissimus sit, denique quod omnibus divinis charismatis abundet. Iis auditis, Pontifex seipsum acriter reprehendit, quod talem ac tantum virum vel ad momentum leviter exacerbasset, quod non magno studio et benevolentia eum excepisset, et ejus votis annuisset. Imperat itaque suis, ut si quandoque eum ad Urbem redire contingat, mox eum ad se perducant.

§ **31**. Venit autem beatus Episcopus ad Barensem civitatem, et apud beati Nicolai, miraculis celeberrimi praesulis, reliquias diutissime cum multis lacrymis precatus est. Altera luce, annulo aureo et reliquis sacerdotalibus ornamentis indutus, sacrosancta Missarum solemnia super ejus ossa oleum stillantia, devotissime celebravit. Ubi autem animadvertit ejus regionis Episcopus, Godefridum animi constantia et fortitudine Episcopos alios anteire, incredibili admiratione affectus est. Galliarum enim atque etiam aliarum terrarum praesules, cum eo proficiscuntur, vili habitu celant se, ne possint agnosci. At Godefridus neque longitudine itineris, neque nationis feritate fractus mutavit habitum, nec se studuit occultare. Namque ut leo confidens, et absque terrore pèrmanens, omnes amicorum loco habuit, nulli ipsi nocere cupiens. Haec ergo in eo Episcopus, quem diximus, animadvertens, ex animo amplectitur virum, eique amando totum se applicans, prae cunctis mortalibus colendum affirmat. Comitibus quoque illius multa humanitatis officia alacriter praestitit, atque ad extremum olei partem quandam, a beati Nicolai ossibus profluentis, beato viro in vase vitreo ad hospitium more Ecclesiastico solemniter transmittit. Quod quidem vir Dei cum ingenti devotione, nec sine tremore, venerabundus accepit, auro et gemmis quibusvis carius illud amplectens, plurisque aestimans. Appendit autem illud ad collum suum, magnum sibi adversus hostium insidias in eo praesidium constituens.

§ **32**. Porro rursus Romam proficiscitur. Mox a Pontificis Paschalis familia in ejus conspectum perducitur. Pontifex ei reverenter assurgit, humanissime eum osculatur, et secum assidere compellit. Volens autem certius explorare, quae de ejus prudentia jam ante ab aliis didicerat, multas tum divinarum, tum politicarum rerum ei quaestiones proponit, atque etiam ad difficiles solvendos nodos haudquaquam imparatum eum offendit. Cernens ergo Pontifex multa eum prudentia et pietate pollère, orat ne gravate accipiat, quod antea non sic, ut fidelem dispensatorem par erat, ab ipso exceptus et exauditus fuerit: cogitet, animum innumeris curis distractum, haudquaquam ad singula posse sufficere. Beatus vir facile ignovit. Tum Paschalis Pontifex litteras ei tradidit, quibus inter alia continebatur, Abbatem sancti Walerici cum monachis suis, Ambianensi Episcopo, perinde atque patri et pastori, in omnibus parere debere. Ille igitur Apostolica auctoritate et benedictione munitus, redit ad civitatem suam.

§ **33**. Cum autem in Galliam Cisalpinam venisset, comites itineris monuerunt eum, ut pro Godefrido *Herveum* se sineret appellari. Metuebant enim, ne quid adversi ipsis accideret, si ex nomine innotesceret. Principio quidem servus Dei id gravate accepit, sed cum non posset illorum resistere voluntati, invitus tulit alienum sibi nomen imponi. At tamen quocumque divertisset, ab omnibus facile, quod Episcopus esset, agnoscebatur et mire praedicabatur. Per Italiam autem beatus vir iter faciens, annulum Honorati Episcopi Ambianensis et illustris confessoris, quem Gervinus ejus decessor vendiderat, justo pretio redemit, secumque ad urbem Ambianorum adduxit. Ubi cum esset honorifice exceptus, Abbate S. Walerici rursus accito, beatus Episcopus profert litteras Paschalis Pontificis, dat eas Simoni Praeposito palam recitandas. Postquam ventum est ad eum locum, ubi Pontifex jubet Abbatem S. Walerici cum fratribus suis per omnia obedire Ambianensi praesuli, tamquam patri et pastori, Abbas et monachi exclamant, *non bona fide litteras recitari*. Sed cum ipsi eas inspexissent, et ita habere, ut erant lectae, certo comperissent, cum nec possent, nec auderent Romani Pontificis voluntati resistere, ad pedes beati Godefridi se abjiciunt, veniam perperam gestorum petunt, nec difficulter impetrant, congrua eis mulcta irrogata. Ex eo tempore Abbatia S. Walerici paret Episcopo Ambianensi.

§ **34**. Firminus martyr insignis, et Ambianorum primus antistes, exacto felicis agonis cursu, in eàdem urbe tumulatus, se cum Christo in coelis vivere, innumeris praestandis beneficiis egregie declarat. Cum autem quodam die beatus Godefridus pro more ad populum concionaretur, oculos interim vertens ad beati hujus martyris sacras reliquias (hactenus enim humili continebatur loculo), ita exclamavit: « Cernite, filioli, quantum debeamus sanctis martyribus, quorum nos et patrocinio a vitae hujus periculis eripi, et suffragiis coelestem beatitudinem consequi posse confidimus. Itaque dum hic sumus, crebro eorum memoriam usurpemus, ut et illi apud Dominum nostri memores sint. Inde est, quod majores nostri in illorum honorem basilicas condiderunt, monumenta eorum, auro, argento et gemmis ornarunt, non quod iis illi indigeant, aut quod hinc clariores fiant (haec enim illi, ut Christum pauperem imitarentur, et ejus inopia ditari mererentur, ceu lutum contempsere), sed ut his suum erga eos amorem, studium et devotionem declararent. Et vos igitur angustiam loculi, qui B. Firmini Episcopi et martyris atque patroni nostri ossa retinet, contemplantes, ut possit congruum ei praeparari receptaculum, aurum promptis animis conferte. » His beati viri sermonibus omnes egregie incensi, aurum, argentum, armillas, annulos afferunt, plerique vasta terrarum et marium spatia emetiuntur, ut quae ornare martyris basilicam possint, comparent.

Postquam loculus accurate confectus fuit, ad eum diem, quo erant transferendae reliquiae, tantus eo advenit hominum coetus, ut tota Europa confluxisse videri posset. Tum Episcopus Godefridus cum aliis sacerdotibus accessit ad locum, ubi coelestis ille servabatur thesaurus, sacrasque reliquias cum multo tremore omnibus visendas exposuit. Eas cernens fidelis populus, cum multis lacrymis laudat Christum, quod testis ejus reliquias videre mereretur. Porro beatus Godefridus hortatur omnes, ut sanctorum loca crebro invisant, illic sua vota persolvant, illorum patrocinio se suosque commendent: inde enim innumera, inquit, fidelibus accedunt beneficia. Deinde populum dimittit. Huic autem spectaculo non interfuere, qui Ambianensis urbis suburbana loca habitabant, alii aliis rebus impediti. Accedunt igitur ad Godefridum Episcopum; orant, ut ipsis quoque beati Firmini sacras reliquias ostendat. At ille valde admirans: « Ubi, inquit, nudiustertius fuistis, quando mea manu eas omnibus contemplandas exhibui? » Afferunt alii alia, sed cum eum permovere non possent, cum lacrymis commemorant, quae dona obtulerint, quos labores susceperint, ut martyris templum et loculus ornarentur: et subjungunt: « Ergone a martyris contemplatione excludemur, qui martyris causa, tanta et fecimus, et perpessi sumus? » Flectitur tandem vir pius, et in celebritate omnium Sanctorum, praemisso jejunio, ait se illorum precibus satisfacturum.

§ **35**. Transtulit etiam corpus sanctissimi Salvii confessoris et Ambianorum Episcopi, in eum locum, ubi nunc eum fideles venerantur: transtulit et aliorum multorum. De quibus omnibus, et quae tum miracula edita sint divinitus, ut Christus servorum suorum merita declararet, hic adscribere noluimus, ne lectori fastidium afferamus.

§ **36**. Libet autem commemorare hoc loco beati viri humilitatem, et perpetuam cum improborum amentia conflictationem. Robertus Flandriae Comes et rebus bellicis et magnis opibus celeberrimus, Jerosolymitani itineris dux, Christi natalitium diem apud sanctum Audomarum * voluit festivum ducere. Aderant illic Duces, Comites, diversarumque regionum proceres, et totius Flandriae nobiles sive milites, multi etiam Galliarum Episcopi, et in iis beatus Godefridus, quem Comes Robertus accepit officiosissime, et cum illo separatim, utpote magnae auctoritatis viro, diu collocutus est, inter caetera orans eum, ut illa sacrosancta nocte more Ecclesiastico, Domino sacrificium offerret. Annuit humiliter vir Dei, et fecit sacrificium pie ac devote. Sub ipso sacrificio post lectionem Evangelii, omnibus certatim ad altare munera offerentibus, vir Dei sine personarum acceptione, illorum omnium dona rejecit, qui instar muliercularum intonsa essent

* *S. Audomarus* urbs est quae gallice vocatur *Saint-Omer*: urbs propugnaculis, aggeribusque munitissima.

comâ. Ea re permoti, efferis vocibus percontantur, cujus auctoritatis sit antistes, qui apud exteros tale quippiam designare non vereatur. Ubi, quis esset, didicerunt, videres certatim gladiis et cultris (non enim aderant ad manum forfices) eos sibi amputare pilos, infelices ac miseros putare, si propter comas, tanti viri benedictione privarentur. Ejus facti fama mox tota Gallia increbuit, Godefridum Episcopum etiam in aliena ditione in principes et magnates ausum fuisse, quod alii antistites etiam in suis sedibus aut negligant, aut non ausint etiam in extremis homuncionibus. Magna ei non solum apud reliquam multitudinem, sed etiam apud Comitem ipsum, hinc reverentia accessit.

§ **37**. Inde vero omnium favore ad urbem suam revertens, secum duxit Adamum ejus civitatis principem. Cumque jam fines suos ingressi essent, Adamus ad virum Dei: « Nosti, ait, venerande pater, quas mihi insidias còmparet Guermundus Pinquiniaci Vicedominus? Jam multis annis inter nos vario eventu bella ducimus. Quod si ille me comprehenderit, certus sum, aut inauditis me suppliciis excruciatum, aut certe gladio necatum iri. Si ergo placet tibi, aliud ego capessam iter, ne militum praesidio destitutus, incidam in manus ejus. » At vir beatus vehementer admirans; « An non, inquit, ille aeque meus est, ac tu? An non jampridem sancte mihi, utpote domino suo, juravit, se pacem bona fide conservaturum, honoremque mihi habiturum? Confido equidem in Domino, etiamsi mille armatas militum cohortes secum adducat, non ausurum illum vel durius te appellare. Quod si, mutato animo, quippiam tibi irrogare tentaverit, testor Jesum, me te prosecuturum, quocumque ille etiam vinctum te abduxerit. » Dum sic illi inter se colloquuntur, ecce Vicedominus multo stipatus equitatu, advenit, salutat Episcopum, et ad laevam se vertens, furibundus exclamat: « Tune hic es, Adame, mihi semper infestissime? O te miserum, quis te huc appulit? Satius tibi foret vitam agere privatam ac tenuem, quam incidisse in has manus. » Moxque nulla tanti Episcopi habita ratione, Adamus ab equo deturbatur, districtis ensibus appetitur. Cernens id Episcopus, ab equo desilit, toto corpore super Adamum incumbit, porrigit jugulum, exclamat cum lacrymis: « Quae te furiae, quae dira Erinnys, Guermunde, huc impellunt, ut me praesente, qui sum dominus tuus, istuc ausis designare? En cervicem meam, si ita placet, libens feriendam objicio: tantum ne quid moliaris adversus Adamum meum. » Haec ut viderunt comites Episcopi, omnes aufugerunt, quod putarent cum Adamo illum interfectum. Porro Adamus in equum imponitur, injectisque catenis Pinquiniacum * abducitur. Eum vero beatus Episcopus flens et ejulans, comamque vellens, solus sequitur, se ejus proditorem, tantaeque calamitatis auctorem clamitans. Ubi Pinquiniacum ventum est, beatus vir,

* Gall. *Picquigny.*

caeteris intromissis, cogitur stare foris. Videns ille humano se auxilio destitutum, redit solus ad civitatem suam: refert clero et populo, quid acciderit. Moerent omnes, tum captivitatem domini sui, tum injuriam praesulis sui, quam molestius ferebant.

§ **38**. Episcopus vero sacras reliquias beati Firmini et aliorum sanctorum humi deponit, ecclesias regionis infidi Vicedomini claudit, illum et fautores ejus omnes plectit anathemate. Inde utrinque existunt bella, cogitur audire pius Episcopus crebras agrorum vastationes, pagorum depopulationes atque direptiones, templorum incendia. Quibus ille mirum in modum affligebatur, et flens largiter, miserum se dictitabat, qui in ea tempora incidisset. Poterat tum dicere cum Propheta: *A voce gemitus mei adhaesit os meum carni meae. Similis factus sum pelicano solitudinis, factus sum sicut nycticorax in domicilio. Vigilavi, et factus sum sicut passer solitarius in tecto* (*Ps.* 101). Dolebat vicem miserorum, qui calamitatibus illis afficiebantur. Redibat in memoriam pristinae quietis, qua in monasterio potitus erat, et in has turbas se conjectum moerebat. Itaque factae sunt ei lacrymae panes ejus die ac nocte, sitienti fontem vitae, qui est apud te, Domine Deus.

§ **39**. Habebat domi apud se duos spiritu pauperes, religione et animi puritate eximios, morum integritate conspicuos. Ex iis alter Gaufridus, alter Otbertus dicebatur. Iis domus, alendorum pecorum, et agriculturae curam demandarat. Et Gaufridus quidem, licet ne ipsa quidem litterarum elementa calleret, at tamen percepta beati Episcopi benedictione, tanta dexteritate hominibus verbi coelestis semina promebat, ut tam ipse beatus antistes, quam multi etiam bene docti viri admirarentur, unde illitteratus et idiota tam sublimia et recondita proferret. Ad hos ergo saepissime se recipiebat Episcopus, tumultus et strepitus rerum mundanarum ferre non sustinens, illorum colloquiis sinceris mirifice delectatus. Quandoque autem veniens ad domicilium, in quo degebant, invenit illos pauperum pedes abluentes, suas vestes illis donantes, et cibis quos paulo ante a dispensatore domus acceperant, eos reficientes, non raro enim sibi ipsis eos subtrahebant, et miseris impertiebantur. Jucundo ergo vultu ait ad eos: « O felices vos, ac Deo dignos. » Respondent illi: « Orationibus tuis, pater beatissime, bonum et jucundum. » Et Episcopus: « Apertius, inquit, isthuc edicite. » — « An non, ajunt illi, bonum et jucundum tibi videtur, pater, recreare pauperes, et illis, convenienter praeceptis Dominicis, res necessarias praebere? His enim studiis possumus promereri gaudia beatorum, et sempiternam Christi Regis immortalis contemplationem. » Tum vir beatus eis reverenter caput inclinans: « Ita est, inquit, ut dicitis, Christum igitur, quaeso, pro me deprecemini, ut cum istis merear in ejus domum aeternam introire. »

§ **40**. Sedebat deinde solus in penetralibus domus Godefridus

Episcopus, multo animi angore ob ea quae diximus, correptus. Venit autem ad eum Gaufridus iste, et pro singulari familiaritate sic eum prior compellat: « Quid est, venerande praesul, quod usque adeo consternatus et moestus videris? Equidem non puto id frustra esse, nec commodi alicujus temporarii jactura te torqueri. » Respondit vir Dei, ut potuit prae lacrymis, quae ab oculis largiter dimanabant: « Et quae mihi, obsecro, gaudendi materia relicta est? En ut nauclerus, amisso clavo, cogitur ventis permittere navem, etiamsi in scopulos impellatur; ita animus meus virtutis inops, undique immensis afflictionum fluctibus exagitatus, hac illacque distrahitur, nec usquam eam persentit quietis suavitatem, quam jampridem reliquit. Video everti templa, gregem mihi commissum pessime accipi, dioecesim meam fame, ferro, flammisque vastari. Est tamen, fateor, in his rebus duris unicum nobis in Christo perfugium, uti in petra herinaciis. » Respondit Gaufridus: « Etsi, praesul optime, et divinâ et humanâ sapientiâ adeo instructus es, ut tantilli homuncionis consilio prorsus non indigeas: tamen quando Vicedominum neque regum, neque principum intercessione flectere potes, ut dimittat Adamum, Christi Regis immortalis exemplum imitare, et humilitate illum emollire stude. » His dictis, Gaufridus abscedit.

§ **11**. Postquam Gaufridi consilium audivit beatus Episcopus, ea nocte multa secum in lecto pertractabat, utrum parendum illi esset, nec ne. Hinc enim reformidabat, ne si intantum Episcopus se coram subdito suo abjiceret, homines nequam et improbi insolescerent: inde vero pietate stimulabatur, ad captivum Adamum in libertatem vindicandum. Tandem Gaufridi sanctitatem et innocentiam considerans, sibique persuadens, hominem simplicem quod dixisset, non nisi a Deo habuisse, qui id ei revelasset, statuit sic facere, ut ab illo monitus erat. Itaque post absolutas nocturnas preces, vocat ad se Gaufridum et Olbertum: et alteri quidem suos calceos imponit, alteri palliolum, atque ita cilicio simplicique monachi habitu sive cucullo indutus, nudis pedibus ingreditur horrendum et peregrinum iter, quod Pinquiniacum ducit, quod ab Ambianis fertur octo milliaribus abesse. Jam tum mensis erat Januarius, et sole Aquarium ingresso urebant montana nives camposque patentes, nec duraturae conspecto sole pruinae. Hirta comis tellus. Tam amoenum, inquam, iter nudis pedibus suscepit Godefridus praesul eximius, fraterna eum charitate perurgente. Ubi autem ad monasterium S. Remigii pervenit, quod in nemore situm est, a monachis propensis animis accipitur, rogant illi admirabundi, quid sibi velit tanti viri talis habitus, quorsum intendat iter, offerunt se socios itineris: sed vir beatus non sinit eos extra monasterium pedem efferre, ait solatio eos sibi fore, si pro se Dominum deprecentur. Deinde cum illis bene precatus esset, pergit cum duobus illis, quos

diximus, psalmos interim Domino suo more suaviter depromens. Tandem venit ad Vicedominum, capitio vultum tegit, ne possit agnosci: coram illo, in platea utriusque sexus hominum frequentia stipato, se humi prosternit, apprehendit ejus pedes, infundit eos lacrymis suis. Tum ille torvo, ut erat, vultu: « Quis sis, ait, et unde vèneris, edicito. » Et vir beatus, rarescente ob frigoris asperitatem anhelitu, ita ut sanguinem spuere videretur: « Ego sum, inquit, Godefridus Ambianorum Episcopus, tuus etiam jure qualiscumque temporalis dominus. Ut, impellente charitate, Christus Crucem conscendit, ut Adamum protoplastum liberaret: ita ego huc advèni, ut meum Adamum, quem vinctum detines, mihi reddas. » Hujus spectaculi novitate adeo perculsi sunt qui illic aderant, ut tamquam fulmine icti, pariter corruerent, nec quicquam loqui possent. Postquam autem laxata dolore vox invenit iter, gemitusque in verba soluti sunt, lacrymabundi exclamant: « Quid ita, sanctissime praesul, ad hujus tyranni pedes te prosternis? Adeone apud te in feras belluas mutati sumus, ut tamquam peregrinus ad nos accedere volueris? » Haec aliaque dicentes, e solo eum sublevant. At scelestus ille Vicedominus nihil motus, sed ut aspera serpens, jacto cominus saxo erigitur, totosque agitata per artus, convocat in fauces ac squamea colla venenum: sic ille humilitate et sermone beati viri ceu jaculo confixus, terribiliter exclamat: « Qua fronte ausus es, monache, in meum venire conspectum? Adeone effeminatum me putas, ut quasi pavore fractus, hunc a me Adamum dimittam? Ego illum, quem fortuna dedit, vinctum teneo, vinctumque tenebo: perferet aeternum meritas, miserabile, poenas. Utinam vero te sic in omnibus exaudiat Deus, uti ego hunc a me abire sinam. Facesse igitur hinc ocyus, ne cum ignominia repellaris. » His verborum injuriis affectus Episcopus, comiter et sedate perfert, abitque in aedem S. Martini, et coram altari in mattam flexis genibus incumbens, totam illam noctem in precibus insomnem ducit.

§ **12**. Mane jubet populum campanae signo convocari. Accurrit mox hominum infinita multitudo, non solum ex ea urbe, verum etiam ex finitimis agris et vicis: sperabant enim pacem Ecclesiae redditam. Ad eos vir Dei concionatur, ex divinis litteris docet eos, damna et jacturam labentium rerum, placide et moderate ferendam: Deum homines pios multis exercere modis, corripere omnem filium quem recipit. Ad extremum dicit, se ea causa illuc venisse nudis pedibus, indutum cilicio et prope nudum, abjecisse se ad pedes Vicedomini, ut sua humilitate eum permoveret et flecteret ad dimittendum Adamum captivum. Sed se tamen impetrasse nihil: immo vero egregie irrisum esse. Hic cum exclamarent quidam, ut mitius diceret in Vicedominum, ille magna animi fiducia concepta, in Vicedominum et omnes illi assentientes, palam excommunicationis fulmen vibravit. Advertit

hic lector, ut vir Dei nec timori succubuerit, nec ulli labori pepercerit, utque administrum satanae propter unius hominis salutem nunc humilitate, nunc severitate, modo blanditer, modo aspere, justitia impellente aggressus sit, ut justitiae et misericordiae speculum atque exemplar jure dici queat. Tandem, re infectâ, beatus Episcopus redit ad urbem suam eodem die: accurrunt cives, circumsistunt, stupent et lamentantur. Ille vero paucis eos consolatur: inde abit ad sacras beati Firmini reliquias, ibi se prosternens, orat martyrem, ut Vicedomini Guermundi insolentia comprimatur. Mox domum se recipit, sed divina animadversio non dormitat. Vidit enim Dominus afflictionem servi sui, et statuit ulcisci.

§ **43**. Paucis post diebus importunissimus ille Vicedominus, regionem late depopulans, insidiis militum Wilhelmi, primarii apud Pontinos * viri, capitur, et ad illum mira gratulatione adducitur. Is, ut vidit hominem, primo innumeris injuriis exagitatum, mox ferro vinctum jubet duci in custodiam. Ubi cum non parum diu detineretur, videretque omnem sibi prodeundi, quo vellet, facultatem ereptam, mire anxius, tandem redit ad sanitatem. Videns autem in nullo homine mortali spem aliquam mortis evadendae sibi relictam, nisi in uno Godefrido Episcopo, dire cruciabatur, sciens quam multis iisque intolerandis eum injuriis affecisset. Sed tamen, urgente calamitate, de illius singulari humanitate praefidens, qua sciret eum etiam inimicos ex animo complecti, per hominem fidum supplex orat beatum virum, ut immemor eorum, quae hactenus malo daemone instigante in eum admisisset, ipsi opem ferre dignetur. Pollicetur, se ecclesias dirutas instauraturum, Adamum dimissurum, deinceps emendatius et humanius victurum. Haec ubi audivit Episcopus, laetatur se a Domino exauditum, dolet vicem miseri hominis, et bona pro malis reddere ei volens, quod est perfectorum, non cunctatur ire ad illum. Eo conspecto, tamquam ab orci faucibus ereptus sit, valde sibi gratulatur Guermundus, et qui antea virum Dei supplices ei preces offerentem superbus contempserat, jam ad ejus sese pedes advolvit. Sed ne longiores simus, si singula annotare velimus, extrahit pius Episcopus Guermundum e carcere, reducit non sine multo sudore Pinquiniacum, et secum abducit Adamum suum.

§ **44**. Ea tempestate Imperator ** Pontificem Paschalem, cum ejus et pedes et os deosculatus esset, dolo captum, secum abduxit. Ea causa Guido Viennensis *** Archiepiscopus, qui postea fuit Calixtus Romanus Pontifex, magnum habuit Ecclesiae procerum apud Viennam conventum. Vocavit etiam per litteras Godefridum

* In Galliarum regione, quae *Ponthieu* appellatur.

** Henricus V, quem superius meminimus.

*** *Vienna Allobrogum*, gall. *Vienne*. Calixtus, e sede Viennensi ad Supremum Pontificatum, anno 1119, promotus fuit.

Ambianorum praesulem, ab annis multis ei carissimum. Qui sine mora profectus Viennam, ubi eo venit, rogatus est a Guidone Archiepiscopo, ut in synodo vice ejus fungeretur, erat enim ipse Guido impeditioris linguae. Etsi autem acri tum febre laboraret Godefridus, tamen ut erat miro animi candore, statuit pro viribus illi parère. Cum autem dicendum esset, et vires sibi minime suppetere vereretur, tanta est Spiritus Sancti gratiâ confirmatus et illustratus, ut omnes magna admiratione affecti, egregium illum dicerent Sancti Spiritus organum, multâque eum laude et praedicatione efferrent. Quae in illa synodo et provincia ab eo praeclare gesta sunt, brevitatis studio praeterimus. Vienna autem discedens magno celeberrimae synodi favore, Clùniacum venit, et ab Abbate Pontio honorifice exceptus est, et aliquot dies ibi haerens, sacrosanctaque Missarum solemnia festive celebrans, atque illi spectabili congregationi fratrum verbum Dei suo more excellenter proponens, magno sui apud eos desiderio relicto, ad urbem suam regressus est.

§ **45**. Perpendens autem vir prudens, quam molestum atque adeo intolerabile sit, tot secularium tumultuum perferre tempestates, ubi comperit praeclaram servorum Dei famam, qui in Carthusia non longe a Gratianopoli degebant, relictis omnibus, illo igne, quem Dominus Jesus misit in terram, suaviter ardens, eo celeriter profectus est, ut quietius uni Deo vacaret. Praeerat tum Carthusiae Guigo, vir egregie doctus et vitae integritate conspicuus, omnium ore praedicandus. Is ut vidit vultus Angelici et simplicis naturae virum, gratias immensas agit Christo, statimque illum sanctissimo fratrum collegio adjunxisset, ni veritus esset Romanum Pontificem, Rhemorum Archiepiscopum, aliosque Galliarum praesules minime passuros, ut illic permaneret. Interim tamen cellulam ei attribuit. Separatim enim degunt singuli in domiciliis quae Cellas vocant, ad ecclesiam certis horis pariter conveniunt, inde taciti redeunt ad Cellas suas: ad nudam carnem asperis induuntur ciliciis, quarta et sexta feriis pane et aqua victitant: divinae contemplationi adeo adhaerent, ut jure possent dicere cum Apostolo: *Nostra autem conversatio in coelis est* (*Phil.* III); illorumque precibus et sanctorum meritis mundus constare videatur. Sed de eorum excellenti, meritoque ab omnibus praedicanda conversatione, aliis plura dicenda relinquimus, atque ad institutum redimus. Servus Christi, Godefridus, hac re summopere delectatus, quod imperturbata animi puritate et tranquillitate frueretur, licet etiam in illa populi frequentia et importunitate. animo ad coelestia contemplanda se erexisset: postquam optatae solitudinis locum divinitus se adeptum vidit, jejuniis, precibus. lacrymis, sacris meditationibus, divinis lectionibus adeo fervens incumbebat, ut quamvis a primis aetatis initiis, ut diximus, in his assiduus fuerit, jam tamen primum Deo se servire coepisse

mirifice gratularetur. Sordebant terrena viro, subit aethera votis, cum Propheta plorat nimis prolongari incolatum suum. Cum autem quandoque venerandus pater Guigo cellulas monachorum pia sollicitudine inviseret, etiam ad beatum Godefridum pervenit, invenitque eum nescio quae divina scripta legentem, et uberes fundentem lacrymas, seque hostiam vivam Christo Salvatori mira suavitate in cordis ara immolantem. Valde autem ejus amore incensus, et nosse cupiens, utrum posset aequo animo ferre injurias, ita ait ad eum: « Solebasne, Episcope, pro sacris ordinibus aurum et argentum et id genus munuscula recipere? » Multi enim per id tempus hoc vitio, proh dolor! infecti erant, ut vix cuiquam sine pretio sacros ordines conferrent. Respondit cum multo gemitu Episcopus: « Equidem pater beatissime, non nummos expetebam ab aliquo, sed vel invitus saepe humani favoris aura inani inficiebar. » Id audiens Guigo, miratur eum minime se palpare, sed humiliter accusare etiam extrema quaeque.

§ **46**. Interim Conon Cardinalis, Pontificis maximi legatus, et Radulphus Rhemorum Archiepiscopus, apud Bellovacum * synodum celebrant. Ad eam accedunt Ambianensium legati, conqueruntur se destitutos optimo pastore suo. Ad quos Rhemensis Archiepiscopus: « Qua fronte, inquit, haec apud nos proponere ausi estis, qui virum pudicum, orthodoxum, virtutibus cunctis ornatum, vestra improbitate a sua sede expulistis? Quem illi parem, nedum sanctiorem, unquam habituri estis sacerdotem? O vos miseros, qui tanto pastore vel ad momentum caruistis. Num vos illum turpia lucra sectantem, libidini vacantem, Ecclesiastica beneficia venundantem, unquam deprehendistis? » Illis respondentibus: « Ab his illum plane immunem esse: » subjecit Archiepiscopus: « Ite ergo, et tam peritum ovilis Dominici custodem perquirite, et inventum, vobiscum reducite. Testor enim Dominum Jesum, donec ullus erit in Godefrido vitalis spiritus, nullum alium vos Episcopum habituros. » Dum haec geruntur, en adsunt nuncii, apportantes litteras beati Godefridi, quibus ille significat se Episcopatu abdicasse; hortatur, ut alium patrem sibi quaerant; se nunquam rediturum affirmat; ostendit se ineptum et inidoneum, qui Episcopi munere fungatur; se verbis quidem docuisse subditos suos, sed mala vita corrupisse et perdidisse. Quae cum legerentur, pene omnes lacrymati sunt, admirantes tanti viri humilitatem, qui cum esset meritis summus, infra omnes infimos se abjicere videretur. Sane cum interdum de his quidam reverendissimi patres, qui tum praesentes adfuere, inter se colloquuntur, video eos lacrymas tenere non posse: adeo illorum animis affixa est Epistola illa, qua intantum se vir tantus extenuavit.

§ **47**. Tandem statuunt patres, apud Suessiones ad Domini

* Gall. *Beauvais*.

Epiphaniam convenire, et quid faciendum sit, deliberare. Ubi eo ventum est, jubente Ludovico * Francorum Rege, accitus ab eis est Henricus Abbas S. Quintini, in quo monasterio vir Dei Godefridus ab ipsis pene incunabulis sobrie et pie educatus, ad summum virtutum apicem pertigerat. Vocatus est etiam Hubertus magnae auctoritatis vir, et celeberrimi monasterii, quod Cluniacum vocant, monachus. Hos duos cum suis litteris mittunt ad fratres Carthusiae: orant, immo et imperant, ne Godefridum, Ambianorum praesulem, apud se diutius morari sinant, sed ad sedem suam ocyus redire compellant. Addunt mandata ad ipsum Godefridum, ut celerrime ad desolatum gregem suum se recipiat; ostendunt, non debuisse illum semel susceptam Ecclesiam tam facile deserere; plus eum apud Dominum demereri, dum sinit per abrupta vitiorum praecipites ire oves suas, quam possit promereri, dum privatim in quantumvis remota solitudine vivit etiam severissime; tum quoque docent sacros vetare Canones, ne quis Episcopo viventi subrogetur, nisi vel infirmitate cogente id ipse petat, vel ob crimen deponendus sit. Haec ubi Godefridus accepit, animo valde consternatus, ad pedes monachorum se prostravit, cum multis lacrymis orans, ne sinerent ipsum a se avelli. Flent pariter etiam illi, at tamen multis eum consolantur modis: et quia Regis et Episcoporum auctoritati resistere non poterant, in pace illum a se dimittunt.

§ **18**. Porro autem beatus Godefridus a Carthusia non tam sponte sua, quam vi propemodum adactus, exiens, crebro ad eam reflectebat oculos, lacrymis madentes, se miserum et infelicem summo animi dolore proclamans, cui in illo Angelico contubernio non licuerit usque ad supremum vitae diem permanere, et soli Deo divinaeque contemplationi vacare. Fuit autem in Carthusia a feriis beati Nicolai Episcopi, quae aguntur octavo Idus Decembris, usque ad Quadragesimae initium, admodum interim exultans in Domino, quod a terrenis curis absolutus, optata quiete frueretur. Multa illic reliquit virtutis et sanctitatis exempla, ut hodieque de illo inter se crebro conferant. Profectus inde, venit ad Rhemorum urbem, ubi tum Cono Cardinalis et legatus frequentissimam synodum habebat. Adduxit autem eum in synodum Radulphus Rhemorum Archiepiscopus, jejuniis, vigiliis, aliisque sanctis exercitiis adeo attenuatum et confectum, ut vix pedibus consistere posset. Quem ut viderunt patres, valde admirabantur adeo illum se mundo, sibique mundum crucifixisse, ut nec mundum ipse diligere, nec mundus illum amare posse videretur. Duriuscule eum tunc appellavit Cono legatus, quod injunctum munus reliquisset: deinde admonuit, ut propriae utilitati multorum salutem anteponens, Ambianos rediret, et suo officio

* Ludovicus, *le Gros*, Philippi I filius. Regni gubernacula anno 1108 suscepit vita functus est anno 1137.

fungeretur, rectius sibi consulturus, si non sua unius salute contentus, plurimos Christo lucrifacere conaretur, et tandem a Christo audire mereretur: *Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* xxv). Cum non posset autem vir Dei, illius aliorumque Episcoporum auctoritati obluctari, ad suam redit Ecclesiam, ab omnibus cupidissime excipitur: sed non diu post supervixit, ut dicemus suo loco, ubi prius quaedam ejus memoratu digna exposuerimus, quae jam nobis interim succurrunt.

§ **49**. Adventante Quadragesimae sacrosancto jejunio, plebs frequens advenit in aedem beati Firmini Episcopi et martyris eo die, quo cineres ex patrum pia traditione, quae hactenus observatur, fidelium capitibus imponuntur. Adfuit etiam beatus Godefridus, more suo, nudis pedibus et cilicio indutus: inter caetera sanctae exhortationis verba, omnibus interdixit esum carnium, donec Dominicae resurrectionis solemnitas adesset. Sed id multi surda aure accepere. Nam proximo die Dominico carnibus abstinere noluerunt, dicentes Episcopum de suo corde fingere dura, proferre inaudita: se assueta nec velle, nec posse relinquere: par esse, non solum uti cibis, sed etiam abuti, et suavibus aetatem ducere oblectamentis. Non id latuit Episcopum, sed tempus exspectavit, quo posset opportune mulctam irrogare. Ipso igitur Coenae Dominicae die, populo ad memorati martyris basilicam ob impetrandam peccatorum veniam confluente, eo venit sacerdotalibus vestimentis indutus: habet suo more concionem, inter alia commemorat Adami inobedientiam, quod dum ab esu pomi sibi temperare non vult, universum genus humanum damnationi obnoxium reddiderit, et in multas conjecerit calamitates. Tum pergit exprobrare illis, quod nihil ejus exemplo absterriti, noluerint obtemperare ipsi, immo Christo per ipsum prohibenti, ne carnes ederent. « An ignoratis, inquit, in Evangelio dixisse Dominum de me meique similibus: *Qui vos audit, me audit: et qui vos spernit, me spernit?* (*Luc.* x). Annuntiavi ego vobis Christi voluntatem et justitiam: vos me finxisse frivola dicere non formidastis. Ergo vestra hac rebellione incidistis in poenas contemptorum, et cum Adamo rei estis inobedientiae. Certe meritas hodie luctis poenas. » Haec Episcopo dicente, certatim omnes se humi prosternunt, pugnis pectora verberant, palam fatentur culpam suam, cum multis lacrymis petunt a Deo veniam, eamque per Episcopum impetrare admodum submisse contendunt. Ille vero ait ad eos: « Dignos poenitentiae fructus facite, et Christum propitium vobis reddere conemini. Interim tam impurae transgressionis haec mulcta esto, ut a sacrosancta Eucharistia usque ad secundam Paschatis feriam abstineatis: ut quod improba admisit temeritas, pia quandoque possit confessio abolère.» Abeunt igitur cum multo rubore et moerore, atque inter se quiritantur, quod

pro momentanea delectatione tam solemni die communione priventur. Porro Episcopus pastorali severitate utens, presbyteris omnibus praecepit, ne quem ex iis qui carnes comedissent, ad Eucharistiam sumendam admitterent. Volebat enim hac ratione eam insolentiam reprimere et coërcere, ne similia quandoque attentarent. Sed ecce ipso Dominicae resurrectionis sacro die, fidelibus ad percipiendam Eucharistiam accedentibus, quidam ex mundi hujus sapientibus, vel potius insipientibus, cum se reum sciret ejus, quam diximus, transgressionis, nec tamen abstinere vellet a sacra communione, muliebrem habitum induit, sexumque foemineum adeo mentitur, ut non aliud, quam foemina videretur. Vult hominum oculos fallere, sed omnia videntis Dei oculos fallere non potest. Ut post aliis insultare queat, quod Episcopo obtemperantes, in tanta hominum frequentia se passi sint tamquam ethnicos arceri a communione: accedit ad altare, non dijudicans corpus Domini, nec metuens Apostoli sententiam, eum qui indigne illud manducet, judicium sibi manducare. Per id tempus in ecclesia, in qua isthuc accidit, quaeque in beati Remigii honorem constructa est, vir reverendissimus Fulco sacerdotio fungebatur. Is hominem non agnoscens, admittit eum ad altare, porrigit ei Eucharistiam: sed ille, divinâ eum persequente vindictâ, corruit: acerrimis viscerum doloribus cruciatur, spumasque cruentas ab ore ejiciens, quod indignus sumpserat, cum multo sanguine, cunctis cernentibus, evomit. Accurrunt omnes, dolent vicem ejus (necdum enim aliud, quam foeminam credebant), Fulco sacerdos prope exanimis advolat, sciscitatur unde venerit, quae sit, qua causa tam horrendam patiatur calamitatem. Non enim frustra id esse. Ille tandem collectis nonnihil viribus, foemineo abjecto habitu, declarat, quis sit; nec enim dolor sinebat eum diutius dissimulare. Tum vero ait ad eum venerabilis presbyter Fulco: « Qua tu mente aut fronte ausus es tam inauditum designare facinus, ut sexu ementito, contra egregii Praesulis Godefridi praeceptum, tremendis te ingerere sacramentis non dubitares? Non tu gehennae aeternos cruciatus et flammas inextinguibiles formidare debuisti? » His atque aliis a sacerdote dictis, ille miser summo pudore affectus: « Heu me infelicem, ait, qui diu instar equi et muli per illicita diffluens, quicquid animo collibitum esset, impudenter admisi. Unde tandem id consecutum est, quod Salomon ait: *Impius cum in profundum venerit peccatorum, contemnit* (*Prov.* XVIII). Itaque erecta cervice, spreta antistitis salutari prohibitione, huc accessi: sed tandem vexatione dante intellectum auditui, re ipsa jam comperi, facienda esse, quae jubet Episcopus. » Christus enim per eum locutus est. Haec ut audivit populus circumstans, valde horruit infandum scelus, laudavit Christi judicia, abdita in lucem proferentis, Godefridum Episcopum mire extulit, exactius deinde jussa ejus se facturum

affirmavit. Haec quidem dicta sint in terrorem illorum, qui spiritualium patrum jussa contemnere non verentur.

§ **50**. Extra muros urbis Ambianensis est monasterium sancti Dionysii. In illud tum cives Ambianenses aurum, argentum, aliasque res suas comportarant, monachisque diligenter asservandas commendarant. Saeviebat enim per id tempus in urbe seditio et bellum intestinum, et sicarii passim toto oppido vagabantur, magnum omnibus terrorem afferentes. Fuerat enim in urbe turris excelsa, multis propugnaculis et moenibus adeo munita, ut inexpugnabilis videretur. Eam Ludovicus Francorum Rex et Godefridus Episcopus, biennio fere arctissime obsessam, et tandem fame ad deditionem adactam, funditus evertendam curarant, ne praedas agerent, aut popularentur finitimas regiones. Erat autem in illo sancti Dionysii monasterio frater quidam, qui specie pietatis deceptus, cum videret multas illic servari civium opes, cogitabat longe praestabilius esse, eas distribuere egenis, captivisque redimendis extruendisque ecclesiis accommodare. Quadam igitur nocte aliis dormientibus, ille tamquam res praeclaras moliturus non dormit, sed arrepta securi dissipat seras, quibus locus, in quo thesauri illi reconditi erant, claudebantur: tollit inde plurima, et mox e monasterio se subducit. Fratres ad nocturnas preces congregati, vident unum e suis abesse, et cum inveniri non posset, animadvertunt effractas fores loci, in quo deposita condebantur, simulque ablata permulta. Dolore igitur haud mediocri afficiuntur, tum quod frater fugisset, tum quod coenobii facultates minores essent, quam ut possent restituere erepta. Jam enim fama rem divulgarat, et is, cujus erant ablatae res, eas repetebat. Itaque omni consilio destituti, ad miserorum asylum Godefridum Episcopum confugiunt, exponunt ei quid actum sit, et quibus in angustiis versentur: petunt ab eo consilium. Ille vero in promptu habebat, quid responderet. Monet eos, ne in ea re immodice perturbentur, sed orent pro fratre, ut ex lupo possit rursus ovis fieri. Promittit se quoque rogaturum pro illo Dominum, praestiturumque miseris eleemosynas: ita fore asseverans, ut cito ille resipiscat. His dictis, monachi redeunt ad monasterium, Episcopus incumbit in preces, offert sacrificium, orat pro fugitivo fratre: deinde, ut fratres illos consoletur, ad monasterium venit. Necdum autem medium emensus erat iter, cum ecce occurrunt ei fratres admodum gratulabundi, multasque ei gratias agentes, indicantesque reversum monachum qui aufugerat, ablataque omnia reportasse. Ait autem Episcopus: « Plane donum Dei est, qui neminem vult perire. Non est hoc meriti nostri: non nobis igitur, non nobis, sed nomini ejus detur gloria. De caetero fratres confirmate in eum charitatem, ut possit perseverare deinceps usque in finem. »

§ **51**. Intelligens vir Dei dissolutionem corporis sui imminere.

tanto studiosius in opera misericordiae incumbebat, quanto iis celerius eam se impetraturum certius confidebat. Inter alia igitur, quae ecclesiis, pauperibus, viduis, orphanis elargitus est (quae cum sint innumera, iis commemorandis lectorem taedio afficere nolumus), monasterio S. Quintini martyris, in quo monachus vixerat, calicem aureum dedit, itemque per multa alia et altare, atque etiam quae facerent ad luminaria templi fovenda, et unde eo die, quo decessisset e vita, cura thesaurarii cibus et potus fratribus in refectorio, itemque pauperibus liberaliter ministraretur. Quod quidem hodieque illic fit. Fecerunt hoc etiam alii complures sancti, ut etiam commemoratio decessus eorúm non vacet a misericordiae officiis et operibus. Profectus aliquando est ad Joannem Morinorum Episcopum, ut cum eo spiritalia misceret colloquia, et de statu praesentis Ecclesiae conferret. Erat enim Episcopus ille magnae auctoritatis, cujus etiam supra mentio habita ést. Cumque multa coram fratribus locuti essent, Joannes Episcopus flens largiter: « O Godefride Episcope, inquit, pro peccatis meis offer Domino sacrificium, nec desis, modo id fieri possit, curando funeri meo. » At contra Godefridus Episcopus ad pedes ejus se advolvens, cum multo gemitu ait: « Ego vero, pater beatissime, prior hinc migraturus sum, laetusque ante te humanae conditionis debitum persolvam. Tu igitur mihi, quaeso, negare noli, quod a me petiisti. » Ea beati viri verba omnibus lacrymas expressère, quod scirent nec verbulum ab ejus ore temere proficisci. Et ut perspicuum foret non vanos fuisse hos ejus sermones, quindecim annis ante Joannem Episcopum excessit e vita. Haec nos habemus ab ore Heriberti et Vulterii, ejus civitatis Archidiaconorum, qui iis interfuere.

§ **52**. Rursus autem adversus eum malevolorum et invidorum convicia et maledicta, versutaeque machinationes extitere, ita ut tutus ei in illa regione nullus esset relictus locus. Rursus ergo meditatur fugam, rursus latebras inquirit: rursus juvat adire montes Carthusiae; is enim locus ejus animo maxime sedebat. Nam de quodam Carthusiae fratre praeclarum quiddam et memorabile referre solebat, quod toto triennio nunquam quacumque pressus necessitate, manu verenda attingere voluerit: adeo castitatis fuit eximius cultor. Et eo sane quamprimum advolasset Godefridus, nisi vitae finis jam propinquasset. Adeo enim multis erat angoribus confectus et obrutus, ut vitae quoque taederet: adeo supra vires affligebatur et discruciabatur, ut crebro rogarit Dominum, ne ipsum sineret in ea regione mori. Quod etiam praestitit ei Dominus. Petere tum volebat, nescio qua causa, Rhemorum urbem, locuturus cum Radulpho Archiepiscopo, qui Viridis cognomen obtinuit. Praeerat autem tum monasterio sanctorum Crispini et Crispiniani, quod apud Suessiones est, Odo Abbas venerabilis, totius religionis et honestatis praecipuus cultor, qui

illud monasterium a fundamentis instauravit, et disciplina monastica egregie illustravit. Is ubi ipsis feriis horum martyrum audivit Godefridum Episcopum per Suessiones habere iter, mittit servos suos, ut observent adventantem illum, cogantque ad martyrum solemnitatem venire. Abeunt illi, venit Episcopus via publica sub horam tertiam, deducitur ab illis ad monasterium, ab Abbate Odone honorifice excipitur, celebritatem illam multa animi exultatione illic peragit. Sed quia jam Christus ejus virtutes, quibus praeclare ornatus erat, coelesti remuneratione afficere volebat, placuit ei illo in loco vitae ejus finem imponere.

§ **53**. Proxima nocte cum beata membra dedisset quieti, febricula pulsari coepit. Mane apud beatorum martyrum Crispini et Crispiniani corpora humi prostratus, preces fudit: inde se dat itineri, et jam ad tria plus minus milliaria progressus, morbo invalescente, dicit comitibus itineris, se non posse ultra procedere: redeundum esse ad monasterium martyrum. Lacrymantur omnes, ajunt eum non recte sentire: debere illic paulisper quiescere, ciboque se reficere. At ille sentiens se viribus destitui: « Nequaquam, ait, filioli, quod vos vultis, fieri potest. Superiori enim nocte cum me in lectulo collocassem, videre mihi visus sum a quatuor heroibus, candidissimis stolis indutis, in lectica me in quoddam oratorium deferri, molaremque lapidem, cunctis spectantibus multumque moerentibus, mihi imponi. » Tum vero omnes summo animi dolore exclamarunt: « Domini voluntas fiat. » Habebat autem in comitatu suo quemdam egregiae indolis juvenem Nicolaum, monachum Cluniacensem. Is celeriter praecessit ad patrem suum Henricum, olim strenuum militem, tunc monachum sanctorum Crispini et Crispiniani, et villae procuratorem fidelissimum, mirae simplicitatis et innocentiae virum: indicat ei adventare Godefridum Episcopum, prae debilitate iter susceptum conficere non valentem. Confestim ille accurrit, excipit eo, quo par erat, honore Episcopum, gratias immensas agens Deo, quod talem tantumque mereretur habere hospitem. Triduo vero illic haesit Episcopus, et in dies deterius habere se sensit. Id ubi cognovit Odo Abbas venerabilis, adjunctis sociis, festinus venit ad eum, crebriusque exosculatum navi reverenter imponit, et ad monasterium advehendum curat, non mediocriter interim dolens. Ille vero tanto attentius precibus et lacrymis insistebat, quanto certius ad finem se tendere experiebatur. Adveniente hora, qua migraturus erat, Eucharistiam de manu Lysiardi Suessionensis Episcopi accepit, fratribusque benedicens atque etiam valedicens, orat ut in domo, quam Capitularem vocant, corpus ipsius sepeliant. Deinde extensis manibus, et sublatis in coelum oculis, spiritum reddit Creatori. Facies ejus niveo roseoque colore perfusa, jucundum cernentibus spectaculum praebuit. Diceres suaviter dormire, non vita functum, Episcopum. Decessit sexto Idus Novembris.

Lysiardus Suessionum praesul nitebatur corpus ejus in beatorum Gervasii et Protasii cathedralem ecclesiam transferre, sed non permisit Abbas Odo, neque Theulphus Prior, qui non diu post ei in regimine successit: sed neque monasterii fratres. Justum etiam erat, ut locum, quem pro amore beatorum martyrum Crispini et Crispiniani pio affectu, dum vixit, semper excoluerat, etiam corporis sui praesentia ornaret. Ea de re scripsit carmina quaedam Bernardus Decanus Suessionensis: scripsit et Goslenus prius Bituriciensis Archidiaconus, et magister Parisiensis celeberrimus, nunc vero Suessionum Episcopus, pater patriae jure vocandus, multorum fundator coenobiorum, hostis vitiorum, et castitatis cultor praecipuus. Ejus versus sic habent:

Gloria pontificum, Cleri decus, ac monachorum
Forma, gregis dux, exemplar morum Godefridus,
Hic jacet, astra petens octava luce Novembris.

Hoc epitaphium saxo monumenti ejus incisum est, ubi etiam effigies ejus sane quam elegans cernitur. Multi quoque alii doctissimi viri praeclare de illo scripsere.

§ 51. Postquam tristis rumor eum e vita decessisse percrebuit, infinita hominum multitudo ad ejus exequias confluxit. Iis vero interfuere etiam Lysiardus Suessionum, et Clarabaldus Sylvanectensium *, antistites, Abbas Odo, Radulphus S. Medardi pater, multique alii monasteriorum rectores: quos equidem sentio non absque divino instinctu e locis tam diversis tam celeriter eo advenire potuisse. Populus autem visendi cupidus, scalam quandam, quae a solo usque ad tigna vasta quadam mole pertingere videbatur, occupavit: quae cum tantum pondus ferre non posset, a summo usque deorsum scissa est, et tum sua, tum populi ruina et clamore tantum excitavit fragorem, ut omnes putarent templum funditus corruisse. Mox ingenti dolore afficiuntur omnes, quod putarent eos, qui de scala deciderant, viros, feminas, pueros, mulieres uterum gestantes plane extinctos. Sed ut cunctis innotesceret, cujus meriti esset is, ad cujus exequias convenerant, nullum alicujus laesionis vestigium in eis repertum est. Luctus igitur repente in gaudium mutatur, Godefridi nomen et meritum ab omnibus in coelum tollitur. Inde tumulatum est sacrum beati viri corpus, quod, teste Christo, ab ipso matris utero ab omni pollutionis labe immune comperimus.

* Gall. *Senlis*.

DE SANCTO URSINO

PRIMO EPISCOPO BITURICENSI ET CONFESSORE

EX GREGORIO TURONENSI, *De Gloria Confessorum, Cap. 80.*

Sec. I — Forte Italus.

§ 1. Bituriga * urbs primum a sancto Ursino, qui a discipulis Apostolorum Episcopus ordinatus, in Gallias destinatus est **, verbum salutis accepit, atque Ecclesiam Biturigensem primum instituit, rexitque: qui migrans a seculo, in campo *** inter reliqua sepulcra populorum sepulturae locatus est. Non enim adhuc populus ille intelligebat sacerdotes Domini venerari, eisque reverentiam debitam exhibere. Unde factum est, ut, increscente terra, plantata desuper vinea, omnem memoriam de primo urbis sacerdote convelleret, et usque ad tempus illud, quo Probianus **** Episcopus ejus urbis est subrogatus, nullus de eo sermo haberetur.

§ 2. Fuit autem quidam Augustus nomine, de domo Desiderati quondam Episcopi: cujus manus ac pedes ita contracti erant, ut non aliter nisi de geniculis atque cubitis sustentaretur, si quo processurus vellet incedere. Is, inspirante Deo, de eleemosynis devotorum, apud Brias vicum in honore sancti ac beatissimi Martini antistitis, oratorium aedificavit: cujus cum in ipsum reliquias detulisset, statim directis membris sanus effectus est. Deinde collectis secum paucis monachis, sub regula monasterii degens, semper orationi vacabat. Unde factum est, ut in sequenti accersitus ab Episcopo, Abbas ordinaretur in basilica sancti Symphoriani, quam memoratus pontifex fabricaverat ante conspectum muri Biturigi. Nec tamen monachos, quos prius congregaverat, relinquens, sed instituens eis Praepositum, ipse utrasque cellulas gubernabat. Denique cum apud hanc basilicam moraretur, apparuit ei sanctus Ursinus, per visum noctis, dicens: « Defossa humo, require corpusculum meum. Ego enim sum Ursinus, hujus urbis primus Episcopus. » Qui ait: « Quo ibo, aut ubi quaeram sepulcrum tuum, cum ignorem locum ubi sis positus? » At ille apprehendens ejus manum, duxit ad locum, et ait: « Sub harum vitium radicibus corpus meum habetur. »

* Gall. *Bourges.*
** S. Ursini missionem varii variis temporibus assignant.
*** Extra urbes, in campis et agris, sepeliendi consuetudo antiquissima est, quae legum auctoritate saepius firmata et renovata fuit etiam ab Imperatoribus Christianis.
**** Is laudatur a Fortunato in Vita S. Germani Paris.

§ 3. Expergefactus Abbas, narravit haec sacerdoti suo: sed ille parvipendens quae a presbytero dicebantur, nullum inquirendi studium posuit. Interea beatus Germanus * Parisiacae urbis Episcopus adfuit, susceptusque ab Episcopo, post coenam domus Ecclesiasticae, cum se sopori dedisset, apparuit utrique per visum, Episcopo simul scilicet et Abbati: duxitque eos ad locum sepulcri, deprecans ut auferrent eum a loco illo. Expergefacti, simul ad vigilias conveniunt in ipsam sancti Symphoriani basilicam: explicitisque officiis matutinis, refert Episcopus Abbati, quae viderat, confessusque est et ipse vidisse similiter. Igitur, insequenti nocte, accedentes illuc cum uno tantum clerico, qui cereum ferret, venerunt ad indicatum locum: eumque fodientes usque in profundum, sepulcrum reperiunt. Quo detecto, amotoque opertorio, viderunt sanctum corpus tamquam dormientis hominis nulla putredine resolutum. Quod admirantes, et iterum componentes, indicarunt Episcopo data die, quae viderant. Tunc illi, convocatis Abbatibus et Clero, cum honore atque psallentio levaverunt beatum sepulcrum: et quia vectes illi, quibus ferebatur, valde longi erant, cum venissent ad porticum, non poterant deflecti in ingressu ejus, ut ad ostium aedis sine labore accederent. Tunc beatus Germanus elevata voce, ait: « Sancte Dei sacerdos, si voluntas tua est in hanc basilicam ingredi, sentiamus levamen adjutorii tui; » et statim amisso pondere, ita in summa levitate factus est sarcophagus, ut, relictis vectibus, pauci manibus ferrent, quem usque ad locum illum multi detulerant. Et sic celebratis Missis, gaudente populo, juxta altare sepelitur, multis se deinceps virtutibus manifestans.

IN SANCTUM MARTYREM THEODORUM

ORATIO ** D. GREGORII NYSSENI EPISCOPI,

PETRO FRANCISCO ZINO VERONENSI INTERPRETE.

Passus est anno 306 — Graecus.

§ 1. Vos, Christi gens, grex sancte, regale sacerdotium, qui ex omnibus urbis agrique locis confluxistis, undenam accepto profectionis signo tam facile adducti estis, ut ad sacrum hunc locum frequentes conveniretis? Quis hujus itineris officiosam ac promptam vobis necessitatem imposuit? praesertim cum hiemis

* Celebratur 28 maji. Vide Surii vol. V.

** Hanc Orationem S. Gregorius Nyssenus *Encomium magni Martyris Theodori* inscripsit. Apud Graecos celeberrima erat hujus S. Martyris memoria. Basilicam ipsius nomini consecratam Constantinopoli extitisse testis est Procopius: de alia ejusdem basilica apud Damascum meminit

tempestas sit, quo quidem tempore et bella quiescunt, et omnia milites arma deponunt, et ad fumum nautae gubernacula reclinant, et agriculae boves aratores in stabulo quiescentes alunt?

§ 2. Ex militaribus profecto recensionibus tuba cecinit sanctus Martyr, multosque diversis e patriis ad propriam quietis sedem et domum convocavit, non ad bellicam invitans expeditionem. sed ad dulcissimam Christianisque maxime convenientem pacem. Hic enim, ut credimus, et anno superiore barbarorum tempestatem sedavit, et horribile immanium Scytharum bellum compressit, gravem ipsis, qui jam jamque appropinquare videbantur. terrorem incutiens, non galeâ cristatâ, nec bene exacuto et ad solem fulgente gladio, sed malorum expultrice omnipotentique Cruce Christi, pro quo etiam ipse mortem oppetens, hanc sibi gloriam comparavit.

§ 3. Quaeso autem vos, qui purae hujus celebritatis ministri estis, et Martyrum studiosi, ut attentos mihi praebentes animos, consideretis, quantum lucri Justus hic fecerit, quantaque praemia sit in hoc, inquam, mundo et apud nos assecutus. Eorum enim praemiorum, quae non cernuntur, magnitudinem animo complecti nullus potest. Cumque pietatis fructum cognoveritis, illorum, qui sic honorati sunt, mentem imitemini, eaque munera concupiscatis, quae Christus certantibus pro cujusque dignitate distribuit. Ac, si videtur, dum a futuris illis bonis, quae justis hominibus, donec humanae vitae judex adveniat, spes bona conservat, perfruendis sejuncti sumus, quam praeclarus et magnificus sit praesens sanctorum status et conditio, consideremus.

§ 4. Animus enim ad proprias reversus sedes, et corpore vacans, cum sui similibus vivit: corpus autem castum et inviolatum ejus instrumentum, nullis propriis affectionibus hospitis quondam sui immortalitatem laedens, multo cum honore observantiaque contectum praeclare jacet, et veluti thesaurus quidam admodum pretiosus, in tempus regenerationis conservatur. Et quamvis ex eadem, ex qua caetera corpora, naturae materia constet, nulla tamen ratione cum illis est comparandum. Aliorum enim reliquiae vulgo detestabiles sunt, nullusque volens ad eorum tumulos accedit. Quod si dum aperiuntur, in eos casu quispiam incurrat, conjectisque oculis deformitatem intus jacentium adspiciat, magnâ oppletus molestiâ, et humanae conditionis miseriam deplorans, praetercurrit. At si in locum similem huic, ad quem vos hodie convenistis, ubi Justi memoria sanctaeque reliquiae sint, accedat, primum quidem operum, quae cernit, magnificentia recreatur. Videt enim aedem, ut Dei templum, structurae tum amplitudine,

Joannes Damascenus. Sed et Romae, teste Baronio, S. Theodori ecclesia, ad Palatini radices, constructa fuit. Hic Martyr *Tyro*, apud plerosque, nuncupatur, non quod ex una legionum fuisset quae *Tyronum* appellabatur, ut quidam autumavit, sed quia ut vocabulum ipsum plane significat, recenter arma susceperat, cum morti addictus fuit.

tum pulcritudine splendide exaedificatum et exornatum, ubi et faber lignum ad animalium effigiem conformavit, et lapicìda marmor ad argenti laevitatem expolivit, et pictor artis suae flores in imaginibus èxprimens, res Martyris praeclare gestas, labores, cruciatus, immanes tyrannorum adspectus, impetus, ardentem illam et flammas evomentem fornacem, beatissimum athletae finem, Christique certamini praesidentis, ac praemia dantis humanae formam imaginis: haec, inquam, nobis tamquam in libro loquente artificiose describens, Martyris certamina sapienter exposuit, et instar prati nitidum templum illustravit. Novit enim etiam pictura tacens in pariete loqui, et utilitatis plurimum afferre. Quin etiam lapillorum compositor, pavimentum, quod pedibus teritur, arte atque emblemate vermiculatum *, historia dignum effecit.

§ 5. Quamobrem his artis operibus sensibus obnoxiis oculos oblectantes, cupiunt loculo reliquias corporis partes admovere. Etenim ipso contactu sanctimoniam credunt et charitatem excitari. Si quis autem pulverem in ipsa loculi superficie, ubi corpus Martyris requiescit, inhaerentem praebeat, pro ingenti munere accipiunt, et terram tamquam rem pretiosissimam reponunt. Nam si cui forte facultas detur, ut ipsas reliquias attingat, id vero ejusmodi censetur donum, ut supremo voto nihil majus optari posse videatur. Hoc qui experti sunt, norunt, quique eo tenentur desiderio. Ipsum enim corpus perinde, acsi vivens florensque esset, amplectuntur et deosculantur, oculis, ore, auribus, omnibus denique sensibus adhaerent **, lacrymasque pietatis et affectionis indices effundunt, Martyrique ut omnibus partibus integro ac vigenti supplicant, ut pro se apud Deum legationis munere fungatur: uti Dei ministrum appellant, qui, quando vult, invocatus munera impetret. Ex his omnibus pius populus discit, quam pretiosa sit in conspectu Domini mors sanctorum ejus. Etenim licet ex eadem massa conflata concretaque sint omnia hominum corpora, ea tamen, quae simpliciter intereunt, temere projecta jacent: quae vero martyrii gratiam obtinuèrunt, sic amabilia jucundaque sunt, et omnium studiis certatim complectenda, ut in praesentia declaravimus. Ex his ergo, quae videmus, ea credimus, quae non cernuntur: et ex his, quae experimur in hac vita, speramus ea, quae futura promittuntur in altera. Sunt enim multi, qui in ventre, inanique gloria, et caducis atque fragilibus rebus cumulandis summum bonum collocantes, quid futurum sit, negligunt, atque hujus vitae fine putant omnia terminari.

§ 6. Sed tu, qui sapiens es, ex parvis magna conjicito, ex

* Teste Ruinartio, ejusmodi pavimenta adhuc Rhemis supersunt, in tribus basilicis, archimonasterii scilicet Rhemigiani, abbatiae S. Petri et antiquissimae Collegiatae S. Symphoriani.

** Alia erat Ecclesiae Romanae, observat Ruinartius, disciplina, ubi sacra corpora nequidem a loco sepulturae movebantur.

adumbratis vera et solida cogitato. Quis ex iis qui apud homines fuerunt excellentissimi, hujusmodi monumentis celebratur? Quis eorum Imperatorum, qui munitissimas urbes expugnarunt, qui gentes innumerabiles subegerunt, ita decantatus est, ut miles hic pauper, qui nuper erat in militiam adscitus, quem Paulus armavit, quem Angeli ad certamen unxerunt, quem victorem Christus coronavit? Verum quia dicendo ad Martyris pugnas appropinquavimus, age singularem de ipso sermonem instituamus: gratum est enim cuique, quod ipsi proprium est.

§ 7. Patria fuit viro generoso ea regio, quae vergit ad orientem solem. Nobilis enim et hic, quemadmodum Job, inter eos, qui ad solis ortum habitant. Quare cum eamdem haberet patriam. eosdem etiam mores imitatus est. Nunc autem patria est illi orbis terrarum. Omnis enim martyr, ejus regionis, quae sub sole habitatur, civis censetur. Inde ad militiam profectus, cum propria cohorte in hanc regionem se contulit. Hic enim milites ab ipsis Imperatoribus jussi fuerant hiemare. Sed aliud, non ex barbarorum impetu, sed ex lege et decreto impio satanae suscitatum est bellum. Omnes enim Christiani nefaria sententia condemnati. ad supplicium ducebantur. Tunc igitur, tunc hic ter beatus, pietate insignis, et fidem in Christum sic ubique circumferens, ut tantum non in fronte confessionem inscriptam gereret, non amplius tyronis, aut nuper delecti militis robur prae se tulit, neque se rei militaris imperitum, aut pugnae ignarum exhibuit: sed generosos ac strenuos spiritus ad subeunda pericula sumens, haudquaquam demisit animum, aut haesitavit, aut ullam in loquendo timoris suspicionem praebuit. Nam cum improbi illi judices, Dux et Centurio in idem, ut olim Herodes et Pilatus, conspirantes consedissent, crucique affixi servum in ejusmodi judicium, quo Dominus quondam ejus circumventus fuerat, arcessissent: « Dic nobis, inquiunt, unde tibi tantum audaciae et confidentiae ingenitum sit, ut regias leges despicias, neque mandata domini contremiscens venerere, et eorum, qui rerum potiuntur, decreta colas et observes? » Hi namque tunc in Maximiani regia principem locum obtinebant.

§ 8. Quibus ille constanti vultu menteque intrepida opportune respondit: « Ego, inquiens, deos ignoro, qui revera nulli sunt. Vos autem impostores daemones, Dei nomine cohonestantes, aberratis. Mihi quidem Deus est Christus, qui Dei filius est unigenitus. Quamobrem me religionem ac fidem ipsius confitentem, et vulnerator feriat, et percussor caedat, et combustor mihi flammam admoveat, et qui vocibus meis offenditur, linguam exscindat. Corpus enim in singulis partibus procreatori suo patientiam et tolerantiam debet. » His rationibus victi sunt Tyranni, nec primum strenui militis impetum sustinuerunt, cum adolescentem ad subeunda tormenta promptum et alacrem

cernerent, mortemque tamquam dulce aliquod poculum haurire cupientem.

§ 9. Dum igitur parumper haesitant illi, et quid facto opus sit, inter se consultant, quidam ex ea legione, qui facundior et astutior esse putabatur, Martyris responsionem eludens; « Est ne, inquit, o Theodore, filius Deo tuo? et generat ille, quemadmodum homines, cum perturbatione? » — « Nullam in generando (respondit) novit perturbationem Deus meus. Ex quo et Filium ego confiteor, et generationem Deo convenientem intelligo. Te vero, o rationis expers, atque infans, nonne pudet? nonne rubore suffunderis, Deum etiam foeminam asserens, qui ipsam quidem ut filiorum genitricem, et instar leporum aut suum foecundam daemonem, facile tum uterum gerentem, tum parientem colas? » Sic igitur Sancto duplicem in idolorum cultorem irrisionem retorquenti, Tyranni ad speciem humanitatis; « Modicum, inquiunt. temporis spatium ad considerandum furenti concedatur. Fortasse interim, deposita insania, resipiscet, et ad meliorem frugem se recipiet. » Insaniam enim, dementes sapientiam appellabant; stuporem autem et furorem, pietatem et religionem. Quemadmodum fit, quando illi, qui ebrii sunt, sobriis èxprobrant morbum suum.

§ 10. At pius vir et Christi miles, ad virile fàcinus conficiendum, spatium illud convertit: ecquod autem facinus? Tempus jam est, ut cum laetitia narrationem hanc excipiatis. In metropoli Amasea * fanum fuit, quod fabulosae deorum matri decepti illi quondam homines vanitate, quodam in loco propter fluminis ripam construxerunt. Hoc fanum generosus ille, dum per inducias liber ac tutus esset, opportunitatem et propitium aurae flatum observans, incendit atque combussit. Itaque quod omnino post deliberationem exspectabant, re ipsa sceleratis responsum dedit. Quod quidem omnibus patefactum est: siquidem nec clarissimus in parte civitatis accensus ignis, id occultari permisit, et ipse adeo latère non studuit, ut aperte tum praeclaro facinore gloriari, tum perturbatione, qua propter templi statuaeque combustionem conterriti erant impii, gaudere majorem in modum videretur. Cum igitur ad praefectos auctor incendii delatus esset, multo horribilius in eum, quam antea, judicium est constitutum, ut par erat, animis eorum tanti momenti re concitatis. Quamobrem cum in tribunali resedissent, Theodorus praesenti animo in medio stetit, imperantisque fiduciam prae se tulit, non ut reus respondens, sed uti judex interrogans, et celeritate confessionis interrogationem interrumpens. Quare posteaquam non stupidus aut attonitus apparuit, atque illi acerbitate minarum, quibus minime pepercerant, se nihil proficere animadverterunt, ad

* In Ponto, Mithridatis et Strabonis patria. Nunc *Amasieh* vocatur, et Turcarum ditioni subjacet.

artes contrarias confugere, et promissis injustis hominem justum, rebusque ingloriis gloriosum allicere conati, Tibi, inquiunt, sacerdotii primarii dignitatem pollicemur.

§ 11. Quo quidem audito, vir beatissimus vehementi irrisione: « Ego, respondit, cum sacerdotes idolorum miseros duco, eorumque me, quod tam stulto munere fungantur, miseret, tum sacerdotum principes multo magis commiseror et detestor. Inter flagitiosos enim quo quis major atque praestantior, eo nequior et infelicior. Sic inter injustos, qui injustior est; sic inter homicidas, qui crudelior; inter adulatores, qui petulantior. Idcirco posthac a perniciosis pollicitationibus abstinete. Ignoratis enim, o viri, vos malorum extremum mihi polliceri. Nam pie et recte vivere profitentem, praestat abjectum esse in domo Dei, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Ego vel istos Reges, quorum assidue leges iniquas proponitis, miseror, qui maxima inter homines regii muneris dignitate non contenti, sibi sacerdotum principis dignitatem vindicarunt: ideoque lugubrem et tenebricosam purpuram induuntur, instar infelicium principum sacerdotum, illustri regiae dignitati tristem amictum inducentes. Quin etiam aliquando ad nefarias aras accedentes, pro regibus fiunt coci, dum aves sacrificant, et pecudum viscera misere perspiciunt, et sanguinis tabo tamquam laniones quidam inquinantur. »

§ 12. Post has justi hominis voces, ne fictam quidem et simulatam amplius humanitatem prae se tulerunt, sed illum et in deos maxime impium, et in Reges contumeliosum et maledicum vocantes, primum ligno, quo torquentur homines, suspensum ceciderunt ac lacerarunt. Ille vero carnificibus vehementer saevientibus, forti alacrique animo perferens, versum etiam illum e psalmo decantabat: *Laudabo Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo* (*Ps.* 33). Ipsi carnes ejus dilaniabant. At ille psallebat, ut si non ipse, sed alius eos cruciatus sustineret. Sic autem laceratum ac dilaniatum carcer excepit. Ubi rursus circa Sanctum admiranda gerebantur. Etenim per totam noctem vox multitudinis canentium exaudita est; et ejusmodi faces eluxerunt, ut iis, qui extra carcerem erant, tota nocte splendor effulserit. Quo quidem spectaculo cantuque admirabili commotus carceris custos, in cubiculum insiliit: sed praeter Martyrem quiescentem, et multos vinctos qui dormiebant, invenit neminem.

§ 13. Cum igitur multis tormentis adhibitis, in confessione religioneque magis ipse perstaret, sententia in eum lata est, ut igne vitam finiret. Atque ita praeclarum beatumque iter ad Deum confecit: nobis autem memoriam certaminis tamquam magistram reliquit. Qua quidem ille populos congregat, Ecclesiam instituit, daemones fugat, conciliat angelos pacis, orat a Deo quae nobis utilia sunt. Hunc enim locum, tamquam diversis morbis medicinas suppeditantem officinam constituit, procellis tempestatibusque

periclitantium portum, egentium opulentum aerarium, dulce peregrinorum hospitium, festos dies celebrantium nunquam desinentem congressum. Quamvis enim certum et solemnem hunc diem quotannis celebremus, nunquam tamen deficit studiose advenientium multitudo. Quamobrem publica, quae ducit huc, via formicarum similitudinem conservat, aliis redeuntibus, aliis venientibus, aliis succedentibus.

§ **14**. Nos igitur, o beate, anni circulo benignitate creatoris peracto, sacrum hunc Martyrumque studiosum coetum congregavimus, communem adorantes Dominum, certaminumque tuorum praeconium memorabile celebrantes. Tu vero, celebritatis auctor, quaecumque te ora tenet, huc ad nos veni. Nos enim te vocantem vicissim vocamus. Quocirca sive sublimi in aethere moraris, sive coelestem aliquam absidem circumvertis, sive inter angelorum choros constitutus Domino assistis, sive inter Principatus et Potestates ut servus fidelis eum adoras, istis omnibus parumper intermissis, ad nos, qui te colimus et honoramus, accede. Ac licet oculis nostris minime perspicuus sis, sacrificia nostra tamen intuere: ut quas Deo, qui tibi pro uno supplicio, et pia unica confessione tam multa munera largitur, gratias agimus, ipse conduplices. Meritam ex sanguine quem effudisti, et ignis cruciatu quem pertulisti, laetitiam percipe. Quot enim tunc supplicii tui spectatores erant, tot nunc honoris ministros habes.

§ **15**. Multis beneficiis indigemus. Tu legationis munere fungere apud communem Regem pro patria tua. Martyris enim patria est locus, ubi ille passus est; cives, et fratres, et propinqui, qui reliquias ejus ornant, qui tuentur, qui venerantur. Calamitates metuimus, pericula formidamus. Haud procul absunt exitiales Scythae, qui contra nos machinantur bellum. Ut miles propugna, ut Martyr pro conservis dicendi ùtere libertate. Quamquam tu vitam hanc transcendisti, humanas tamen molestias et necessitates non ignoras. Impetra nobis pacem, ne ipsae celebritates intermittantur, ne rabidus et sacrilegus barbarus in templis et altaribus comessetur, ne sancta profanus conculcet. Nos quidem, quod hactenus sarcti tecti servati simus, tibi acceptum referimus, sed in posterum etiam securitatem postulamus.

§ **16**. Quod si majore sit opus auxilio, fratrum tuorum Martyrum chorum adhibe, et una cum omnibus supplica. Multorum preces justorum, nationum et populorum crimina diluant. Petrum admone, Paulum excita, Joannem Theologum, dilectum discipulum, advoca, ut Ecclesiarum, quas constituerunt, .pro quibus catenas pertulerunt, pro quibus pericula et caedes perpessi sunt, solliciti curam suscipiant. Ne cultus idolorum contra nos caput tollat, ne haereses tamquam spinae vineam suppullulantes laedant, ne zizania crescentia triticum suffocent, ne qua petra veri roris pinguedinem nobis excutiat. Sed tuae precationis ope

magnus fructuum proventus appareat, recteque instituta Christianorum vita, tamquam in pingui atque frugifero solo, praeclaram et admirabilem ad finem usque segetem ferat, unde nobis proveniat fructus aeternae vitae in Christo Jesu Domino nostro, cui cum Patre et Spiritu Sancto gloria, honor et imperium in secula seculorum. Amen.

S. ANDREAE AVELLINI

CONGREGATIONIS THEATINORUM

VITA

EX BULLA CANONIZATIONIS, A CLEMENTE XI, ANNO MDCCXII, PROMULGATA.

Natus anno 1521, obiit anno 1608 — Italus.

Prooemium. Nunquam profecto, divinâ favente bonitate, contigit, excitatis ab implacabili humani generis hoste procellis dirisque tempestatibus, ita mare tumescere ac infremere, ut apostolici Piscatoris cymba, in altum jactata, vel scopulis misere allidat, vel in profundum naufragii demergatur; quinimo, magis magisque saevientibus fluctibus, ac ingruente aquilonis turbine, exoriri non raro solet amicum fidus, suoque lumine offusis undequaque tenebris dissipatis, tutum iter placidumque super instabili elemento, despumante furores suos, aperire ac stèrnere. Hac sane ducti fiduciâ, quam nobis divina oracula fecerunt, tot calamitates et acerba vulnera, christianae reipublicae difficillimis hisce temporibus illata, àlacri erectoque animo ferebamus, sperantes a Deo misericordiarum totiusque consolationis ut Ecclesiam suam sponsam intactam et immaculatam praesenti auxilio fovère ac erigere dignaretur, illud jugiter divinum interque amaros lacrymarum imbres nobiscum recolentes promissum *Portae inferi non praevalebunt.* Affulsit tandem exspectatum optatumque e coelo jubar, nobisque, licet immerentibus, supernâ tamen dispensatione, Catholicae Ecclesiae gubernaculo praepositis, certam firmissimamque in Domino spem excitavit, omnes seculi fluctus et tenebrarum potestates aspectus sui tranquillitate facile sedaturum. Etenim ex altâ militantis Ecclesiae speculâ sublimique fidei et religionis arce ad aeternam illam beatamque patriam coelestis Jerusalem, quo corporeus non fertur intuitus, effuso translati desiderio, amictum, prae caeteris, splendoribus, et triumphalibus laetitiae coronis circumdatum, egregium insignemque miraculis virum, ex inclytâ

clericorum regularium Theatinorum nuncupatâ congregatione Andream Avellinum stupore afflati conspeximus, quem sicuti, dum in humanis ageret, sanctâ piâque conversatione animarum saluti et religionis incremento enixe feliciterque consuluit ita ab illa immortali securitatis regione nobis militantibus adfuturum hilari animo confidere incepimus.

§ 1. Hunc itaque insignem Christi confessorem non mortalibus honoribus universo Christifidelium coetui colendum exponere, arasque et supplicationes eidem decernere cupientes, fusis noctu dieque precibus in jejuniis et lacrymis orantes, intensoque cordis affectu Patrem luminum deprecantes, ut, in re tam grandis momenti et supra humanam conditionem positâ, mentem nostram coelesti suâ luce perfundere ac instituere dignaretur, tandem, infirmitati nostrae suffragantibus universae Ecclesiae orationibus, piisque operibus ad id sedulo adhibitis, visum est Spiritui Sancto, qui in nobis divinâ miseratione operatur et loquitur, lucernam ardentem super Ecclesiae candelabro Andream Avellinum extollere, ut illum in albo Sanctorum solemni ritu translatum christianus orbis exoret, tantisque ingruentibus calamitatibus tutelam validumque praesidium se habere apud Deum intelligat et deprecari assuescat nuncupatione votorum. Gaudemus profecto, sanctâque in Domino exultatione replemur, infirma luteaque vasa deferentibus et adversus secularia desideria mundique procellas assiduo luctantibus optatam e coelo tandem illuxisse cynosuram, quae, lumine nunquam defuturo, securos beatae Sion portus et exemptam ab omni aerumnarum fluxaeque vitae periculis quietem in sinu aeternitatis demonstret. Gaudemus generosum Christi athletam mundo exutum, soloque Deo armatum, e castris ac tentoriis religiosae Theatinorum familiae in arenam prodiisse, bonumque certamen certasse, quem quidem, sanctitatis odorem longe lateque exhalantem, probatumque heroicae virtutis documentis, gloriae coronâ donandum provida Aeternae Mentis consilia nostris temporibus reservarent. Gaudemus demum, ita postulantibus meritis et miraculis quibus inclaruit, coelestes in terris sanctorum honores illi decernere, qui mirâ humilitate contempsit humanos. Audite ergo populi Israël et laudate Dominum in atrio sancto ejus.

§ 2. Andreas itaque, in sortem Domini usque ab ineunte aetate vocatus, apud Castrumnovum in regno Neapolitano, Lucanaeque provinciae oppidum, anno MDXXI, a Joanne Avellino et Margarita Apella conjugibus, optimisque parentibus, suae mortalitatis exordium suscepit, atque inibi christianis moribus et primis grammaticae rudimentis ab ejus patruo ejusdem loci archipresbytero imbutus sublimiores scientias alibi assecuturus, paterna e domo se abdicavit; scientiis hujusmodi assequendis, nunquam illarum initium, quod Dei timor est, in oculis habere praetermisit, tantique principii

assiduo ferventique cultu universam quam pertransivit studiorum semitam illustravit, et pubescentem aetatis suae florem futuris seculis consecravit, ac ita piissimus adolescens lubrica voluptatum irritamenta invicto pede calcavit, ut perfectae aetatis gradum praecoci virtute transcenderit; nam saepe ab impudico mulierum aestu, et praesertim ab effraena ejus nutricis licentiâ, quae honestissimi nominis pudorem meretricio dedecore violaverat, impetitus, generosâ fugâ victor evasit.

§ 3. Patriae se reddens, divino Spiritu ductus, clericali militiae nomen dedit, et Christi tyrunculus in ejus studio non seculi sed coeli lucra quaesivit; quippe in patriâ commorans et per vicina oppida excurrens, pueros ad christianae fidei praecepta discenda amplectendaque, et illarum regionum incolas ad pia monita exequenda, non sine ingenti animarum quaestu, coepit a seculi somno excitare. Verum, quia legibus nondum vacaverat, ejusque parens, spe futurorum erectâ, filium a se divelli aegre minus ferebat, Andreas, materno acquiescens consilio, Neapoli juri civili operam daturus concessit. Hic itaque juris utriusque peritiam adeptus, reliqua litterarum ornamenta novâ jurisprudentiae accessione cumulavit, et ad sacerdotalem dignitatem evectus, et in eâ constitutus, causas in foro ecclesiastico pro quibusdam personis privatis dumtaxat, juxta sacrorum canonum praescriptum, tuendas suscepit, donec a Joanne Marinonio, clerico praefatae Congregationis, viro probatae virtutis, et quem ille sibi conscientiae ducem elegerat, sancte callidior factus, ab hujusmodi procuratione se avertit, et nihil doctius nihilque ditius arbitratus, quam uni Deo vacare aeternoque animarum quaestui incumbere, a lubrico cujuscumque humanae spei fastigio descendens, divinae sapientiae quadrigam ascendit; ac, velut auriga Christi, ad perennis beatitudinis metam concitatus se convertit.

§ 4. Quapropter rectius iter aggressus, ita probis Neapolitanae urbis ecclesiasticis pie vivendi more antecelluit, ut ab ejusdem civitatis archiepiscopo * ejus vicarius ad revocandas nonnullas cujusdam monasterii sanctimoniales, quae a recto regularis observantiae tramite aberraverant, deputatus fuerit. Ille vero, porrectis prius ferventissimis Deo precibus, exploratoque conscientiae suae moderatoris consilio, munus hoc arduum suscepit, illudque ita, Deo ejus votis et laboribus annuente, feliciter absolvit, ut virgines illae, quae procul ab immortali earum Sponso dormitaverant, validis Andreae clamoribus Sponsum advenientem nuntiantis excussae surrexerint, ornatisque novo reformationis zelo lampadibus suis, quae circumfusis inobservantiae tenebris jam jam defecerant, recenti lumine pulcriores cum illo intraverint ad nuptias.

* Qui tunc temporis celeberrimus erat ille Joannes Petrus Caraffa, S. Cajetani socius in Theatinorum Congregatione instituenda, et deinde Pontifex Summus sub Pauli IV nomine (1555-1559). De ejus gestis plura Cardinalis Pallavicino, in Concilii Tridentini Historia, scripsit

Una tamen ex eis diuturno cujusdam profani viri commercio detinebatur; sed Andreas hoc vetus et arctissimum Satanae vinculum forti brachio conterere aggressus est, facto utrique interdicto, viro scilicet, ne ad monasterium, moniali vero ne ad crates, eum alloquendi gratiâ, accederent. Tantus hominis illius nequam exarsit in hominem Dei furor, ut sicarios, qui Andream, sicubi invenissent, perderent, quater immiserit. Horum primos nefarios delusit impetus non eis bene nota venerandi viri facies; secundo loci sanctitas eos deterruit, nam flexis genibus orantem in templo Andream invenerunt; tertio impium facinus aggressi, leve in ejus facie vulnus inflixerunt; quarto demum, geminâ in vultu plagâ pariter illatâ, pessime habitum reliquerunt, nam alterum ex vulneribus profundius adactum, dissectâ insigniori arteriâ, aut proximam ei mortem allaturum, aut, si medicas unquam manus admisisset, maximum perpetuumque deformitatis vestigium ejus in vultu relicturum existimabatur. Ipse quidem ore impavido vulnera sustinuit, et felix cruor ille, qui pro gloria Dei ex vulneribus, velut e gemino charitatis fonte, in aeternitatis coronam saliebat, non doloris gemitus, non vulnerantium contumeliam, sed vulnerati constantiam divinasque laudes generose murmurabat. Ut autem per levamen et auxilium in terris sibi praepararet triumphum, quem tunc proxime se assecuturum sperabat in coelis, ad coenobium S. Pauli Theatinorum dictae civitatis se protinus afferri proposuit, ut ibi a praefato Joanne Marinonio, idem coenobium tunc gubernante, qui eum ad cursum animavit, ad coronam quoque martyrum pompâ redimitus adduceretur. Verumtamen, Deo sic disponente, ad majora sibi differtur triumphus, et, ne vulnerum imago triumphi merita reposceret, ita convaluit, ut nullum cicatricis vestigium, nisi de proximo et diligentius intuenti, apparuerit.

§ 5. Decumbentis itaque Andreae virtus juxta Patrum Theatinorum virtutem posita, illorumque suavibus ac piis sermonibus inflammata, postquam percussoribus suis hilari animo ignoverat, et tunc existentem proregem, etiam adhibitâ amicorum operâ, pro reis rogaverat, quod grande hujus christianae mansuetudinis exemplum erga cujusdam ejus nepotis interfectorem etiam mirifice jam antea exhibuerat, divinis succensa flammis, eorumdem patrum virtuti, quorum laudabilem vivendi rationem et suis consonam desideriis probaverat, perpetuo consors efficitur, et per mutuum utriusque virtutis consortium gemmeus ille componitur meritorum nexus, quo Andreae nomen Congregationi, et Congregatio Andreae nomini addicta perpetuum et commendabilem sibi invicem mutuantur in Domino decorem.

§ 6. Anno igitur Domini MDLVI, aetatis suae XXXV, Clericis Regularibus praefatis adscriptus, sortitusque in ejus regulari tyrocinio praeceptorem illum, quem in seculo providum ejus conscientiae

sibi moderatorem elegerat, praefatum nempe Joannem Marinonium (quo duce praecipua religiosae vitae praecepta celeri pede discurrens, ceteros in se erudivit, normaque ejus tyrocinii immensum habuit consummatae virtutis exemplum), nihil habuit humilitate praestantius, nihilque amabilius: hac enim virtutum omnium custode in exercendis vilioribus ministeriis ita hominibus Deoque gratum, ac satis superque, juxta laudabilia regularium instituta, probatum se exhibuit, ut jussus operam suam cuidam seni infirmo continuâ, ob morbi violentiam, phrenesi laboranti impèndere, illam ab officiis contemptibilibus et nauseam moventibus minime abhorrens, sedulo summoque charitatis affectu exhibuerit. Quin, vi morbi aegrum aliquando acrius agitante, pugnis colaphisque Andreas plectebatur; at ille furentes ictus amabili prosequebatur amplexu et quo saevior dementis furor, eo ardentius Andreae charitas aestuabat, ne antea etiam per biennium post emissam professionem tantae pietatis officium dimisit, quam aeger e vitâ discesserit.

§ 7. Peracto regularis probationis curriculo, gloriosis Dei militis praecinctus insigniis, Romam, superiorum permissu, loca sacra veneraturus accessit, ibique Martyrum sepulcra uberibus lacrymis detergens, nova sibi procurabat incendia charitatis; adeo ut pretiosae illae nostrae mortalitatis exuviae, dum fervida sentiunt amoris suspiria, laetae exultaverint in Domino, vitalique spiritu frigidi cineres propemodum afflati in amplexum sanctissimi viri exilire viderentur. Quapropter ipse tantae exultationis gloriam debitâ pensans meditatione, sanctae aemulationis impetu permotus, spiritum vitamque suam, ni sanguine, lacrymis saltem in orthodoxae fidei obsequium jugiter adeo profundebat, ut uberes fletus prope martyrum cineres defluentes dulcem concupitae passionis dolorem avido cordi resonarent, mentemque fallerent errore gratissimo. Diebus quinque supra triginta in Urbe moratus, Neapolim rediit, ubi tyronum praefecturae adscitus, summum cujuslibet religiosae rei bonum e rectâ tyronum educatione originem trahere prudenti consilio existimans, ita in id negotii sedulo incubuit, ut pia sanctarum virtutum lineamenta, quae in magistro elucebant, in novitiorum animis perfecte duxerit, eosque praesertim ad orationis studium excitavit: animarum enim cibum orationem esse asserebat, et religiosum illum, qui ab hujusmodi consuetudine se arcebat, non solidam sed hebetem verae pietatis substantiam animae suae praebere, religionisque convivio indignum esse putabat. Quamplures extant celebres hujusmodi institutionum memoriae, quibus formati tyrones, depositâ pravi gustus titillatione, ad salubres aeternitatis escas suam acuerunt cupiditatem. Inter hos Nicolaus Zecchius, insignis humanarum litterarum doctor legumque interpres, qui prope sexagenarius in praefatorum Clericorum Regularium Ordinem admissus, depositâ

fori togâ, nondum totum illud mundani rumoris, qui a seculi doctrinâ illiusque plaudente clamore exurgere animoque inhaerere solet, deposuisse videbatur. Andreas provide animadvertens quod regularis tunica, quam Nicolaus sumpserat, rerum humanarum contemptum plene non probabat, quodque habitus difformi sermoni repugnabat, perfectae humilitatis disciplinam ita Nicolao amplectendam proposuit, ut totum se illius studio committens, non amplius elate sàpere visus fuerit, sed de mundo viliter, de se humillime sentiens, sublimem virtutum omnium lauream, humilitate magistrâ. assequi contenderit.

§ 8. Theatina familia, tanto prudentiae lumine illustrata, de abscondito tyrocinii angulo ad universae suae domus S. Pauli per eum gubernandae regimen lumen illud evexit, ut per ejus virtutis operam non solum oriens, verum etiam adulta regularis aetas in praefatâ domo degens uberes afferret Altissimo fructus. Andreas itaque, praepositi munere decoratus, veluti lucerna supra candelabrum posita, suos undique effundebat radios, quibus vigilantia, oratio, sanctarum rerum sollicitudo, concordia, rituum observantia, et silentium non otiosae noctis etiam quietem operosae diei lucem sentiebant, et quos vigil praesul vigiles cernebat laborare, sui praesentiâ fovebat exempli. Pigros vero et dormitantes censurae premebat acumine. Hoc autem charitatis jubar, quod suis domi, alienae quoque effundebat utilitati. Ad ministrandum enim poenitentiae sacramentum superiorum auctoritate designatus, non tyrocinii, non magisterii, non praefecturae sollicitudines illum unquam detinuerunt, quin confessarii munus ipsum fideliter patienterque exequeretur. His postmodum expeditus curis, totum se piissimo labori alacer mancipavit, et vigilantissimus aeternae animarum salutis opifex, divinique amoris propagator aspera cuncta in hujusmodi officio obeundo constanti animo sustinuit. Non personarum conditio, non incommoda, non itinerum difficultates, non hiemis rigor, non aestivi coeli fervor, non pluviae noctes, non locorum pericula, nec demum humana quaeque mundi dictamina Andreae extinguere potuerunt charitatem; imo, irruente aliquo ex impedimentis hujusmodi, magis magisque acuebantur charitatis flammae, et poenitentibus majorem rutilabant in lucem; ac ita spirituali omnium utilitati et necessitati expositus nullum sibi tempus certum esse voluit, in quo suae quoque consuleret valetudini, nam dilapsis sibi in scrotum intestinis, dolor ipse incredibilis, quo aliquando torquebatur, non ei impedimento fuit, quin leni vultu paternoque amore ad se venientes exciperet, omnibus ad omnia factus, ut animas Christo lucrifaceret; quapropter totius civitatis Neapolitanae animarum moderator et magister nuncupari promeruit.

§ 9. Huic itaque intentus lucro, animas, quas caecus mundi furor perdiderat, ad coelestem revocavit lucem, quas vero Dei

lumen irradiabat, ut tutiores in viam Domini dirigerent gressus, et de virtute in virtutem perfectius ascenderent, per solidam, qua praeditus erat, spirituum discretionem, certo tramite deducebat, et ut discipuli in magistro dignum semperque novum addiscerent christianae disciplinae rudimentum, propriae voluntati se nunquam obtemperaturum, nullamque diem sine novo perfectionis calculo se numeraturum, sacro jurejurando spopondit, ac tam grande sacramentum, ad exempli virtutem, ad discipulorum institutionem, ad laudem Deique gloriam, cui soli omnia dirigebat, constanter perfecteque adimplevit. Bonus tantarum virtutum odor, qui ex Andreae operibus erumpebat, undique jam totam S. Pauli domum universamque urbem Neapolitanam, et proximas illi regiones repleverat, cum Beatus Carolus Borromeus, ecclesiae Mediolanensis tunc antistes, qui alias et tempore pontificatus felicis recordationis Pii IV praedecessoris nostri Romae degens usu compererat quam uberes in vineâ Domini congregatio praefatorum clericorum rectâ vivendi bonique exempli ratione fructus afferret, ut Mediolani ejusdem Congregationis domus instituere-tur, avide exoptavit in Domino. Quapropter praefatae Congregationis comitiis generalibus anno Domini MDLXX celebratis, ad tam pium beati Caroli votum explendum nonnulli ex clericis praefatis, inter quos Andreas vicarii titulo insignitus, mittuntur, summâque humanitate ac veneratione excipiuntur a Mediolanensibus. Tum beatus Carolus Andreae virtutibus aequa lance pensatis, illarumque pondere comperto, non audiendis dumtaxat confessionibus caeterisque hujusmodi piis exercitationibus Andream addixit, verum etiam in arduis quibusque amplissimae dioecesis negotiis illius non semel usus fuit consilio, a cujus nitore lux illa in hujusmodi negotiis oriebatur quae Dei gloriam rutilabat.

§ **10**. Nondum maturaverat annus, quo Congregatio praefata Mediolani primam fixerat sedem, cum Andreas, aegre id nimis ferente beato Carolo, jussus Placentiam, inibi novam Congregationis praefatae domum excitaturus, petiit. Placentinae ecclesiae tunc praeerat Paulus de Aretio ejusdem Congregationis olim professus, et Andreae in tyrocinio socius, qui postea S. R. E. Cardinalium coetui adscriptus et Neapolitanae ecclesiae praefectus fuit, ac tandem ea sanctitatis famâ obiit, ut ejus beatificationis causa apud Congregationem venerabilium fratrum nostrorum ejusdem S. R. E. Cardinalium sacris ritibus praepositam agi coeperit. Hic ergo piissimus praesul, quos olim in sui professione habuit fratres, hos in pastorali sui gregis curâ voluit coadjutores. Placentiae itaque benigne adamanterque a Paulo Andreas excipitur, pietasque pietatem amplectitur et osculatur. Quidquid autem Andreae virtus Pauli socii unita virtuti in administrandis inibi sacramentis procurandaque animarum salute peregerit, opera ipsa testantur. Unum tamen prae ceteris loquatur flagrantissimae

charitatis monumentum, quo mulieres infixae in profundo libidinis coeno feliciter emersae demonstrantur. Ex harum numero duodecim, Episcopo opem dante, intra septa cujusdam domus B. Mariae Magdalenae postmodum nuncupatae, veluti intra hortum conclusum, primas poenitentiae plantas transtulit. Has ubi ingeniosus agri dominici cultor divino inseruit amori, tanta germinavit ex eis bonarum frugum ubertas, aliorumque beata palmitum propago, ut domus illa, sudore assiduo et laboriosa agricolae sollicitudinis exculta, paradisi viretum coeli rore foecundatum ipsis Angelorum oculis videretur. Non absimiles laboris sui fructus collegit in reformando Placentinae dioecesis clero, quem crescentes quorumdam vitiorum et corruptorum morum vepres suffocabant. Paulus episcopus praefatus vi decretorum Concilii Tridentini perniciosos hujusmodi sentes evellere cupiens, beati Andreae operâ, opportuno satis consilio, uti statuit. Andreas ergo, dux ceteris viris huic operi pie adlaborantibus datus, opus illud difficillimum usque ad extremum perfecit, evulsisque alte defixis vitiorum radicibus, clero praefato bonae terrae nomen dedit, bonoque reformationis semine in eam deinde projecto, multiplex exoriens foecundaque virtutum messis spem agricolae, quamvis avidam, non fefellit.

§ **11**. Interea ad propria suae Congregationis incrementa totius Insubriae provinciae visitator designatus fuit et deinde Mediolanum, ut in nova domo praepositi munere fungeretur, delegatus, nova exhibuit S. Carolo suae probitatis exempla. Illud equidem praecipuum, quod ex eleemosynis a liberali ejusdem S. Caroli manu quolibet mense sibi donatis, Andreas, illa tantum portione retenta quae ad alendam ejusdem domus familiam satis erat, reliquum, vere S. Cajetani filius, remittebat donanti, qui donum a se missum pulcra virtutis usura adauctum ad se reverti mirabatur. Ad Romanam postmodum ac Neapolitanam provincias visitaturus accessit, et in eis perlustrandis maximas Ordini suo utilitates indefesso labore procuravit. Demum, etsi ab omni praeeminentiae gradu abhorreret, invitus ad iterum praefati S. Pauli domum regendam, Deo, sic disponente, expetitus fuit, ut insignis ejus virtus illuc rursus elata coeleste lumen copiosius effunderet. Ea quippe tempestate, deficiente Neapoli annona populosa illa civitas seditiose ferebatur in principem. Andreas jejunis ventribus animisque clamantibus provide occurrit; nam, quidquid frumenti in domestico horreo servabatur, pauperibus distribuit, solemnesque ad avertendam coeli iram supplicationes indixit. Quapropter illius verbo et exemplo quamplurimi ad poenitentiam revocati a seditiosorum turbâ se subtraxerunt, factaque est populo illi aestuanti tranquillitas magna.

§ **12**. Tot itaque meritorum radiis coram Deo elucebat, et hominibus ac praefatis duobus emanatis ab eo votis constanter

incumbens, mortificationemque Jesu Christi in corpore suo circumferens, propriae semper ita obstitit voluntati, ut, divinae gratiae roboratus praesidio, novum de die in diem perfectionis gradum contenderet, et asperrimis sui corporis afflictationibus pόenitentiae victimam sanctae mortificationis gladio mactatam sese offerret Deo, qui hujus hostiae odoratus odorem suavitatis, quamplura charismatum dona fideli bonoque servo suo ad illustrandas ejus virtutes largiri dignatus est. Emicuit inter ea divinitus collatum ac pene sibi familiare prophetiae lumen, quo quidem illustratus, futura et absentia quasi praesentia saepe vidit, occultaque humani cordis aliquando cognovit.

§ **13**. Verum octavum jam supra octogesimum suae aetatis annum, qui erat nostrae reparationis MDCVIII, attingens beatus Andreas, primo mane e strato surgens, ac sacellum ingressus, et sacerdotalibus de more ornamentis indutus, ad aram Missae sacrificium celebraturus accessit; ubi vero rem divinam agere coepit, ad illa verba *Introibo ad altare Dei*, ita repente apoplexia percussus fuit, ut nisi minister sacrificio inserviens jam jam labentem supposita manu sustentasset, in terram corruisset, si corruere utique poterat fortis ille senex, quem senectus Christo occupaverat servientem, et quem extrema dies Salvatoris invenerat militantem. Adfuere protinus adstantes, tum patres, hac de re moniti, supervenientes illum in aedem templo proximam adduxerunt, et sacris exuerunt vestibus; plura subinde, sed frustra, adhibita fuerunt medicamina, nam violenta morbi rabies omnem ei loquendi usum abstulerat, illaesa tamen in totum discernendi facultate, quod per data ab eo signa plane compertum fuit, motibus nempe quibusdam, ac nutibus, ut ad aram majorem perduceretur, ardens ostendit desiderium, ut stans coram illa, et in ea consumpta Deo universa mortificati sui corporis hostia, extremus, qui supererat, et morituro tunc in pectore vitae ignis tepebat, quemadmodum vivens exarserat, divino quoque moriens extingueretur amore.

§ **14**. Cum vero superior, an suscipiendae Eucharistiae gratia id expeteret, interrogasset, annuit ille iterato capitis flexu, nec a nutibus desistere et quiescere visus, nisi cum hoc de negotio se idem superior illi satisfacturum spopondisset, postquam scilicet, quod erat tunc opportunius, in cubiculum aegrotans asportatus fuisset. Eo perductus, ac lectulo stratus, medicis, qui jam advenerant, nullam salutis spem dantibus, sed intra paucas horas aegrum moriturum pronunciantibus, sanctissimo Viatico extremaque deinde Unctione munitus fuit. In tanta vero spirituum perturbatione, singulari Dei beneficio, ita mente semper libera permansit, ut viso a longe in sacerdotis manibus divino Sacramento, editis haud vulgaribus pietatis et devotionis indiciis, e lecto surgere, quantum per vires licuerat, conatus fuerit, nonnisi humi stratus

Domini gloriae in sui corporis hospitium suscepturus, quibus et morbi adversarius impetus et superioris obstitere praeceptum. Itaque, susceptis Ecclesiae Sacramentis, per aliquot horas aliquatenus conquiescens, tum ex religiosis viris tum ex secularibus in ejus cubiculum introëuntibus, atque ab eo benedictionem postulantibus, singulos ille penitus agnovisse indicans, singulorum vota paternae benedictionis munere dignatus est. Extremo demum ingruente agone, non semel equidem validissimum cum humani generis hoste certamen in illa novissima vitae suae arena se initurum ipse praedixerat, propterea que omnes orationi instantes vellet, ut iis intercedentibus divinae misericordiae auxilium, quo victor evaderet, affuturum speraret. Mox ubi, qui praesentes erant, Andreae vultum quasi inducta trepidationis ac moeroris nube obumbratum viderunt, certamen ab ipso praedictum ei adesse rati, ferventissimas pro eo preces ad Deum fundere coeperunt. Verum Andreas, conversis iterum atque iterum firmissimo intuitu oculis ad piissimam imaginem e cubiculi pariete pendentem, consuetae redditus tranquillitati, hilaris triumphator in coelum ad capessendam boni certaminis, quod certaverat, coronam, et attingendam beatam consummati cursus metam evolavit.

§ **15**. Post ejus in Domino obdormitionem longe lateque diffusa est sanctitatis suae fama. Quapropter anno MDCVIII defunctus, anno vero MDCXXV a felicis recordationis Urbano Papa VIII praedecessore nostro inter Beatos solemni ritu adscriptus fuit. Et quia nondum apostolicae prodierant constitutiones, quibus cavetur, ne hujusmodi beatificationis servorum Dei quorumcumque ac canonizationis causae, nisi post lapsum ab illorum obitu annum quinquagesimum, tractarentur, hoc solum interea permisso, ut scilicet virtutum et miraculorum probationes procurare ac conficere liceret, ne per longa temporis hujusmodi intervalla certiora et illustriora sanctitatis monumenta penitus intercciderent: idcirco nonnulli post beati Andreae decessum ordinaria primum et deinde apostolica auctoritate instructi fuere processus, quorum examine, secundum consuetudinem eo tempore receptam, tribus antiquioribus tunc existentibus causarum palatii apostolici auditoribus demandato, illi actorum validitatem approbarunt, et beati Andreae virtutes heroicum attigisse gradum, et octo inter alia, partim dum viveret, partim post mortem ab ipso patrata miracula, communem operandi modum a natura institutum transcendisse, praevia discussione declararunt. Horum omnium relatio in praefata Rituum Congregatione exposita una cum eorumdem auditorum judicio discussa fuit; qua discussione peracta, eadem Rituum Congregatio et validos processus et Andreae virtutes heroicas esse censuit, admissisque inter vera et probata miracula septem instantaneis sanationibus, infrascriptum quoque pro miraculo habitum fuit.

§ **16**. Accidit aliquando ut beatus Andreas domum Camilli de

Curtis, Neapolitana in curia regentis, Catharinam Caraffam morbo decumbentem visitaturus adiret, eique christianae pietatis officia more suo praestaret, quibus inde perfunctus circa tertiam noctis horam, recusato quod in promptu erat rhedae commodo, pedes ad praefatam S. Pauli domum reversurus discessit, interim copiosius, dum iret, e coelo indesinenter cadebat imber: nihilo tamen minus ne una quidem aquae guttula servi Dei sociique vestes aspersit tetigitve: imo homines duo, qui viae comites dati ut accensam praeferrent facem, ubi haec imbrium et ventorum impetu extincta fuit, Andream repentina luce circumfusum viderunt; quare homines ad praefatam S. Pauli domum feliciter pervenerunt. Ad haec iidem duo per longum itineris tractum, et dum Dei servo famularentur, et dum ad suas postmodum aedes redirent, continuo maxima circumquaque imbrium copia decidente in nulla aut corporis aut vestimentorum parte injuriam quantumvis minimam, ab aquis undique defluentibus acceperunt.

§ 17. Porro quidquid a praefata Rituum Congregatione de validitate processuum tam de heroico virtutum gradu ac de miraculis judicatum, idem Urbanus praedecessor confirmavit, ejusdemque Rituum Congregationis esse locum solemni servi Dei beatificationi pronunciantis decreto annuens, die x junii praefati anni MDCXXV, Andream Beatorum fastis adscripsit, et Clericis Regularibus Theatinis praefatis, ut in ejus honorem Officium et Missam de communi Confessorum non Pontificum celebrarent anniversaria die obitus servi Dei quotannis, concessit, ac id ipsum caeteris sacerdotibus die praefato in eorumdem Clericorum Regularium Theatinorum ecclesia celebraturis indulsit. Interea Neapolitana, nonnullaeque Siciliae urbes beatum Andream in patronum ac protectorem sibi eligendum statuerunt: et quia nondum ab Apostolica Sede, ne ii, qui Beatorum dumtaxat nomine insigniti, nec inter Sanctos adhuc solemniter relati fuerunt, in urbium locorumque patronos adscriberentur, statutum fuerat: idem Urbanus praedecessor, audita prius hac de re praefatae Rituum Congregationis sententia, ut de beato Andrea tamquam de patrono ac protectore apud Neapolitanos Capuanosque Missa Officiumque recitarentur, benigne indulsit, patribusque Theatinis, in quorum generalibus comitiis statutum extiterat ne quemquam vel minima a Beati cadavere distracta portione donatum vellent, facultatem dedit ut Neapolitanis civibus partem corporis beati Andreae inter lipsana majoris ecclesiae Neapolitanae reponendam dono darent. Post autem ejusdem Urbani praedecessoris decretorum promulgationem, factâ novae commissionis gratiâ, negotium canonizationis beati Andreae reassumptum fuit; et ad tenorem apostolicarum desuper editarum constitutionum praefatarum, hujusmodi causam excipiendam declaratum, et adaucta in dies beati Andreae fama sanctitatis, ejus nomen una cum eis, quae in romano

martyrologio leguntur, rite adnumeratum apostolica auctoritate extitit, ac patribus Theatinis permissum ut proprias de eodem beato Andrea lectiones, a praefata Rituum Congregatione, audito fidei promotore, approbatas, in secundo nocturno publice recitarent. Datis postea litteris remissorialibus ac compulsorialibus, ut ea, quae post beatificationem hujusmodi acciderant, probarentur, varii de novo diversis in locis conditi fuerunt processus, quorum postea discussa et probata fuit validitas, et ex octo a postulatoribus in Congregatione coram nobis habita propositis miraculis, tertium, quartum et sextum plene approbata fuerunt.

§ **18**. Tertium autem fuit sanitas Jacobo Giovio in instanti restituta. Hic enim attracta et exsiccata nervorum compage in dimidia superiori corporis parte vitale officium minime expeditum habebat Quartum fuit instantanea item curatio Joannis Baptistae Corizzi a nimis alte capiti inflicto vulnere, ne relicto quidem vel minimo cicatricis vestigio. Sextum denique fuit Scipionis Arlei instantanea pariter sanatio; siquidem hujus graviter contusa frons, ac laxatae, quae per collum extenduntur, vertebrae, illico fuerunt pristinae integritati restitutae. His itaque ordine suo peractis, nos, dilato per id temporis judicio nostro, ut precibus ad Deum de more porrigendis in re tam gravi summe necessariis in antecessum vacaremus, postmodum die XXV maji anni MDCCIV praefata tria miracula auctoritate nostra apostolica comprobavimus.

§ **19**. Denique, cum die XVIII novembris praefati anni MDCCIV, generali Congregatione coram nobis habita, propositoque dubio an tuto solemnis beati Andreae canonizatio perficienda foret, affirmativeque venerabiles fratres nostri S. R. E. Cardinales praefatae Congregationis sacris Ritibus praepositae respondissent, nos, et preces ipsi fundere statuimus, et ut a christifidelibus funderentur indiximus. Demum, vocatis dilectis filiis secretario praefatae Rituum Congregationis et fidei promotore, die XII maji anni MDCCVII, ut beatus Andreas solemni ritu Sanctorum albo adscriberetur, auctoritate nostra praefata decrevimus....

§ **20**. Demum, peractis omnibus quae ex sacris constitutionibus Romanaeque Ecclesiae consuetudine peragenda erant, hodie, quae fuit dies dominica Ss. Trinitatis, in sacrosancta Principis Apostolorum basilica coelestis sponsae ritu ornata, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, nec non Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, Romanaeque Curiae praelatis, officialibus et familiaribus nostris, clero seculari et regulari, ac maxima populi frequentia convenimus; ubi, repetitis pro canonizationis decreto petitionibus nomine praefato a dilecto filio nostro Annibale tituli S. Eustachii Cardinali Albano nuncupato, nostro secundum carnem ex fratre nepote, per dilectum etiam filium Marcellinum Corium advocatum, decantatis sacris precibus et litaniis, ac Spiritus Sancti gratia humiliter implorata, ad

honorem ejusdem sanctae et individuae Trinitatis et fidei catholicae exaltationem, auctoritate omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Romana Curia praesentium consilio ac unanimi consensu, piae memoriae Andream Avellinum, de cujus vitae sanctitate, fidei sinceritate et miraculorum excellentia plene constabat et constat, Sanctum esse definivimus, ac sanctorum Confessorum catalogo adscribendum decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus et describimus, illumque universos christifideles, tamquam vere Sanctum honorare et venerari mandavimus et mandamus. Ac ab universali Ecclesia in ejus honorem ecclesias et altaria, in quibus sacrificia Deo offerantur, aedificari et consecrari, et singulis annis die x novembris, qua ad coelestem gloriam vocatus est, ab universali Ecclesia memoriam ipsius inter sanctos Confessores non Pontifices pia devotione recoli statuimus, ac omnibus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, ac singulis annis eadem die x novembris ad sepulcrum, in quo corpus ejus requiescit, visitandum accedentibus, unum annum et unam quadragenam; iis vero, qui ejus festi octava ad sepulcrum praefatum accedent, quadraginta dies de injunctis poenitentiis misericorditer in Domino eadem auctoritate relaxamus. Postremo gratias Deo cum exultatione animi nostri agentes, quod Sanctum suum in conspectu omnium gentium honorificaverit, ac tam insigni splendore Ecclesiam suam decoraverit, omnibus christifidelibus, qui nobis ad altare Principis Apostolorum in praefata basilica Missam solemniter celebrantibus cum ejusdem sancti Confessoris commemoratione interfuerunt, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concessimus *.....

* S. Andreas Avellinus plura, ad pietatem fovendam, conscripsit, quae, Neapoli, annis 1733 et 37, in quinque voluminibus digesta, prodiêre. In tertio volumine explanationes evangeliorum dominicalium et quadragesimae continentur. Duo etiam suarum epistolarum, ibidem, anno 1732, editarum, volumina extant.

VITA

BEATISSIMI MARTINI TURONENSIS EPISC.

AB EJUS DISCIPULO, SEVERO SULPICIO *, CONSCRIPTA.

Sec. IV floruit — Pannonus.

Prologus. Plerique mortalium studio gloriae secularis inaniter dediti, exinde perennem (ut putabant) memoriam nominis sui quaesiverunt, si vitas clarorum virorum stylo illustrassent. Quae res utique non perennem quidem, sed aliquantulum tamen conceptae spei fructum afferebat: quia et sui memoriam (licet incassum) propagabant: et propositis magnorum virorum exemplis, non parva aemulatio legentibus excitabatur. Sed tamen nihil ad beatam illam, aeternamque vitam haec eorum cura pertinuit. Quid enim aut ipsis occasura cum seculo scriptorum suorum gloria profuit? aut quid posteritas emolumenti tulit legendo Hectorem pugnantem, aut Socratem philosophantem? cum eos non solum imitari stultitia sit, sed non acerrime etiam impugnare, dementia. Quippe qui humanam vitam praesentibus tantum actibus aestimantes, spes suas fabulis, animas sepulcris dederint. Siquidem ad solam hominum memoriam se perpetuandos crediderunt, cum hominis officium sit. perennem potius vitam, quam perennem memoriam quaerere: non scribendo, aut pugnando, vel philosophando: sed pie, sancte, religioseque vivendo. Qui quidem error humanus litteris traditus, intantum convaluit, ut multos plane aemulos vel inanis philosophiae, vel stultae illius virtutis invenerit. Unde facturus mihi operae pretium videor, si vitam sanctissimi viri, exemplo aliis mox futuram, perscripsero. Quo utique ad veram sapientiam, et coelestem militiam, divinamque virtutem legentes incitabuntur. In quo ita nostri quoque rationem commodi ducimus, ut non inanem ab hominibus memoriam, sed aeternum a Deo praemium exspectemus. Quia etsi ipsi non ita viximus, ut exemplo aliis esse possimus: dedimus tamen operam, ne is latèret, qui esset imitandus. Igitur sancti Martini vitam scribere exordiar, quae vel ante Episcopatum, vel in Episcopatu

* Severus Sulpicius, in Aquitania exortus, post suae conjugis obitum, S. Martini disciplinae sese tradidit. Is, praeter hanc, quam exhibemus, S. Martini Vitam, anno circiter 403, *Historiam sacram* conscripsit stylo facili brevique, quamobrem *Sallustius christianus* vocari meruit. Extant quoque ejusdem *Dialogi* tres, et aliquae Epistolae. Amicus fuit et familiaris S. Paulini Nolani, cujus 15 epistolae ad eum missae supersunt. Diem suum obiisse videtur anno 406.

gesserit, quamvis nequaquam ad omnia illius potuerim pervenire: adeo ea, in quibus ipse tantum sibi conscius fuit, nesciuntur: quia laudem ab hominibus non requirens, quantum in ipso fuit, omnes virtutes suas latère voluisset: quamquam etiam ex iis, quae comperta nobis erant, plura omisimus: quia sufficere credidimus, si tantum excellentiora notarentur. Simul et legentibus consulendum fuit, ne quod his pàreret copia congesta fastidium. Obsecro autem eos, qui lecturi sunt, ut fidem dictis adhibeant: neque me quicquam, nisi compertum et probatum, scripsisse arbitrentur. Alioqui tacere, quam falsa dicere maluissem.

§ 1 Vita. Igitur Martinus Sabariae * Pannoniarum oppido oriundus fuit **, sed intra Italiam Ticini *** altus est, parentibus secundum seculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen. Pater ejus miles primum, post tribunus militum fuit. Ipse armatam militiam in adolescentia secutus, inter scholares alas sub rege Constantio, deinde sub Juliano Caesare militavit: non tamen sponte, quia a primis fere annis divinam potius servitutem sacra illustris pueri spiravit infantia. Nam cum esset annorum decem, invitis parentibus ad Ecclesiam confugit, seque Catechumenum fieri postulavit. Mox mirum in modum totus in Dei opere conversus, cum esset annorum duodecim , erèmum concupivit: fecissetque votis satis, si aetatis infirmitas non obstitisset. Animo tamen aut circa monasteria, aut circa ecclesias semper intentus, meditabatur in aetate puerili, quod postea devotus implevit. Sed cum edictum esset a regibus, ut veteranorum filii ad militiam scriberentur, prodente patre, qui felicibus ejus actibus invidebat, cum esset annorum quindecim, raptus et catenatus, sacramentis militaribus est implicatus, uno tantum servo comite contentus, cui tamen versa vice dominus serviebat, adeo ut plerumque ei et calceamenta ipse detraheret, et ipse detergeret, cibum una caperent, hic saepius ministraret. Triennium fere ante baptisma in armis fuit, integer tamen ab his vitiis, quibus illud hominum genus implicare solet. Multa illi circa commilitones benignitas, mira charitas: patientia vero, atque humilitas, ultra humanum modum. Nam frugalitatem in eo laudare non est necesse, qua ita usus est, ut jam illo tempore non miles, sed monachus putaretur. Quibus rebus ita sibi omnes commilitones suos devinxerat, ut eum miro venerarentur affectu. Necdum tamen regeneratus in Christo, agebat quemdam bonis operibus baptismatis candidatum: assistere scilicet laborantibus, opem ferre miseris, egentes alere, nudos vestire, nihil sibi ex militiae stipendiis, praeter quotidianum

* Hujus antiqnae urbis ruinae adhuc supersunt in loco, qui *Stain* vocatur, in Pannonia (italice *Ungheria*) inferiori, apud civitatem *Sarwar*.

** Anno 316 vel 317.

*** *Pavia* scilicet.

victum, reservare. Jam tum Evangelii non surdus auditor, de crastino non cogitabat.

§ 2. Quodam itaque tempore, cum jam nihil praeter arma et simplicem militiae vestem haberet, media hieme, quae solito asperior inhorruerat, adeo ut plerosque vis algoris extingueret, obvium habuit in porta Ambianensium * civitatis pauperem nudum. Qui cum praetereuntes, ut sui misererentur, oraret, omnesque miserum praeterirent, intellexit vir Deo plenus sibi illum, aliis misericordiam non praestantibus, reservari. Quid tamen ageret? Nihil praeter chlamydem, qua indutus erat, habebat. Jam enim reliqua in opus simile consumpserat. Arrepto itaque ferro, quo erat accinctus, mediam dividit, partemque ejus pauperi tribuit, reliqua rursus induitur. Interea de circumstantibus ridère nonnulli, quia deformis esset, et truncatus habitu videretur: multi tamen, quibus erat mens sanior, altius gemere, qui simile nihil fecissent, cum utique plus habentes, vestire pauperem sine sua nuditate potuissent. Nocte igitur insecuta, cum se sopori dedisset, vidit Christum chlamydis suae, qua pauperem texerat, parte vestitum. Intueri diligentissime Dominum, vestemque, quam dederat, jubetur agnoscere. Mox ad Angelorum circumstantium multitudinem audivit Jesum clara voce dicentem: « Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. » Vere memor Dominus dictorum suorum, qui ante praedixerat: *Quamdiu fecistis haec uni ex minimis istis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv): se in paupere professus est fuisse vestitum. Et ad confirmandum tam boni operis testimonium, in eodem se habitu, quem pauper acceperat, est dignatus ostendere. Quo viso, vir beatissimus non in gloriam est elatus humanam, sed bonitatem Dei in suo opere cognoscens, cum esset annorum duo de viginti, ad baptismum convolavit **. Nec tamem statim militiae renunciavit, tribuni sui precibus evictus, cui contubernium familiare praestabat. Etenim transacto tribunatus sui tempore, renunciaturum se seculo pollicebatur. Qua Martinus exspectatione suspensus, per biennium fere, posteaquam est baptismum consecutus, solo scilicet nomine militavit.

§ 3. Interea irruentibus intra Gallias barbaris, Julianus Caesar, coacto in unum exercitu, apud Vangionum *** civitatem donativum coepit erogare militibus. Et (ut est consuetudinis) singuli citabantur, donec ad Martinum ventum est. Tum veró opportunum tempus existimans, quo peteret missionem (neque enim integrum sibi fore arbitrabatur, si donativum, non militaturus, acciperet): « Hactenus, inquit ad Caesarem, militavi tibi: nunc patere, ut militem Deo: donativum tuum pugnaturus accipiat alter: Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. » Tum vero adversus hanc vocem Tyrannus infremuit, dicens eum metu

* Son *Amiens*, in Gallia. ** Anno, ut videtur, 334.
*** *Worms*, in Germania, ad Rhenum.

pugnae, quae postera die erat futura, non religionis gratiâ, detrectare militiam. At Martinus intrepidus, immo illato sibi terrore constantior: « Si hoc, inquit, ignaviae adscribitur, non fidei, crastina die ante aciem inermis adstabo, et in nomine Domini Jesu, signo Crucis, non clypeo, protectus, aut galeâ, hostium cuneos penetrabo securus. » Retrudi ergo in custodiam jubetur: facturus fidem dictis, ut inermis barbaris objiceretur. Postera die hostes legatos de pace miserunt, sua omnia, seque dedentes. Unde quis dubitet hanc vere beati viri fuisse victoriam, cui praestitum sit, ne inermis ad proelium mitteretur? Et quamvis pius Dominus servare militem suum inter hostium gladios et tela potuisset; tamen ne vel aliorum morte, sancti violaretur obtutus, exemit pugnae necessitatem. Neque enim aliam pro milite suo Christus debuit praestare victoriam, quam ut subactis sine sanguine hostibus, nemo moreretur.

§ 4. Exinde, relictâ militiâ, sanctum Hilarium Pictavae * Episcopum civitatis, cujus tunc in Dei rebus spectata et cognita fides habebatur, expetivit, et aliquandiu apud eum commoratus est. Tentavit autem idem Hilarius, imposito diaconatus officio, sibi eum arctius implicare, et ministerio vincire divino. Sed cum saepissime restitisset, indignum se esse vociferans, intellexit vir Dei altioris ingenii, hoc eum modo posse constringi, si id ei officii imponeret, in quo quidam locus injuriae videretur. Itaque exorcistam eum esse praecepit. Quam ille ordinationem, ne despexisse tamquam humiliorem videretur, non repudiavit. Nec multo post admonitus per soporem, ut patriam, parentesque, quos adhuc gentilitas detinebat, religiosa sollicitudine visitaret, ex voluntate sancti Hilarii profectus est, multisque ab eo obstrictus precibus et lacrymis, ut rediret, moestus, ut ferunt, peregrinationem illam aggressus est, contestatus fratres multa se adversa passurum: quod postea probavit eventus. Ac primum inter Alpes devia secutus, incidit in latrones. Cumque unus securim elevatam in caput ejus librasset, ictum ferientis dextrae sustinuit alter. Vinctis tamen post tergum manibus, uni servandus et custodiendus traditur. Qui cum eum ad remotiora duxisset, percontari ab eo coepit, quisnam esset. Respondit Christianum se esse. Quaerebat etiam ab eo, an timeret. Tunc vero constantissime profitebatur, nunquam se tam fuisse securum: quia sciret misericordiam Domini maxime in tentationibus affuturam: se magis illi dolere, qui Christi misericordia, utpote latrocinia exercens, esset indignus. Ingressusque Evangelicam disputationem, verbum Dei latroni praedicabat. Quid longius morer? Latro credidit, prosecutusque Martinum viae reddidit, orans ut pro se Dominum precaretur. Idemque postea religiosam ducere vitam visus est, adeo ut haec, quae supra retulimus, ab eo audita

* *Poitiers.* — S. Hilarii Episcopi et Doctoris Vita in Surii nostri Vol. primo habetur.

dicantur. Igitur Martinus inde progressus, cum Mediolanum praeterisset, diabolus in itinere, humanâ specie assumptâ, se ei obviam tulit, quo tenderet, requirens. Cumque id a Martino responsi accepisset, se quo Dominus vocaret, intendere, ait ad eum: « Quocumque ieris, vel quaecumque tentaveris, diabolus tibi adversabitur. » Tunc ei prophetica voce respondit: *Dominus mihi adjutor est, non timebo quid faciat mihi homo* (*Ps.* 117); statimque e conspectu ejus inimicus evanuit. Itaque ut animo ac mente conceperat, matrem gentilitatis absolvit errore, patre in malis perseverante: plures tamen suo salvavit exemplo. Deinde cum haeresis Arriana per totum orbem, et maxime intra Illyricum pullulasset, cum adversus perfidiam sacerdotum solus pene acerrime repugnaret, multisque suppliciis esset affectus (nam et publice virgis caesus est), et ad extremum de civitate exire compulsus, Italiam repetens, cum intra Gallias quoque discessu S. Hilarii, quem ad exilium haereticorum vis coëgerat, turbatam Ecclesiam comperisset, Mediolani sibi monasterium statuit. Ibi quoque eum Auxentius *, auctor et princeps Arrianorum, gravissime insectatus est: multisque affectum injuriis, de civitate exturbavit. Cedendum itaque tempori arbitratus, ad insulam Gallinariam ** nomine secessit, comite quodam presbytero, magnarum virtutum viro. Hic aliquandiu radicibus vixit herbarum. Quo tempore helleborum, venenatum, ut ferunt, gramen in cibum sumpsit. Sed cum vim veneni in se grassantis, vicina jam morte, sensisset, imminens periculum oratione repulit, statimque omnis dolor fugatus est. Nec multo post, cum S. Hilario comperisset regis poenitentia potestatem indultam fuisse redeundi, Romae ei tentavit occurrere. Profectusque est ad Urbem.

§ 5. Cum jam Hilarius praeterisset, ita eum est vestigiis prosecutus. Cumque ab eo gratissime esset susceptus, haud longe sibi ab oppido monasterium collocavit. Quo tempore quidam ei se catechumenus junxit, cupiens viri sanctissimi institui disciplinis. Paucisque interpositis diebus, languore correptus, vi febrium laborabat. At tum Martinus forte discesserat: et cum per triduum defuisset, regressus exanime corpus invenit. Ita subita mors fuerat, ut absque baptismate humanis rebus excederet. Corpus in medio positum, tristi moerentium fratrum frequentabatur officio: cum Martinus flens et ejulans, accurrit. Tum vero tota Spiritum Sanctum mente concipiens, ègredi cellulam, in qua corpus jacebat, caeteros jubet: ac foribus obseratis, super exanimata defuncti fratris membra prosternitur. Et cum aliquandiu orationi incubuisset, sensissetque per spiritum Domini adesse virtutem, erectus paululum, et in defuncti ora defixus, orationis suae

* Auxentius Alexandrinus, qui, dum S. Dionysius Mediolani archiepiscopus per remotas regiones exulabat, mediolanensem sedem violenter occupaverat. Obiit anno 374. Tunc S. Ambrosius ad illam cathedram evectus fuit.

** Apud Genuam.

ac misericordiae Domini intrepidus exspectabat adventum. Vix-que duarum fere horarum spatium intercesserat: vidit defun-ctum paulatim membris omnibus commoveri, et laxatis ad usum videndi palpitare luminibus. Tum vero magna ad Do-minum voce conversus, gratias agens, cellulam clamore com-pleverat. Quo audito, qui pro foribus adstiterant, statim in-ruunt. Mirum spectaculum! quod videbant vivere, quem mor-tuum reliquissent. Ita redditus vitae, statim baptisma consecutus, plures postea vixit annos. Primusque apud nos Martini virtutum vel materia, vel testimonium fuit. Idem tamen referre erat soli-tus, se corpore exutum, ad tribunal judicis ductum, deputatum-que obscuris locis et vulgaribus turbis, tristem excepisse senten-tiam. Tunc per duos Angelos judici fuisse suggestum, hunc esse pro quo Martinus oraret. Ita per eosdem Angelos se jussum reduci et Martino redditum, vitaeque pristinae restitutum. Ab hoc primum tempore beati viri nomen enituit, ut qui sanctus jam ab homi-nibus habebatur, potens etiam, et vere Apostolicus haberetur....

§ 6. Sub idem fere tempus ad Episcopatum Turonicae * pete-batur Ecclesiae. Sed cum erui a monasterio suo non facile pos-set, Ruricius quidam unus e civibus, uxoris languore simulato, ad genua illius provolutus, ut egrederetur, obtinuit. Ita disposi-tis jam in itinere civium turbis, sub quadam custodia ad civitatem usque deducitur. Mirum in modum incredibilis multitudo non solum ex illo oppido, sed etiam ex vicinis urbibus ad suffragia ferenda convenerat. Una omnium voluntas, eadem vota, eademque sententia, Martinum Episcopatu esse dignissimum: felicem fore tali Ecclesiam sacerdote. Pauci tamen, et nonnulli ex Episcopis, qui ad constituendum antistitem fuerant evocati, impie repugnabant, dicentes scilicet, contemptibilem esse personam, indignum esse Episcopatu hominem despicabilem, veste sordidum, crine de-formem. Ita a populo sententiae sanioris haec illorum irrisa dementia est, qui illustrem virum, dum vituperare cupiunt, prae-dicabant. Nec vero aliud his facere licuit, quam quod populus Domino volente cogebat **. Inter Episcopos tamen qui adfuerant, praecipue Defensor quidam nomine, dicitur restitisse. Unde ani-madversum est, graviter illum lectione Prophetica tunc notatum. Nam cum fortuito lector, cui legendi eo die officium erat, inter-clusus a populo defuisset, turbatis ministris, dum exspectatur, qui non aderat, unus e circumstantibus, sumpto psalterio, quem primum versum invenit, arripuit. Psalmus autem hic erat: *Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem propter inimicos tuos, ut destruas inimicum et defensorem* (*Ps.* 8). Quo lecto, clamor populi tollitur, pars adversa confunditur. Atque ita habitum est, divino nutu psalmum hunc lectum fuisse, ut testimonium operis

* Scilicet *Tours*.
** S. Martinus episcopus electus fuit anno, ut probabilius videtur, 371.

sui Defensor audiret, quia ex ore infantium atque lactentium in Martino Domini laude perfecta, et ostensus pariter, et destructus est inimicus. Jam vero sumpto Episcopatu, qualem se, quantumque praestiterit, non est nostrae facultatis evolvere. Idem enim constantissime perseverabat, qui prius fuerat. Eadem in corde ejus humilitas: eadem in vestitu ejus vilitas erat. Atque ita plenus auctoritatis et gratiae, implebat Episcopi dignitatem: ut non tamen propositum monachi virtutemque desereret. Aliquandiu ergo adhaerenti ad ecclesiam cellula usus est. Deinde cum inquietudinem se frequentantium ferre non posset, duobus fere extra civitatem millibus monasterium sibi statuit. Qui locus tam secretus et remotus erat, ut erèmi solitudinem non desideraret. Ex uno enim làtere praecisa montis excelsi rupe ambiebatur, reliquam planitiem Liger fluvius * reducto paululum sinu clauserat. Una tantum, eademque arcta admodum via adiri poterat. Ipse ex lignis contextam cellulam habebat: multique ex fratribus in eumdem modum. Plerique saxo superjecti montis cavato, receptacula sibi fecerant. Discipuli vero octoginta erant, qui ad exemplum beati magistri instituebantur. Nemo, ibi quicquam proprium habebat, omnia in medium conferebantur. Non emere, aut vendere (ut plerisque monachis moris est) cuiquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur: cui tamen operi minor aetas deputabatur: majores orationi vacabant. Rarus cuiquam extra cellulam suam egressus, nisi cum ad locum orationis conveniebant. Cibum una omnes post horam jejunii accipiebant. Vinum nemo noverat, nisi quem infirmitas coëgisset. Plerique camelorum setis vestiebantur: mollior ibi habitus pro crimine erat. Quod eo magis sit mirum necesse est, quod multi inter eos nobiles habebantur, qui longe aliter educati, ad hanc se humilitatem et patientiam coëgerant. Pluresque ex his postea Episcopos vidimus. Quae enim esset civitas, aut Ecclesia, quae non sibi de Martini monasterio cuperet sacerdotem?

§ 7. Sed ut reliquas virtutes ejus, quas in Episcopatu egit, aggrediar: erat haud longe ab oppido proximus monasterio locus, quem falsa hominum opinio, velut consepultis ibi martyribus consecraverat. Nam et altare ibi a superioribus Episcopis constitutum habebatur. Sed Martinus non temere adhibens incertis fidem, ab his, qui majores natu erant, presbyteris vel clericis flagitabat nomen sibi martyris, et tempora passionis ostendi: grandi se scrupulo permoveri, quod nihil certi constans sibi Majorum memoria tradidisset. Cum aliquandiu ergo a loco illo se abstinuisset, nec dèrogans religioni, quia incertus erat: nec auctoritatem suam vulgo accommodans, ne superstitio convalesceret, quodam die, paucis secum adhibitis fratribus, ad locum pergit.

* Gall. *Loire*. Coenobium hoc, a S. Martino extructum in loco qui *Marmoutiers* dicitur, magnam deinde adeptus est celebritatem.

Deinde super sepulcrum ipsum adstans, oravit ad Dominum ut quis esset, vel cujus meriti sepultus, ostenderet. Tum conversus ad laevam, videt prope assistere umbram sordidam et trucem. Imperat nomen meritumque ut loqueretur. Nomen edicit, de crimine confitetur, latronem se fuisse ob scelera percussum, vulgi errore celebratum, sibi nihil cum martyribus esse commune, cum illos gloria, se poena retineret. Mira res: vocem loquentis, qui aderant, audiebant, personam tamen non videbant. Tum Martinus, quid vidisset, exposuit; jussitque ex eo loco altare, quod ibi fuerat, submoveri, atque ita populum superstitionis illius absolvit errore.

§ 8. Accidit autem insequenti tempore, dum iter ageret, ut gentilis cujusdam corpus, quod ad sepulcrum cum superstitioso funere deferebatur, obvium haberet. Conspicatusque eminus venientem turbam, quidnam id esset ignarus, paululum stetit. Nam cum fere quingentorum passuum intervallum esset, ut difficile fuerit dignoscere, quid videret: tamen quia rusticam manum cerneret, et agente vento linteamina corpori superjecta volitarent, profanos sacrificiorum ritus agi credidit: quia esset haec Gallorum rusticis consuetudo, simulacra daemonum candido tecta velamine misera per agros suos circumferre dementia. Elevato ergo in adversum signo Crucis, imperat turbae non moveri loco, onusque deponere. Hic vero mirum in modum videres miseros primum velut saxa riguisse: deinde cum primo movere se summo conamine niterentur, ultra accedere non valentes, ridiculam in vertiginem rotabantur, donec victi, corporis onus deponunt attoniti, et semet invicem adspectantes, quidnam sibi accidisset, taciti cogitabant. Sed cum beatus vir comperisset exequiarum illam esse frequentiam, non sacrorum, elevata rursum manu, dat eis abeundi, et tollendi corporis potestatem. Ita eos et cum voluit, stare compulit: et cum libuit, abire permisit.

§ 9. Item dum in vico quodam templum antiquissimum diruisset, et arborem pinum, quae fano erat proxima, esset aggressus excidere: tum vero antistes loci illius, caeteraque gentilium turba coepit obsistere. Et cum iidem illi, dum templum evertitur, imperante domino, acquievissent, succìdi arborem non patiebantur. Ille quidem eos sedule commonere, nihil esse religionis in stipite, Dominum potius, cui serviret ipse, sequerentur: arborem illam excidi oportere, quia esset daemoni dedicata: tum unus ex illis, qui erat audacior caeteris: « Si habes, inquit, aliquam de Deo tuo, quem dicis te colere, fiduciam, nosmetipsi succìdimus hanc arborem: tu ruentem excipe, et si tecum est tuus, ut dicis, Dominus, evades. » Tum ille intrepide confisus in Domino, facturum se pollicetur. Hic vero ad istiusmodi conditionem omnis illa gentilium turba consentit, facilemque arboris suae habere jacturam, si inimicum sacrorum suorum, casu illius obruissent.

Itaque cum unam in partem pinus illa esset acclivis (ut non esset dubium, quam in partem succisa corrueret), eo loco vinctus statuitur pro arbitrio rusticorum, quo arborem esse casuram nemo dubitabat. Succìdere igitur ipsi suam pinum cum ingenti gaudio, laetitiaque coeperunt. Aderat eminus turba mirantium. Jamque paulatim nutare pinus coepit, et ruinam suam casura minitari. Pallebant eminus monachi, et periculo jam propiore conterriti, spem omnem, fidemque perdiderant, solam Martini mortem exspectantes. At ille confisus in Domino, intrepidus opperiens, cum jam fragorem sui pinus concidens edidisset, jam cadenti, et super se ruenti, elevata protinus obviam manu, salutis signum opposuit. Tum vero turbinis modo retroactam putares: ita diversam in partem ruit, adeo ut rusticos, qui in tuto loco steterant, pene prostraverit. Tum vero in caelum clamore sublato, gentiles stupere miraculo, monachi flere prae gaudio, Christi nomen in commune ab omnibus praedicari: satisque constitit, eo die salutem illi venisse regioni. Nam nemo fere ex immani illa multitudine gentilium fuit, qui non impositione manus desiderata, in Dominum Jesum Christum, relicto impietatis errore, crediderit. Et vere ante Martinum pauci admodum, immo pene nulli, in iis regionibus Christi nomen receperant. Quod adeo virtutibus illius, exemploque convaluit, ut jam ibi nullus locus sit, qui non aut ecclesiis frequentissimus, aut monasteriis sit repletus. Nam ubi fana destruxerat, statim ibi aut ecclesias, aut monasteria construebat.

§ **10**. Nec minorem sub idem fere tempus eodem in opere virtutem edidit. Nam cum in vico quodam fano antiquissimo et celeberrimo ignem injecisset, in proximam, immo adhaerentem domum, agente vento, flammarum globi ferebantur. Quod ubi Martinus advertit, rapido cursu tectum domus scandit, obviam se venientibus flammis inferens. Tum vero mirum in modum cerneres contra vim venti ignem retorqueri, ut compugnantium inter se elementorum quidam conflictus videretur. Ita virtute Martini ibi tantum ignis est operatus, ubi jussus est. In vico autem, cui Leprosum nomen est, cum idem templum opulentissimum superstitiosae religionis voluisset evertere, restitit ei multitudo gentilium, adeo ut non absque injuria sit repulsus. Itaque secessit ad proxima loca, ibique per triduum cilicio tectus et cinere, jejunans semper atque orans, precabatur Dominum, ut quia templum illud evertere humana manu non potuisset, virtus illud divina dirueret. Tum subito ei duo Angeli hastati atque scutati instar militiae coelestis se obtulerunt, dicentes missos se a Domino, ut rusticam multitudinem fugarent, praesidiumque Martino ferrent, ne quis, dum templum dirueretur, obsisteret. Rediret ergo, et opus coeptum devotus impleret. Ita regressus ad vicum, spectantibus gentilium turbis, et quiescentibus, dum profanam

aedem usque ad fundamenta dirueret, aras omnes atque simulacra redegit in pulverem. Quo viso, rustici cum se intelligerent divino nutu obstupefactos atque perterritos, ne Episcopo repugnarent, omnes fere in Jesum Dominum crediderunt, clamantes palam, et confitentes, Deum Martini esse colendum, idòla negligenda, quae sibi adesse non possent.

§ **11**. Quid etiam in pago Heduorum gestum sit, referam. Ubi dum templum itidem everteret, furens gentilium rusticorum in eum irruit multitudo. Cumque unus audacior caeteris, stricto eum gladio peteret, rejecto pallio, nudam cervicem percussori praebuit. Nec cunctatus est ferire gentilis: sed cum dexteram altius extulisset, resupinus ruit, consternatusque divino metu, veniam precabatur. Nec dissimile huic fuit illud: cum eum idola destruentem cultro quidam ferire voluisset, in ipso ictu ferrum ei de manibus excussum, non comparuit. Plerumque autem contradicentibus sibi rusticis, ne eorum fana destrueret, ita praedicatione sancta gentilium animos mitigabat, ut luce eis veritatis ostensa, ipsi sua templa subverterent. Curationum vero tam potens in eo gratia erat, ut nullus fere ad eum aegrotus accesserit, qui non continuo receperit sanitatem: quod vel ex consequenti liquebit exemplo.

§ **12**. Treveris puella quaedam dira paralysis aegritudine tenebatur, ita ut jam per multum tempus nullo ad humanos usus corporis officio fungeretur: omni ex parte praemortua, vix tenui spiritu palpitabat. Tristes ad solam funeris exspectationem assistebant propinqui: cum subito nunciatur, ad civitatem illam venisse Martinum. Quod ubi puellae pater comperit, cucurrit exanimis, pro filia rogaturus. Et forte Martinus jam ecclesiam fuerat ingressus. Ibi inspectante populo, multisque aliis Episcopis praesentibus, ejulans senex genua ejus amplectitur, dicens: « Filia mea moritur misero genere languoris, et quod ipsa est morte crudelius, solo spiritu vivit, jam carne praemortua. Rogo ut eam adeas, atque benedicas. Confido enim quod per te reddenda sit sanitati. » Qua ille voce confusus obstupuit et refugit, dicens hoc suae non esse virtutis; senem errare judicio; non esse se dignum, per quem Deus signum virtutis ostenderet. Perstare coepit vehementius flens pater, et orare, ut exanimem visitaret: postremo a circumstantibus Episcopis ire compulsus, descendit ad domum puellae. Ingens turba prae foribus exspetans, quidnam Dei servus esset facturus. Ac primum (quae erant illius familiaria in istiusmodi rebus arma) solo prostratus oravit. Inde aegram intuens, dari sibi oleum postulat. Quod cum benedixisset, in os puellae vim sancti liquoris infudit, statimque vox reddita est. Tum paulatim singula contactu ejus coeperunt membra viviscere, donec firmatis gressibus, populo teste, surrexit. Eodem tempore Tetradii cujusdam proconsularis viri servus daemonio

correptus, dolendo exitu cruciabatur. Rogatus ergo Martinus, ut ei manum imponeret, deduci eum ad se jubet. Sed nequam spiritus nullo proferri modo ex cella, in qua erat, potuit: ita in advenientes rabidis dentibus saeviebat. Tum Tetradius ad genua beati viri advolvitur, orans ut ad domum, in qua daemoniacus habebatur, ipse descenderet. Tum vero Martinus negat, se profani et gentilis hominis domum adire posse. Nam Tetradius eo tempore adhuc gentilitatis errore implicitus tenebatur. Spondet ergo se, si de puero daemon fuerit ejectus, Christianum fore. Ita imposita manu puero, immundum ab eo spiritum ejecit. Quo viso, Tetradius Dominum nostrum Jesum Christum credidit, statimque catechumenus factus, nec multo post baptizatus est, semperque Martinum salutis suae auctorem miro coluit affectu.....

§ **13**. Atque ut minora tantis inseram, quamvis (ut est nostrorum aetas temporum, quibus jam depravata omnia, atque corrupta sunt) pene praecipuum sit adulationi regiae sacerdotalem non cessisse constantiam: cum ad Imperatorem Maximum, ferocis ingenii virum, et bellorum civilium victoria elatum, plures ex diversis partibus Episcopi convenissent, et foeda circa Principem omnium adulatio notaretur, seque degeneri inconstantia regiae clientelae sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica auctoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum regi fuit, imperavit potius, quam rogavit. Et a convivio ejus frequenter rogatus abstinuit, dicens, se mensae ejus participem esse non posse, qui duos Imperatores, unum regno, alterum vitâ expulisset *. Postremo cum Maximus se non sponte sumpsisse imperium affirmaret, sed impositam sibi a militibus divino nutu necessitatem regni, armis defendisse: et non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili eventu victoria fuisset, nullumque ex adversariis, nisi in acie, occubuisse. tandem victus vel ratione, vel precibus, ad convivium venit, mirum in modum gaudente rege, quod id impetrasset. Convivae autem aderant, veluti ad diem festum evocati, summi atque illustres viri, Praefectus, idemque Consul Evodius, quo nihil unquam justius fuit, Comites duo, summa potestate praediti, frater regis et patruus: medius inter hos Martini presbyter accubuerat: ipse autem sellula juxta regem posita consederat. Ad medium fere convivium (ut moris est) pàteram regi minister obtulit. Ille sancto admodum Episcopo dari potius jubet, exspectans atque ambiens, ut ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus, ubi èbibit, pàteram presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se prior biberet: nec integrum sibi fore, si aut regem ipsum, aut eos, qui a rege erant proximi, presbytero praetulisset. Quod

* Neci alludit Severus Sulpicius Gratiani Occidentis Imperatoris, qui a Maximo in pugna devictus, Lugduni interemptus fuit (383), atque Valentiniano II, Gratiani filio, qui, ob patris cruentum exitium imperio orbatus fuerat. Attamen, quod ad Gratiani interitum spectat, Maximus criminis expers videtur.

aedem usque ad fundamenta dirueret, aras omnes atque simulacra redegit in pulverem. Quo viso, rustici cum se intelligerent divino nutu obstupefactos atque perterritos, ne Episcopo repugnarent, omnes fere in Jesum Dominum crediderunt, clamantes palam, et confitentes, Deum Martini esse colendum, idòla negligenda, quae sibi adesse non possent.

§ 11. Quid etiam in pago Heduorum gestum sit, referam. Ubi dum templum itidem everteret, furens gentilium rusticorum in eum irruit multitudo. Cumque unus audacior caeteris, stricto eum gladio peteret, rejecto pallio, nudam cervicem percussori praebuit. Nec cunctatus est ferire gentilis: sed cum dexteram altius extulisset, resupinus ruit, consternatusque divino metu, veniam precabatur. Nec dissimile huic fuit illud: cum eum idola destruentem cultro quidam ferire voluisset, in ipso ictu ferrum ei de manibus excussum, non comparuit. Plerumque autem contradicentibus sibi rusticis, ne eorum fana destrueret, ita praedicatione sancta gentilium animos mitigabat, ut luce eis veritatis ostensa, ipsi sua templa subverterent. Curationum vero tam potens in eo gratia erat, ut nullus fere ad eum aegrotus accesserit, qui non continuo receperit sanitatem: quod vel ex consequenti liquebit exemplo.

§ 12. Treveris puella quaedam dira paralysis aegritudine tenebatur, ita ut jam per multum tempus nullo ad humanos usus corporis officio fungeretur: omni ex parte praemortua, vix tenui spiritu palpitabat. Tristes ad solam funeris exspectationem assistebant propinqui: cum subito nunciatur, ad civitatem illam venisse Martinum. Quod ubi puellae pater comperit, cucurrit exanimis, pro filia rogaturus. Et forte Martinus jam ecclesiam fuerat ingressus. Ibi inspectante populo, multisque aliis Episcopis praesentibus, ejulans senex genua ejus amplectitur, dicens: « Filia mea moritur misero genere languoris, et quod ipsa est morte crudelius, solo spiritu vivit, jam carne praemortua. Rogo ut eam adeas, atque benedicas. Confido enim quod per te reddenda sit sanitati. » Qua ille voce confusus obstupuit et refugit, dicens hoc suae non esse virtutis; senem errare judicio; non esse se dignum, per quem Deus signum virtutis ostenderet. Perstare coepit vehementius flens pater, et orare, ut exanimem visitaret: postremo a circumstantibus Episcopis ire compulsus, descendit ad domum puellae. Ingens turba prae foribus exspectans, quidnam Dei servus esset facturus. Ac primum (quae erant illius familiaria in istiusmodi rebus arma) solo prostratus oravit. Inde aegram intuens, dari sibi oleum postulat. Quod cum benedixisset, in os puellae vim sancti liquoris infudit, statimque vox reddita est. Tum paulatim singula contactu ejus coeperunt membra viviscere, donec firmatis gressibus, populo teste, surrexit. Eodem tempore Tetradii cujusdam proconsularis viri servus daemonio

correptus, dolendo exitu cruciabatur. Rogatus ergo Martinus, ut ei manum imponeret, deduci eum ad se jubet. Sed nequam spiritus nullo proferri modo ex cella, in qua erat, potuit: ita in advenientes rabidis dentibus saeviebat. Tum Tetradius ad genua beati viri advolvitur, orans ut ad domum, in qua daemoniacus habebatur, ipse descenderet. Tum vero Martinus negat, se profani et gentilis hominis domum adire posse. Nam Tetradius eo tempore adhuc gentilitatis errore implicitus tenebatur. Spondet ergo se, si de puero daemon fuerit ejectus, Christianum fore. Ita imposita manu puero, immundum ab eo spiritum ejecit. Quo viso, Tetradius Dominum nostrum Jesum Christum credidit, statimque catechumenus factus, nec multo post baptizatus est, semperque Martinum salutis suae auctorem miro coluit affectu.....

§ **13**. Atque ut minora tantis inseram, quamvis (ut est nostrorum aetas temporum, quibus jam depravata omnia, atque corrupta sunt) pene praecipuum sit adulationi regiae sacerdotalem non cessisse constantiam: cum ad Imperatorem Maximum, ferocis ingenii virum, et bellorum civilium victoria elatum, plures ex diversis partibus Episcopi convenissent, et foeda circa Principem omnium adulatio notaretur, seque degeneri inconstantia regiae clientelae sacerdotalis dignitas subdidisset, in solo Martino Apostolica auctoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum regi fuit, imperavit potius, quam rogavit. Et a convivio ejus frequenter rogatus abstinuit, dicens, se mensae ejus participem esse non posse, qui duos Imperatores, unum regno, alterum vitâ expulisset *. Postremo cum Maximus se non sponte sumpsisse imperium affirmaret, sed impositam sibi a militibus divino nutu necessitatem regni, armis defendisse: et non alienam ab eo Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili eventu victoria fuisset, nullumque ex adversariis, nisi in acie, occubuisse. tandem victus vel ratione, vel precibus, ad convivium venit, mirum in modum gaudente rege, quod id impetrasset. Convivae autem aderant, veluti ad diem festum evocati, summi atque illustres viri, Praefectus, idemque Consul Evodius, quo nihil unquam justius fuit. Comites duo, summa potestate praediti, frater regis et patruus: medius inter hos Martini presbyter accubuerat: ipse autem sellula juxta regem posita consederat. Ad medium fere convivium (ut moris est) pàteram regi minister obtulit. Ille sancto admodum Episcopo dari potius jubet, exspectans atque ambiens, ut ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus, ubi èbibit, pàteram presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorem, qui post se prior biberet: nec integrum sibi fore, si aut regem ipsum, aut eos, qui a rege erant proximi, presbytero praetulisset. Quod

* Neci alludit Severus Sulpicius Gratiani Occidentis Imperatoris, qui a Maximo in pugna devictus, Lugduni interemptus fuit (383), atque Valentiniano II, Gratiani filio, qui, ob patris cruentum exitium imperio orbatus fuerat. Attamen, quod ad Gratiani interitum spectat, Maximus criminis expers videtur.

factum Imperator, omnesque, qui tunc aderant, ita admirati sunt, ut hoc ipsum eis, in quo contempti fuerant, placèret. Celeberrimumque per totum palatium fuit, fecisse Martinum in regis prandio, quod in infirmorum judicum conviviis Episcoporum nemo fecisset. Eidemque Maximo longe ante praedixit futurum, ut si ad Italiam pergeret, quo ire cupiebat, bellum Valentiniano Imperatori inferens, sciret se primo quidem impetu futurum esse victorem, sed parvo post tempore esse periturum. Quod quidem ita vidimus. Nam primo adventu ejus, Valentinianus in fugam versus est. Deinde post annum fere, resumptis viribus, captum intra Aquilejae muros Maximum interfecit *.

§ 11. Constat autem, etiam Angelos ab eo plerumque visos, ita ut conserto invicem apud eum sermone loquerentur. Diabolum vero ita conspicabilem, et subjectum oculis habebat, ut, sive se in propria substantia contineret, sive in diversas figuras specialesque nequitias transtulisset, qualibet ab eo sub imagine videretur. Quod cum diabolus sciret se effugere non posse, conviciis eum frequenter urgebat, quia fallere non posset insidiis. Quodam tempore cornu bovis cruentum in manu tenens, cum ingenti fremitu cellulam ejus irrupit, cruentamque ostentans dexteram, et admisso recenti scelere congaudens: « Ubi est, inquit, Martine, virtus tua? Unum de tuis modo interfeci. » Tunc ille, convocatis fratribus, refert, quid diabolus indicasset. Sollicitos esse praecepit per cellulas singulorum, quisnam hoc casu fuisset affectus. Neminem quidem deesse de monachis, sed unum rusticum mercede conductum, qui vehiculo ligna deferret, ivisse ad silvam nunciant. Jubet igitur aliquos ire ei obviam. Ita haud longe a monasterio jam pene exanimis invenitur. Extremum tamen spiritum trahens, indicat fratribus casum mortis et vulneris, junctis scilicet bobus, dum dissoluta arctius lora constringit, bovem sibi excusso capite inter inguina cornua injecisse. Nec multo post vitam finivit. Videris, quo judicio Domini diabolo data fuerit haec potestas. Verum in Martino illud mirabile erat, quod non solum hoc, quod supra retulimus, sed multa istiusmodi, si quoties accidissent, longe ante praevidebat, et sibi nunciata, fratribus indicabat. Frequenter autem diabolus, dum mille nocendi artibus sanctum virum conaretur illudere, visibilem se ei formis diversissimis ingerebat. Adversus quem semper interritus, signo se Crucis, et orationis auxilio protegebat. Audiebantur plerumque convicia, quibus illum daemonum turba protervis vocibus increpabat. Sed omnia falsa et vana cognoscens, non movebatur objectis. Testabantur etiam aliqui ex fratribus, audisse se daemonem protervis Martinum vocibus increpantem: Cur intra monasterium aliquos ex fratribus, qui olim baptismum diversis erroribus perdidissent, conversos postea recepisset, exponentem crimina singulorum: Martinum diabolo

* Anno videlicet 388.

repugnantem, respondisse constanter: Antiqua debita melioris vitae conversione purgari, et per misericordiam Domini absolvendos esse peccatis, qui peccare desinerent. Contra dicente diabolo: Non pertinere ad veniam criminosos, et semel lapsis nullam a Domino praestari posse clementiam: tunc in hanc vocem fertur exclamavisse Martinus: « Si tu ipse, o miserabilis, ab hominum infestatione desisteres, et te factorum tuorum vel hoc tempore, cum dies judicii in proximo est, poeniteret, ego tibi vere, confisus in Domino, Christi misericordiam pollicerer. » O quam sancta de Domini pietate praesumptio, in qua etsi auctoritatem praestare non potuit, ostendit affectum!

§ **15**. Et quia de diabolo, ejusque artibus sermo exortus est, non ab re videtur, licet extrinsecus, referre, quod gestum est: quia et quaedam in eo Martini virtutum portio est: et res digna miraculo, recte memoriae mandabitur in exemplum cavendi, si quid deinceps uspiam tale contigerit. Clarus quidam nomine, adolescens nobilissimus, mox presbyter, nunc felici beatus excessu, cum relictis omnibus se ad Martinum contulisset, brevi tempore ad summum fidei, virtutumque omnium culmen enituit. Itaque cum haud longe sibi ab Episcopi monasterio tabernaculum constituisset, multique fratres commorarentur apud eum, juvenis quidam ad eum, Anatolius nomine, sub professione monachi omnem humilitatem atque innocentiam mentitus, accessit, habitavitque aliquandiu in commune cum caeteris. Dein, procedente tempore, angelos apud se loqui solère dicebat. Cui cum fidem nullus adhiberet, signis quibusdam, plerosque ad credendum coarctabat. Postremo eousque processit, ut inter se ac Deum angelos discurrere praedicaret. Jamque se unum ex prophetis haberi volebat. Clarus tamen nequaquam ad credendum cogi poterat. Ille autem ei iram Domini, et praesentes plagas, cur sancto non crederet, comminatus, postremo in hanc vocem fertur erupisse: « Ecce hac nocte vestem mihi candidam Dominus de coelo dabit, quâ indutus, in medio vestrum diversabor, idque vobis signum erit, me in Dei esse virtute, qui Dei veste donatus sim. » Tum vero grandis omnium ad hanc professionem exspectatio fuit. Itaque ad mediam fere noctem, fremitu insultantium commoveri omne monasterium loco visum est. Cellulam autem, qua idem adolescens continebatur, crebris cerneres micare luminibus, fremitusque in ea discurrentium, et murmur quoddam multarum vocum audiebatur. Deinde, facto silentio, egressus, unum de fratribus Sabatium nomine, ad se vocat, tunicamque ei, qua erat indutus, ostendit. Obstupefactus ille, convocat caeteros: ipse etiam Clarus accurrit, adhibitoque lumine, vestem omnes diligenter inspiciunt. Erat autem summa mollitie, candore eximio, micanti purpura: nec tamen, cujus esset generis aut velleris, poterat agnosci. Curiosius tamen oculis aut digitis attrectata, non

aliud quam vestis videbatur. Interea Clarus fratres admonet orationi insistere, ut manifestius eis Dominus, quidnam esset, ostenderet. Itaque reliquum noctis hymnis psalmisque consumitur. At ubi illuxit dies, apprehensum dextera trahere ad Martinum volebant, bene conscii illudi illum diaboli arte non posse. Tunc vero reniti ac reclamare miser coepit, interdictumque sibi esse dicebat, ne se Martino ostenderet. Cumque invitum eum ire compellerent, inter trahentium manus vestis evanuit. Unde quis dubitet hanc etiam Martini fuisse virtutem, ut phantasiam suam diabolus, cum erat Martini oculis ingerenda, dissimulare diutius aut tegere non posset? Animadversum est tamen, eodem fere tempore fuisse in Hispaniis juvenem, qui cum sibi multis signis auctoritatem paruisset, eousque elatus est, ut se Eliam profiteretur. Quod cum plerique temere credidissent, addidit ut se Christum esse diceret. In quo etiam adeo illusit, ut eum quidam Episcopus Rufus nomine, ut Deum adoraret, propter quod eum postea ab Episcopatu dejectum vidimus. Plerique etiam nobis e fratribus retulerunt, eodem tempore in Oriente quemdam extitisse, qui se Joannem esse jactitaret. Ex quo conjicere possumus, istiusmodi pseudoprophetis existentibus, Antichristi adventum imminere: qui jam in istis mysterium iniquitatis operatur. Neque enim praetereundum videtur, quanta Martinum sub iisdem diebus diabolus arte tentaverit. Quodam enim die praemissa prae se et circumtectus ipsa luce purpurea, quo facilius claritate assumpti fulgoris illuderet, veste etiam regia indutus, diademate ex gemmis auroque redimitus, calceis auro illitis, sereno ore, laeta facie, ut nihil minus, quam diabolus putaretur, oranti in cellula adstitit. Cumque Martinus primo adspectu ejus fuisset hebetatus, diu multumque silentium ambo tenuerunt. Tum prior diabolus: « Agnosce, inquit, Martine, quem cernis: Christus ego sum: descensurus ad terras, prius me tibi manifestare volui. » Ad haec cum Martinus tacèret, neque quicquam responsi referret: iterare ausus est diabolus professionis audaciam: « Martine, quid dubitas credere cum videas? Christus ego sum. » Tum ille, revelante sibi Spiritu, ut intelligeret diabolum esse, non Dominum: « Non se, inquit, Dominus Jesus purpuratum, et diademate renitentem venturum esse praedixit. Ego Christum, nisi in eo habitu, formaque, qua passus est, nisi Crucis stigmata praeferentem, venisse non credam. » Ad hanc ille vocem statim, ut fumus evanuit. Cellulam quoque tanto foetore complevit, ut indubia indicia reliqueret, diabolum se fuisse. Hoc ita gestum, ut supra retuli, ex ipsius Martini ore cognovi: ne quis forte exstimet fabulosum.

§ **16**. Nam cum olim, audita ejus fide, vita atque virtutibus, desiderio illius aestuaremus, gratam ad eum videndum peregrinationem suscepimus, simul quia jam ardebat animus illius scribere vitam, partim ab ipso, inquantum ille interrogari potuit, sciscitati

sumus: partim ab his, qui interfuerant, vel sciebant, cognovimus. Quo quidem tempore credi non potest, qua me humilitate, qua benignitate susceperit, congratulatus plurimum, et gavisus in Domino, quod tanti esset habitus a nobis, quem peregrinatione suscepta expetissemus. Miserum me! pene non audeo confiteri, cum me sancto convivio suo dignatus est adhibere. Aquam manibus nostris ipse obtulit: ad vesperum autem ipse nobis pedes abluit. Nec reniti, aut contra ire constantia fuit, ita illius auctoritate oppressus sum, ut nefas putarem, si non acquievissem. Sermo autem illius non alius apud nos fuit, quam mundi hujus illecebras, et seculi onera relinquenda, ut Dominum Jesum liberi expeditique sequeremur. Praestantissimumque nobis praesentium temporum illustris viri Paulini exemplum ingerebat: qui, summis opibus abjectis, Christum secutus, solus pene his temporibus Evangelica praecepta complesset. Illum nobis sequendum, illum clamabat imitandum, beatumque esse praesens seculum tantae fidei virtutisque documento: cum secundum sententiam Domini, dives et possidens multa, vendendo omnia et dando pauperibus, quod erat facto impossibile, possibile fecisset exemplo. Jam vero in verbis et confabulatione ejus quanta gravitas, quanta dignitas erat? quam àlacer, quam efficax, quam in absolvendis Scripturarum quaestionibus promptus et facilis? Et quia multos ad hanc partem incredulos scio, quippe quos viderim, meipso etiam referente, non credere: Jesum testor, spemque communem, me ex nullius unquam ore tantum scientiae, tantum ingenii, tam boni et tam puri sermonis audisse. Quamquam in Martini virtutibus quantula est ista laudatio? nisi quod mirum est, homini illitterato ne hanc quidem gratiam defuisse.

§ **17**. Sed jam finem liber postulat: sermo claudendus est, non quod omnia, quae de Martino fuerant dicenda, defecerint, sed quia nos ut inertes poëtae, extremo in opere negligentes, victi materiae mole succumbimus. Nam etsi facta illius explicari verbis utcumque potuerunt, interiorem vitam illius, quotidianam conversationem, et animum coelo semper intentum, nulla unquam (vere profiteor), nulla explicabit oratio. Illam scilicet perseverantiam et temperamentum in abstinentia et jejuniis, potentiam in vigiliis et orationibus, noctesque ab eo perinde ac dies actas, nullumque vacuum ab opere Dei tempus, quo vel otio indulserit, vel negotio, sed ne cibo aut somno quidem, nisi quatenus naturae cogebat necessitas. Vere fatebor, non si ipse (ut ajunt) ab inferis Homerus emergeret, posset exponere: adeo Martini omnia majora sunt, quam ut verbis còncipi queant. Nulla unquam hora, momentumque praeteriit, quin aut orationi incumberet, aut insisteret lectioni. Quamquam etiam inter legendum, aut si quid aliud forte agebat, nunquam animum orationi laxabat. Nimirum ut fabris ferrariis moris est, qui inter operandum pro quodam

laboris levamine incudem suam feriunt: ita Martinus, etiam dum aliud agere videretur, semper orabat. O vere beatus, in quo dolus non fuit, neminem judicans, neminem damnans, nulli malum pro malo reddens! Tantam quippe adversum omnes injurias patientiam assumpserat, ut cum esset summus sacerdos, impune etiam ab infimis clericis laederetur: nec propter id eos aut loco unquam amoverit, aut a sua, quantum in ipso fuit, charitate repulerit. Nemo unquam illum vidit iratum, nemo moerentem, nemo ridentem: unus idemque, semper coelestem quodam modo laetitiam vultu praeferens, extra naturam hominis videbatur. Nunquam in illius ore, nisi Christus: nunquam in illius corde, nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat. Plerumque etiam pro eorum, qui obtrectatores illius videbantur, solebat flere peccatis, qui remotum et quietum venenatis linguis, et vipereo ore carpebant. Et vere nonnullos experti sumus invidos virtutis, vitaeque ejus, qui in illo oderant, quod in se non videbant, et quod imitari non valebant. Atque (o nefas dolendum et ingemiscendum!) non alii fuere insectatores ejus (licet pauci admodum), non alii tamen, quam Episcopi, ferebantur. Nec vero quemquam nominare necesse est, licet nos ipsos plerique circumlatrent. Sufficit, ut si quis ex his haec legerit et agnoverit, erubescat. Nam si irascitur, de seipso dictum fatebitur, cum fortasse nos de aliis senserimus. Non refugimus autem, ut si qui ejusmodi sunt, nos quoque cum tali viro oderint. Illud facile confido, omnibus sanctis opusculum istud gratum fore. De caetero, si quis haec infideliter legerit, ipse peccabit. Ego mihi conscius sum, me rerum fide et amore Christi impulsum, ut scriberem, manifesta exposuisse, et vera dixisse. Paratumque, ut spero, habebit a Deo praemium, non quicumque legerit, sed quicumque crediderit.

EX DIALOGO II SULPICII

GALLO, SULPICIO ET POSTHUMIANO INTERLOCUTORIBUS.

§ 1. Gallus. Quo primum tempore, relictis scholis, beato me viro junxi, paucos post dies euntem ad ecclesiam sequebamur. Interim ei seminudus hibernis mensibus pauper occurrit, orans sibi vestimentum dari. Tunc ille, accersito archidiacono, jussit algentem sine dilatione vestiri. Deinde secretarium ingressus, cum solus, ut erat illi consuetudo, resideret (hanc enim sibi etiam in ecclesia solitudinem, permissa a clericis libertate, praestabat), cum quidam in alio secretario presbyteri sederent, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupati; Martinum vero usque in eam horam, qua solemnia populo agi consuetudo deposceret, sua solitudo cohibebat. Illud non praeteribo, quod in secretario sedens, nunquam cathedrâ usus est. Nam in ecclesia

nemo unquam illum sedere conspexit, sicut quendam nuper (testor Deum) non sine meo pudore vidi, sublimi solio, et quasi regio tribunali, celsa sede residentem. Sedebat autem Martinus in sellula rusticana, ut sunt istae in usibus servulorum, quas nos rustici Galli *tripedias*, vos scholastici, aut certe tu, qui de Graecia venis, *tripodas* nuncupatis. Ergo hoc secretum beati viri pauper ille captans, cum ei archidiaconus dare tunicam distulisset, irrupit, dissimulatum se a clerico querens, ac algere deplorans. Nec mora: Sanctus, paupere non vidente, intra amphibalum * sibi tunicam latenter educit, pauperemque contectum discedere jubet. Dein paulo post archidiaconus ingressus, admonet pro consuetudine exspectare in ecclesia populum, illum ad agenda Missarum solemnia debere procedere. Cui ille respondens, ait: « Pauperem prius (de se autem dicebat) oportere vestiri: se ad ecclesiam non posse procedere, nisi vestem pauper acciperet. Diaconus vero nihil intelligens, quia extrinsecus indutum amphibalo, veste nudum interius non videbat: postremo pauperem non comparère causatur. « Mihi, inquit, vestis, quae parata est, deferatur; pauper non deerit vestiendus. » Arctatus demum clericus, et necessitate compulsus, jamque felle commotus, e proximis tabernis nigerrimam vestem, brevem atque hispidam, quinque comparatam argenteis rapit, atque ante Martini pedes iratus exponit. « En, inquit, vestem: sed pauper hic non est. » Ille nihil motus, jubet eum paulum stare pro foribus: secretum utique procurans, dum sibi vestem nudus imponeret: totis viribus elaborans, ut posset occultum esse, quod fecerat. Sed quando in sanctis viris latent ista quaerentibus? Velint, nolint, cuncta produntur. Cum hac igitur oblaturus sacrificium Deo veste procedit. Quo quidem die (mira dicturus sum) cum jam altarium, sicut est solemne, benediceret, globum ignis de capite illius vidimus emicare, ita ut in sublime contendens, longius collum crinemque flamma produceret. Hoc licet celeberrimo factum die, in magna populi multitudine viderimus, tamen una tantum de virginibus, et unus de presbyteris, tres tantum videre de monachis. Caeteri cur non viderint, non potest nostri esse judicii.

§ 2. Per idem fere tempus cum Evantius, avunculus meus, vir licet seculi negotiis occupatus, tamen admodum Christianus, gravissima aegritudine, extremo mortis periculo coepisset urgeri, Martinum evocavit. Nec cunctatus ille, properavit. Prius tamen, quam medium viae spatium vir beatus evolveret, virtutem advenientis sensit aegrotus, recepta continuo sanitate: venientibus nobis, obviam ipse processit. Altera die redire cupientem magna prece detinuit, cum interim unum e familia puerum lethali ictu serpens pèrculit. Quem jam exanimem vi veneni, ipse Evantius suis humeris illatum, ante pedes sancti viri, nihil illi impossibile

* Scilicet *Casula*.

confisus, exposuit. Jamque se malum serpentis per omnia membra ita diffuderat, ut cerneres omnibus venis inflatam cutem, et utris instar tensa vitalia. Manu Martinus porrectâ, universa pueri membra pertractans, digitum prope ipsum vulnusculum, quo bestia virus infuderat, fixit. Tum vero (mira dicturus sum) vidimus venenum ex omni parte revocatum, ad Martini digitum cucurrisse. Deinde per illud ulceris foramen exiguum ita virus stipasse cum sanguine, ut solet ex uberibus caprarum aut ovium, pastorum manu pressis, longa linea copiosi lactis effluere. Puer surrexit incolumis. Nos obstupefacti tantae rei miraculo, id, quod ipsa cogebat veritas, fatebamur, non esse sub coelo qui Martinum posset imitari.

§ 3. Consequenti itidem tempore, iter cum eodem, dum dioeceses visitat, agebamus. Nobis nescio qua necessitate remorantibus, aliquantulum ille processerat. Interim per aggerem publicum plena militantibus viris fiscalis rheda veniebat. Sed ubi Martinum in veste hispida, nigro et pendulo palliolo circumtectum, contigua de làtere jumenta viderunt, paululum in partem alteram pavefacta cesserunt. Deinde funibus implicatis protensos illos, quibus (ut saepe vidistis) misera illa animalia conglobantur, ordines miscuerunt. Dumque aegre expediuntur, moram fecère properantibus. Qua permoti injuriâ militantes, praecipitatis in terram saltibus, se dederunt: deinde Martinum flagris ac fustibus urgere coeperunt: cum quidem ille mutus, et incredibili patientia praebens terga caedentibus, majorem insaniam infelicibus commoveret: magis ex hoc furentes, quod ille quasi non sentiens, verbera illata contemneret. Nos illico consecuti, foede cruentum, atque universa corporis parte laniatum, cum exanimis in terram procubuisset, invenimus: statimque eum asello suo imposuimus, ac locum caedis illius execrantes, raptim abire properavimus. Interea illi regressi ad rhedam suam, furore satiato, agi, quo ire coeperant, jumenta praecipiunt: quae cum omnia solo fixa, ac si aenea riguissent, tollentibus altius vocem magistris, flagris hinc atque inde resonantibus nihil penitus movebantur. Consurgunt deinde omnes pariter in verbera; consumit Gallicas mularum poena mastigias; tota rapitur silva de proximo; trabibus jumenta tunduntur: sed nihil penitus saevae manus agebant: uno eodemque loco stabant fixa simulacra. Quid agerent, infelices homines nesciebant. Nec jam ultra dissimulare poterant, quin quamlibet brutis pectoribus, agnoscerent divino numine se teneri. Tandem ergo in sese reversi, coeperunt quaerere, quis ille esset, quem in eodem loco paululum ante cecidissent. Cum percontantes cognoscunt ex viantibus, Martinum a se tam crudeliter verberatum: tum vero apparère omnibus causa manifesta: nec ignorare jam poterant, quin ob illius viri injuriam tenerentur. Igitur omnes rapidis nos passibus consequuntur, conscii audacis facti, ac

merito pudore confusi, flentes, et pulvere quo se ipsi foedaverant, capita atque ora conspersi, ante Martini se genua provolvunt, veniam precantes, et ut eos abire sineret, postulantes: satis se vel sola conscientia dedisse poenarum, satisque intellexisse, quod eosdem ipsos vivos absorbère terra potuisset, vel ipsi potius, amissis sensibus, in immobilem saxorum naturam rigescere debuissent, sicut affixa locis, quibus steterant, jumenta vidissent: orare se, atque obsecrare, ut indulgeret sceleri veniam, et copiam praestaret abeundi. Senserat etiam, priusquam accurrerent, vir beatus illos teneri, nobisque id ante jam dixerat. Veniam tamen clementer indulsit, eosdemque abire permisit, animalibus restitutis.

§ 4. Illud autem animadverti saepe, Sulpiti, Martinum tibi dicere solitum, nequaquam sibi in Episcopatu eam virtutum gratiam suppetisse, quam prius se habuisse meminisset. Quod si verum est, immo quia verum est, conjicere possumus, quanta fuerint illa, quae monachus operatus est, et quae teste nullo, solus exercuit, cum tanta illum in Episcopatu signa fecisse sub oculis omnium viderimus. Multa quidem illius prius gesta innotuere mundo, neque potuere celari: sed innumerabilia esse dicuntur, quae, dum jactantiam vitat, occultavit, neque in hominum notitiam passus est pervenire: quippe qui humanam substantiam supergressus, virtutis suae conscientia mundi gloriam calcans, coelo teste frueretur. Quod verum esse vel ex his, quae comperta nobis sunt, nec latère potuerunt, possumus aestimare. Siquidem ante Episcopatum duos mortuos vitae restituerit, quod liber tuus plenius est locutus: in Episcopatu vero (quod praetermisisse te miror) unum tantummodo suscitarit. Cujus rei ego testis sum, si tamen nihil de minus idoneo teste dubitatis. Idipsum autem vobis, qualiter sit gestum, explicabo. Fuerat causa, nescio quae, qua Carnotum * oppidum petebamus. Interea dum vicum quendam, habitantium multitudine frequentissimum, praeteriremus, obvia nobis immanis turba processit, quae erat tota gentilium; nam nemo in illo vico noverat Christum. Verum ad famam tanti viri, campos omnes late patentes confluentium multitudo contexerat. Intellexit hic Martinus operandum, et annuntiante sibi spiritu, totus infremuit. Nec mortale sonans, verbum Dei gentibus praedicabat, saepius ingemiscens, cur tanta Dominum Salvatorem turba nesciret. Interea sicut nos incredibilis circumdederat multitudo, mulier quaedam, cujus filius paulo ante defecerat, corpus exanime beato viro protensis manibus coepit offerre, dicens: « Scimus quia amicus Dei es: restitue mihi filium meum, quia unicus mihi est. » Junxit se caetera multitudo, et matris precibus acclamabat. Tum Martinus videns pro exspectantium salute (ut postea nobis ipse dicebat) consequi se posse virtutem, defuncti corpus propriis manibus accepit. Et cum, exspectantibus cunctis,

* Gall. *Chartres*, episcopalis urbs.

genua flexisset, ubi consummata oratione surrexit, vivum parvulum matri restituit. Tum vero multitudo omnis, in coelum clamore sublato, Christum Dominum fateri, postremo cuncti catervatim ad genua beati viri ruere coeperunt, fideliter postulantes, ut eos faceret Christianos. Nec cunctatus, in medio, ut erat, campo cunctos imposita universis manu, catechumenos fecit, cum quidem ad nos conversus diceret, non irrationabiliter in campo catechumenos fieri, ubi solent martyres consecrari.

§ 5. Eodem fere tempore, cum primum Episcopus datus est, fuit ei necessitas adire comitatum. Valentinianus * tum major rerum potiebatur. Is cum Martinum ea petere cognovisset, quae praestare nolebat, jussit eum palatii foribus arceri. Etenim ad animum illius immitem atque superbum uxor accesserat Arriana, quae totum illum a sancto viro, ne ei debitam reverentiam praestaret, averterat. Itaque Martinus ubi semel atque iterum superbum principem frustra adire tentavit, recurrit ad nota praesidia: cilicio obvolvitur, cinere conspergitur, cibo potuque abstinet, orationem noctibus, diebusque perpetuat. Septimo vero die assistit ei Angelus, jubetque eum ad palatium ire securum, regias fores, quantumlibet clausas, sponte reserandas, Imperatoris superbum spiritum molliendum. Igitur istiusmodi praesentis Angeli confirmatus alloquio, et fretus auxilio, palatium petit. Patent limina, nullus obsistit, postremo usque ad Regem nemine prohibente, pervenit. Qui cum venientem èminus videret, infrendens cur fuisset admissus, nequaquam assurgere est dignatus adstanti, donec regiam sellam ignis operiret, ipsumque Regem ea corporis parte, qua sedebat, afflaret incendium. Ita solio suo superbus excutitur, et Martino invitus assurgit; multumque complexus, quem spernere ante decreverat, virtutem se sensisse divinam emendatior fatebatur. Nec exspectatis Martini precibus, prius omnia praestitit, quam rogaretur. Colloquio illum atque convivio frequenter adscivit, postremo abeunti multa munera obtulit: quae vir beatus, ut semper paupertatis custos, cuncta rejecit. Et quia palatium semel ingressi sumus, licet diversis in palatio temporibus gesta connectam, nequaquam enim praetermittendum videtur circa Martini admirationem Reginae fidelis exemplum.

§ 6. Maximus Imperator Rempublicam gubernabat, vir omni vitae merito praedicandus, si ei vel diadema non legitime, tumultuante milite, impositum repudiare, vel armis civilibus abstinere licuisset. Sed magnum Imperium nec sine periculo renui, nec sine armis potuit teneri. Hic Martinum saepius evocatum, receptumque intra palatium, venerabiliter honorabat. Totus illi cum eo sermo de praesentibus, de futuris, de fidelium gloria, de aeternitate sanctorum: cum interim diebus ac noctibus de ore

* Valentinianus I, qui ab anno 364 ad 375 imperii gubernacula tenuit. Ejus uxor (secunda scilicet, de qua Historicus noster dicit), impii Arii sectatrix, Justina vocabatur.

Martini Regina pendebat, Evangelico illo non inferior exemplo, pedes sancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus quem nulla unquam foemina contigisset, istius assiduitatem, immo potius servitutem, non poterat evadere. Non illa opes regni, non Imperii dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat: divelli a Martini pedibus, solo strata, non poterat. Postremo a viro suo poscit, dein Martinum uterque compellunt, ut ei, remotis omnibus ministris, praeberet sola convivium. Nec potuit vir beatus obstinatius reluctari. Componitur castus reginae manibus apparatus, sellulam ipsa consternit, mensam admovet, aquam manibus subministrat, cibum, quem ipsa coxerat, apponit. Ipsa, illo sedente, eminus secundum famulantium disciplinam, solo fixa, consistit immobilis, per omnia ministrantis modestiam, et humilitatem exhibens servientis. Miscuit ipsa bibituro, et ipsa porrexit. Finitâ coenulâ, fragmenta panis absumpti micasque collegit, satis fideliter illas reliquias Imperialibus epulis anteponens. Beata mulier tanto pietatis affectu, illi merito comparanda, quae venit a finibus terrae audire sapientiam Salomonis; si quidem simplicem sequamur historiam: sed si fides reginarum est conferenda (quod mihi liceat, separata mysterii majestate, dixisse), illa expetivit audire sapientiam: ista non tantum audisse contenta, sed et meruit servire sapienti.

§ 7. Claudiomagus, vicus est in confinio Biturigum atque Turonorum. Ecclesia ibi est celebris religione sanctorum, nec minus gloriosa sacrarum virginum multitudine. Praeteriens ergo Martinus, in secretario ecclesiae habuit mansionem. Post discessum illius cunctae in secretarium illud virgines irruerunt, adlambunt singula loca, ubi aut sederat vir beatus, aut steterat: stramentum etiam, in quo quieverat, partiuntur. Una earum post dies paucos partem straminis, quam sibi pro benedictione collegerat, energumeno, quem spiritus erroris agitabat, de cervice suspendit. Nec mora, dicto citius ejecto daemone, persona purgata est. Per idem fere tempus Martino a Treviris revertenti fit obviam vacca, quam daemon agitabat: quae relicto grege suo, in homines ferebatur, et jam multos noxie petulans confoderat. Verum ubi nobis coepit esse contigua, iis, qui eam eminus sequebantur, praedicere magna voce coeperunt, ut caveremus. Sed postquam ad nos torvis furibunda luminibus propius accessit, Martinus elevatâ obviam manu, pecudem consistere jubet. Quae mox ad verbum illius stare coepit immobilis, cum interea videt Martinus daemonem dorso illius supersedentem. Quem increpans: « Descende, inquit, funeste de pecude, et innoxium animal agitare desiste. » Paruit nequam spiritus, et recessit. Nec defuit sensus in bucula, quin se intelligeret liberatam. Ante pedes sancti viri, recepta quiete, prosternitur. Dein jubente Martino, gregem suum petiit, seque agmini caeterarum ove placidior immiscuit. Hoc

illo fuit in tempore, quo inter medias positus flammas, non sensit incendium. Quod mihi non arbitror esse referendum: quia hoc plenius iste Sulpicius, licet in libro suo praeteritum, in epistola tamen postea, quam ad Eusebium tum presbyterum, modo Episcopum, fecit, exposuit. Quam tu, Posthumiane (ut credo), legisti: aut si incognita tibi est, cum libuerit, in promptu ex illo armario habes. Nos ab illo omissa referimus. Quodam autem tempore cum dioeceses circuiret, venantium agmen incurrimus. Canes leporem sequebantur. Jamque multo spatio victa bestiola, cum undique campis late patentibus nullum esset effugium, mortem imminentem jam jamque capienda crebris flexibus differebat. Cujus periculum vir beatus pia mente miseratus, imperat canibus, ut desisterent sequi, et sinerent abire fugientem. Qui continuo ad primum ejus sermonis imperium constiterunt. Crederes vinctos, immo potius affixos, in suis haerere vestigiis. Ita lepusculus, persecutoribus alligatis, incolumis evasit.

§ 8. Operae pretium autem est, etiam familiaria illius verba, spiritali sale condita memorare. Ovem recens tonsam forte conspexerat: « Evangelicum, inquit, mandatum ista complevit: duas habuit tunicas, unam earum largita est non habenti. Ita ergo et vos facere debetis. » Item cum subulcum algentem, ac pene nudum in pellicea veste vidisset: « En, inquit, Adam ejectus de paradiso, in veste pellicea sues pascit: sed nos, illo vetere deposito, novum Adam potius induamus. » Boves ex parte prata depaverant; porci etiam nonnulla suffoderant: pars caetera, quae manebat illaesa, diversis floribus quasi picta vernabat: « Speciem, inquit, gerit pars illa conjugii, quae pecore depasta, etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Illa vero, quam porci, pecora immunda, foderunt, fornicationis imaginem foedam praetendit. Caeterum illa portio, quae nulla sensit injuriam, gloriam virginitatis ostendit. Herbis foecunda luxuriat, foeni in ea fructus exuberant, et ultra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat. Beata species, et Deo digna. Nihil enim virginitati est comparandum. Ita et illi, qui conjugia fornicationi comparant, vehementer errant; et illi, qui conjugia virginitati aequanda existimant, miseri penitus et stulti sunt. Verum haec a sapientibus tenenda distinctio est, ut conjugium pertineat ad veniam, virginitas spectet ad gloriam, fornicatio deputetur ad poenam, nisi satisfactione purgetur. »

§ 9. Miles quidam cingulum in Ecclesia, monachum professus, abjecerat: cellulam sibi eminus in remoto, quasi eremita victurus, erexerat. Interea astutus inimicus variis cogitationibus brutum pectus agitabat, ut conjugem, quam Martinus in monasterio puellarum esse praeceperat, voluntate mutatâ, secum potius vellet habitare. Adiit ergo Martinum fortis eremita: quid haberet

animi, confitetur. Ille vero vehementer coepit abnuere, foeminam viro rursus jam monacho, non marito, incongrua ratione misceri. Postremo cum miles instaret, affirmans nihil hoc proposito esse nociturum: se solo conjugis uti velle solatio; porro ne rursum se in sua revolverent, non esse metuendum; se esse militem Christi, illam quoque in eadem ejusdem militiae sacramenta jurasse; pateretur Episcopus sanctus eos, sexum suum fidei merito nescientes, pariter militare. Tum Martinus (verba vobis ipsa dicturus sum): « Dic mihi, inquit, si unquam in bello fuisti, si in acie constitisti? » At ille respondens: « Frequenter, inquit, in acie steti, et bello frequenter interfui. » Ad haec Martinus: « Dic mihi ergo: nunquid in illa acie, quae armata in proelium parabatur, aut jam adversus hostilem exercitum collocato cominus pede districto ense pugnabat, ullam foeminam stare, aut pugnare vidisti? ». Tum demum miles confusus erubuit, gratias agens, errori suo se non fuisse permissum, nec aspera increpatione verborum, sed vera et rationabili secundum personam militis comparatione correctum. Martinus autem conversus ad nos, sicut eum frequens fratrum turba vallaverat: « Mulier, inquit, virorum castra non adeat: acies militum separata consistat: procul foemina in suo degens tabernaculo, sit remota: contemptibilem enim reddit exercitum, si virorum cohortibus turba foeminea misceatur. Miles in acie, miles pugnet in campo; mulier se intra murorum munimenta contineat. Habet et illa gloriam suam, si pudicitiam, viro absente, servaverit. Cujus haec prima virtus, et consummata victoria est, non videri. »

§ **10**. Illud vero, Sulpiti, meminisse te credo, quo affectu nobis, cum et tu coram adesses, illam virginem praedicaret, quae ita se penitus ab omnium virorum oculis removisset, ut ne ipsum quidem ad se Martinum, cum eam ille officii causa visitare vellet, admiserit. Nam cum prope agellum illius praeteriret, in quo se jam ante complures annos pudica cohibebat, audita fide illius atque virtute, divertit, ut tam illustris meriti puellam religioso officio Episcopus honoraret. Nos consequentes, gavisuram illam virginem putabamus, siquidem hoc in testimonium virtutis suae esse habituram, ad quam tanti nominis sacerdos, deposito propositi rigore, venisset. Verum illa fortissimi vincula propositi, ne Martini quidem contemplatione laxavit. Ita vir beatus, accepta per aliam foeminam excusatione laudabili, ab illius foribus, quae se videndam salutandamque non dederat, laetus abscessit. O virginem gloriosam, quae ne a Martino quidem passa est se videri! O Martinum beatum, qui illam repulsam non ad contumeliam suam duxit, sed magnificans illius cum exultatione virtutem, inusitatum in his dumtaxat regionibus gaudebat exemplum! Ergo cum haud longe ab illa villula nos manere nox imminens coëgisset, xenium *

* *Lautia* scilicet, seu *munuscula* quaedam.

beato viro eadem illa virgo transmisit: fecitque Martinus, quod ante non fecerat. Nullius enim ille unquam xenium, nullius munus accepit. Nihil ex his, quae virgo venerabilis miserat, refutavit, dicens, benedictionem illius a sacerdote minime respuendam, quae esset multis sacerdotibus praeferenda.

EX DIALOGO III EJUSDEM,

EISDEM INTERLOCUTORIBUS.

§ 1. Gallus: Convenistis ad me audiendum, et sancti, et diserti: sed religiosas potius, quam doctas aures, ut arbitror, attulistis: audituri me fide testis, non oratoris copia, locuturum. Quae autem hesterno dicta sunt, non revolvam. Illa qui non audierunt, ex scriptis recognoscent. Nova Posthumianus exspectat, nunciaturus Orienti, ne se in comparatione Martini praeferat Occidenti. Ac primum gestit animus, quod Refrigerius in aurem suggerit, explicare. Res in Carnotena gesta est civitate. Pater filiam duodennem, ab utero mutam puellam, Martino coepit offerre, poscens ut linguam ligatam, meritis suis Sanctus absolveret. Ille cedens Episcopis, qui tum forte latus illius ambiebant, Valentiniano atque Victricio, imparem se esse tantae moli, sed íllis quasi sanctioribus nihil impossibile, fatebatur. At illi pias preces una cum patre supplici voce jungentes, orare Martinum, ut sperata praestaret. Nec cunctatus ultra (utrumque praeclarum, et ostendendo humilitatem, nec differendo pietatem), jubet circumstantis populi multitudinem submoveri. Episcopis tantum et puellae patre assistentibus, in orationem suo illo more prosternitur: dein pauxillum olei cum exorcismi praefatione benedicit, atque ita in os puellae sanctificatum liquorem, cum et linguam illius digitis teneret, infudit. Nec fefellit Sanctum virtutis eventus. Patris nomen interrogat, mox illa respondet. Proclamat pater cum gaudio pariter et lacrymis, Martini genua complexus: et hanc primam se filiae audisse vocem, cunctis stupentibus, fatebatur. Ac ne cuiquam id forte incredibile videatur, perhibeat vobis praesens Evagrius testimonium veritatis. Nam res ipso praesente tum gesta est.....

§ 2. Avitiani quondam comitis noveratis barbaram nimis, et ultra omnes cruentam, feritatem. Hic rabido spiritu ingressus Turonum civitatem, sequentibus eum miserabili facie ordinibus catenatis, diversa perdendis parari jubet genera poenarum, disponens postero die, attonitâ civitate, ad opus tam triste procedere. Quod ubi Martino compertum est, solus paulo ante mediam noctem ad praetorium bestiae illius tendit. Sed cum profundae noctis silentio quiescentibus cunctis, nulli foribus obseratis pateret ingressus, ante limina cruenta prosternitur. Interea Avitianus

gravi somno sepultus, Angelo irruente percellitur: « Servus, inquit, Dei ad tua limina jacet, et tu quiescis? » Qua ille voce percepta, lecto suo turbatus excutitur; convocatisque servis, trepidus exclamat, Martinum esse pro foribus: irent protinus, claustra reserassent, ne Dei servus pateretur injuriam. Sed illi (ut est omnium natura servorum) vix prima limina egressi, irridentes dominum suum, quod somno fuisset illusus, negant quemquam esse pro foribus, ex suomet ingenio conjectantes neminem nocte posse vigilare, nedum illi crederent in illo noctis horrore jacere ad aliena limina sacerdotem. Idque Avitiano facile persuasum; rursum solvitur in soporem. Sed mox vi majore concussus, exclamat Martinum stare pro foribus; sibi ideo nullam quietem animi corporisque permitti. Tardantibus servis, ipse ad limina exteriora progreditur. Ibi Martinum, ut senserat, deprehendit. Perculsus miser tantae manifestatione virtutis: « Quid, inquit, hoc, domine, mihi fecisti? Nihil te loqui necesse est: scio quid desideres; video quid requiras; discede quantocyus, ne me ob injuriam tui coelestis ira consumat: satis solverim hucusque poenarum; crede, quia non leviter apud me actum est, ut ipse procederem. » Post discessum autem Sancti advocat officiales suos: jubet omnes custodias relaxari: et mox ipse proficiscitur. Ita fugato Avitiano, laetata est civitas et liberata..... Sed ut ad Avitianum recurram, qui cum in omnibus locis, cunctisque in urbibus ederet crudelitatis suae infanda monumenta, Turonis tantum innocens erat: et illa bestia, quae humano sanguine, et infelicium mortibus alebatur, mitem se atque tranquillum, beato viro praesente, praestabat. Memini quodam die ad eum venisse Martinum: qui ubi secretarium ejus ingressus est, vidit post tergum ipsius daemonem mirae magnitudinis assidentem. Quem cum eminus (ut verbo, quia ita necesse est, parum Latino loquamur) exufflasset, Avitianus se exufflari existimans: « Quid me, inquit, sancte, sic adspicis? » Tum Martinus: « Non te, inquit, sed eum qui cervici tuae teter incubuit. » Ita recessit diabolus, et reliquit familiare subsellium. Satisque constat, ab illo die Avitianum mitiorem fuisse: seu quod intellexerit egisse se semper assidentis sibi diaboli voluntatem: seu quod immundus spiritus ab illius consessu per Martinum fugatus, privatus est potestate grassandi, cum erubesceret minister auctorem, nec ministrum auctor urgeret.....

§ **3**. Veniam ad illud, quod propter notam temporum semper occultavit: sed nos celare non potuit. In quo illud est miraculi, quod facie ad faciem cum eo Angelus est collocutus. Maximus Imperator, alias sane bonus, depravatus consiliis sacerdotum, post Priscilliani necem, Ithacium Episcopum Priscilliani accusatorem, caeterosque illius socios, quos nominare non est necesse, ut regia tuebatur, ne quis ei crimini daret, opera illius

cujuscumque modi hominem fuisse damnatum. Interea Martinus multis gravibusque laborantium causis ad comitatum ire * compulsus, procellam ipsam totius tempestatis incurrit. Congregati apud Treviros Episcopi tenebantur, qui quotidie communicantes Ithacio, communem sibi causam fecerant. His ubi nunciatum est inopinantibus, adesse Martinum, totis animis labefacti, mussitare et trepidare coeperunt. Et jam pridie Imperator ex eorum sententia decreverat, tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui haereticos inquirerent, deprehensis vitam et bona adimerent. Nec dubium erat, quin sanctorum etiam maximam turbam tempestas illa depopulatura esset, parvo discrimine inter hominum genera. Etenim tum solis oculis judicabatur, cum quis pallore potius, aut veste, quam fide, haereticus aestimaretur. Haec nequaquam placitura Martino Episcopi sentiebant: sed male consciis illa vel molestissima erat cura, ne se ab eorum communione adveniens abstineret, non defuturis, qui tanti viri constantiam praemissa auctoritate sequerentur. Ineunt cum Imperatore consilium, ut missis obviam Magistri ** officialibus, urbem illam propius vetaretur accedere, nisi se cum pace Episcoporum ibi consistentium affore fateretur. Quos ille callide frustratus, profitetur se cum pace Christi esse venturum. Postremo ingressus nocturno tempore, adiit ecclesiam tantum orationis gratiâ. Postero die palatium petit. Praeter multas, quas enumerare longum est, has principales petitiones habebat, pro Narsete comite, et Deucadio praeside, qui ambo Gratiani partium fuerant, pertinacioribus studiis, quae non est hujus temporis explicare, iram Imperatoris emeriti: illa praecipua cura, ne tribuni cum jure gladiorum ad Hispanias mitterentur. Pia enim erat sollicitudo Martino, ut non solum Christianos, qui sub illa erant occasione vexandi, sed ipsos etiam haereticos liberaret. Verum primo die atque altero suspendit hominem callidus Imperator: sive ut rei pondus imponeret, sive quia nimis sibi implacabilis erat: seu quia (ut plerique tum arbitrabantur) avaritia repugnabat: siquidem in bona eorum inhiaverat. Fertur enim vir ille, multis bonisque actibus praeditus, adversus avaritiam parum consuluisse: nisi fortasse regni necessitate, quippe exhausto superioribus principibus Reipublicae aerario, pene semper in expeditione atque procinctu bellorum civilium constitutus, facile excusabitur, quibuslibet occasionibus subsidia Imperio paravisse. Interea Episcopi, quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad Regem concurrunt, praedamnatos se conquerentes, actum esse de suo omnium statu, si Theognisti pertinaciam, qui eos solus palam lata sententia condemnaverat, Martini armaret auctoritas; non oportuisse hominem recipi moenibus; illum jam non

* Anno 384.
** Magistratus nempe; sed quanam potestate jurisdictioneque hic praeditus fuerat, ignoratur.

defensorem haereticorum esse, sed vindicem; nil actum morte Priscilliani, si Martinus exerceat illius ultionem. Postremo prostrati, cum fletu et lamentatione potestatem regiam implorânt, ut utatur adversus unum hominum vi sua. Nec multum aberat, quin cogeretur Imperator Martinum cum haereticorum sorte miscere. Sed ille, licet Episcopis nimio favore esset obnoxius, non erat nescius, Martinum fide, sanctitate ac virtute cunctis praestare mortalibus. Alia longe via Sanctum vincere parat: ac primum secreto accersitum, blande appellat, haereticos jure damnatos more judiciorum publicorum, potius quam insectationibus sacerdotum; non esse causam, qua Ithacii, caeterorumque partis ejus communionem putaret esse damnandam; Thognistum odio potius, quam causa fecisse dissidium, eundemque tamen solum esse, qui se a communione interim separarit; a reliquis nihil novatum; quin etiam ante paucos dies habita synodus, Ithacium pronuntiaverat culpa non teneri. Quibus cum Martinus parum moveretur, Rex irâ accenditur, ac se de conspectu ejus abripit, et mox percussores iis, pro quibus Martinus rogaverat, diriguntur. Quod ubi Martino compertum jam noctis tempore est, palatium irrupit, spondet, si parceretur, se communicaturum, dummodo et tribuni jam in excidium Ecclesiarum ad Hispanias missi retraherentur. Nec mora intercessit, Maximus indulget omnia. Postridie Felicis Episcopi ordinatio parabatur, sanctissimi sane viri, et plane digni, qui meliore tempore sacerdos fieret. Hujus diei communionem Martinus inivit, satius aestimans ad horam cedere, quam his non consulere, quorum cervicibus gladius imminebat. Verumtamen summa vi Episcopis nitentibus, ut communionem illam subscriptione firmaret, extorquèri non potuit. Postero die se inde proripiens, cum revertens in via moestus ingemisceret, se vel ad horam noxiae communioni fuisse permixtum, haud longe a vico, cui nomen est Andethanna, quo vastam solitudinem silvarum secreta patiuntur, progressis paululum comitibus, ille subsedit, causam doloris et facti, accusante ac defendente invicem cogitatione, pervolvens. Adstitit ei repente Angelus: « Merito, inquit, Martine compungeris, sed aliter exire nequisti: rèpara virtutem, resùme constantiam, ne jam non periculum gloriae, sed salutis incurras. Itaque ab illo tempore satis cavit cum illa Ithacianae partis communione misceri. Caeterum cum quosdam ex energumenis tardius, quam solebat, et gratia minore curaret, subinde nobis cum lacrymis fatebatur, se propter communionis illius malum, cui se ipse vel puncto temporis necessitate, non spiritu, miscuisset, detrimentum sentire virtutis. Sedecim postea vixit annos: nullam synodum adiit, ab omnibus Episcoporum conventibus se removit.....

§ 4. Lycontius ex vicariis, vir fidelis, cum familiam illius lues extrema vexaret, et inauditae calamitatis exemplo per totam

cujuscumque modi hominem fuisse damnatum. Interea Martinus multis gravibusque laborantium causis ad comitatum ire * compulsus, procellam ipsam totius tempestatis incurrit. Congregati apud Treviros Episcopi tenebantur, qui quotidie communicantes Ithacio, communem sibi causam fecerant. His ubi nunciatum est inopinantibus, adesse Martinum, totis animis labefacti, mussitare et trepidare coeperunt. Et jam pridie Imperator ex eorum sententia decreverat, tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui haereticos inquirerent, deprehensis vitam et bona adimerent. Nec dubium erat, quin sanctorum etiam maximam turbam tempestas illa depopulatura esset, parvo discrimine inter hominum genera. Etenim tum solis oculis judicabatur, cum quis pallore potius, aut veste, quam fide, haereticus aestimaretur. Haec nequaquam placitura Martino Episcopi sentiebant: sed male consciis illa vel molestissima erat cura, ne se ab eorum communione adveniens abstineret, non defuturis, qui tanti viri constantiam praemissa auctoritate sequerentur. Ineunt cum Imperatore consilium, ut missis obviam Magistri ** officialibus, urbem illam propius vetaretur accedere, nisi se cum pace Episcoporum ibi consistentium affore fateretur. Quos ille callide frustratus, profitetur se cum pace Christi esse venturum. Postremo ingressus nocturno tempore, adiit ecclesiam tantum orationis gratiâ. Postero die palatium petit. Praeter multas, quas enumerare longum est, has principales petitiones habebat, pro Narsete comite, et Deucadio praeside, qui ambo Gratiani partium fuerant, pertinacioribus studiis, quae non est hujus temporis explicare, iram Imperatoris emeriti: illa praecipua cura, ne tribuni cum jure gladiorum ad Hispanias mitterentur. Pia enim erat sollicitudo Martino, ut non solum Christianos, qui sub illa erant occasione vexandi, sed ipsos etiam haereticos liberaret. Verum primo die, atque altero suspendit hominem callidus Imperator: sive ut rei pondus imponeret, sive quia nimis sibi implacabilis erat: seu quia (ut plerique tum arbitrabantur) avaritia repugnabat: siquidem in bona eorum inhiaverat. Fertur enim vir ille, multis bonisque actibus praeditus, adversus avaritiam parum consuluisse: nisi fortasse regni necessitate, quippe exhausto superioribus principibus Reipublicae aerario, pene semper in expeditione atque procinctu bellorum civilium constitutus, facile excusabitur, quibuslibet occasionibus subsidia Imperio paravisse. Interea Episcopi, quorum communionem Martinus non inibat, trepidi ad Regem concurrunt, praedamnatos se conquerentes, actum esse de suo omnium statu, si Theognisti pertinaciam, qui eos solus palam lata sententia condemnaverat, Martini armaret auctoritas; non oportuisse hominem recipi moenibus; illum jam non

* Anno 384.

** Magistratus nempe; sed quanam potestate jurisdictioneque hic praeditus fuerat, ignoratur.

defensorem haereticorum esse, sed vindicem; nil actum morte Priscilliani, si Martinus exerceat illius ultionem. Postremo prostrati, cum fletu et lamentatione potestatem regiam implorânt, ut utatur adversus unum hominum vi sua. Nec multum aberat, quin cogeretur Imperator Martinum cum haereticorum sorte miscere. Sed ille, licet Episcopis nimio favore esset obnoxius, non erat nescius, Martinum fide, sanctitate ac virtute cunctis praestare mortalibus. Alia longe via Sanctum vincere parat: ac primum secreto accersitum, blande appellat, haereticos jure damnatos more judiciorum publicorum, potius quam insectationibus sacerdotum; non esse causam, qua Ithacii, caeterorumque partis ejus communionem putaret esse damnandam; Thognistum odio potius, quam causa fecisse dissidium, eundemque tamen solum esse, qui se a communione interim separarit; a reliquis nihil novatum; quin etiam ante paucos dies habita synodus, Ithacium pronunciaverat culpa non teneri. Quibus cum Martinus parum moveretur, Rex irâ accenditur, ac se de conspectu ejus abripit, et mox percussores iis, pro quibus Martinus rogaverat, diriguntur. Quod ubi Martino compertum jam noctis tempore est, palatium irrupit, spondet, si parceretur, se communicaturum, dummodo et tribuni jam in excidium Ecclesiarum ad Hispanias missi retraherentur. Nec mora intercessit, Maximus indulget omnia. Postridie Felicis Episcopi ordinatio parabatur, sanctissimi sane viri, et plane digni, qui meliore tempore sacerdos fieret. Hujus diei communionem Martinus inivit, satius aestimans ad horam cedere, quam his non consulere, quorum cervicibus gladius imminebat. Verumtamen summa vi Episcopis nitentibus, ut communionem illam subscriptione firmaret, extorquèri non potuit. Postero die se inde proripiens, cum revertens in via moestus ingemisceret, se vel ad horam noxiae communioni fuisse permixtum, haud longe a vico, cui nomen est Andethanna, quo vastam solitudinem silvarum secreta patiuntur, progressis paululum comitibus, ille subsedit, causam doloris et facti, accusante ac defendente invicem cogitatione, pervolvens. Adstitit ei repente Angelus: « Merito, inquit, Martine compungeris, sed aliter exire nequisti: rèpara virtutem, resùme constantiam, ne jam non periculum gloriae, sed salutis incurras. Itaque ab illo tempore satis cavit cum illa Ithacianae partis communione misceri. Caeterum cum quosdam ex energumenis tardius, quam solebat, et gratia minore curaret, subinde nobis cum lacrymis fatebatur, se propter communionis illius malum, cui se ipse vel puncto temporis necessitate, non spiritu, miscuisset, detrimentum sentire virtutis. Sedecim postea vixit annos: nullam synodum adiit, ab omnibus Episcoporum conventibus se removit.....

§ 4. Lycontius ex vicariis, vir fidelis, cum familiam illius lues extrema vexaret, et inauditae calamitatis exemplo per totam

domum corpora aegra procumberent, Martini per litteras imploravit auxilium. Quo tempore vir beatus rem esse promisit difficilem impetrari: nam spiritu sentiebat, domum illam divino numine verberari: tamen non prius destitit, septem totos dies, totidemque noctes orando et jejunando continuans, quam id, quod exorandum receperat, impetraret. Mox ad eum Lycontius, divina expertus beneficia, pervolavit, nuncians simul, et agens gratias, domum suam omni periculo liberatam. Centum etiam argenti libras obtulit, quas vir beatus nec respuit, nec accepit; sed priusquam pondus illud monasterii limen attingeret, redimendis id captivis continuo deputavit. Et cum ei suggereretur a fratribus, ut aliquid ex eo in sumptus monasterii reservaret, omnibus in angusto esse victum, multis deesse vestitum: « Nos, inquit, Ecclesia et pascat, et vestiat, dummodo nihil nostris usibus quaesisse videamur » .....

DE TRANSITU SANCTI MARTINI

EX EPISTOLA, QUAM SULPICIUS SCRIPSIT AD BASSULAM SOCRUM SUAM.

§ 1. Sulpicius: Martinus igitur obitum suum longe ante praescivit, dixitque fratribus, dissolutionem sui corporis imminere. Interea causa extitit, qua Condatensem * dioecesim visitaret. Nam clericis inter se Ecclesiae illius discordantibus, pacem cupiens reformare, licet finem dierum suorum non ignoraret, proficisci tamen ob istiusmodi causam non recusavit, bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si pacem Ecclesiae redditam reliquisset. Ita profectus cum suo illo, ut semper, frequentissimo discipulorum sanctissimoque comitatu, mergos in flumine conspicatur piscium praedam sequi, et rapacem ingluviem assiduis urgere captivis: « Forma, inquit, haec daemonum est; insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, exsaturarique non queunt devoratis. » Imperat deinde potenti virtute verborum, ut eum, cui innatabant, gurgitem relinquentes, aridas peterent desertasque regiones: eo nimirum circa aves illas usus imperio, quo daemones fugare consueverat. Ita grege facto, omnes in unum illae volucres congregatae, relicto flumine, montes silvasque petierunt, non sine admiratione multorum, qui tantam in Martino virtutem viderunt, ut etiam avibus imperaret.

§ 2. Aliquandiu ergo in vico illo vel in Ecclesia, ad quam iverat, commoratus, pace inter clericos restituta, cum jam regredi ad monasterium cogitaret, viribus corporis coepit repente destitui. Convocatisque discipulis, indicat se jam resolvi. Tum vero moeror et luctus omnium, vox una plangentium: « Cur nos, pater, deseris? aut cui nos desolatos relinquis? Invadent

* Gall. *Condé*, suae dioecesis paroecia.

enim gregem tuum lupi rapaces: et quis eos a morsibus, percusso pastore, prohibebit? Scimus quidem desiderare te Christum, sed salva tibi sunt tua praemia, nec dilata minuentur: nostri potius miserere, quos deseris. » Tum ille motus his fletibus, ut totus semper in Domino misericordiae visceribus affluebat, lacrymasse perhibetur. Conversusque ad Dominum, hac tantum flentibus voce respondit: « Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua. » Nimirum inter spem amoremque positus, dubitavit pene, quid mallet: quia nec hos deserere, nec a Christo volebat diutius separari. Nihil tamen in voto suo ponens, aut voluntati relinquens, totum se Domini arbitrio potestatique committens: Nonne tibi his paucissimis verbis dicere videretur: Gravis quidem est, Domine, corporeae pugna militiae, et jam satis est, quod hucusque certavi: sed si adhuc in eodem labore pro castris tuorum stare me praecipis, non recuso, nec fatiscentem causabor aetatem. Munia tua devotus implebo, sub signis tuis quoad jusseris, militabo. Et quamvis optata sit seni sessio post laborem, est tamen animus victor annorum, et cedere nescius senectuti. At si jam parcis aetati, bonum mihi est, Domine, voluntas tua. Hos vero, quibus timeo, ipse custodias. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum: qui in nullam se partem pronior inclinaverit: nec mori timuit, nec vivere recusavit!

§ 3. Itaque cum jam per aliquot dies vi febrium teneretur, non tamen a Dei opere cessabat: pernox in orationibus et vigiliis, fatiscentes artus spiritui servire cogebat, nobili illo strato suo in cinere et cilicio rècubans. Et cum a discipulis rogaretur, ut saltem vilia sibi sineret stramenta supponi: « Non decet, inquit, filii, Christianum nisi in cinere mori. Ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccavi.» Oculis ac manibus in coelum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Et cum a presbyteris, qui tunc ad eum confluxerant, rogaretur, ut corpusculum lateris mutatione relevaret: « Sinite, inquit, sinite me, fratres, coelum potius respicere, quam terram, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. » Haec locutus, diabolum vidit prope assistere. « Quid hic, inquit, adstas, cruenta bestia? Nihil in me, funeste, reperies: Abrahae me sinus recipiet. » Cum hac ergo voce fatigatum divinis operibus spiritum coelo reddidit *: testatique nobis sunt, qui affuerunt, jam exanimi corpore, glorificati hominis gloriam se vidisse. Vultus luce clarior renitebat, cum membra caetera ne tenuis quidem macula fuscaret. In aliis etiam, et in illo, tantum artubus non pudendis, septennis quodammodo pueri gratia videbatur. Quis istum unquam cilicio tectum, quis cineribus crederet involutum? Ita vitro purior, lacte

* Die undecima novembris, anno 397, vel ut aliis placet, 400. Quidam autem, eum obiisse ejusdem mensis die octava, sepultum vero fuisse die undecima affirmant.

domum corpora aegra procumberent, Martini per litteras imploravit auxilium. Quo tempore vir beatus rem esse promisit difficilem impetrari: nam spiritu sentiebat, domum illam divino numine verberari: tamen non prius destitit, septem totos dies totidemque noctes orando et jejunando continuans, quam id, quod exorandum receperat, impetraret. Mox ad eum Lycontius, divina expertus beneficia, pervolavit, nuncians simul, et agens gratias, domum suam omni periculo liberatam. Centum etiam argenti libras obtulit, quas vir beatus nec respuit, nec accepit; sed priusquam pondus illud monasterii limen attingeret, redimendis id captivis continuo deputavit. Et cum ei suggereretur a fratribus, ut aliquid ex eo in sumptus monasterii reservaret, omnibus in angusto esse victum, multis deesse vestitum: « Nos, inquit, Ecclesia et pascat, et vestiat, dummodo nihil nostris usibus quaesisse videamur » .....

DE TRANSITU SANCTI MARTINI

EX EPISTOLA, QUAM SULPICIUS SCRIPSIT AD BASSULAM SOCRUM SUAM.

§ 1. Sulpicius: Martinus igitur obitum suum longe ante praescivit, dixitque fratribus, dissolutionem sui corporis imminere. Interea causa extitit, qua Condatensem * dioecesim visitaret. Nam clericis inter se Ecclesiae illius discordantibus, pacem cupiens reformare, licet finem dierum suorum non ignoraret, proficisci tamen ob istiusmodi causam non recusavit, bonam hanc virtutum suarum consummationem existimans, si pacem Ecclesiae redditam reliquisset. Ita profectus cum suo illo, ut semper, frequentissimo discipulorum sanctissimoque comitatu, mergos in flumine conspicatur piscium praedam sequi, et rapacem ingluviem assiduis urgere captivis: « Forma, inquit, haec daemonum est; insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos devorant, exsaturarique non queunt devoratis. » Imperat deinde potenti virtute verborum, ut eum, cui innatabant, gurgitem relinquentes, aridas peterent desertasque regiones: eo nimirum circa aves illas usus imperio, quo daemones fugare consueverat. Ita grege facto, omnes in unum illae volucres congregatae, relicto flumine, montes silvasque petierunt, non sine admiratione multorum, qui tantam in Martino virtutem viderunt, ut etiam avibus imperaret.

§ 2. Aliquandiu ergo in vico illo vel in Ecclesia, ad quam iverat, commoratus, pace inter clericos restituta, cum jam regredi ad monasterium cogitaret, viribus corporis coepit repente destitui. Convocatisque discipulis, indicat se jam resolvi. Tum vero moeror et luctus omnium, vox una plangentium: « Cur nos, pater, deseris? aut cui nos desolatos relinquis? Invadent

* Gall. *Condé*, suae dioecesis paroecia.

enim gregem tuum lupi rapaces: et quis eos a morsibus, percusso pastore, prohibebit? Scimus quidem desiderare te Christum, sed salva tibi sunt tua praemia, nec dilata minuentur: nostri potius miserere, quos deseris. » Tum ille motus his fletibus, ut totus semper in Domino misericordiae visceribus affluebat, lacrymasse perhibetur. Conversusque ad Dominum, hac tantum flentibus voce respondit: « Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: fiat voluntas tua. » Nimirum inter spem amoremque positus, dubitavit pene, quid mallet: quia nec hos deserere, nec a Christo volebat diutius separari. Nihil tamen in voto suo ponens, aut voluntati relinquens, totum se Domini arbitrio potestatique committens: Nonne tibi his paucissimis verbis dicere videretur: Gravis quidem est, Domine, corporeae pugna militiae, et jam satis est, quod hucusque certavi: sed si adhuc in eodem labore pro castris tuorum stare me praecipis, non recuso, nec fatiscentem causabor aetatem. Munia tua devotus implebo, sub signis tuis quoad jusseris, militabo. Et quamvis optata sit seni sessio post laborem, est tamen animus victor annorum, et cedere nescius senectuti. At si jam parcis aetati, bonum mihi est, Domine, voluntas tua. Hos vero, quibus timeo, ipse custodias. O virum ineffabilem, nec labore victum, nec morte vincendum: qui in nullam se partem pronior inclinaverit: nec mori timuit, nec vivere recusavit!

§ 3. Itaque cum jam per aliquot dies vi febrium teneretur, non tamen a Dei opere cessabat: pernox in orationibus et vigiliis, fatiscentes artus spiritui servire cogebat, nobili illo strato suo in cinere et cilicio rècubans. Et cum a discipulis rogaretur, ut saltem vilia sibi sineret stramenta supponi: « Non decet, inquit, filii, Christianum nisi in cinere mori. Ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccavi.» Oculis ac manibus in coelum semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat. Et cum a presbyteris, qui tunc ad eum confluxerant, rogaretur, ut corpusculum lateris mutatione relevaret: « Sinite, inquit, sinite me, fratres, coelum potius respicere, quam terram, ut suo jam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. » Haec locutus, diabolum vidit prope assistere. « Quid hic, inquit, adstas, cruenta bestia? Nihil in me, funeste, reperies: Abrahae me sinus recipiet. » Cum hac ergo voce fatigatum divinis operibus spiritum coelo reddidit *: testatique nobis sunt, qui affuerunt, jam exanimi corpore, glorificati hominis gloriam se vidisse. Vultus luce clarior renitebat, cum membra caetera ne tenuis quidem macula fuscaret. In aliis etiam, et in illo, tantum artubus non pudendis, septennis quodammodo pueri gratia videbatur. Quis istum unquam cilicio tectum, quis cineribus crederet involutum? Ita vitro purior, lacte

* Die undecima novembris, anno 397, vel ut aliis placet, 400. Quidam autem, eum obiisse ejusdem mensis die octava, sepultum vero fuisse die undecima adfirmant.

candidior, jam in quadam futurae resurrectionis gloria et natura demutatae carnis ostensus est.

§ 4. Jam vero in obsequium funeris credi non potest, quanta hominum multitudo convenerit. Tota obviam corpori civitas ruit. Cuncti ex agris atque vicis, multique ex vicinis etiam urbibus affuerunt. O quantus luctus omnium, quanta praecipue moerentium lamenta monachorum, qui eo die fere ad duo millia convenisse dicuntur. Specialis Martini gloria: ejus exemplo in Domini servitute stirps tanta fructificaverat. Agebat nimirum ante se pastor extinctus greges suos. sanctae illius multitudinis pallidas turbas, agmina palliata, et aut emeritos senes, aut juratos Christi in sacramenta tyrones. Tum virginum chorus fletu abstinens prae pudore, cum laetandum illi potius esse sentiret, quem jam suo Dominus gremio confoveret, quam sancto dissimulabat gaudio, quod dolebat? Siquidem fides flere prohiberet, gemitum extorqueret affectus. Etenim tam erat sancta de illius gloria exultatio, quam pia de morte confusio. Ignosce flentibus, gratulare gaudentibus: quia et pium est gaudere Martino, et pium est flere Martinum, dum unusquisque et sibi praestat, ut doleat, et illi debet, ut gaudeat. Haec igitur beati viri corpus usque ad locum sepulcri hymnis canora coelestibus turba prosequitur. Comparetur, si placet, secularis illa pompa, non dicam funeris, sed triumphi. Quid simile Martini exequiis conferetur? Ducant illi prae curribus suis vinctos post terga captivos; Martini corpus hi, qui mundum ducatu illius vicerant, prosequuntur. Illos confusis plausibus populorum honoret insania; Martino divinis plauditur psalmis: Martinus hymnis coelestibus honoratur. Illi post triumphos suos in tartara saeva truduntur; Martinus Abrahae sinu laetus excipitur; Martinus hic pauper et modicus, coelum dives ingreditur, hymnis coelestibus honoratur: illinc nos, ut spero, custodiens, me haec scribentem respicit, te legentem *.

* Defuncto apud Condatum S. Martino, Turonenses, obnitentibus licet Pictavis, sacras ejus exuvias Ligerim impositas in urbem suam transtulere. Depositae primo juxta litus in loco, qui exinde *Statio corporis beati Martini* dictus fuit, ubi hodieque oratorium illius nomini sacrum visitur, alium in locum postea delatae fuere ibique reconditae. Crebrescentibus porro ad ejus sepulcrum miraculis, S. Britius (cujus memoria die 13 novembris celebratur), S. Martini in episcopatu successor, aediculam supra ipsum sanctum corpus aedificavit, quam deinde evertit Perpetuus, et ipse Turonensis Praesul († 490), ut magnificentiorem construeret. Hanc basilicam, quam Francorum reges variis donariis et immunitatibus cumularunt, descripsere S. Gregorius Turon. et Sidonius Apollinaris. S. Eligius demum (qui die 1 decembris colitur) arcam, auro, argento pretiosissimisque lapillis confectam, fabricavit, in qua sacra S. Martini ossa reposita fuere. Ad quae veneranda ingens Christifidelium multitudo ex omnibus Europae provinciis, veluti ad Apostolorum limina vel ad sancta Palaestinae loca, olim conveniebat. Galliarum reges S. Martinum, ut ipsorum et Galliarum specialem patronum reverebantur, atque titulo, quo exornati erant canonicorum scilicet S. Martini, summopere gloriabantur. — Verum Calviniani haeretici, quum anno 1562 Turonum urbe potiti essent, templum illud vastavêre, atque S. Martini Reliquias immani sacrilegio in ignem projecêre. Visitur hodieque locus ad australem ecclesiae partem, in quo Sancti Martini corpus crematum est.

VITA S. MARTINI PAPAE

QUI PRO DEFENSIONE CATHOLICAE FIDEI EXSILIUM PASSUS EST,
A QUODAM EJUS FAMILIARI VEL COMITE SCRIPTA.
EXTAT IN ANTIQUIS MSS. CODICIBUS.

Obiit anno 655 — Italus.

§ 1. Summa devotione recolendus, meritisque praecipuus, Deo per omnia dignissimus Martinus, vir Apostolicus generosa traductus propagine, Tudertina * civitate oriundus fuit. Qui cum in annis puerilibus a parentibus acutissimi ingenii magistris ad instituendum fuisset delegatus utpote bonae spei jam et indolis, ita coepit, magistrante sibi Spiritu Sancto, acumina litterarum archivo mentis palati ** recondere, et in omnem intelligentiam proficere, ut jamtunc non immerito Davidicum illud canere posset Domino : *Super omnes*, inquiens, *docentes me intellexi;* et rursum : *Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, Domine* (*Ps.* 118). Praeparavit namque Dominus Ecclesiae suae non ignavum Evangelici frumenti dispensatorem futurum, qui ut scriba doctissimus in regno coelorum, quod est Ecclesia, proferre sciret de thesauro suo nova et vetera. Omnia vero jam ephebus sophiae molimina voti compos scite enodavit, et, ut puta *** divini bellator belli, sese in propatulo contra omnes veritatis inimicos dedit, scuto fidei undique munitus, galeâ salutis protectus, et gladio Spiritus Sancti, quod est verbum Dei, armatus, imperterritus extitit et invictus. Fuit vero formosus facie, sed formosior castimoniae sanctitate, nec aliquo modo poterat tanti juvenis aetatula facile deflecti ad proclivia peccandi, cujus tota intentio, sine aliqua impeditionis morula, aut discendi semper extitit, aut docendi.

§ 2. Cumque jam novum vas electionis Domini, atque armarium Spiritus Sancti mundissimum, beati Martini pectus fuisset effectum, et omnium mundanarum divinarumque litterarum subtilitates prudentiae scalpello ad liquidum penetraret, et Dialecticorum strophas enodare sine rubore addisceret, sapienti satis consilio studuit non hominibus, sed soli placere omnipotenti Deo. Quoniam autem vir Domini ad cumulum perfectionis philosophiae evasit, ipsius diffiniens philosophiae perfectionem, oportere Rhètorem peritum esse loquendi, bonum, pium, justum, benivolum, ac bene moratum; convertit namque magno pietatis nisu magnificentiam a Deo sibi datae sapientiae, ad impletionem omnis justitiae. Et quia in Physica operam dedit, scire intelligere, falsa a

* Ital. *Todi*, in Umbria ad Tiberim. ** Forte est legendum *paulatim*.
*** Forte *utpote*.

veris discernere; per Ethicam conatus est mores componere: illos ita studuit propagare atque pronunciare. Decisa namque caesarie, honorem clericatus devotus accepit, atque ad Ecclesiasticos gradus conscendit dignissimus. Postea totus in Deo suspensus, de animae suae salute semper erat sollicitus, et ita servus vixit in seculo, ut dum genuina substantia opulentus videretur, jam quasi nihil habens, et omnia possidens, pauper cum monachis, spiritu dives erat Christo. Totus crucifixus erat mundo, quandoquidem illi mundus erat crucifixus. Vivere quippe illi Christus erat, et mori lucrum: desiderium namque multoties habuit cum Apostolo dissolvi, et esse cum Christo; quippe qui martyrii palmam, si temporis occasio non esset impedimento, ardentissimo jam tunc sitiebat pro veritate desiderio. Sed omnipotens Deus desiderium illius distulit, atque ovibus suis talem arietem necessario reservavit, donec per pastoralem curam perveniret ad martyrii coronam. Sed jam ratio ordinis examussim expetit, ut qualiter ad universalem et Apostolicam Romanae Ecclesiae sedem divina sit electione permotus, qualive modo pro assertione veritatis improborum insidiis de propria sede fuerit impulsus, atque exsiliatus, Deo opitulante, qualicumque stylo elucubrare debeamus.

§ 3. Beatae recordationis Papa Theodoro * vitâ excedente, viamque universae carnis ingrediente, sancta et Apostolica mater Ecclesiarum Dei Romana Ecclesia, a proprio pastore viduata, atque lamentabiliter destituta, ne ovile Domini diutius et plus aequo provisore careret, Archidiaconus, collecto in unum clero, omnique simul coetu Romano, disquirere coepit communi omnium consilio, qualiter sanctae Ecclesiae consulerent, et dignum domui Christi patremfamilias praeponerent. Ad quod peragendum ex praecedentium consuetudine patrum a Deo monuit esse quaerendum; simulque indicto jejunio triduano, omnes unanimiter rerum inventorem obnixe supplicant, quatenus orbitatem Ecclesiae suae cita dignaretur consolatione lenire. Quo pacto omnes a minimo usque ad maximum divino instinctu attacti, B. Martinum Theosophum, ac Tudertinae civitatis philosophum dignissimis extollunt sanctitatis atque sapientiae laudibus usque in coelum, solumque ipsum in toto orbe Romano tanto praesulatu dignum, nimiumque idoneum existere altisona voce proclamant. Cumque omnes pari voto parique consensu Christi tyronem Martinum eligerent ** directâ Imperatori *** epistolâ, electionem Pontificis annuntiant. Qui divinitati grates retulit, moxque praescriptum beatum Martinum ordinari praecepit; laetus itaque et gratulabundus totus senatus una cum clericis ac presbyteris simulque omni populositate Romana, tantum talemque Pastorem suscepit, et honore praemagnifico in sede Apostolica sublimavit.

* Hujus nominis primus, qui ex hac vita discesserat anno 649. ** Anno 649.
*** Scilicet Constans II, qui fato concessit anno 668.

§ 4. Nimium felix domina mundi aurea Roma, quae sicut omnes praecellis urbes dignitate moeniorum, numerositate sapientium, ita etiam praedita haberis speciali probitate praesulum. Induit quidem Pontifex favorabilis, secundum Prophetam pallium laudis pro spiritu moeroris. Ordinatus autem secundum electionem Domini, et confirmatus in sede Apostolica, secundum Psalmistam emisit coruscationem Domini juxta hoc quod abyssus abyssum invocat, et dissipavit omnes malorum inventores. Non enim ignoravit cum Paulo Apostolo versutias multiformes antiqui praedonis, qui dormientibus hominibus superseminare solet manu inimica in agrum Dominicum zizania: sicut nardus dedit odorem suum, et factus est quibusdam odor vitae in vitam, quibusdam odor mortis in mortem: in his qui salvandi erant, et in his qui perituri. Videres namque novum Silvestrum in Martino: quippe qui omnium virtutum illius imitator extitit gloriosus. Largus quippe pauperibus erat, et opes Ecclesiae, quas illi Deus largitus est, per manus egentium quotidie transmisit in coelum. Monachos religiosos amavit, hospites et peregrinos collegit, et juxta mandatum Domini, pedes eorum geniculatim acclinus lavit. Crebro videlicet in orationibus, laudibusque divinis pernox permansit, diem sibi consecrans jejunio, noctem vero vigiliis sacris. Moestos et peccata sua lugentes, salubri temperantia studuit per satisfactionem ad innocentiam reformare: promittens eis ex abundantia supernae clementiae spem consolationis et reparationis, faciens semetipsum infirmum infirmis, ut infirmos lucrifaceret. Clericos ac presbyteros ut fratres diligebat, Episcopos orthodoxos atque Ecclesiarum Praelatos, cum caput esset omnium, sibi quasi dominos praeferebat. Bonos ac bene moratos laicos honorificavit, improbos vero ac dyscolos discreta correptione, ut se corrigerent, admonuit. Ecclesias vero quae partim vetustate temporis, partim negligentia praedecessorum offuscatae ac rimosae videbantur, maxima curavit sollicitudine restaurari. Hilari semper vultu menteque tranquilla existens, indefatigatis humeris Apostolici ordinis caelibatum ferens, et ut familiae Domini oeconomus moderatissimus, mensuram tritici certo in tempore pro uniuscujusque capacitate largiter omnibus noverat erogare. Omnes quos discordantes invenit, ad concordiam revocare magna celeritate studuit. Quid plura? omnium quidem artifex virtutum, nulli se passus est post Apostolos inferiorem existere patrum. Et si volumus cunctas ejus virtutes calamo retexere, ut verum fateamur, dies antequam verba cessabit. Sed hoc tantillum de innumeris ejus virtutibus praelibasse, hactenus sufficiat. In sequentibus vero quae et quanta pro veritate, quae Christus est, perpessus sit, praesentis vitae incommoda, ac persecutionis vastissimae pericula, Domino auctorante non piget caraxare *.

* Idest *oculis subjicere, tamquam in depicta tabella.*

§ 5. Inter haec vero dum beatissimus Pontifex atque auriga Domini Martinus universalem Ecclesiae puppim Christo gubernatore per mundanum pelagus tranquilla navigatione regeret, extemplo in Charybdis mortali voragine, per sentinam quasi irrepserunt crudelissimi piratae, qui naufragium universae navi minabantur. Sed peritissimi nautae vigilantia eorum nefanda molimina (Deo gratias) adnihilabantur. Sed ut planius atque plenius cunctis clarescat fidelibus: tempore illo eruperunt antichristi, haeretici videlicet, atque schismatici, quasi lupi voracissimi, qui ovile Domini insidiando obambulantes, dente minaci morsum mortiferum paraverunt ovibus Christi. Sed pastor vigilantissimus Martinus, non solum oves commissas ab eorum dentibus illaesas eripuit, verum etiam irrevocabili fuga de area Dominica eosdem lupos verae fidei cornu ventilavit, confusosque perpetualiter eliminando pepulit. Et ipsi quidem lupi, id est haeretici, olim ovibus Christi admixti, sub ovina pelle lupinum pectus occultaverunt, donec pastores ovium ipsi constituti sunt miseri, et per occasionem pastoralitatis comprehendere incautos tendiculis aeternae perditionis.

§ 6. Fuerunt namque ex eorum numero de quibus beatus Joannes Theologus in epistola sua dicit: *Exierunt a nobis, sed non erant ex nobis: si ex nobis essent, permansissent utique nobiscum* (1. *Jo.* II). Horum autem signifer et praevius quidam extitit Paulus Constantinopolitanae urbis Episcopus, qui antiqui serpentis sibilo illectus, atque superbiae spiritu inflatus, adversus recta sanctae Ecclesiae dogmata, audacter praesumpsit paternis diffinitionibus contraire. Insuper studuit ad cooperimentum proprii erroris quibusdam subreptionibus, ut dementissimo principi suaderet typum *, hoc est morbum inventae haereseos publicare, quo Catholicum dogma destrueret. In quo typo omnes omnino voces sanctorum patrum nefandissimorum haereticorum dictionibus enervavit, nec unam, nec duas voluntates aut operationes in Christo Domino nostro diffiniens, confiteri. Qua de re hujusmodi pravitatem defendens, quod nunquam nec a prioribus haereticis praesumptum est, ipse illicite praesumere studuit: in tantum ut altare sanctae Romanae Ecclesiae, quod erat in domo Placidiae sacratum, in venerabili oratorio subvertens diripuerit: prohibens ne adorandam et immaculatam hostiam apocrisarii Apostolici Pontificis ibidem Deo offerre valerent, nec communionis sacramenta perciperent. Qui videlicet apocrisarii **, quia ex praeceptione

* Typus scilicet, vel formula seu ratio credendi, quam imperator Constans II, haeretica labe infectus, anno 648, edidit, jubens ut omnes sui imperii Christifideles eam reciperent tenerentque, atque in dissidentes acerbissimas decernens poenas.

** Apocrisarius, ut omnes norunt, e graeco vocabulo, idem est ac *Responsalis*. Apocrisariorum munus et officium idem erat quod nunc Nuncii exercent, verum illi amplioribus praerogativis fruebantur. Inter caeteros apocrisarios is, qui Constantinopoli morabatur, eminebat. Sed, anno circiter 743, tempore videlicet Iconoclastarum haeresis, hoc munus illa in urbe penitus cessavit. Videsis Thomassin, *Vetus et nova disciplina*, etc.

Apostolicae auctoritatis commonuerunt eum, ut de tali haeretica intentione recederet, necnon et contestari nisi sunt, persecutionibus diversis cum aliis orthodoxis viris, et venerabilibus sacerdotibus insequutus est eos, quosdam eorum custodiae retrudens, alios in exsilium deportans, alios autem verberibus submittens.

§ 7. Cumque idem vir diabolicus una cum aliis commanipularibus suis pene totum mundum conturbaret, ex diversis locis querelas contra eos ad Apostolicam sedem plurimi orthodoxi detulisse monstrantur, conjurantes ut totius mali, tantaeque eversionis commentum per Apostolicam auctoritatem abscinderetur, quatenus minime catholicae Ecclesiae integritatem, nocibilis eorum haereseos languor dirumperet valeret. Tunc Martinus sanctissimus ac beatissimus Episcopus misit, et congregavit Episcopos in urbe Roma numero centum et v, et fecit Synodum secundum instituta patrum orthodoxorum in ecclesia Salvatoris, juxta episcopium Lateranense: residentibus Episcopis, Presbyteris, adstantibus Diaconibus et Clero universo: et condemnaverunt Cyrum Alexandrinum, Sergium, Pyrrhum, et Paulum patriarcham Constantinopolitanum, qui novitates contra immaculatam fidem praesumpserunt innectere. Quippe quoniam ipsam excludere properantes, haereticorum dogmatum contra catholicam Dei Ecclesiam confusionem concinnaverunt, Spiritus Sancti judicio anathematis ultione perculsi sunt. Quam Synodum usque hodie archivum continet sanctae Romanae Ecclesiae. Et faciens exemplaria, per omnes Ecclesias Orientis et Occidentis direxit, et per manus orthodoxorum fidelium disseminavit.

§ 8. In ipsis diebus direxit Imperator in Italiam Olympium cubicularium * exarchum ad regendam omnem Italiam, et praecepit ei, dicens: « Oportet gloriam tuam, ut sicut nobis suggessit Paulus Patriarcha hujus a Deo conservandae urbis negotia peragere; et si quidem inveneris ipsam provinciam non consentientem in typo a nobis exposito, tene omnes qui ibi sunt Episcopos haereticos, sive habitatores, vel possessores, sive etiam peregrinos, et compelle, ut in eundem typum subscribant, et pro veritate fideliter teneant ac defendant. Si autem, quemadmodum nobis suggessit Plato, gloriosus patricius Euparaxius, poteris suadere, exercitu ibidem consistente, jubemus teneri Martinum, qui hic erat apocrisarius in regia urbe, et postmodum per omnes Ecclesias relegere eum quod factus est a nobis orthodoxus typus, ut omnes Episcopi Italiae in ipso subscribant, et consentiant. Si autem inveneris contrarium in tali causa exercitum, tacitum habeto donec obtineas provinciam, et possis exercitum aggregare, tam Romanae civitatis quam Ravennatis, ut ea quae tibi jussa

* Cubicularius, italice *ciambellano*. Exarcha porro idem sonat ac praeses vel gubernator provinciae.

sunt quantocyus valeas explere. » Qui praedictus Olympius Romam veniens, invenit sanctam Romanam Ecclesiam coadunatam cum omnibus Episcopis Italiae, sacerdotibus vel Clero: et volens adimplere ea quae sibi jussa sunt, armans se cum exercitu virtute voluit schisma sanctae Ecclesiae intromittere: hoc autem per plurimum tempus actum est, et non illum omnipotens Deus permisit ea quae nitebatur perficere. Videns ergo se a sancta Dei Ecclesia Catholica et Apostolica superatum, necesse habuit de sua mala intentione declinare. Sed quod non potuit per manum armatam facere, subreptitio modo per Missarum solemnia in ecclesia sanctae Dei Genitricis semperque virginis Mariae ad Praesepe, dum ei sanctissimus Papa Martinus communionem porrigeret, eum interimere voluit: praecipiens spathario suo, ut sibi clanculo hora illa spatham in manibus daret, quo tantum nefas ocyus impleret. Sed Deus omnipotens, qui solitus est servos suos orthodoxos circumtegere, et ab omni malo eripere, ipse excaecavit spatharium Olympii exarchi, et non est permissus videre Pontificem Apostolicum, quando exarcho communionem porrexit, vel pacem dedit, ne tanti praesulis effunderetur sanguis innoxius, et Catholica Dei Ecclesia nefandae haeresi subjugaretur, quod postmodum praedictus armiger multis jurejurando professus est. O praeclara Dei pietas! o divinae bonitatis infinitas! Quisnam apud semetipsum constitutus, non videat quomodo pius Dominus ac Redemptor noster Jesus Christus ovibus suis pastorem necessarium in medio luporum constitutum reservavit illaesum, ne pastore perempto, oves facile, nullo obstante, luporum laniatu periclitarentur? Nam et hoc magnum verae fidei praestat adjumentum, quod sine dubio ab omnibus creditur perfectis fidelibus: quia in illo nostrae redemptionis mysterio, ad vocem sacerdotis coeli aperiuntur, et ipse sacerdos Angelicis circumstipatur ministris, quando agnus Dei Christus, qui semel pro peccatis nostris in cruce mortuus est, qui resurgens a mortuis jam non moritur, et mors illi ultra non dominabitur, iterum per mysterium patitur, ut panem Angelorum manducare possit homo, et non remaneat homo. Et hoc est mirum et admirabile cunctis seculis sacramentum, quomodo Agnus Dei, qui est in dextera Patris, quotidie in sacrosancta altaris mensa crucifigitur, moritur, a fidelibus comeditur, et cum per mysterium in esu fidelium consumitur, vivus et integer manet. Sed quia secundum Psalmistam, omnia opera Domini in fide, et justus non nisi ex fide vivit, qui non potest tantae profunditatis sacramentum intelligendo penetrare, sufficiat illi veraciter credere. Nam beatus Christi Pontifex Martinus in illo coelesti mysterio constitutus, quid mirum si inimici fraus adversus illum non praevaluit: quando non solum Angelica erat militia septus, verumetiam ipsum Angelorum Dominum portabat in manibus? certe ipsum, et non alium, quam quem Simeon senex

ifantem portavit in ulnis, beatus Martinus tunc crucifixum portabat in manibus: et quomodo Angelorum vita praesente, mortemque pro fidelibus patiente, vir angelicus mortis potuit dispendium subire? Sed quia de sacramento Dominico tantisper per excessum diximus, ad coepta redeamus.

§ 9. Videns ergo Olympius exarchus, quia manus Domini tenebat Martinum sanctissimum Papam, necesse habuit se cum illo concordare, et omnia quae ei visa fuerant, eidem sanctissimo viro indicare. Qui, facta pace cum sancta Dei Ecclesia, colligens exercitum profectus est in Siciliam adversus gentem Sarracenorum, qui ibi habitabant: et peccato faciente, major interitus in exercitu Romano provenit, et post hoc idem exarchus morbo interiit, atque vivendi finem fecit. Audiens ergo Imperator, quia sancta Romana Ecclesia nullo modo acquiesceret fidei orthodoxae contraria recipere, sed in pace unanimitatis ac verae fidei immobiliter perseveraret: denuo antiqui hostis invidiâ stimulatus, direxit Theodorum exarchum, qui et cognomento Caliopas, cum Theodoro Imperiali cubiculario, quatenus beatum Martinum magnificum Papam vi et potestate tenerent, et suae praesentiae offerrent. Cum venissent autem viri iniqui secundum Imperiale praeceptum in urbem Romam, dolo et fraude diabolica pleni, invenerunt Martinum in consistorio Lateranensi divinis vacantem laudibus. Egressus ergo vir beatissimus obviam illis, circumfusâ multitudine vallatus fidelium, in praesentia exarchi Theodori, presbyteri ac Clerici clara voce dixerunt: « Anathema sit quisquis dixerit, vel crediderit quia dominus noster Apostolicus Pontifex Martinus usque ad unum apicem fidem unquam mutasset, vel mutaturus sit. Et anathemati subjaceant, qui in orthodoxa fide usque ad mortem non permanserint. »

§ 10. His auditis, Caliopas coepit rationem reddere, aliam fidem non esse praeter quam Romanos constat tenere, neque aliter se credere. Sed hoc propter eos qui audiebant, non propter fidem dicebat. Beatus autem Pontifex Martinus de falsis calumniis, quae illi adversus veritatem objiciebantur, ita fidelibus orthodoxis constantissima assertione testificari juravit: « Opitulantibus orationibus vestris, ac omnium fidelium Christianorum, et vivens, et moriens salutis nostrae fidem defendam, quemadmodum beatus Paulus Apostolus docet: *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Phil.* I). De falsis accusationibus, quas noviter haeretici faciunt, abjicientes veritatem Christi Dei, qualem omnino poterunt hominibus veritatem loqui qui Dei veritati resistunt? Testor eum, qui judicaturus est mundum istum per ignem, qui et reddet unicuique secundum opus suum, ego aliquando ad Sarracenos nec litteras direxi, nec eum quem dicunt tomum qualiter credere debeant, aut pecuniam nunquam transmisi: exceptis dumtaxat quibusdam illic viventibus servis Dei causâ eleemosynae, minime

Sarracenis transmissam. Porro de Domina nostra gloriosa sem
perque virgine Maria, quae Dominum ac Deum nostrum Jesu
Christum peperit, quam omnes sancti et catholici patres Theo
con, id est Dei Genitricem, appellant, falso contra me, imo
contra suas ipsorum animas iniqui viri testificati sunt. Na
quisquis beatam super omnem creaturam, et naturam humana
absque eo qui nasci dignatus est ex ea, venerabilem, semperq
virginem Matrem Domini nostri non honorat atque adorat, an
thema sit, et in praesenti et in futuro. » Talibus pro benefic
ac fidei constantia sacer Christi Martinus de Apostolica sede e
pulsus est, sicut passer unicus ab aedificio raptus. Nec miru
quia Dominus noster de nequam temporibus illis in Evange
praedixit discipulis suis: *Erunt,* inquit, *in diebus illis tribulat
nes tales, quales non fuerunt ab origine mundi usque nunc:
nisi abbreviati fuissent dies illi, non posset sustinere omnis c*
(*Matth.* XXIV): hoc in paucis de Antichristo dicitur. Nam et sa
ctus Paulus secundum datam sibi gratiam Spiritus, pronunti
dies illos Timotheo discipulo suo dicens: *In novissimis diebus
scedent homines a fide, et a veritate auditum avertent* (*Timot.* I
Notum ergo sit omnium charitati fidelium, quia hoc modo
nerabilis Pontifex Martinus sublatus et eductus est a Roma
urbe. Omnia enim praescivit per multum temporis, quae con
illum meditabantur inimici veritatis, et cum omni Clero pri
tim mansit in ecclesia Salvatoris nostri Jesu Christi, quae c
gnominatur Constantiniana, quae prima in toto mundo constru
et stabilita est, a beatae memoriae Constantino Imperatore,
est juxta episcopium. Illic enim morabatur cum suis die i
Sabbati quando Caliopas, ut jam supra dictum est, cum Rave
nati exercitu et Theodoro cubiculario civitatem introivit. Misit a
tem in obviam ejus quosdam ex Clero, quibus in palatio suscepti
aestimavit et Papam cum illis adesse: cum autem quaesisset,
non invenisset, dixit primis Cleri: « Nos voluimus dominu
Apostolicum adorare, sed cras Dominica die obvii ei erimus,
salutabimus eum, quia hodie non sufficimus. » Porro Dominic
die, datis Missarum solemniis, in praedicta sancta Dei ecclesi
suspicatus est Exarchus turbam multam propter diem Domini
cam convenire, et ob hoc remandavit beato Martino, dicens
« Quia multum fatigati sumus ex itinere, et non possumus hodi
occurrere, cras enim omnimodis occurremus. »

§ **11**. Erat autem sanctus praesul tunc gravi infirmitate de
tentus, ab Octobrio scilicet mense usque ad tempus illud, id est
usque ad sextumdecimum Calendas Julii *. Ergo feria secund
diluculo misit chartularium ** suum et quosdam ex obsequio su
ad Papam, dicens: « Quia arma praeparasti, et armatos habe
intus, et multitudinem lapidum collegisti ad repugnandum, ide

* Anno 653. ** Idest qui *tabularium* vel *archivium* custodiebat.

in visum est nobis ad te venire, sed hoc necesse non habes, ne aliquid tale fieri permittas. » Cumque hoc in praesentia praefecti audire beatus Pontifex, necessarium magis non habuit taliter nuncios super hac re certos redderet, quam mitteret illos yraturos per totum episcopium, et si lapidem vel arma sensisent, ipsi testimonium perhiberent. Cum autem issent, et nihil invenissent, subintulit eis clam * Exarchus, quod nunquam aliquando aliter, sed semper per circumplectionem, et fallacem accusationem incederent adversum Pontificem, et infamis Olympii Exarchi adventum, cum armis potuisse eum repellere faterentur. Sanctus vero Domini agonotheta et Romanae urbis Archimandrita Martinus, ante altare ecclesiae lectulum habebat, in quo post vigilias repausare solebat: et cum debilia membra collocasset, nondum transactâ mediâ horâ, ecce (proh nefas!) exercitus irrumpens in ecclesiam loricati omnes, omnes tenentes lanceas et spathas suas, quin et arcus suos paratos una cum scutis suis, et facta sunt illic, quae nec dicenda sunt, quia honestas non sinit. Quemadmodum namque in hiemali tempore vento valido flante, folia ex arboribus concussa cadunt: ita percutiebant in pavimentum, et audiebatur sonitus, qui in eadem fiebat ecclesia, veluti tonitrus quidam horribilis, tam ex collisione armorum, quam ex multitudine candelarum ab eis confractarum. Quibus cum fastu introëuntibus, jussio a Caliopa porrecta est Presbyteris et Diaconibus, in qua tanti praesulis continebatur abjectio: et quia sibi sine lege Episcopatum subripuisset, nec dignus esset in Apostolicam sedem institui, sed omnimodis in regiam urbem transmitti, subrogato in locum ejus Episcopo: quod ** ut dum aliquando factum est, nec jure unquam fieri habet, quia in absentia Pontificis Archidiaconus et Archipresbyter, et Primicerius locum praesentant ipsius. Quod autem vir Domini armaverit manum ad resistendum secundum suspicionem falsorum hominum, quandiu signifer volvitur a sancta Romana Ecclesia ejus sanctitati testimonium perhibetur, potius illum velle decies mori, quam unius hominis sanguinem in terram videre effundi.

§ 12. Eadem itaque hora beatus Pontifex, quasi agnus innocens dedit semetipsum ad exhibendum Imperatori, et non resistendum. Porro acclamantibus illi quibusdam ex Clero, ne faceret hoc, nulli eorum aurem accommodavit, ne subito fierent homicidia, sed illis, qui eum ducebant, dixit: « Sinite mecum venire ex Clero qui necessarii mihi sunt, Episcopos videlicet, Presbyteros, et diaconos, et absolute qui mihi videntur. » Respondit Caliopas: « Quotquot voluerint venire cum bono veniant: nos cuique necessitatem non facimus. » Respondit beatus Martinus Episcopus: « Clerus in potestate mea est. » Exclamantes autem quidam de sacerdotibus, dixerunt: « Cum ipso vivimus, et cum

* Locus mendosus. ** Forte *nondum*.

improperiosa et amara plurima ingerentes contra eum: eos autem qui munuscula detulissent, injuriis et verberibus afficiebant, dicentes ad eos: « Quicumque vestrum diligit istum, inimicus est Reipublicae. » Nunquidnam ei hoc solum non valebat inferre dolorem incomparabilem, super infirmitatem quae illum valde deprimebat? Exinde igitur custodes, qui retinebant eum, praemittentes nuncium ab insula Naxon in Byzantium, adventum et captionem ejus nuntiaverunt, proferente adversus eum plurima mala, proclamantes illum haereticum, et rebellem, Deique adversarium, et subvertentem universam terram Romanorum.

§ **16**. Cumque tandem pervenisset beatus Martinus Byzantium septimodecimo die mensis Septembris *, in portu Euphemiae juxta Archadiam, non permittebant illi ministri recubare in grabato navis, a mane usque in horam decimam, eratque spectaculum omnibus et angelis et hominibus. Accedebant enim varii homines, quos propter ferales mores dixerim lupaces, et talia fecerunt contra sanctum Papam, qualia a Christianis dici non oportet. Videres namque miserabiliter sanctum virum ita dejectum, atque despectum, ut etiam ethnici multas illi blasphemias inferrent, nihil aliud quaerentes nisi ut auferrent animam ejus. Dehinc circa solis occasum venit quidam scriba nomine Sagoleba cum multis excubitoribus, et auferentes beatum virum de lembo, posuerunt in gestorio, duxeruntque in custodiam excubitorii, quae cognominatur Prandiaria, et fecit illum scriba includi sub multa custodia, praecipiens ut nullus penitus de civitate sciret quod in eodem esset excubitu. Mansit igitur idem Apostolicus sanctus in illa custodia nonaginta tres dies sine participatione alicujus sermonis. In ipsa vero nonagesima tertia die, quae est dies Parasceve, mane tulerunt illum de custodia, constituendum in cella sacellarii **, jubentes pridie convenire omnem senatum, quod et factum est. Jusserunt autem illum introduci, et introduxerunt eum in sella portatoria, erat enim penitus aeger, praecipue autem illis diebus prae navigatione, et afflictione custodiae per tot dies effectae. Intendens autem in eum primus, qui praesidebat sacellarius cum reliquis principibus a longe, jussit eum surgere a ferculo *** et adstare. Agentibus quibusdam ministrorum non valere eum stare, turbatus prae multa ira sacellarius exclamavit, et quidam de custodia cum illo, surgere eum debere et adstare sensurae **** subnixum. Vir autem Domini surrexit, et stetit in medio. Sacellarius autem inquit ad eum: « Dic, miser, quid tibi mali fecerit Imperator, tulit a te aliquid, aut oppressit te ibi? » Ille autem tacebat. Tunc ait ad eum sacellarius: « Imperatoriae voci non respondes? ecce nunc ingredientur accusatores tui. » Et

* Anno 654.
** Sacellarius idem erat ac thesauri custos.
*** Quae est sella gestatoria.
**** Vocabulum corruptum. Forte *censurae*, videlicet examini vel judicio.

continuo introducti sunt multi accusatorum contra eum: omnes autem erant mendacii filii et discipuli eorum, qui Dominum nostrum Jesum Christum negaverunt. Contradicebant vero sancto viro quemadmodum praemoniti fuerant: erant enim voces eorum praemeditatae et praeparatae. Quibusdam vero interrogatis de sancto viro, profitebantur de illo se nihil mali scire: et continuo turbati qui praetendebant certamen *, incipiebant validis minis increpare eos, donec suaderent eis proferre quae erant convenientia in mortem beati viri et justi Martini.

§ 17. Contemplatus ergo sanctus Papa introëuntes testificari, subridens, dixit: « Isti sunt testes? » Erant enim primi ingredientes nomine quidem melliti, lupaces autem et bestiales sententia, et quidam eorum qui erant Olympii, cum quibus erat et Andreas qui fuit ejus notarius. Erant autem inter accusatores infelices Imerites, et Therinus, et reliqui numero quasi viginti. Jurabant autem super textum sancti Evangelii, et sic testificabantur. Erat autem primicerius Dorotheus nomine patricius Siciliae inter illos, qui jurans dixit: « Si quinquaginta capita haberet homo iste, non oporteret illum vivere, eo quod solus subvertit et perdidit universum Occidentem et delevit. Et re vera unius consilii cum Olympio fuit, et inimicus et homicida Imperatoris et Romanae urbanitatis. » Videns ergo justus vir introëuntes eos, et jurantes sine parcitate testificatores, compassus perditioni animarum eorum, ait ad eos qui praesidebant principes: « Obsecro vos per Dominum, nolite praeparare eos jurare, sed absque sacramento dicant quaecumque volunt: vosque facite quaecumque vultis. Et quid opus est etiam jurando perdere illos animas suas? » Ingresso equidem uno testium et dicente, quoniam conjurationes fecit cum Olympio, et milites praeparavit ut juvarent: interrogatus Deo pretiosus vir, si haec ita se haberent, respondit: « Si vultis audire veritatem, dico vobis sequentia; » et coepit dicere: « Quando factus est typus et directus est Romam ab Imperatore. » Et hoc tantum dicente beato Episcopo, aliud quid non concessum est illi loqui: sed continuo ante omnes incipiens Troilus inquit: « Non inferas nobis hic de fide, de duello namque nunc scrutaris, quoniam et Romani, et nos Christiani sumus. » Et respondit illi verus Ecclesiae pastor Martinus: « Utinam, inquit, inveniatis me in illa die tremendi examinis, testem etiam in hoc. » Denuo inter accusantes ait ad eum praefectus Troilus: « Qualis homo es tu? Quoniam audiens et cernens talia contra Imperatorem nitentem effodiendum Olympium, non prohibuisti eum, sed consensisti ei? » Ad quem continuo respondit ipse beatus Apostolicus Papa: « Dic, Troile, quando, sicut scitis etiam vos et nos audivimus, Georgius, qui erat ex monachis urbis hujus, a magistratu missus ingressus est urbem a castris, et talia verba locutus est,

* Forte *examen*.

fecitque res tales, ubi eras tu, et qui sunt tecum, quoniam * non restitisti ei, sed e contra concionatus est vobis, et quos voluit, palatii exsulavit? Iterumque sub Valentino cum praecepto Imperatoris indutus est purpura, et consedit ei, quo eratis et vos? non eratis hic? Cur ergo tunc non prohibuistis eum, dicentes: Ne attingas res non opportunas tibi? nonne omnes e contra convenistis ei? quomodo habebam ego tali viro adversus stare, habenti praecipue brachium universae militiae Italicae, an potius ego illum feci Exarchum? Verumtamen obsecro vos per Dominum, quodcumque vultis et diffinietis in me fieri, citius explete. Novit enim Deus, maxima dona tribuitis, quacumque me clade jugulaveritis. »

§ **18**. Percontatus autem sacellarius quemdam de ministrantibus Sagolebae scribae, si sunt foris alii aliqui qui testificari debeant, respondit: « Sunt, domine, plurimi alii. » Deficientes autem hi qui praesidebant, sancto et venerabili viro adstante in conspectu eorum, et potissimum Spiritu Sancto eum confirmante, dixerunt sufficere testes. Erat quippe interpres eorum quae a sancto viro dicenda erant, vel dicebantur, verborum Innocentius consul **, filius Thomae qui erat ab Africa; et cum interpretaretur ea quae a beato viro dicebantur, non ferens sacellarius, videns ignita jacula Sancti Spiritus a Deo honorabili viro contra eos prolata, ait ad Innocentium cum furore: « Cur nobis interpretaris quae dicit? noli dicere quae dicit. » Surgens ergo continuo sacellarius cum plurimis qui consederant ei, ingressus est nunciare Imperatori quaeque ipse voluit. Eduxerunt autem sanctum Apostolicum virum de cella judicii, magis autem ex aula Caiphae, in gestatorio sedili sedentem, et statuerunt eum in medio atrii, quod erat ante cellam sacellarii et Imperialis stabuli, quo consueverat omnis populus convenire, et exspectare sacellarii ingressum. Circumdederunt eum excubitores, eratque omnibus spectaculum formidabile turbis. Post paululum ergo jusserunt inferri eum in solario dispositionis, ut esset ibi, quatenus prospiceret Imperator per cancellos reclinii sui ea quae futura erant fieri: erat itaque multitudo populorum usque ad hyppodromum conferta convenientium illuc.

§ **19**. Statuerunt ergo reverendissimum virum in medio solarii *** dispositionis in praesentia totius senatus subnixum hinc et inde. Facta est ergo constipatio subito non minima, et exiens ab Imperatore sacellarius, apertis janis triclinii, in solarium dividi populum jussit. Veniensque ad sanctum ac venerabilem virum Martinum Apostolicum, dixit ad eum: « Vide quomodo te Deus adduxit et tradidit in manus nostras: tu nitebaris contra

* Forte *quomodo*.

** *Consularis*, vel consul alicujus urbis, non vero imperii.

*** Vocabulum *Dispositio*, hisce temporibus, quosdam magistratus vel administrationes imperiales significabat. *Solarium dispositionis* videtur esse locus pro ipsis exercendis constitutus.

Imperatorem. Quid tibi spei erat? ecce dereliquisti dominum, et dereliquit te Deus.» Et continuo vocans sacellarius quemdam adstantium excubitorum tonsorem, praecepit, sine mora illi auferre psachmon * summi et Apostolici viri, atque praecipui pastoris omnium Christianorum, qui orthodoxam sanctorum Patrum et Synodorum confessionem, hoc est fidem, confirmavit, et novi erroris exortos auctores, videlicet novos haereticos, cum impiis dogmatibus eorum canonice et synodice anathematizavit. Cum ergo excubitor incidisset psachmon beati viri, et corrigiam compagiorum ejus, statim tradidit eum sacellarius praefecto urbis, dicens: « Tolle hunc, domine praefecte, et continuo membratim incide illum. » Cum his autem omnibus jussit adstantibus anathematizare eum: quod et fecerunt. Non responderunt autem hujuscemodi voci viginti virorum animae, sed omnes qui hoc videbant, et sciebant quia Deus est in coelo conspector eorum quae fiebant, submisso vultu cum magna moestitudine recedebant.

§ 10. Suscipientes ergo carnifices beatum Episcopum, exuerunt illum pallio sacerdotalis stolae et scindentes alas tunicae ejus quae erat interius a summo usque deorsum, circumposuerunt ferrea vincula in sanctam ejus cervicem, et per omne corpus traxerunt eum cum vi, et non concesserunt ei penitus alicubi residere et animam refocillare. Duxerunt autem illum a palatio, publicantes et dehonestantes per medium civitatis usque ad praetorium, et gladius coram eo. Erat autem viro beato dolor magnus et inenarrabilis: oppido enim erat fessus et infirmus prae tantis incommodis, futurus reddere animam a pressura nimiarum passionum, et tenuitate corporis. Attamen gaudens spe confortabatur in Domino, in quo habuit fiduciam aeternae consolationis et praemium tanti pro veritate laboris. Et quo magis afflictione et vi trahebatur, eo magis sereno obtuitu ductus, cum multa animi constantia justus cum uno solummodo indumento a summo discisso in duas partes, et sine cintorio incedebat vir tantus, fide et gratia Domini cinctus. Heu, proh dolor, cerneres virum Deo plenum tanto opprobrio subjectum, ut interiora ejus quodammodo nuda panderentur. Multifarie quidem contentiones populorum agebantur propter sanctum virum, alii gemebant, et moerore confecti lacrymabantur; alii autem ministrorum satanae gaudebant et subsannabant; et sicut scriptum est, transeuntes movebant capita sua, et dicebant: « Ubi est Deus ejus, et ubi fides ejus, et doctrina ipsius? » Cumque venisset sanctus Domini in praetorium dehonestatus, et a carnificibus vinculatus, projecerunt eum in ima carceris cum homicidis, et transacta quasi una hora tulerunt eum inde, et transposuerunt illum in custodia Diomedis in praetorio praefecti. Tantâ autem instantiâ et vi trahebant illum

* *Psachmon* vel potius *psachnion*, e graeco vocabulo Ψάχνιον, vestis erat summorum Pontificum et Patriarcharum propria. Ita Ducange.

vinculis nexum, ut dilaniarentur crura et poplites ejus, et sanguis pretiosus flueret per ascensum scalae ejusdem custodiae: erant enim gradus scopulosi et asperi valde, ac penitus in altum porrecti. Erat autem beatus Episcopus jam tunc morti proximus, suppliciis anima deficiente. Introducentes ergo quomodocumque in custodiam sanctum virum decidentem saepius et surgentem, posuerunt in scamno indutum ferro et catenis.

§ 21. Postquam enim traditus est praefecto a sacellario ut cruciaretur, continuo carnifices exuerunt eum vestimentis suis, graviter enim algoribus vexabatur: quia intolerabilis hiems erat. Imposuerunt autem ei gravissima pondera ferri, et nullus ei aderat de suis, excepto uno clerico adolescente. Qui còmmanens ei in custodia, et superstans lamentabatur magistrum, sicuti Petrus Dominum. Erat autem magister custodiae conjunctus beato Episcopo, quia sic erat mos, ut futurus pati per gladium convinciretur magistro custodiae illa nocte: erant autem ibi duae mulieres, mater et filia, devotae valde, praenominatae custodiae claves tenentes, quaeque adspicientes importabilem dolorem sanctissimi patris, qui inter tot poenarum genera quae aderant, ardore quatiebatur dirissimo; motae compassionibus, quaerebant aliquam misericordiam facere cum illo, et contegere eum volebant mater cum filia, sed non audebant propter vinctum et custodientem carnificem. Putabant enim actutum venturam censuram ut trucidaretur. Post quasdam vero horas quidam ex ordine militari vocabant ab imo magistrum vigiliae carceralis. Descendente eo, una mulierum ergastulorum illorum pietatis viscère ducta, accedens, amplectensque bellatorem Christi et Apostolicum patrem, portansque reclinavit eum in praediolo suo contegens utiliter et involvens. Mansit autem usque ad vesperum sine voce. Vespere autem facto, misit ad eum Gregorius praefectus eunuchus ex cubiculariis majorem domus suae cum paucis cibariis, et refecit eum, dicens: « Ne deficias in tribulationibus, confidimus in Deum, non morieris. » In quo magis aggravatus ille beatus ingemuit. Abstulerunt autem continuo ferrea vincula ab eo.

§ 22. Sequenti autem die abiens Imperator in patriarchium visendi gratia Paulum Patriarcham, proximus enim erat morti, narravitque ei quae consummata erant in sanctissimum Papam. Ingemiscens vero Paulus et conversus ad parietem, dixit: « Hei mihi, et hoc ad abundantiam judiciorum meorum actum est. » Percontatus ergo ab Imperatore quare hoc dixerit, respondit: « Nunquidnam, domine, non est miserabile talia pati Pontifices? » Tunc attentius adjuravit Imperatorem, sufficere ei in his quae passus est, et nihil amplius sustinere. Hoc autem beatus Papa Martinus, et quia non suscepit quod exspectavit, non gratum habuit tale promissum: sed penitus moestus effectus, festinabat enim implere bonum certamen, et pervenire ad eum quem desiderabat. Sed quid

morer? post dies octo, defuncto Paulo, dirigitur ab Imperatore ad magnanimum Papam Martinum, qui fuit in custodia Diomedis: legatus autem fuit Demosthenes rescriptor et collaborator sacellarii, et Libelthisius cum eo. Intrantes vero dixerunt ad eum: « Dominator noster eximius Imperator misit nos ad te, dicens: Ecce in quanta gloria existens, in qualem ordinem teipsum duxisti? Nemo tibi fecit hoc, sed tuipse tibimetipsi. » Ipse autem nullum aliud responsum dedit nisi solum hoc: « Gloria, gratiarum actio per omnia soli immortali Regi. » Dicit ad eum Demosthenes rescriptor: « Significabit tibi Imperator ista, dic nobis ea quae a Pyrrho hic et Romae subsequenter, gesta sunt. Pro qua causa abiit Romam, jussus, an proprio proposito? » Respondens sanctus Papa dixit: « Proprio proposito. » Ait Demosthenes: « Libellum illum quomodo fecit? compellente aliquo? » Respondit sanctus vir: « Nemine compellente, sed propria propositione. » Demosthenes inquit: « Veniente Pyrrho Romam, quomodo eum suscepit sanctus vir Theodorus praedecessor tuus? » Dixit aequanimus Papa: « Uti Episcopum decuit: et quomodo namque priusquam veniret Pyrrhus Romam manifeste scripsit beatus Theodorus ad Paulum, utpote ad eum qui supplantationem fecit, et alterius thronum invasit? deinde autem, veniente eodem Pyrrho Romam sponte sua ad vestigia beati Petri, quomodo non haberet eum suscipere praedecessor meus Papa Theodorus, utpote Episcopum? » Respondens Demosthenes dixit: « Vere veritas sic se habet. Unde autem sumebat ea quae ad usum sui corporis erant necessaria? » Dixit beatus Martinus: « Manifeste de Patriarchio Romano. » Ait concertator: « Qualis panis dabatur ei? » Respondit beatus Martinus: « Et vos nescitis Ecclesiam Romanam? dico enim quia quisquis venit illuc miserabilis homo hospitari, omnia ad usum praebentur ei, et nullum immunem suis donis sanctus Petrus repellit illuc venientium, sed panis mundissimus, et vina diversa dantur ei, non solum autem illi, sed et hominibus ejus. Si ergo in pauperibus ista fiunt, qui venit etiam honorabilis, sicut Episcopus, qualem sumptum habet suscipere? » Dicit ad eum Demosthenes: « Dicimus nos sicut et audivimus, quia Pyrrhus vi fecit libellum Romae, et quia lignea vincula sustinuit, et multa dolenda passus est, et in armario reclusus fuit. » Respondit sanctus Martinus, et dixit: « Nihil tale factum est: nam nisi quia formidine aliqui tenentur, et non possunt loqui veritatem, hic sunt Constantinopoli plurimi, qui tunc erant Romae, et sciunt quae ibi gesta sunt: ex quibus interim superest Plato patricius, qui tunc exarchus erat, quique direxit tunc homines suos ad Pyrrhum Romam: percontamini eum de his, si mentior. Verumtamen quid volumus plurima quaerere? ecce in manibus vestris retinetis me, quodcumque vultis in me consummate. Deo indulgente in vestra est potestate; utique si membratim inciditis carnes meas,

sicuti praefecto jussistis, cum me illi traderetis, non communico Ecclesiae Constantinopolitanae. Ecce hic sum, examinate me, et tentate et invenietis experimento gratiam Dei et fidelium servorum ejus. »

§ **23**. Interim Pyrrhus in medium venit, qui toties anathematizatus est, et nudatus honore divino. Stupefactus autem Demosthenes rescriptor, et admirans super constantia atque audacia beatissimi Papae Martini pro Christo velle voluntarie mori: quia ad hoc positus erat calix passionis, accepto libellario seriatim omnia quae a beato Papa dicta erant, scribentes, recesserunt. Fecit autem athleta Christi Martinus in eodem Diomedis ergastulo octoginta quinque dies, post primos nonaginta tres, hoc est, omnes simul centum septuaginta quinque. His transactis, venit Sagoleba scriba dicens ad beatum Episcopum: « Jussum est mihi auferre te hinc, et ducere in domum meam, et post duos dies dirigere te quo jusserit sacellarius. » Interrogavit autem beatus Martinus quo ducendus esset, et in quem locum, sed ille noluit ei dicere. Rogabat autem eum, ut sineretur in eadem custodia, quousque exsularetur, et ad horam auferretur de custodia: nec hoc concessum est ei. Circa occasum vero solis venerabilis Papa Martinus dixit his qui erant in ergastulo: « Accedite, fratres, valefaciamus, quia ecce nunc aderit, qui auferet me hinc. » Et haec dicente eo, biberunt singuli, charitatis causâ, calicem. Exsurgens vir venerandus cum multa constantia atque gratiarum actione dixit ad unum occurrentium dilectum sibi, qui erat ibi: « Veni, domine frater, da mihi pacem. » Erant quippe in illa hora praecordia fratris illius, ut existimo, sicut discipuli illius qui vidit Dominum in cruce pendentem. Cumque osculum praeberet sanctissimo Papae prae nimia charitatis abundantia copiosissime inter se lacrymas fuderunt. Omnes vero qui aderant lamentum terribile faciebant. Anxiatus in hoc vir Domini Martinus, sereno vultu flagitabat omnes ne hoc facerent; et impositis venerabilibus manibus suis super cervicem fratris illius, subridens, ait: « Bona sunt haec, domine frater: haec sunt opportuna, et te non oportet flere, sed magis gaudere super me. » Ad quem illico cum cordis contritione frater ille pius respondit: « Deus novit, famule Christi, laetor in gloria, quia dignatus est Christus Deus noster propter nomen suum sanctum. haec te omnia pati: sed lamentor omnium perditionem. » Salutantes ergo eum, omnes recesserunt: veniens autem continuo scriba, et auferens eum, intulit in domum suam. Dictum est ergo quia in Chersonam insulam * exsulatur.

§ **24**. Post paucos autem dies ipse sanctissimus et Apostolicus vir, transvectus est navigio clam in praefatam insulam **. Ibi

* Scilicet in Chersonesum Tauricam, quae nunc *Crimea* vocatur. Ibi, in vinculis custodiebantur sceleratiores pejoresque homines.

** Ad illam insulam appulit die 15 maji anni 655.

quippe sicut Joannes Apostolus in insula Pathmos, omni humano solatio destitutus, divinae contemplationis et angelicae visitationis consolatione, meruit crebro relevari. Jejuniis quippe et orationibus semper intentus, egit bonus Ecclesiae universalis pastor et fidelis dispensator et prudens, ut nec ovibus absens deesset, nec haereticis pateret victoria falsitatis. Curavit quippe pastor pius, qui animalia Domini veritatis pabulo saginare solitus erat, ne fame fidei attenuata, mortis aeternae dispendium subirent, et antiqui devoratoris fauces intrarent. Gaudebant quippe inimici veritatis, quasi jam mater Ecclesia tanto praesule exsulante finem habitura esset recte credendi. Sed cum vir beatissimus Martinus fide et devotione Jesu Christi Domini nostri stigmata in corpore suo gestaret, per dies plurimos impertaesus * prae nimia inopiae pressura, virium moerore jam totus tabesceret, et effoeti corporis flacciditatem spiritu agonizante, natura autem compellente praesentisceret, per Epithomum Romanae valefecit Ecclesiae, mandans fideliter et praesentis vitae valida quae pro statu et integritate ejus perpetiebatur, jam infortunia, et ut se a peste haeretica per omnia caveret apostasiae commenta.

§ **25**. Postquam autem vir Deo carus et coelicis amicus civibus jam omnium dolorum cumulamenta expertus est, id est confusionem expulsionis, scandalum falsitatis, squalliditatem, protractionem carceris, discissionem sacerdotalis infulationis, inediae acrimoniam, nuditatis contumeliam, improborum multicolorem blasphemiam, exsilii solitudinem, soliti honoris effugacissimam absentiam, et multa alia quae piget enarrare, percursoque jam viriliter agonis fidei stadio, totis ad coelum extensus conatibus puris luminibus compellare coepit Dominum, dicens: « Domine Jesu Christe, pastor fidelium aeterne, tu scis quae pro te, et propter fidem inenarrabilis nominis tui usque in horam hanc perpessus sum, ne permittas me amplius elongari abs te. Si autem me volueris carne exarcinari, et pervenire ad te, oves tuas, quas mihi ad providendum commisisti, de quibus admodum suspensus sum, cuinam commendo, tu Rex clementissime, qui tui pretiosi sanguinis aspersione de manibus inimici eas dignatus es emancipare, per gloriosa merita praecipui Apostoli tui Petri domini et magistri mei, ab omni semper diabolica incursione tui eas clypei munimine misericorditer defendere dignare. » Sicque pretiosus Christi confessor, martyrque probatissimus Martinus, umbone verae fidei circumdatus, in expugnabili lacerto, omnem antiqui peccatoris armaturam devicit: et ipse ut miles invictissimus aeterni Regis castris verae reportavit vexillum victoriae.

§ **26**. Et re vera bonum certamen certavit, gloriosissime cursum consummavit, fidem Deo devotus servavit, ad ultimum reddita est ei corona justitiae, quando de manu Domini bravium

* Idest, valde taedio affectus.

est assecutus felicitatis aeternae. Migravit autem beatissimus Papa Martinus, martyrque Christi praecelsus, de praesentis vitae angustiis ad Dominum, die sexta decima mensis Novembris *, fide et Spiritu Sancto plenus, et Angelorum manibus laetus deportatus est Abrahae sinibus. Positus est autem in tumulis sanctorum Chersonitarum ** civitatis extra murum quasi stadio uno, carus et dignus Deo, et pretiosissimis odoramentis sepultus est, angelicis canentibus choris, atque hunc hymnum alternantibus: *Beatus quem elegisti et assumpsisti, Domine* (*Ps.* 64). Est autem gloriosum ejus sepulcrum: ubi pro sanctitatis ejus magnitudine tumulatus est in monasterio perpetuae virginis Mariae Matris Domini nostri Jesu Christi, quod magnifico constat decore ornatum. Ibi quippe ejus inclyta merita ex tunc, et nunc, et quamdiu coelum volvetur, coelestium beneficiorum evidentissima declarant indicia. Quia ut verum fatear, omnia humanorum corporum incommoda ibi frequenter inveniunt optatae salutis certissima medicamenta. Aegri diversi infirmitatis pristinam adipiscuntur sospitatem, caeci illuminantur, paralytici agglutinantur, surdi auditum, muti se gaudent percipere loquelam, arreptitii et energumeni promerentur a maligno mansore liberari, nullusque miser invenitur, quem de suo mausoleo moestum redire patiatur. Cujus nos precibus gloriosis Christus Deus ac Dominus noster, qui eum elegit, assumpsit, et in perpetui paradisi deliciis cum coeligenis collocavit, corroboret nos in verae fidei soliditate, quam ille ad liquidum intellexit, constantissima assertione docuit, et pro qua ad mortem usque certavit, ut mereamur praemium consequi quod promisit: Qui cum Deo Patre et Spiritu Sancto vivit, et gloriatur Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

VITA S. DIDACI CONFESSORIS

EX BULLA SIXTI PP. V, ANNO MDLXXXVIII EDITA.

Hispanus — Obiit anno 1463.

PROOEMIUM. Rex regum ante omnia secula Christus Dominus, qui, propter perditi salutem hominis, formâ servi acceptâ, in plenitudine temporis factus est homo, Ecclesiam suam unice dilectam, suoque pretioso sanguine acquisitam, supra beatissimum

* Ejusdem anni 655. Verum de die S. Martini natali diversae sunt sententiae, variaeque lectiones et incertae reperiuntur, ait Baronius.

** Haec urbs, in qua S. Martinus animam suam Creatori reddidit, et Eupatoria olim vocabatur, nunc vero Kazlow dicitur. Sacra vero ejus ossa Constantinopolim primum, dein Romam translata sunt.

Apostolorum principem Petrum, cui petrae firmitatem dedit, in se Ipso summo angulari lapide a christianae fidei primordiis aedificavit, et usque ad seculi consummationem per omnes temporum aetates mirabiliter semper aedificat. Divinum vero admirabilis hujus aedificationis artificium, nec inflata mundi sapientia capit, nec terrena et carnalis prudentia ullo modo assequitur; diaboli autem astutia et superbia contremiscit. Nimirum quemadmodum ex pauperibus et contemptis plerumque hominibus, humili et obscuro loco natis, nullis artibus, nulla eloquentia instructis, nullo denique humanae potentiae praesidio communitis, tamquam ex abjectis et reprobatis lapidibus, tanta fiat moles, tam pulcra, tam ornata, tam fortis, tam stabilis, in tantam demum consurgat altitudinem, ut ipsae inferorum portae, ejus robur ac firmamentum perhorrescant. Sed viae Dei non sunt viae hominum, nec cogitationes ejus sicut cogitationes eorum. Itaque non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quae stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus. Sic omnipotens Deus per scandalum Crucis et per stultitiam praedicationis salvos fecit credentes, sic ab ipsis nascentis Ecclesiae initiis per sapientem Apostolorum infantiam et per fortissimam Martyrum infirmitatem, Graecorum sapientiam infatuavit, et gentium potentiam dejecit atque prostravit; sic denique per succedentes aetates brachio fortitudinis suae deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles sanctos suos.

§ 1. Hinc superiori seculo, et patrum nostrorum memoriae valde propinquo, ex humili familia Fratrum Minorum S. Patris Francisci humilem beatum Didacum, in Hispania natum, non doctrina praecellentem, sed quales primi illi nostri magistri et principes fuerunt, sine litteris humano studio comparatis, sed idiotam et in sancta Religionis professione laicum, delegit, in quo ostenderet abundantes divitias gratiae suae; cujus admirabili vitae sanctitate et exemplo multos ad viam salutis perduceret, et senescentem ac pene decrepitum mundum magis magisque coargueret, quia quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus.

§ 2. Itaque Pater misericordiarum, Deus, qui facit mirabilia magna solus, hunc servum suum parvulum et demissum coelestibus donis suis adeo ornavit, tantoque Spiritus Sancti igne incendit, manumque suam ad sanitates et signa et prodigia, beati Didaci meritis, cum in ejus vita, tum post mortem efficienda, tam mirifice extendit, ut is non solum apud suos in florentissimis Hispaniae regnis notus et clarus esset, sed apud exteros etiam ejus nomen magna cum gloria pervulgaretur. Justus enim et

misericors Dominus servos suos fideles, quos ante mundi consti-tutionem elegit et praedestinavit ad vitam, non solum in coel semper coronat, sed saepe etiam in terra, ubi fortiter et legitim certaverunt, multo gloriae splendore cumulat atque illustrat. Ni mirum, ut praeclaras illas suas promissiones persolvat: *Dabo vos*, inquit, *nominatos, et in gloriam et in laudem in cunctis po-pulis terrae;* ut se Ipse in Sanctis suis mirabilem demonstret, et potentiam suam signis et virtutibus declaret, ut propositis San-ctorum gloriosis laboribus et meritis, qui homines fuerunt nobis similes, circumdati infirmitate, segnitiem et tarditatem nostram in via virtutis excitet, et frigescentem charitatem accendat; ut hae-reticorum pravitatem coërceat, perversitatem confundat, dum a sacras eorum reliquias, divina virtute, aegroti curantur, daemo-nes pelluntur; ut mortuos qui in Domino sunt mortui, beat esse et multo felicius vivere omnes intelligant. Postremo ut ami Dei multo maxime honorentur, et qui sancti sunt apud Deum sancti etiam ab hominibus habeantur; ad quorum nos opem con-fugientes, eosque pie invocantes, eorum suffragiis adjuti, coele-stem misericordiam facilius impetremus. Merito igitur beatum Didacum laudamus, quem Deus multis et illustribus ostendit mi-raculis praedicandum; de cujus beati viri vita et rebus gestis purissimae fidei integritate, morum excellenti sanctitate, signo-rum admirabilitate, pauca quaedam libenter pro nostro pastora officio populo Dei proponimus, ut laudetur Deus in Sancto suo et fidelium devotio tamquam salutari quodam et perjucundo cibo nutriatur, omnesque Deo gratias agant, publico nostro et hujus sanctae Apostolicae Sedis testimonio, quae a Spiritu Sancto gu-bernatur et regitur, beati Didaci sanctitatem optimo jure decla-ratam esse et promulgatam.

§ 3. Natus est * beatus Didacus ** in Hispania, in Provincia Bethica, et in oppido, cui nomen est Sanctus Nicolaus de Portu, quod est in dioecesi Hispalensi ***. Et is quidem, ut foecundus ager coelestis gratiae imbre irrigatus, uberes fructus cito protulit. Nam adolescens ex medio Babylonis fugiens, hoc est, ex laqueis et periculis seculi, poenitentis habitu indutus, in propinquam solitariam ecclesiam, una cum pio quodam sacerdote spiritualis vitae duce et socio, secessit; ubi novus Christi miles in hujus fal-lacis mundi contemptione, et omnium humanarum rerum de-spicientia, in coelestium contemplatione, in corpore domando et spiritui subjiciendo se assidue exercens, magna cum suorum op-pidanorum aedificatione praeclarum tirocinium posuit. Post ali-quot vero annos, ut se arctioribus vinculis Christo adstringeret, et a mundi tempestatibus quam longissime discederet, et sub

* Probab. ante annum 1400.

** Hisp. Diego: quod nomen idem est ac Jacobus. Parentum autem hujus Sancti nomina, et S. Hilarii Pictaviensis et aliorum multorum, ignorantur.

*** Ital. *Siviglia*.

suavi obedientiae jugo, Deo securius et fructuosius serviret, in portum seraphicae S. Francisci Religionis confugit, eamque prope Cordubam in conventu de Arrixafa, ut vocant, quem Fratres Minores, qui nunc de Observantia nominantur, incolunt, verbis expressis est professus. Hic jam athleta Christi amplissimum virtutum stadium ingressus, tamquam obliviscens quae retro erant, et ad ea quae sunt priora se extendens, coepit omni contentione corporis et spiritus persequi, divinâ gratiâ suffragante, bravium supernae vocationis. Summâ curâ et diligentiâ in Regulae observatione versabatur, quam in omni vita sancte adeo inviolateque servavit, ut ipse in cunctis religiosis functionibus et officiis vivens quaedam et expressa regula esse videretur.

§ 4. In primis vero, quia sapientissimus architectus Spiritus Sanctus sublime regularis perfectionis aedificium in eo extruebat, altissimum humilitatis fundamentum jecit, et ut prudens ille aedificator in Evangelio laudatus, fodit in altum et aedificavit domum super petram: nihil sibi tribuens, nulli se anteponens, quo plura a Deo accipiebat, eo demissius se gerens. Itaque nullae tentationum procellae, nulli superbiae et inanis gloriae venti, nullae diaboli machinationes domum illam tam egregie fundatam movere aut labefactare potuerunt. Superiorum et praelatorum mandata et jussa tantâ obedientiâ tantaque alacritate exequebatur, ac si Deum in eis loquentem audivisset. Sanctam paupertatem Domini sui sponsam carissimam, quam diligentissime custodiebat, omnia arbitratus ut stercora, ut Christum lucrifaceret. Cumque Satanae astutias non ignoraret, sed optime intelligeret infensissimum humani generis adversarium, tamquam leonem rabidum et rugientem dies noctesque circuire, ut Christi oviculas dilaceret ac devoret, nunquam otio aut torpori se dabat, sed stabat succinctus lumbos suos in veritate, indutus loricam justitiae, galeâ salutis assumptâ, et scuto fidei arrepto in quo omnia posset ignita nequissimi hostis tela extinguere. Corpus igitur et carnem suam illecebram peccati labore, jejuniis fere continuis et flagellis castigabat et in servitutem redigebat, praecipue vero ad excelsam illam arcem confugiebat, qua nulla fortior, nulla munitior, hoc est ad sanctae orationis praesidium; cujus alis in coelum frequenter sublatus, terrenorum oblitus, suavissimo Dei colloquio fruebatur.

§ 5. In ea igitur schola divinitus eruditus vir, alioquin plane rudis et litterarum minime sciens, admirandum in modum de rebus divinis loquebatur, sensusque mirificos proferebat, ita ut viri eruditissimi, qui in sacrae theologiae studiis aetatem contriverant, summopere obstupescerent; illudque memoriae traditum est et gravi testimonio comprobatum, doctos et pios viros, cum abstrusas et perdifficiles quaestiones, ad res divinas animarumque salutem pertinentes, cum eo familiariter communicarent, id ab

homine litterarum experto cumulate didicisse, quod in celeberri-mis academiis a magnis doctoribus addiscere nequiverant. Ex praeterea orationis fructus erat uberrimus, quod jam in benedi-ctionibus dulcedinis praeventus, et calicem illum praeclarum, qui cor inebriat, delibans, ardentis charitatis igne erga Deum et pro-ximos toto pectore aestuabat; quare bonorum omnium auctorem Deum et beatissimam Dei Genitricem semper virginem humani generis advocatam, quam summa devotione semper coluit, non pro se solo, sed pro omnibus hominibus, et praesertim pro pec-catorum emendatione, continenter vehementissimeque orabat.

§ 6. Pauperes vero Jesu Christi tanto affectu diligebat, tanta-que erga eos misericordiâ commovebatur, ut omni studio, quantum ei licebat, eorum inopiam et calamitates sublevare sedulo procu-raret; quod si interdum praestare non posset, vim lacrymarum profundebat, eosque verbis amantissimis consolabatur. Aegrotos fratres omnibus charitatis officiis prosequebatur, assidere ad le-ctum, cibum ministrare, vigilare totas noctes, perferre omnes molestias tanta patientia, tanta humilitate, ut quorumdam puru-lentas plagas, non solum medicamentis curare, sed lingua quo-que eas lambere et abstergere non abhorreret; quo in genere eximia servi Dei charitas Romae aliquando in coenobio fratrum suorum, quod est ad Aram Coeli, insigniter eluxit. Nam anno quinquagesimo superioris seculi, cum piae memoriae Nicolaus Papa V, praedecessor noster, sacrum Jubilaeum de more celebra-ret. Romam venit beatus Didacus ut salutarem indulgentiam con-sequeretur, et beatorum Apostolorum sepulcra caeterorumque san-ctorum Martyrum illustres memorias religiose veneraretur; magna erat annonae inopia, gravibus et periculosis morbis Urbs labora-bat, cum B. Didacus aegrotis curandis, quorum ingens erat nu-merus, a Guardiano seu coenobii praefecto, qui jam ejus sancti-tatem degustaverat, est praepositus; cujus officii munus tam fide-liter feliciterque administravit, ut in publicis angustiis omnia apud pauperes Christi abundarent, omnesque in servo Dei et copiosum charitatis spiritum et singularem illius apud Deum gratiam agno-scerent. Nec sane mirandum est, virum Dei membris Christi fra-tribus suis, in quibus Christus ipse aegrotabat, tanto charitatis studio inservisse, tam impigre ministrasse, qui eo jam perfectio-nis progressus erat, ut charitatem illam, qua nemo majorem habet, Sponso animae suae praestare et persolvere concupisceret, et pro Christi nomine et confessione vitam et sanguinem profundere desideraret. Ea nimirum est perfecti amoris vis et natura, ut non facile conquiescat, sed majora semper et maxima appetat et mo-liatur, semperque actuosus et operosus sit. Itaque cum aliquando ad insulas Canarias * missus esset, ut Guardiani officio in illo Fra-trum Minorum conventu fungeretur, servus Christi, cui vivere

* S. Didacus ad insulam, quam *Forteventuram* nominant, missus fuit.

Christus erat, et mori lucrum, coepit martyrii desiderio vehementer flagrare. Erat in eo, non solum columbae simplicitas, sed et serpentis prudentia; quare multa cum vigilantia et regularis disciplinae observantia vir Dei in sua custodia excubabat in omni sanctitate et justitia, forma factus pusilli gregis sui, et fidelium insulanorum, quibus bonus odor Christi erat ad vitam, ita ut frequentes eum adirent, ex ejusque spiritualibus colloquiis miram caperent consolationem et voluptatem.

§ 7. Magnam vero exercendae charitatis sègetem in insulis illis nactus, simulque consequendi martyrii spe incitatus, multos ex Canariensibus infideles et impuris adhuc idolorum superstitionibus addictos, verbo, exemplo, orationibus ad Christi fidem perduxit, quo in munere, dum strenue versaretur, multa illi pericula in ea Canaria, quae magna appellatur, diaboli invidia conflavit, saepe in capitis et vitae discrimen venit, ut sese jam martyrii palma potiturum speraret; sed Deo aliter disponente, non martyrio animus et voluntas, sed voluntati martyrium defuit; et certe gloria non defuit, cum praeclare a beato martyre Cypriano scriptum sit, ad coronam Dei promerendam ipsius testimonium solum sufficere, qui judicaturus est, qui arcana rerum scrutatur, et cordis intuetur occulta. Ergo et purpuream de passione coronam aliquo modo accepit, et multas de bonis operibus candidas reportavit, reservatus a Deo ut multos Christo lucrifaceret *.

§ 8. Jam enim in universa Hispania clarissimum erat beati Didaci nomen, magnamque apud omnes et venerationem et admirationem habebat, et tamquam Angelum quemdam in terris agentem sic eum homines intuebantur; nihil illo lenius, nihil mansuetius, lac et mel sub lingua ejus, et cor ejus mundum et simplex christiana dulcedine redundabat; omnia in bonam partem accipere, de nemine male judicare, nullum adversus aliquem verbum acerbius immittere. Si quem vero contra legem Dei et regularem disciplinam peccantem animadverteret, zelo Dei incensus, libere objurgabat, nulla tamen in re gloriam suam, sed Dei honorem et fraternam utilitatem quaerebat. Signis etiam, et miraculis viventem servum suum illustravit Deus, ejusque excellentem fidem rebus mirabilibus afficiendis multipliciter patefecit. Elucebat in eo singularis gratia curationum, ita ut undique ad eum ejus rei causa quamplurimi confluerent; ille vero fide, quae per Dei dilectionem mirifica operatur, in Domino roboratus, cum digitum in lampadem, quae ante sacram Beatissimae Virginis imaginem collucebat, demisisset, ex ejus oleo aegrotos signo Crucis obsignatos perungebat, multorumque varios languores et morbos ejusdem Crucis virtute, in qua sola gloriabatur, mirabiliter sanabat. Accidit aliquando ut e coenobio, in quo erat, ad oppidum S. Lucae de Barameda proficisceretur, fratre uno comite; cumque,

* S. Didacus in Hispaniam reversus est anno 1444; ac anno 1450 Romam venit Jubilaei causâ.

nullis cibariis acceptis, jam sumendi cibi tempus advenisset, et ex itinere defessi essent, nec in proximo vico quidquam, quo ex aliena misericordia reficerentur, Deo ita disponente, reperire potuissent, ad comitem sereno vultu conversus beatus Didacus: *Eja*, inquit, *frater, in Domino confidamus, ipse nos pascet:* cum iter strenue prosequerentur, ecce in perampla planitie candidam mappam, inter herbas prope viam positam vident, propiusque accedentes album panem, pisces recenter coctos, et vini vasculum inveniunt; insistunt servi Dei, et in latissimo campo unde in omnes partes liber erat prospectus, omnia oculis perlustrantes circumspiciunt, si quis forte eo in loco prandium reliquisset; denique id quod erant rati, ad mensam sibi a Deo in deserto paratam veri Israëlitae accumbunt, ac cibo et potione siti fameque depulsa quod superfuit ibidem liquerunt, Deo Patri misericordiarum gratias agentes, qui servis suis in Eo sperantibus escam dederat in tempore opportuno. Quid, illud quod Hispali gestum est, quam magnae fidei est argumentum? Nam cum septennis puer, qui a matre vapulare solitus erat, in furno, in quem ejus iracundiam fugiens se abdiderat obdormisset, et furno ab ignara matre succenso, expergefactus clamaret, vir Dei exanimatam matrem, ejulatu omnia complentem, nec quo se verteret scientem, ad majorem ecclesiam ire ibique Matrem misericordiarum devote orare jussit: *Ipsa te*, inquit, *o mulier, adjuvabit;* cum illa, quasi Dei nuncium audivisset, pergeret, ipse ad furnum accedens puerum ex maximo periculo extractum paulo post ad idem templum adduxit, matrique suae salvum et incolumen reddidit. Ceterum, cum justus judex, Deus, athletam suum tot victoriis illustrem carne, mundo, diabolo per Dei gratiam devicto, corona justitiae, quae illi ab omni aeternitate reposita erat, coronare decrevisset, servumque multiplicatis talentis industrium, et in pauca fidelem supra multa constituere, et in gaudium vellet Domini sui introducere, beatus Didacus in senectute bona, plenus dierum et operum bonorum, in conventu Complutensi *, in quo annos complures est commoratus, in supremum morbum incidit, in quo incredibilis patientiae exemplum praebuit. Quadam autem nocte extra se raptus, sensu omni et vitali motu amisso, ita ut a medico et qui adstabant fratribus mortuus plane crederetur, tandem soluta ecstasi, ter aut quater haec verba locutus est: *O quales flores habet paradisus!* In profundae vero humilitatis statione, usque ad extremum vitae spiritum servanda, ita firmus manebat, ita nusquam de suo loco decedebat, ut cum fratres singuli ab eo peterent ut pro ipsis oraret, ipse contra se eorum orationibus vehementer commendabat, ut ipsis pro eo Deum orantibus, bonorum operum fructus, quem illi in sanctae Religionis observantia cumulaverant, sibi quoque a Deo communicaretur, atque ita misericordiam impetraret.

* Scilicet in *Alcalà de Henarez.*

§ **9**. Postremo, cum se jam moriturum intelligeret, comitis illius et adjutricis fidelissimae, quae illum in hujus vitae peregrinatione nunquam deseruerat, hoc est sanctae paupertatis, supremo vitae die non oblitus, sed in ejus intimo sinu, quam maxime fieri posset, spiritum emittere cupiens, convocatis fratribus, eos obnixe rogavit ut sibi vestem obsoletam et laceram, habitumque omnium vilissimum, in quo moreretur, concederent; quo impetrato, multis profusis lacrymis, ab his qui adstabant, offensionum atque erratorum veniam postulavit; quibus copiose collacrymantibus, ipse, cruce ligneâ, quam ad caput habebat, arreptâ, eamque amplexus et osculatus, utroque brachio in altum fortiter sublato (cum tamen alterum gravi apostemate tumens ac debilitatum antea movere non potuisset), oculisque in vitale signum defixis, verba illa ex sacro hymno, magno affectu magnoque pietatis spiritu pronuntiavit: *Dulce lignum, dulces clavos, dulcia ferens pondera, quae sola fuisti digna portare Regem coelorum et Dominum;* quae cum dixisset, in ipso salutiferae Crucis complexu, quam unice dilexerat, quam in corde et corpore semper gestaverat, in qua Christo confixus et mundo crucifixus fuerat, animam efflavit, et in Domino obdormivit pridie Idus Novembris, anno Domini MCDLXIII.

§ **10**. Ad ejus corpus (beati Didaci morte audita) magni undique concursus facti, illud devote omnes contingere, amictus particulas praescindere, capillos devotionis causa evellere, demum christiano ritu corpus honorifice humatum est. Hic jam statim Deus mortui servi sui, cui in vita cooperatus fuerat, eximiam sanctitatem signis sequentibus comprobavit. Nam corpus, quod jam quatriduo humi sepultum fuerat, iterum, non absque miraculi interventu, effossum, non solum integrum incorruptumque apparuit, sed cum per multos menses, ut pio studio satisfieret, et civium et aliorum, qui ex diversis partibus accurrebant, insepultum jacuisset, non computruit, nullum tetrum odorem emisit. Immo vero corpus illud, quod vivens Spiritus Sancti templum fuerat, odorem suavissimum afflabat, quo omnes mirifice recreabantur, qui quidem et in hodiernum usque diem ex ejus sepulcro suaviter et jucunde spirans, a plerisque saepe sentitur. Illud quoque in beati viri mortuo corpore mirum accessit, quod ejus membra et artus, vitali calore destituti, non obriguerunt, nec duri aut rigidi sunt effecti, ut cadaverum solent; sed molles erant et flexibiles quocumque verterentur. Quocirca laudanda est pietas et magnificentia clarae memoriae Henrici IV, Castellae regis, qui una cum filia periculose aegrotans, et beati Didaci precibus sanitate impetrata, nobile sacellum grati animi sui monumentum extruxit, ibique in arca ferreis laminis diligenter communita beati Didaci corpus decenter recondi jussit. Ad quod quidem sacellum, ut constat, non solum Complutenses cives, sed vicini et remotiores

populi, atque ex omni fere Hispania fideles tanta devotione confluunt, tam multi beati illius viri opem apud Deum implorant, tot ibi vigiliae fiunt, tot sacrificia in eodem ejus sacello celebrantur, tam multa et illustria dona voti reddendi gratia offeruntur, ut haec de beati Didaci sanctitate non exigui temporis tamquam rumoris aura, sed per annos centum viginti et amplius constans et perpetua fama et opinio, tantusque illorum fidelium, omnium generum, omnium ordinum consensus magni profecto et illustris testimonii loco habendus sit ad beati Didaci sanctimoniam comprobandam. Verumtamen multis quoque post obitum miraculis vir commemorabili sanctitate praeditus claruit. Nam in actis transmissis centum fere et triginta leguntur, Deo, qui glorificatur in concilio Sanctorum, signis et prodigiis testante servum suum non solum morum, sed etiam signorum virtute, nec operibus modo pietatis in vita, sed etiam miraculorum luce post mortem, clarum et venerabilem esse. Duron oppidum est in Hispania, in dioecesi Saguntina; ex eo Catharina Martini filia virgo annos duodecim nata, cum ante aliquot menses subita vi morbi surda et muta evasisset, brachiis item pedibusque paralysi dissolutis incedere nequiret, ad beati Didaci sacellum delata, cum ibi pervigilaret, ejus tacta manu et in crucis formam consignata, illico et aurium sensum et loquendi facultatem recepit, membrorumque usu restituto, totoque corpore confirmato, libera qua libuit, incessit, laudans et benedicens Deum. Adolescens quidem erat annorum fere viginti, Didacus de Lorca appellatus, filius Petri Gonzales viri nobilis, qui Deo permittente, ab immundo spiritu annos complures vexabatur miserandum in modum, ita ut saepius interdum in die arreptus et ad terram allisus horribiles corporis gestus ageret, et veluti mortuus relinqueretur. Hic se beato Didaco humiliter commendans, et in ejus sacello aliquandiu invigilans a miserabili vexatione omnino est liberatus. Cum Catharina Bartholomaei Sanchez uxor, expleto ad pariendum tempore, pàrere non posset, foetus enim in utero transversus alterum tantummodo pedem eduxerat, materque misera ab aurora ad vesperam in eo cruciatu permanens in summo vitae discrimine versaretur, et plane morti propinqua esset, socrus ejus Maria Garzia uxor Joannis Garziae incolae oppidi *de Ambroz*, beati viri in maximis angustiis recordata, ad ejus opem confugit: itaque frustum amictum beati Didaci, parumque pulveris e sepulcro supra parturientem nurum imposuit, quae subito mortuum foetum edidit, ipsa salva. Mansit autem mortua puellula aliquot horarum spatio, sed ejusdem avia Maria, jam semel beati viri opem in matre experta, eum pro neptis vita tanto fidentius orare non dubitavit; quod cum devote fecisset, alterum etiam beneficium impetravit, et puella, sacro baptismi fonte abluta, et geminae vitae munere a Deo donata.

diu postea supervixit. Illud autem quod in Maria *della Penmuela* Petri Hernandez Complutensis filia, Dei virtute, per merita beati Didaci, mirifice effectum est, notum et valde pervulgatum in Hispania, multique qui meminerint supersunt. Invaserat virginem horribilis et deformissima paralysis, tanta nervorum dissolutione et membrorum laxatione, brachiis cruribusque distortis, totoque corpore convulso, ut non jam mulier, sed monstrum esset, et medici se nihil unquam tale vidisse profiterentur. Accedebant febres vehementes et capitis dolores peracres et assidui, quibus misera gravissime afflictabatur. Eâ igitur ad beati Didaci corpus delatâ cum in ejus intercessione et Dei misericordia confideret, et suppliciter oraret, voti compos, ab omni illa membrorum distortione et depravatione, omnique corporis infirmitate est liberata, quae tanti accepti beneficii non ingrata, Deo virginitatem suam vovit, et sacrarum virginum collegio adjuncta, in monasterio S. Joannis, quod a Poenitentia nominatur, sancte et religiose vitam duxit. Sed quod in principe Carolo, carissimi in Christo filii nostri Philippi * Hispaniarum regis catholici primogenito filio, divinitus actum est, magnam apud omnes famae celebritatem habet. Aegrotabat Compluti adolescens princeps anno humanae salutis millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, qui cum e scalis decidisset, gravissimum ex eo casu et prolapsione in capite vulnus acceperat; omnia remedia, omnes curationes adhibitae, quae humana industria praestari poterant, ut in tanto principe par erat; sed cum nihil humanum proficeret, morbusque magis semper ingravesceret, jamque ejus gravitati natura succumberet, medici, principis salute prorsus desperata, certam imminentis mortis horam praefiniunt, idque regi patri, ne tam acerbo spectaculo interesset, denuntiant. Cum igitur omni humani adjumenti spes defecisset, ad divinum, quod unum reliquum erat, praesidium confugiunt. Itaque devotionis ardore succensi, a fratribus suis beati Didaci corpus decenter et religiose in principis cubiculum afferri curant, post annos fere centum integrum et incorruptum; quod cum princeps beati viri patrocinio se commendans devote tetigisset, eo inde amoto, vidit in somni quiete beatum Didacum ante lectum stantem et crucem arundineam manu gerentem, seque admonentem bono animo ut esset, et in Deo confideret, fore enim ut ex ea aegrotatione sanus fieret. Quare eo potissimum tempore quo medici principem moriturum praedixerant, non solum melius habere coepit, sed paulo post ex omni illo vitae discrimine, divinis ac supra naturam adjumentis, tam mirabiliter est ereptus, ut digitum Dei per merita beati Didaci ibi adfuisse omnes intelligerent. Sed praeter ceteros, princeps ipse et Philippus pater, incredibili laetitia tamquam

* Hujus nominis secundus.

redivivi filii affectus, id agnoscere, et Deum glorificando palam profiteri coepit.

§ 11. Itaque pius Rex cum carissimi et primogeniti filii vitam, summa Dei clementia, per merita et preces beati Didaci ferret acceptam, cuperetque quacumque ratione posset gratiam aliquam Deo in Sancto suo referre, anno insequenti, ad felicis recordationis Pium IV, praedecessorem nostrum, una cum principe filio et cuncta fere Hispania, litteras dedit, quibus ab eo suppliciter petebat ut, pro sua et sanctae hujus Apostolicae Sedis summa auctoritate, beatum Didacum, tam excellenti sanctitate virum, et tanta miraculorum claritate illustrem, in Sanctorum numerum referre vellet, atque ab universa Ecclesia pro Sancto venerandum esse statueret. Tam devotis iteratisque catholici Regis aliorumque postulationibus permotus, idem Pius praedecessor, de iis in consistorio suo secreto referri jussit, et quinque Cardinales, consilio et doctrina praestantes delegit, qui ejusmodi permagni momenti negotio praeessent; inter quos unus fuit Cardinalis Alexandrinus, cujus memoria in benedictione est, qui postea Pontifex factus, Pius ejus nominis V est appellatus. Res suo nomine agi coepta est sub Pio IV, litteris in Hispaniam transmissis, ad testes ex formula examinandos, acta querite conficienda. Cumque ipse Pius IV e vita migrasset, non destitit idem Philippus V et Gregorium XIII, itidem praedecessores nostros, sedulo instare; sed, Deo ita disponente, quamvis pleraque superioribus annis sint acta, res tamen ipsa perfici sub illis Pontificibus atque absolvi non potuit. Cum primum igitur humilitas nostra, non nostris meritis, sed divinae clementiae abundantia, in excelsa apostolicae sollicitudinis specula his difficillimis temporibus est constituta, statim idem Philippus rex, nulla ex parte restincto aut refrigerato fidei suae zelo, nobis per dilectum filium nobilem virum Henricum de Guzman comitem de Olivares, suum apud nos et Sedem Apostolicam oratorem, magnopere supplicandum curavit, ut posteaquam ea fere omnia, quae ad acta et processum beati Didaci pertinebant, ex hujus sanctae Sedis praescripto, confecta erant, nos quibus universalis Ecclesiae cura esset credita, et ad quos solos ejus rei judicium pertineret, tam pio, et tam ab ejus majestate totaque Hispania exoptato operi, quod est de eodem beato Didaco Sanctorum catalogo adscribendo, supremam manum imponere vellemus.

§ 12. Et nos quidem, Regis ipsius religiosum studium et perseverantem hac in re sedulitatem commendantes, cupiebamus ejus piae petitioni, quantum cum Domino liceret, satisfacere; tamen, pro nostro pastoralis muneris officio, statuebamus in re tam gravi nulla praepropera festinatione utendum, sed omnia ex ecclesiastica disciplina, ex majorum nostrorum saluberrimis institutis,

ex Apostolicae Sedis circumspectione, diligentissime agenda esse; itaque duobus antiquioribus causarum Palatii nostri auditoribus, doctrina et rerum usu praestantibus, ipsis fere primis pontificatus nostri diebus, mandavimus ut acta omnia totumque processum summa cum diligentia perlegerent et examinarent; quo illi in munere menses complures sedulo accurateque versati, copiosam relationem omnium suamque sententiam nobis scripto tradiderunt. Cum autem Cardinales omnes ab eodem Pio IV huic negotio olim praepositi, viam essent universae carnis ingressi, Nos primo anni superioris mense, in consistorio nostro secreto, alios in eorum locum suffecimus, pietate, prudentia, eruditione, fide nobis probatos, adhuc autem et numero plures prioribus, ut in gravi causa, prudenti multorum gravium virorum judicio adhibito, cuncta exquisitius discuterentur. Hi vero fuere more majorum, ex tribus Ordinibus delecti venerabiles fratres Episcopi Alexander Ostiensis Farnesius, Marcus Antonius Praenestinus Columna, et dilecti filii nostri frater Michaël Sanctae Mariae super Minervam Alexandrinus, Julius Antonius Sancti Bartholomaei in Insula S. Severinae, Antonius SS. Joannis et Pauli Carafa, frater Constantius S. Petri in Monte Aureo titulorum Presbyteri; Sarnanus, Ferdinandus S. Mariae in Via Lata de Medicis, et Hieronymus S. Mariae in Cosmedin diaconi Matthejus nuncupati, sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, quibus commisimus, ut pro rei gravitate, proque ea, quae Deo cordium scrutatori, et nobis quoque in ejusmodi publico munere obeunda a primariis Ecclesiae membris fidelitas et diligentia deberetur, acta de fidei integritate, vita, moribus et miraculis beati Didaci, et auditorum nostrorum relationem, quanta maxime fieri posset diligentia, inspicerent et expenderent, atque ad nos opportuno tempore referrent, ut, divina Spiritus Sancti gratia illustrante, de ipsorum et caeterorum Fratrum nostrorum consilio, quae Dei gloriae qui justitia et veritas est, consentanea forent, deliberare possemus. Multis igitur elapsis mensibus, cum interea Cardinales ipsi frequenter congregarentur, acta, processus, rerum gestarum seriem, testes, singula denique ad sacrorum canonum praescriptum, mature et accurate considerarent, examinarent atque inter se conferrent, viros etiam sacrae Theologiae et pontificii Juris scientia peritissimos in consilium adhiberent, cum jam omnia parata esse intelligeremus, secretum consistorium de mori revocari jussimus, in quo venerabilis frater noster Marcus Antonius Episcopus Cardinalis Praenestinus, suo et collegarum, qui ibidem assidebant, nomine, gravi et accommodata oratione de omnibus fideliter nobis retulit, quibus explicatis, ad extremum dixit, quandoquidem beati Didaci fidei integritas, egregiae virtutes, praeclara et insignia miracula optime essent comprobata, se et collegas suos unanimes in eam sententiam venisse, si ita nobis

videretur, ulterius nos progredi, et beatum illum virum in Sanctorum numero posse adscribere; quorum cum sententia etiam caeteri fratres nostri Cardinales, cum a singulis graves sententiae dictae essent, ad unum omnes consenserunt.

§ **13**. Quae cum audiremus, gaudens erat cor nostrum in Domino, quod beati servi sui gloriam quotidie magis patefaceret, omniaque, Ipso benedicente, tam feliciter procederent. Quare in tam sancto pioque opere nihil omnino necessariae diligentiae praetermittentes, ex more institutoque majorum, decrevimus ut ad ulteriora procederetur; ac diebus aliquot interpositis, publicum consistorium indiximus, in quo, praeter Cardinales, etiam Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi et praelati omnes ac familiares nostri de more interfuerunt. In eo vero dilectus filius Pompejus Arigonius, Romanae aulae nostrae consistorialis advocatus, disertam orationem habuit de vitae sanctitate, rebus gestis et miraculis beati Didaci; et denique catholici Regis totiusque Hispaniae nomine, ut eumdem beatum Didacum tantis meritis illustrem Sanctorum numero aggregaremus nobis humiliter supplicavit. Gaudemus etiam hoc loco in Domino, in cujus manu cor Regis est, et quocumque voluerit inclinat illud. Etenim plane videbamus non sine divino instinctu fieri quod catholicus Rex, cui multorum regnorum gravissima administratio a Deo est tradita, quique tot curarum onere premitur, tanto ardore in hoc beati Didaci negotio absolvendo versaretur, ut in magnis temporum difficultatibus, se suaque regna apud Deum novi patroni suffragiis et pie et prudenter communiret. Quare respondimus Philippo regi catholico, de beato Didaco, nostra et Apostolicae Sedis auctoritate, in Sanctis adscribendo, tam diuturnam et perseverantem postulationem dignam esse singulari ejus pietate, dignam perpetuo catholicae religionis propagandae studio, laetari nos et Deo gratias agere, quod beatos servos suos, quos in coelis coronat, a nostra quoque tenuitate in terra honorari velit, eosque nobis ad auxilium et exemplum proponat. Et nos quidem ad pium ejus desiderium explendum propensiores esse, facere tamen rei gravissimae magnitudinem, ut de regia petitione adhuc cum fratribus nostris Cardinalibus et Episcopis etiam atque etiam deliberandum censeremus; quare eosdem fratres hortati sumus ut omnia, quae ad hanc causam pertinerent, diligentissime considerarent, quodque nos ipsi jam pridem faciebamus, Deum magnopere orarent, ut corda nostra suo lumine collustraret, totamque hanc actionem ad sui gloriam et Ecclesiae utilitatem disponeret et dirigeret.

§ **14**. Haec cum essent acta, alterum item consistorium secretum indiximus, in eoque etiam Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos in Romana Curia praesentes, notarios quoque, qui ex numero dicuntur, et Rotae auditores interesse jussimus. Tum nos ipsi, de sacrosanctae hujus Apostolicae Sedis, in qua Dei

providentia sedemus, auctoritate et potestate, denique Spiritus Sancti singulari patrocinio atque infallibili assistentia a Deo in omnibus verbis suis fideli promissa, usque ad consummationem seculi perpetuo affutura, quibus gubernatur, ea diximus quae causae et temporis ratio potissimum requirere videbatur. Demum a Fratribus nostris petivimus ut quod alias statutum esset, ut ad ulteriora in hoc negotio procederetur, nunc praecise et expresse dicerent, an ex iis actis quae ipsi viderant et audiverant, beatus Didacus esset canonizandus. Igitur a S. R. E. Cardinalibus primum, deinde a Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis pie, graviter et erudite sententiis dictis, omnes unanimes id ipsum sentientes, dixerunt sibi videri, ex iis quae mature ipsi hac de re viderant et audiverant, beatum Didacum a nobis merito inter Sanctos esse adscribendum. Deo autem, qui in domo sua fratres in unum habitare facit, gratias agentes de tanta Fratrum nostrorum consensione, quodque ad servum et amicum suum, quantum nobis licet, honorandum corda nostra impelleret et illustraret, cum per ejus gratiam hucusque omnia rite atque ordine jam acta essent, quod reliquum erat, diem canonizationis praestituimus ad sextum nonas Julii, quo die memoria visitationis Beatae semper Virginis ad sanctam Elisabeth pie ab Ecclesia recolitur, ut ejusdem humani generis advocatae patrocinio, tandem pium hoc opus prospere et salutariter a nobis absolveretur. Fratres interea nostros hortati sumus ut, intermedio tempore, una nobiscum precibus, eleemosynis (quas nos et libenter et pie erogavimus, quemadmodum et Regis nomine ab ipsius oratore factum fuit), jejuniis, sacrificiis, Dei auxilium invocare non cessarent.

§ **15**. Is igitur festus Visitationis dies, id est hodiernus, cum advenisset, nos et fratres nostri Cardinales, Patriarchae, Archiepiscopi et Episcopi, sacris vestibus induti, inchoato per nos ipsos in nostra pontificia cappella hymno *Ave maris stella,* cantorumque choro prosequente, ut ipsa, quae Mater est gratiae, nobis praeiret et praeluceret, caeteris etiam Romanae Curiae praelatis et officialibus familiaribusque nostris, ac universo regulari et seculari clero, longo devotoque ordine progredientibus, omnes simul accensos cereos in manibus gestantes in ejus honorem, qui est lux vera, gloria et splendor Sanctorum, e palatio nostro Apostolico solemniter processimus ad antiquissimam et religiosissimam basilicam Principis Apostolorum, in cujus medio peramplum suggestum regio sumptu extructum erat, paratumque altare ad sacram pontificalem Missam celebrandam, totaque templi facies in communi Ecclesiae laetitia hilaris et pontificio apparatu decenter ornata, omniaque spiritualibus canticis personabant, fanalia et faces circumquaque ardebant, et vexilla appensa, in quibus beati viri imago expressa erat, qui corpore erecto depictus, dextera manu coronam Beatissimae Dei Genitricis, sinistra Crucem

invictissimam gerit et intuetur, cujus nimirum auxilio hostes teterrimos, carnem, mundum et diabolum superavit. Hic nos in maxima fidelis populi totiusque adstantis cleri frequentia, coelestis illius et triumphantis Jerusalem effigiem quamdam nobis ante oculos proponentes et quantum in hac lacrymarum valle licet, intuentes, conscensis gradibus, in suggestu ante altare oravimus. mox in sublimi apostolico throno considente, fratres nostros S. R. E. Cardinales et Episcopos omnes sacris vestibus ornatos et paratos, nobis obedientiam de more praestantes excepimus.

§ **16**. Tum dilectus filius noster Petrus tituli S. Hieronymi Illyricorum presbyter, Cardinalis Deza Hispanus, catholici Regis Philippi totiusque Hispaniae nomine, semel, iterum et tertio suppliciter et instantissime a nobis petiit ut beatum Didacum in Sanctorum numerum adscriberemus; nosque ad singulas ejus petitiones, Regis pietate et beati viri meritis collaudatis, semper tamen per distincta intervalla, nostras totiusque cleri et populi orationes, litanias et sacros hymnos interposuimus. Demum, cum jam nihil omnino ex his, quae a majoribus pie sancteque sunt hoc de genere instituta, esset praetermissum, immo potius matura deliberatione summaque diligentia abundantius adhibita, invocato sancto Creatore Spiritu, cujus consilio et sapientia sancta Ecclesia, columna et firmamentum veritatis, regitur, ejusque numen saepe a nobis ex intimo corde multis etiam lacrymis imploratum, praesens adesse non dubitantes; ad honorem sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti, ad exultationem supernae et triumphantis Jerusalem matris nostrae, ad exaltationem catholicae fidei, et christianae religionis augmentum, auctoritate ejusdem Sanctae Trinitatis, beatorum Apostolorum Petri et Pauli ac nostra, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium omniumque Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum in Romana Curia existentium consilio et unanimi consensu, beatum fratrem Didacum de Sancto Nicolao provinciae Bethicae Hispanum, Ordinem Minorum Sancti Francisci expresse professum, sepultumque Compluti in ecclesia fratrum ejusdem Ordinis, de cujus fidei puritate, excellentia vitae et miraculorum in vita et post mortem claritate nobis plenissime constat, in sanctorum Confessorum numerum et catalogum adscribendum esse decrevimus et adscripsimus, prout per praesentes decernimus et adscribimus, eumque ut Sanctum ab omnibus venerandum esse mandamus. Statuentes ut ab universali Ecclesia anno quolibet, die duodecima Novembris, festum ipsius et officium sicuti pro uno sancto Confessore tantum, ad formam in rubricis Romani Breviarii praescriptam, devote celebretur; quodque in ejus honorem ecclesiae et altaria, in quibus Deo sacrificia offerantur, erigi et fundari possint, eademque auctoritate, omnibus vere poenitentibus et confessis, qui singulis annis eodem die festo supradictam

ecclesiam oppidi Complutensis Toletanae dioecesis, ubi ipsius corpus requiescit, necnon altaria et ecclesias, quae in ejus honorem constructae erunt, devote visitaverint, easdem indulgentias, privilegia et gratias concessimus et elargiti sumus, quemadmodum concedimus et elargimur, quae caeteris dicti Ordinis Sanctorum ecclesiis concessae sunt.....

MARTYRIUM SS. ANTONII PRESBYT.

ZEBINAE, GERMANI ET ENNATHAE VIRGINIS

EX HISTORIA ECCLESIASTICA EUSEBII LIB. VIII, CAP. XIX,

INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO ANGLO.

Martyrio decorati sec. IV ineunte — E Palaestina.

§ 1. Simul atque tam multis, tamque egregiis magnanimorum Christi martyrum facinoribus ingens persecutionis aestus deferbuerat, et velut sacro illorum cruore flamma ejus extincta erat, et jam remissio ac libertas confessoribus ex Thebaide, qui metallorum in eo loco nascentium laboribus oppressi fuerant, concessa, et nos Christiani tamquam pulcra quadam pacis serenitate nosipsos eramus jam recreaturi: deintegro certe ipse, penes quem persequendi potestas erat, nescio quo pacto, quave animi commotione rursus contra Christianos mire inflammatur. Proinde ex-improviso Maximini * litterae contra nos ubique in singulas provincias missae fuerunt. Unde praesides et summus dux totius Imperatoris exercitus, tabulis, epistolis et publicis edictis, civitatis cujusque curatoribus una cum Praefectis praesidiorum et tabellariis praecipiunt, ut edictum Imperatoris ad exitum perducere maturent: mandavitque, ut cum omni celeritate idolorum delubra, quae ceciderant, reficerent et denuo edificarent: quin etiam efficerent, ut omnes omnino viri cum uxoribus, famulis et pueris. matrum ubera adhuc sugentibus, immolarent, libamina afferrent, et ipsa sacrificia re ipsa degustarent, et cibaria in foro venalia, impuris sacrificiorum libationibus contaminarentur: et pro foribus denique balnearum quidam quasi custodes constituerentur, uti qui in his sordibus essent abluti, post scelestis et nefariis illis victimis se inquinarent.

§ 2. Quibus rebus ad hunc modum confectis, cum nostri de integro, ut verisimile erat, maximis curis et moerore tenerentur implicati, et gentiles ipsi de intolerabili et nimia horum scélerum

* Maximinus Daja, Galerii imperatoris nepos.

absurditate admodum conquererentur (nam ista illis nimium fastidii, nimiumque importunitatis complecti visa sunt), et calamitosissima tempestas passim omnibus impenderet, divina Servatoris nostri virtus et potentia his athletis tantam denuo animi injecit fidentiam, et quasi coelitus inspiravit, ut cum nemo illos vi impelleret, raperetque ad fidei suae confessionem, ultro offerrent sese, et omnes ejusmodi terrores ac minas strenue protererent, et tamquam pedibus prorsus conculcarent.

§ 3. Idcirco tres ex fidelibus simul uno animorum consensu, contra praesidem immolantem insiliunt, et alta voce, tali errore atque amentia desistere, hortantur. Nam non alium esse Deum, praeter eum qui omnium rerum effector et architectus est, asserunt. Rogati ergo, quinam essent, Christianos se audacter confitentur. Qua de causa Firmilianus acrius et vehementius concitatus, absque ullo alio supplicii genere capite mulctandos tradidit. Quorum unus presbyter erat, nomine Antonius; alter Zebinas vocabatur, ex civitate Eleutheropoli prognatus; tertio Germanus nomen fuit. Decimotertio die mensis, qui Dius dicitur, id est, Idibus Novembris, haec de istis acta sunt.

§ 4. Eodem die mulier quaedam Ennathas nomine, ex urbe Scythopoli * orta, virginitatis quasi coronis pulcre adornata, una cum illis martyribus eo accessit: quae non ultro se obtulit, ut illi, sed vi tracta fuit, et ad judicem adducta. Idcirco post verbera, et graves contumeliososque cruciatus, quos judex ei infligendos curaverat, tribunus quidam, qui illic in proximo magistratu gerebat, appellatus Maxys, homo non tam nomine, quam tota vitae ratione nequam, et ut aliis rebus scelestus et perditus, ita tum corporis viribus supra modum robustus, tum moribus ferus et crudelis: tum apud omnes, qui illum norant, infamia et dedecore notatus, absque auctoritate majoris potestatis, hanc beatam virginem aggreditur, eamque omni vestitu usque eo exuit, ut corpus a lumbis solum ad pedes contegeretur, reliquum autem nudum existeret. Hanc per universam civitatem Caesaream undique cicumduxit, lorisque per totum forum et publicas plateas tractam, non sine quadam animi sui oblectatione verberavit. Quam post tot cruciatus, cum constantissimam animi firmitudinem pro tribunali ubi Praefectus considere solebat, in fide tuenda ostendisset, judex vivam igne cremandam tradidit.

§ 5. Iste igitur immanitate longius progrediens, et rabiem prope belluinam contra pios in dies adaugens, adeo extra naturae leges penitus egressus est, uti inanimis Sanctorum virorum corporibus sepulturam impudens invideret: et propterea cadavera sub dio, ut a bestiis dilaniarentur, noctu assidue et interdiu servari praecepit. Itaque non exiguum hominum numerum, multorum dierum spatio, huic immani et barbaro mandato

* Quae apud lacum Genezareth sita erat.

inservientium, cernere licebat. Quin etiam alii ex specula et loco edito, tamquam operae pretium facturi, ne cadavera surriperentur, sedulo observabant. Itaque agrestes bestiae, canes et aves carnivorae membra discerpserunt humana, eaque huc illuc disperserunt; et tota civitas undique visceribus ossibusque hominum constrata fuit adeo, ut illis ipsis, qui ante fuissent infesto animo in nos affecti, nihil unquam crudelius, nihil adspectu horribilius videretur: neque tam eorum calamitatem, in quos haec admissa erant, quam cum suam ipsorum, tum communis parentis naturae ignominiam deplorabant. Spectaculum enim humanarum carnium, non uno loco devoratarum, sed ubique misere disjectarum (quod omnem dicendi facultatem, omnemque Tragoediae speciem longe superat) prope civitatis portas cujusque oculis subjectum fuit. Nonnulli autem membra, cadavera integra, et viscerum partes etiam intra portas se vidisse dixerunt.

§ 6. Dum per multis diebus ista gerebantur, tale quoddam miraculum accidit. Cum clara esset serenitas, et aër pulcre splendesceret, totiusque coeli omnia suo complexu ambientis summa extaret tranquillitas, de repente columnae civitatis, quae publicas et communes porticus sustentabant, multas veluti lacrymarum guttas quodammodo ex se profuderunt. Forum item et plateae nulla pluviae gutta ex aëre decidente, nescio unde, quove modo, aqua adspersae maduerunt: sic ut illico rumor per omnium ora volitaret, terram, utpote rerum id temporis gestarum scelus et impietatem non ferentem, inexplicabili quadam ratione, lacrymarum vim ex se fundere, et lapides naturamque inanimam nefaria ea facinora deflere, quo hominum naturam tam ferream, tam immitem, tamque ab omni affectione vacuam, justa reprehensione coargueret. Verum nugae et fabulae, prope dixerim, haec quidem oratio posteritati fortasse videbitur: non tamen his, qui eo ipso tempore praesentes, de rei veritate satis persuasi fuerunt.

DE S. METRIA MARTYRE

UT AIT USUARDUS

QUEM TAMEN GREGORIUS TURONENSIS
HABET INTER CONFESSORES (SI MODO IS IDEM EST) CAP. LXXI.
UNDE EA QUAE SEQUUNTUR, DECERPSIMUS.

Tertio vel quarto seculo.

§ **1**. Aquensibus * est concessus inclytus athleta Metrias **, vir in corpore, juxta historiam actionis, magnificae sanctitatis: et licet conditione servus, liber tamen justitia qui, ut ferunt legentes certaminis ejus textum, peracto cursu beati operis, a seculo victor abscessit, saepius, se in coelis degere, virtutibus manifestis ostendens. Tempore igitur quodam, cum Franco Episcopus hujus municipii Ecclesiam gubernaret, Childericus ***, qui tunc primus apud Sigebertum Regem habebatur, villam ejus competit, dicens, quia injuste ab Aquensi Ecclesia retineretur: et dicto citius convenitur Episcopus, datisque fidejussoribus, in praesentia Regis assistit, clamans et obsecrans, ut Rex ad hujus causae audientiam, praesentiam suam averteret, ne coelesti judicio condemnetur, addens: « Scio enim virtutem Metriae viri beati, quod velociter in pervasorem suum irrogat ultionem. » Denique conjuncti auditores ****, causam discutiunt. Insurgit Childericus, atque improperans, criminibus exacervatum Episcopum quod res fisci ditionibus debitas, iniquo ordine retineret, extrahi eum vi a judicio jubet, et tandem ablata per judicium praesentium villa, trecentis aureis condemnavit. Favebant ei omnes, nec quisquam contra voluntatem ejus audebat decernere, nisi quod eidem libuisset.

§ **2**. Denique condemnatus spoliatusque sacerdos, ad urbem rediit, atque prostratus in orationem coram sepulcro sancti, dicto Psalmi capitello, ait: « Non hic accendetur lumen, neque psalmorum modulatio canetur, gloriosissime sancte, nisi prius ulciscaris servos tuos de inimicis suis, resque tibi violenter ablatas Ecclesiae sanctae restituas. » Haec cum lacrymis effatus, sentes cum acutis aculeis super tumulum projecit: egressusque, clausis ostiis, similiter in ingressu alias collocavit. Nec mora: corripitur pervasor a febre, decumbit lectulo, exhorret cibum, fastidit et potum, profert aestuans juge suspirium. Cui etiamsi ab ardore febris, interdum sitis accederet, aquam tantum, nihil aliud,

* Civibus scilicet urbis *Aix* (Aquae Sextiae), in Gallia Meridionali.
** Qui et scribitur *Mitrius*, vel *Mitrias*.
*** Circa annum 566.
**** Forte legendum *adjutores*.

hauriebat. Quid plura? In hac aegrotatione integrum ducit annum, sed mens prava non flectitur. Interea labitur caesaries cuncta cum barba, et ita omne caput remansit nudum, ut putares eum olim sepultum, nuper ejectum fuisse post funera de sepulcro. His et talibus miser afflictus malis, sero recogitat, dicens: « Peccavi, eo quod exspoliaverim Ecclesiam Dei, atque Episcopo sancto intulerim injuriam. Nunc autem ite quantocyus, et reddita villa, sexcentos aureos super tumulum Sancti deponite. Est enim mihi spes, quod res reddita tribuat aegrotanti medelam. » Quod audientes homines ejus, acceptâ pecuniâ, fecerunt sicut eis fuerat imperatum. Reddiderunt agrum, solidosque super sepulcrum servi Dei posuerunt. Sed cum hoc fecissent, statim ille in loco, quo erat, spiritum exhalavit, lucratusque est detrimentum animae per ademptionem acquisitionis iniquae. Episcopus autem obtinuit ultionem de inimico Ecclesiae, quam promiserat futuram per athletae Dei virtutem *.

VITA

S. BRICTII EPISC. TURON. ET CONFESS.

AUCTORE S. GREGORIO TURON. EPISC. *Hist. Francorum lib. 2, cap. 1.*

Obiit anno 444 — Patriâ Turonensis.

§ 1. Post excessum beati Martini, Turonicae civitatis Episcopi summi et incomparabilis viri, de cujus virtutibus magna apud nos volumina retinentur, Brictius ad Episcopatum succedit. At vero hic Brictius, cum esset primaevae aetatis juvenis, sancto adhuc Martino viventi in corpore, multas tendebat insidias, pro eo quod ab eodem plerumque, cur vanas res sequeretur, arguebatur. Quadam enim die, dum quidam infirmus medicinam a beato Martino expeteret, Brictium adhuc Diaconum in platea convenit. Cui simpliciter ait: « Ecce ego praestolor beatum virum, et nescio ubi sit, vel quid operis agat. » Cui Brictius: « Si, inquit, delirum illum quaeris, prospice eminus. Ecce, coelum solito sicut amens respicit. » Cumque pauper ille a beato Martino, quod petierat, impetrasset, Brictium Diaconum vir beatus alloquitur: « Num ego, Bricti, delirus tibi videor? » Cumque ille confusus haec audiens, dixisse se denegaret, ait vir sanctus: « Nonne aures meae ad os

* S. Metrias *Martyr* vocatur, non quod mortem violentam pro Fide subierit, sed quia pro ipsa et pro justitia magnos labores viriliter perpessus fuerit. Historiam autem suorum gestorum de qua Gregorius Turon. scribit, deperditam lamentamur.

tuum erant, cum haec eminus loquebaris? Amen dico tibi, qu obtinui apud Deum, ut post me ad Pontificatus honorem acced Sed noveris te in Episcopatu multa adversa passurum.» Bricti haec audiens: «Nonne verum, inquit, dixi, istum delira ver proferre?» Sed et Presbyterii honore praeditus, saepius beatu virum conviciis lacessivit. Adeptus ergo, consentientibus civibu Pontificatus officium, orationi vacat: quia quamquam esset su perbus et vanus, castus tamen habebatur corpore.

§ 2. Trigesimo tertio vero ordinationis ejus anno, oritur cont eum lamentabilis causa pro crimine. Nam mulier, ad quam c bicularii ejus vestimenta deferebant abluenda, quae sub spe religionis erat, veste mutata, concepit et peperit. Qua de re su rexit omnis populus Turonorum in ira, et totum crimen sup Episcopum referunt, volentes eum unanimiter lapidare. Diceb enim ei: «pietas sancti tuam celavit luxuriam. Non Deus sin manus tuas indignas osculando, nos pollui.» Illo quoque e co trario viriliter haec negante: «afferte, inquit, infantem ad me. Cumque oblatus fuisset infans, triginta dies ab ortu habens, a ad eum Episcopus: «Adjuro te per Jesum Christum, Filium D omnipotentis, ut si ego generavi te, coram cunctis edicas.» E ille: «Non es, inquit, tu pater meus.» Populis autem rogant bus, ut, quis esset pater, interrogaret, ait Sacerdos: «Non e hoc meum. Quod ad me pertinuit, sollicitus fui. Vobis si aliqu suppetit, per vos requirite.» Tunc illi magicis artibus haec fact asseverantes, insurgunt contra eum in una conspiratione; e trahentes eum, dicebant: «non diutius nobis falso pastoris no mine dominaberis.» Ille autem ad satisfaciendum adhuc popul prunas ardentes in birrum suum posuit. Et ad se stringens, usqu ad sepulcrum beati Martini una cum populorum turbis accedit; projectisque ante sepulcrum prunis, vestimentum inustum appa ruit, illo sic prosequente: «sicut istud vestimentum ab his ignibu videtis illaesum, ita et corpus meum a tactu mulieris est impol lutum.» Illis vero non credentibus, sed contradicentibus, trahi tur, calumniatur, ejicitur, ut sermo sancti adimpleretur: *Nover te in Episcopatu multa adversa passurum.* Hoc autem ejecto, Ju stinianum in Episcopum constituunt.

§ 3. Denique Brictius Romanae urbis Papam * expetiit, flens, ejulans, atque dicens: «merito haec patior, quia peccavi in Sanctum Dei, et eum delirum et amentem saepe vocavi, cui videns virtutes non credidi.» Post cujus discessum, ajunt Turonici Sacerdoti suo: «vade post eum, et exerce negotium tuum: quia si eum non persecutus fueris, ad nostrum omnium contemptum humiliaberis.» Justinianus vero egressus Turonis, Vercellas Italiae civitatem ingressus, judicio Dei percussus, obiit peregrinus. Turonici ejus obitum audientes, et in sua malitia perdurantes,

* Qui tunc erat Sixtus III.

rmentium in ejus loco constituunt. At Brictius Episcopus Romam niens, cuncta, quae pertulerat, Papae refert. Et ad sedem Apolicam residens, plerumque Missarum solemnia celebravit: ibi, icquid in Sanctum Dei deliquerat, deflens. Septimo igitur anno ressus Roma, cum auctoritate Papae illius Turonos redire disposit: et veniens ad vicum, cui nomen est Laudiaco, sexto ab urbe uronica milliario, mansionem accepit. Armentius vero febre corpitur: media autem nocte spiritum exhalavit. Quod protinus rictio Episcopo per visum revelatum est. Qui ait suis: « surgite ocius, ut ad tumulandum fratrem nostrum Turonicum pontiem occurramus. » Cum illi venientes portam civitatis ingrediuntur, ecce istum per aliam portam mortuum efferebant. Quo pulto, Brictius Episcopus in cathedram suam regressus est, ptem feliciter postea vivens annos. Cui post quadraginta septem piscopatus annos defuncto, sanctus Eustochius successit, magnitae sanctitatis vir *.

VITA S. QUINTIANI

PRIMO RUTHENAE, DEINDE ARVERNAE CIVITATIS EPISCOPI

AUCTORE S. GREGORIO TURON. EP., *De Vita Patrum, cap. 4.*

Floruit sec. VI — Nat. Afer.

Prologus. Omnis, qui se terrenae materiae corpus ferre cognocit, cogitare debet, ne in his devolvatur, quae terrena et carnis ujus amica esse noscuntur: quia, juxta Apostolum Paulum, *manifesta sunt opera carnis* (*Galat.* xix), plena immunditia et iniquiate; pollutum enim et foetidum hominem, qui ea sectatus fuerit, eddunt, atque ad extremum fletibus deputant sempiternis. Frutus autem Spiritus est omne, quod in Deo pollet, ac iter, quod n hoc seculo mortificata carne animam exultare facit, in futuro utem gaudiis donat aeternis. Unde nos, qui nunc sumus in corpore positi, adspicere debemus, quae operatus est Deus in Sanctis suis: in quibus tamquam in splendido, candidoque ac levigato meritis tabernaculo, diversisque virtutum floribus adornato residens, extensa dexterae majestate, dignatus est per eos miseratione propria perficere, quae petissent: sicut nunc per beatum Quintianum, de quo sermo futurus est, mentis nobilis generositate

* Corpus vero S. Brictii a S. Gregorio Turon. ad urbem Clermont, in Arvernos, postea delatum fuit, ibique perhonorifice reconditum.

fulgidum, justitiae opus plerumque complevit. Ergo non nos more peccantium carnis sectatio ad terrena submergat ac deprimat; sed potius Sanctorum exemplis illectos, prudenter intelligentes quae Dei sunt, spiritalia nos opera ad coelestia ac sempiterna sustollant; neque in nobis mens ab impudicis actionibus victa luxuriet, sed aeternitatis pro meritis vindicans solium, victrix Sapientia regnet.

§ 1. VITA. Igitur beatissimus Quintianus, Afer natione, et (ut quidam volunt) nepos Fausti * Episcopi, qui genitricem suam suscitasse perhibetur, sanctitate praeditus, virtutum dote fulgidus, charitatis igniculo fervidus, castitatis flore praecipuus, ad Episcopatum Ruthenae ** Ecclesiae eligitur, expetitur, ordinatur. In quo Episcopatu ampliatis adhuc virtutibus, cum in Dei semper operibus cresceret, in auctam antea beati Amantii *** Antistitis basilicam sanctum corpus transtulit, sed non fuit Sancto acceptabile hoc opus. Unde factum est, ut per visum apparens, diceret ei: « Quia ausu temerario artus in pace quiescentes visus es amovisse, ecce ego removebo te ab hac urbe, et eris exsul in regione altera. Verumtamen non privaberis ab honore, quo frueris. » Non post multum vero tempus, orto inter cives et Episcopum scandalo, Gotthos, qui tunc in antedicta urbe morabantur, suspicio attigit, quod se vellet Episcopus Francorum ditionibus subdere, consilioque accepto cogitaverunt eum perfodere gladio. Quod cum viro sancto nunciatum fuisset, de nocte consurgens cum fidelissimis ministris suis, ab urbe illa egrediens, Arvernos **** advenit, ibique a sancto Euphrasio Episcopo, qui Aprunculo quondam Antistiti successerat, receptus est, largitisque ei tam domibus, quam agris et vineis, et ille, et qui Lugdunensi urbi praeerant summa cum diligentia eum excolebant: erat enim jam senex, et verus Dei cultor.

§ 2. Recedente autem ab hoc mundo sancto Euphrasio, Apollinaris, tribus mensibus sacerdotio subministrato, migravit. Cum autem haec Theodorico Regi nunciata fuissent, jussit inibi sanctum Quintianum constitui, et omnem ei potestatem tradi Ecclesiae, dicens: « Hic ob nostri amoris zelum ab urbe sua ejectus est. » Denique cum sanctus Quintianus in antedicta urbe potiretur Episcopatu, Proculus quidam ex aerario presbyter ordinatus, multas ei injurias intulit, omnemque potestatem illi de rebus Ecclesiae auferens, vix ei et satis tenuem quotidianum victum ministrari praecepit: sed per ejus orationem a civibus correptus est prudentioribus, restituta ei omni potestate, et ab eo illius remotis insidiis. Antedictus tamen sacerdos non immemor

* Celebris fuit tunc temporis Faustus episcopus Praesidiensis, qui pro fide exsul, tempore Hunerici Wandalorum regis, in exsilii loco monasterium aedificaverat.

** Scilicet *Rhodez*, in ea Galliarum regione, quae Rouergue appellatur.

*** S. Amantius die 4 novembris colitur.

**** *Clermont-Ferrand.*

injuriae, sicut quondam Paulus Apostolus de Alexandro, ita et hic de Proculo decantabat, dicens: « Proculus aerarius multa mala mihi fecit: reddet illi Dominus secundum opera sua. » Quod in posterum ei evenisse manifestum est. Erat autem vir beatus in oratione assiduus, et intantum amator populi sui, ut adveniente Theodorico, ac vallante cum exercitu urbem, sanctus Dei muros per noctem psallendo circuiret, et ut regioni vel populo Dominus velociter succurrere dignaretur, afflictus in jejuniis atque vigiliis, instanter oraret. Porro Theodoricus Rex, cum cogitaret etiam muros urbis evertere, mollitus est misericordia Domini, et oratione sacerdotis ejus, quem in exsilium retrudere cogitabat. Nam nocte pavore perterritus, de stratu suo exilit, ac solus per viam publicam fugere nititur: perdiderat enim sensum, nesciens quid ageret. Quod advertentes sui, eumque retinere conantes, vix potuerunt, cohortantes ut se signo salutari muniret. Tunc Hilpingus dux accedens propius ad Regem, ait: « Audi, gloriosissime Rex, consilium parvitatis meae. Ecce muri civitatis istius fortissimi sunt, eamque propugnacula ingentia vallant. Quod ut plenius magnificentia vestra cognoscat, de sanctis, quorum basilicae muros urbis ambiunt, haec loquor: sed et Antistes loci illius, magnus apud Dominum habetur. Noli facere quod cogitas, noli Episcopo injuriam inferre, aut urbem evertere. » Cujus consilium Rex clementer accipiens, praeceptum posuit, ne ullus ab octavo urbis milliario laederetur. Quod obtentu Sacerdotis praestitum, nullus ambigat. Tunc Proculus ille presbyter, irruptis Utrensis castri muris, ab ingredientibus hostibus, ante ipsum ecclesiae altare gladiorum ictibus in frusta discerptus est: reddiditque illi Dominus, sicut Sacerdos cantare consueverat, secundum opera sua.

§ 3. Post peractam igitur stragem cladis Arvernae, Hortensius unus ex senatoribus, Comitatum urbis illius agens, quendam de parentibus sancti, Honoratum nomine, in urbis platea nequiter retineri jussit. Quod celeriter beato viro nunciatum est. Tum ille per amicos suos coepit rogare, ut eum, datâ audientiâ solvi juberet. Quod ille nullatenus praestitit. Tunc beatus senex deferri se in plateam, qua ille tenebatur, jubet. Allatus autem rogabat milites, ut eum dimitterent. Illi vero timentes, obedire ausi non sunt Pontifici. At Sacerdos: « Ad domum, inquit, Hortensii me velociter deportate. » Erat enim senex valde, et propriis pedibus ire non poterat. Deferentibus autem eum in domum Hortensii ministris ejus, excutiens in eam pulverem calceamenti sui, ait: « Maledicta sit domus haec, et maledicti habitatores ejus in sempiternum, fiatque deserta, et non sit qui inhabitet in ea. » Et dixit omnis populus, *Amen*. Et adjecit: « Quaeso, Domine, nunquam de istius generatione promoveatur quisquam ad Episcopale sacerdotium, qui Episcopum non exaudit. » Egresso autem ex ea Sacerdote, protinus omnes familiae, quae in domo illa erant, a

febre corripiuntur, et parumper ingemiscentes, spiritum exhalabant. Quod cum jam die tertia ageretur, videns Hortensius sibi nihil de suis servis reservari, timens ne etiam et ipse pariter interiret, ad sanctum virum moestus ingreditur, projectusque ad pedes ejus, cum lacrymis veniam rogat. Quam ille benignissime indulgens, benedictam aquam domui transmisit, illaque per parietes respersa, omnis aegritudo protinus est depulsa, ac magna ibi virtus apparuit. Nam et qui morbum incurrerant, sanati sunt; et qui sanati erant, ultra non incurrerunt.

§ 4. In Ecclesiasticis vero scripturis eruditus est habitus hic Sacerdos: sed et in eleemosynis magnificus fuit. Nam cum pauperem aliquem clamare cerneret, ajebat: « Succurrite, quaeso, succurrite, et pauperi victus necessaria ministrate: ignari enim estis, o desides, an forsitan ipse sit, qui se per Evangelicae Lectionis seriem reficiendum in pauperibus minimis esse mandavit.» Ejiciebat autem daemonia se confitentia. In monasterium vero Candidobrense * veniens, cum energumenum quendam reperisset atrocius debacchantem, misit presbyteros, ut ei manus imponerent: sed cum eorum exorcizatione larva non fuisset expulsa, Sanctus Dei cominus appropinquans, immissis in os ejus digitis, personam reddidit absolutam. Multa et alia miracula vir beatus operatus est, et oratione facta saepius, quae petisset, a Domino obtinebat.

§ 5. Porro in territorio Arverno quodam tempore, cum magna siccitas arva consumeret, et arentibus herbis, nulla penitus jumentis pabula remanerent, et Sanctus Dei Rogationes illas, quae ante Ascensionem Dominicam aguntur, devotissime celebraret: die tertia, cum jam portae civitatis appropinquarent, suggerunt ei, ut ipse antiphonam dignaretur imponere, dicentes: « Si tu, beate pontifex, devote antiphonam imposueris, confidimus de sanctitate tua, quod protinus nobis Dominus pluviam dignabitur benigna pietate largiri. » At ille prostratus super cilicium suum, in ipsa platea diutissime cum fletu oravit. Exsurgens autem, antiphonam, quam petebant, imposuit. Verba autem ei ex illa Salomonicae orationis serie, haec erant: *Si, clauso coelo, pluviae non fuerint propter peccata populi, et conversi deprecati fuerint faciem tuam, exaudi, Domine, et dimitte peccata populi tui, et da pluviam terrae, quam dedisti populo tuo ad possidendum* (2. *Paral.* v). Cumque psallere devotissime coepissent, penetravit excelsae potentiae aures humilis oratio Confessoris; et ecce contenebratum est coelum, ac nubibus obtectum; et priusquam portam urbis attingerent, descendit pluvia vehemens super universam terram, ita ut omnes mirarentur, ac dicerent, ad preces beati Viri hoc fuisse largitum.

§ 6. Senuit autem Sacerdos Dei, et intantum aetate provectus

* Hodie vulgo appellatur *Combronde*.

est, ut sputum oris in terram projicere non valeret: sed adhibito labiis linteolo, in illud salivas oris exponeret. Non caligavit oculus ejus, nec immutatum est cor a viis Dei; non seposuit vultum pauperis, nec metuit personam potentis; sed una eademque ei fuit in omnibus sancta libertas, ut ita susciperet penulam pauperis ac si veneraretur togam inclyti senatoris. Obiit autem perfectus in sanctitate, et sepultus est in basilica sancti Stephani ad laevam altaris *. Ad cujus nunc tumulum plerumque quartanae febris, melancholiâ compressâ restinguitur.

SANCTI HOMOBONI CONFESSORIS

CIVIS CREMONENSIS

VITA

CULTIORI STYLO AB ILLIUS ECCL. CATHEDR. CANONICIS SCRIPTA ET EPISC. CREMON. NICOLAO SFONDRATO ** DICATA.

Obiit anno 1197.

§ 1. Homobonus Cremonensis fuit, ex honesta Tucengorum familia, patre mercatore, non opulento illo quidem, sed tamen nec sordido: quippe cui ab atavis usque esset domus in urbe apud aedem Sancti Aegidii: praeterea praedium suburbanum, unde victui suo necessaria quotannis capiebat. Cujus parentes coelesti quodam mentis praesagio, atque afflatu divino instincti, voluerunt eum ex sacro baptismatis fonte sublatum, Homobonum nominari. Hujus enim nominis, verissime et appositissime inditi rationem, tota omnino illius per omnes aetatum gradus traducta sanctissime vita, adeo aperte declaravit: ut non fortuitum, sed meditatum: non jam hominis, sed integritatis, nomen fuisse videatur.

§ 2. Hunc igitur tanto omine susceptum parentes, et ab ipsis incunabulis persancte educatum, Christianaque in primis religione egregie excultum, traduxere ad exercendam eam, quam ipsi faciebant, mercaturam. Sed tanta fuit dictorum conventorumque constantia et veritate, ut nulla omnino augendae rei cupiditate permotus, qua transversam mortalium mentem agit, neminem unquam sciens deceperit. Erat praeterea summa in adolescente

* Sed sacrum ejusdem corpus inde translatum est in ecclesiam SS. Symphoriani et Genesii, ubi hodieque quiescit.

** Qui postea factus Pontifex Summus dictus est Gregorius XIV (1590-1591).

comitas, cum singulari gravitate conjuncta, insignisque morum probitas: quibus artibus brevi effecit, ut omnium civium et oculos in sui admirationem converteret, et animos ad benevolentiam alliceret. Deinde parentum jussu, quibus semper in omnibus fuit obsequentissimus, virginem duxit uxorem, cum qua castissime semper vixit.

§ 3. Mortuo vero patre, jam sui juris effectus, coepit cogitare, nobis hic non esse permanentem civitatem, spesque hominum vanas esse atque fallaces. Itaque aliam vitae rationem instituens, qui ab ineunte adolescentia in terris cogere divitias coeperat, in coelum thesauros congerere constituit, sermone Domini, qui semper ejus animo inhaerebat, admonitus: *Thesaurizate vobis thesauros in coelo, ubi neque aerugo, neque tinea demolitur* (*Matth.* VI). Quare omni sollicitudine augendarum opum omissa, quasi a corpore avocatus, ad divinarum rerum cogitationem, cura omni studioque pascendae animae, ejusque saluti vigilanter inserviebat: relictaque humana societate, in divinam se totum insinuabat, jejuniis, vigiliis, orationibusque assidue intentus.

§ 4. Rem igitur suam, quam mercatura auxerat, coepit pauperibus erogare, adeo comiter, benigne et liberaliter, ut, cum caeterae virtutes essent in eo praeclarae, haec tamen beneficentia principem semper locum obtineret. Neque enim eleemosynam rogari se passus est unquam, quin ipse ultro omnibus sua, seque libentissime detulit, egenis facultates, tristibus consolationem, erranti correctionem, ignaris sine arrogantia doctrinam, veniam inimicis, fidum deliberanti consilium, mortuis denique orationem, ita ut, cum minus sibi, quam caeteris omnibus, videretur esse natus, uno omnium ore pauperum pater jure merito appellaretur.

§ 5. Caeterum uxor meticulosa, cum videret profusam viri liberalitatem, vehementer animi discruciabatur. Ac primo quidem eum ab hoc tam sancto proposito, precibus ac monitis leniter avocare; deinde acrius objurgando, atque etiam gravibus contumeliis conviciisque incessando, absterrère non desistebat. Cujus ille molestam garrulitatem aequissimo semper animo perferens, his atque hujuscemodi verbis sapienter refellebat: « Errare vehementer eam, quae putaret rem imminui, aut bonorum jacturam fieri, si egenis distribuantur, cum nusquam melius, nusquam tutius collocentur: neque ulla rei augendae fructuosior ratio iniri possit, quam quae illis, id est, Christo immenso atque inexhausto omnium bonorum thesauro, foenori dentur, qui et in praesens centuplum, et in futurum vitam rependat aeternam.

§ 6. Pateretur igitur parvum bonorum fugacium dispendium: quod illi aeque ac sibi esset ad felicitatem compendium. Venale etenim coeleste regnum nobis Deum Optim. Maxim. proposuisse, quod tamen facillime ac minimo parari possit. Praeterea nulla alia re magis Christo Deo similes esse, quam beneficentia, qui

nobis corpus etiam suum in cibum benignissime dederit, ob eamque causam, a Patre omnium rerum haeredem factum fuisse. Id haec, levius et expeditius ad superos proficisci, qui sarcinarum, id est, divitiarum suarum partem comiti largiatur. Eluere denique eleemosynam animi sordes. Quamobrem desineret deplorare misere minimam rei temporariae jacturam: quin potius pari secum voluntate ac studio daret operam beneficentiae: ut, quando in hoc miserrimo vitae ergastulo conjugii sorte aequata sibi esset, in perpetua et felicissima vita, aequatam sibi etiam illam cumulato gaudio cernere aliquando contingeret. »

§ 7. Haec atque hujusmodi vir Dei identidem inculcando, intemperiem uxoris castigans, summa patientia ac humanitate superabat. Nec ab hac sancta animi sui sententia depelli poterat: quin in dies magis ac magis in ea confirmabatur. Frequentabat Homobonus domum Dei, nec id die solum, sed nocte etiam, assidue nocturnis, matutinisque precibus intererat. Quocirca Obertus sacerdos, qui tunc temporis aedibus Sancti Aegidii praeerat, vir et ipse bonus ac timens Deum, cognita religione viri, singulis ei noctibus ad matutinas preces januam templi aperiebat, dato prius ut fit, campana signo. Sed cum aliquando tempestivius solito Homobonus accessisset, et paulisper ante januam immoratus esset, valvae templi sponte sua patuere. Cumque sacerdos iret, ut de more Homobonum introduceret, vidit eum in oratione ante aram procumbentem; et mirum in modum obstupuit, cum vere sciret, se vesperi fores diligenter clausisse. Idque etiam paucis post diebus cum accidisset, sacerdos demum pro comperto habuit, id ope divina fieri: quod sex et viginti annis, quibus aedes illas sacras rexit, viro sancto saepius accidisse testatus est.

§ 8. Frequens igitur ibat vir Dei in templum, ut nunquam, ne unam quidem noctem intermitteret, nec, finito officio, unquam recedebat: sed semper in oratione rem divinam, quam Missam dicimus, ante Crucem Domini nostri, et imaginem beatissimae Virginis prostratus, exspectabat. Forte accidit, ut eo tempore esset magna annonae caritas, cum ipse ab oratione esset domum reversus, et egeni, qui viderant panis canistrum ad eum afferri, subito ad Homobonum accurrerent: quibus ille summa cum hilaritate, dum uxor, quae sibi maxime repugnabat, abesset, majorem panis partem distribuit. Hora vero coenae reperti sunt in arca totidem, quot donaverat, panes, longe reliquis et candore et suavitate praestantiores. Id quod mirata est uxor, miratus est et ipse vir Dei, gratiasque Deo ingentes secum agens, quod factum fuerat, prudenter tacuit, et puellam cuncta, quae viderat, narrantem, aliis id proloqui inhibuit.

§ 9. Multis praeterea signis Deus eximiam cultoris sui liberalitatem illustravit: quae operosum nimis esset singillatim recensere. Illud tamen neutiquam tacendum arbitror. Cum praediolum,

caeteris divenditis, et in egenos erogatis, sibi pauperibusque servasset, eoque fossoribus vinum aliquando ferret, occurrere ei mendici aliquot, ab eo potum petentes: quibus vir sanctus summa cum animi hilaritate et frontis laetitia porrexit. Sed cum exhausti fere essent canthari, nec propter uxoris acerbitatem auderet domum reverti, eos aqua replevit ac benedixit. Vinitores autem se nihil unquam suavius gustasse asserentes, quaerebant, unde tam bonum vinum habuisset. Vir Dei, qui optime sciret, quod fecisset, arbitratus se deridèri, bibit et ipse incomparabilis bonitatis vinum, gratiasque Deo, cujus esset illud opus, maximas egit; nec tamen, vitandae inanis gloriae causâ, quae imprudentium hominum omnem recte factorum mercedem furtim praedatur, quod factum fuerat, cuiquam dicebat, nec exire, atque in vulgus emanare patiebatur. Sed qui eum viderant, dum aquam in vasa infunderet, cum et ipsi vinum gustassent, hoc miraculum caeteris praedicaverunt.

§ **10**. His atque hujusmodi quamplurimis illustratus quidem miraculis, sed multo magis summa vitae puritate ad extremum usque vitae tempus insignitus Homobonus, tantam, non inter populares solum atque finitimos, sed eos etiam omnes, acquisivit fidem, ad quos longe lateque celeberrima illius fama pervaserat, ut haereticorum plerique ad sanitatem redirent, et, qui nullo prudentum consilio, aut doctissimorum hominum disceptationibus victi, in depravata jamdudum de fide et religione sententia obfirmato animo obduruerant, eos Homobonus, sanctissimis verbis et moribus miraculorumque frequentia, ab omni errore abductos, ad bene beateque vivendi rationem traduceret.

§ **11**. Cum vero jam venisset tempus, ut tot suarum virtutum et recte factorum acciperet praemia, Idibus Novembris anno a partu Virginis millesimo centesimo nonagesimoseptimo, more suo, matutino officio penitus incolumis interfuit: deinde curvatis ante Crucem Domini genibus, in oratione usque ad horam Missae permansit. At, cum sacerdos hymnum Angelorum coepisset, ante Crucem, manibus in modum Crucis in terra extensis, procubuit: tum nemine sentiente, cum gaudio ad Deum, suam in patriam coelestem, nullo correptus morbo, migravit. Sed cum more suo ad audiendum Evangelium non surgeret, fuere, qui illum sopore pressum crederent, et volentes eum a somno excitare, e vita excessisse cognoverunt.

§ **12**. Quare statim parantur exequiae et sepulcrum; volat subito per urbem fama; concurrunt pauperes undique, patremque suum maximo cum dolore deplorant, funusque cum lacrymis ac ejulatu comitantur; ad eum accedunt, amplexantur, et prae ingenti amore deosculantur. Sed ecce virtus Dei in eo se coepit ostendere: nam claudi ambulant, caeci vident, muti loquuntur, surdi audiunt, variisque languoribus oppressi, atque a

medicis omnino destituti, omnes curantur. Itaque tota eo civitas confluebat. Quare confestim illo mortuo, constantior sanctitatis ejus fama in vicinas urbes evolavit. Undique ad viri Dei sepulcrum, in eadem Sancti Aegidii aede positum, concurritur: votique compotes facti, cum laetitia redeunt.

§ **13**. Nam cujusdam lingua gravissimo impedita vulnere, quod in proelio Jerosolymitano per collum adactum fuerat, expeditissimam loquendi facultatem, qua decem annos prorsus caruerat, facto voto, recepit. Alius autem dorso gibbero, pectore convexo, cujus genua manusque spasmate obriguerant, cum sancto viro vovisset, sui ipsius corporis factus est compos. Cuidam etiam decem et octo annorum adolescenti, a nativitate muto, pro cujus salute pater vix dum vota Homobono nuncuparat, linguae vincula dissolvit benignissimus Deus. Adhaec puer octavum jam annum caecus, simul et ab utero matris mutus, paternis precibus, perfectum utriusque sensus impetravit officium.

§ **14**. Experta est mulier magnum numinis beneficium: quae cum jam deplorata prope esset, visa sibi est videre monentem quemdam, unam sibi recuperandae salutis relictam spem esse, si Homoboni opem imploraret. Id cum fecisset, exoptatae sanitati quamprimum est restituta. Pueros etiam plerosque jam prae morbi gravitatem animam agentes, parentum votis, eodem intercedente, Deus condonavit. Mulier quaedam multos jam annos artubus adeo contractis, ut ori genua adhaererent, juxta sepulcrum sanctissimi viri delata, precibus adhibitis, subito convaluit: et cum ingenti gaudio, clara Deo voce gratias agens, suis pedibus domum est reversa.

§ **15**. Nec tamen defuit, qui sancti viri famam elevare et carpere auderet. Sed ita fatue ac temere obloquenti, lingua intumuit, ut nulla jam ratione loqui posset, et jam de vita ejus ageretur. Verum poenitentiâ interiore ductus, intercessione Homoboni, pristinam incolumitatem recuperavit. Multi praeterea immundis spiritibus oppressi, ac pessime habiti, ejusdem meritis liberati sunt. Inter quos fuit virgo quaedam Bergomas, quae cum diu ante obitum viri Dei ab immundo spiritu vexata miserrime fuisset, nec ullis unquam exorcismis potuisset expelli, quod diceret, se nunquam inde discessurum, donec ab Homobono Cremonensi ejiceretur, delata ad Sancti Homoboni sepulcrum a parentibus, qui ad id tempus se a malo spiritu deludi existimaverant, fugato cacodaemone illico sanata est.

§ **16**. His et infinitis hujuscemodi miraculis commotus Sicardus Episcopus Cremonensis, et primòres urbis, decernunt ad Pont. Max. legationem, cujus Episcopus ipse princeps constituitur, ut vir Dei tot miraculis decoratus, numero sanctorum adscriberetur. Quod Innocentius III qui antea de hoc per quietem a Deo admonitus fuerat, libentissime concessit, ac cognitis prius

Homoboni miraculis, vitaeque sanctimonia, in catalogum sanctorum maxima cum celebritate et religione retulit, anno sui Pontificatus primo, salutis autem humanae nonagesimo octavo supra undecies centesimum, II Calendas Januarias. Cujus rei diplomata, quae re interiore templi majoris sacrario Cremonae servantur, certissimam faciunt fidem, quorum exemplum huic historiae adscribetur.

§ **17**. Anno autem millesimo trecentesimo quinquagesimo sexto, cum apertum esset sancti Homoboni sepulcrum, praesente Episcopo et Praetore, multaque clementissimus Deus ipso illo tempore edidisset miracula: ea res, eademque dies auspicatissimi illius inter nobilissimos viros Consortii fecit initium: qui tamquam beneficentiae Homoboni haeredes facti, sic suae urbis pauperes mira benignitate et prudentia ad hanc diem colere perseverant. Proximo deinde anno, qui fuit millesimus trecentesimus quinquagesimus septimus, septimo Calend. Julii, a Canonicis ac caeteris Cathedralis ecclesiae clericis translatum fuit viri sancti corpus in eam majoris templi subterraneam partem, ubi in marmoreo tumulo compositum quiescit, praeter pauca quaedam ossa, in priore sepulcro relicta, et praeter caput, quod tabernaculo conditum, in ipsius majoris templi sacrario custoditur.

§ **18**. Quamplurimis etiam postea hic beatus confessor claruit miraculis: ut cum patria sua multis se et evidentissimis periculis auxilio ejus ereptam fuisse manifesto cognoverit, hunc jure optimo invocet, colat, veneretur, patrocinioque ejus se et nunc esse, et posthac fore tutam, maxime confidat.

EXEMPLUM DIPLOMATIS INNOCENTII III.

§ **19**. Innocentius Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis, universo Clero et populo Cremonen. salutem et Apostolicam benedictionem. Quia pietas promissionem habet vitae quae nunc est, et futurae: justus et misericors Dominus fideles suos, quos praedestinavit ad vitam, frequenter in hac vita glorificat, et semper in futuro coronat: quibus et per prophetam promittitur: *Dabo vos in laudem, gloriam, et honorem in cunctis populis* (*Matth.* XIII): et per se pollicetur: *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* (*Ps.* 67): mirabilis enim in seipso Dominus, mirabilis in sanctis, mirabilis in cunctis operibus suis: verum nobis exhibet suae virtutis indicium, et frigescentem jam in pluribus charitatis igniculum, mirabilium suorum signis accendit: assumptis his in gloriam suam, qui certaverunt legitime in hoc mundo: ad memorias eorum innovat signa: et mirabilia, juxta prophetam, immutat: ut qui sanctus est apud ipsum, sanctus etiam ab hominibus habeatur: et in hoc praesertim haereticorum confundatur

perversitas, cum ad catholicorum tumulos divina viderint prodigia pullulare. Licet autem, juxta testimonium veritatis, sola finalis perseverantia exigatur ad sanctitatem animae in Ecclesia triumphanti, quoniam qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit: duo tamen, virtus videlicet morum, et virtus signorum, opera scilicet pietatis in vita, et miraculorum signa post mortem, ut quis reputetur sanctus in militanti Ecclesia, requiruntur: nam, quia frequenter angelus Satanae se in lucis angelum transfigurat, et quidam faciunt opera sua bona, ut videantur ab hominibus, quidam etiam coruscant miraculis, quorum tamen vita merito reprobatur, sicut de magis legitur Pharaonis, et etiam Antichristo, qui electos etiam, si fieri potest, inducet suis miraculis in errorem: ob id nec opera sufficiunt sola, nec signa: sed cum illis praecedentibus ista succedunt, verum nobis praebent indicium sanctitatis, nec immerito nos ad illius venerationem inducunt, quem Dominus suis ostendit miraculis venerandum. Haec autem duo ex verbis Evangelistae plenius colliguntur, ubi de Apostolis loquens, ait: *Illi autem profecti, praedicaverunt ubique, Domino cooperante, et sermonem confirmante sequentibus signis* (*Marc.* XVI); in eò namque, quod ait, cooperante, eos operatos esse demonstrans: et in eo quod sequitur, sequentibus signis, eos exponens, immo Dominum in eis miraculis claruisse: hoc etiam Dominus usque hodie operatur in sanctis, et potentiam suam signis evidentibus manifestat: dum vivorum curat aegritudines ad memorias mortuorum: et eos plus posse post mortem, et felicius vivere mortuos, qui in Domino moriuntur, quam qui vivunt in mundo, demonstrat. Sane veniens ad praesentiam nostram Venerabilis frater noster Sicardus Episcopus vester, multis viris religiosis et aliis honestis personis de sua Dioecesi comitatus, cujusdam beati viri, et re et nomine Homoboni, vitam et actus, necnon et modum transitus ejus humiliter nobis aperuit: in quibus et sanctae ipsius degustavimus conversationis odorem, Deumque mirabilem et omnia opera ejus in fide cognovimus, et praedicavimus gloriosa. Idem etenim sanctus, tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum suum dat in tempore suo, prout eorumdem nobis assertio, facta tam viva voce, quam aliorum plurium honestorum litteris, patefecit: adeo in lege Domini meditabatur die ac nocte, ut ei serviens in timore, et secundum Prophetam, media nocte surgens ad confitendum ei, matutinis semper laudibus interesset. Missae quoque officium et alias Horas cum summa devotione frequentans, ita assiduis orationibus insistebat, ut in certis horis aut incessanter oraret, aut horas ipsas aliquando praeveniret, nisi forte ipsum sollicitudo, quam super pace reformanda per civitatem tamquam pacificus vir gerebat, aut occasio eleemosynae pro pauperibus acquirendae, seu alia justa causa in aliis operibus misericordiae

detineret: qui nimirum ante Crucem Dominicam et assuetudine se prosternens, opus quodlibet faciendo, stando, sedendo, jacendo, ad orationem labia movère continue videbatur. Inter alia vero pietatis opera, quae tam circa pauperes, quos secum in propria domo tenebat, curabat et pariter procurabat, quam circa alios indigentes, quibus viventibus humanitatis obsequium, et mortuis sepulturae beneficium consueverat devotus impèndere, diligentius exercebat: ipse a secularium hominum consortio segregatus, inter quos virebat, quasi lilium inter spinas: haereticorum, quorum pernicies nimium partes illas infecit, austerus extitit aspernator. Deducto autem sic vitae sanctae curriculo, cum ad matutinale officium, prout dictum est, in festivitate sancti Brictii surrexisset, circa Missae primordia idem se ante Crucem Dominicam more solito in oratione prosternens, dum cantaretur hymnus angelicus, beato fine quievit. Quae vero, quot, et quanta miracula fuerit subsecuta, et quot advenientibus ad sepulcrum ejus, sanitatis beneficia sint impensa, cum longum sit numerare per singula, unum inter caetera ad assertionem Catholicae fidei duximus expressius annotandum. Cum enim quaedam daemoniaca mulier ad sepulcrum ejus deducta fuisset, ne aliqua fraus latèret, eadem primo fuit aqua non benedicta respersa, qua se patienter adspergi permittens, aquam secundo respuit benedictam: et ut res evidentiori experimento patèret, oblatam non consecratam absque aliqua praescientia sibi recipiens, praesentatam Eucharistiam consecratam subsequenter abhorruit, nec recipit: quae ex meritis ejusdem sancti liberata recessit. Ut autem virtus morum, prout est superius praelibatum, licet omnis dubitatio amoveri ex subsecutione signorum per divinum judicium videretur, fide apud nos claresceret pleniori, ne miraculorum etiam virtus aliqua fraude posset vel figmento juvari, veritatem rei sollicitius duximus inquirendam. Fidem namque, quam super conversationem ipsius, absque figmento hypocrisis fraudulento, divinum judicium, ut dictum est, manifeste ostendere videbatur: per testimonium dilecti filii Oberti presbyteri sancti Aegydii Cremonensis praesentis, cum Episcopo memorato, recepto ab eo firmavimus juramento: sub cujus obtestatione, videlicet juramenti, ipse, qui patrinus ejus existens, per viginti annos et amplius confessionem ejus saepe receperat, quae de illius sancti conversatione praemisimus, cum ipso Episcopo et aliis supradictis juratis similiter asseruit, esse vera, et de obedientia, quam in orationibus, vigiliis et aliis poenitentiae fructibus, in qua sibi ab eo imposita erat, plus injuncto satisfaciens, exhibebat, nos reddidit certiores: ea etiam, quae de miraculis ipsis fuerant nobis exposita, per juramentum omnium praedictorum, qui propter hoc venerant, fide suscepimus, pleniori assertione ipsius Episcopi sub firmo verbo sacerdotis requisito in virtute obedientiae concurrente, ut sic

divinum et humanum secuti judicium, cum majori procedere securitate possemus. Cum igitur haec omnia tam de virtute morum, quam virtute signorum, ad favorem petitionis, pro qua Episcopus memoratus, et alii supradicti ex parte vestra vehementer instabant, concurrere videremus: de fratrum nostrorum consilio, post multam deliberationem habitam cum eisdem et Archiepiscopis, quos super hoc ad consilium nostrorum admisimus: de divina misericordia, et ejusdem sancti meritis confidentes: ipsum sanctorum Catalogo duximus adscribendum, statuentes, ut in die depositionis ipsius, ejusdem festivitas devote a vobis et aliis Christifidelibus annis singulis de caetero celebretur. Inde est, quod universitatem vestram rogamus in Domino et monemus, per Apostolica scripta praecipiendo mandantes, quatenus ejusdem sancti memoriam, prout dictum est, cum celebritate debita venerantes, ejus apud Deum suffragia humiliter imploretis, per cujus merita ad gaudia aeterna pertingere valeatis. Dat. Lateran. II Calend. Januar. Pontificatus nostri Anno primo.

VITA

S. LAURENTII ARCHIEP. DUBLINENSIS

AUCTORE QUODAM E COLLEGIO AUGENSI *, QUI NOMEN SUUM NON EXPRIMIT.
EST PURE SINCEREQUE, TESTE BARONIO, SCRIPTA.
STYLUM ALIQUOT LOCIS NONNIHIL EXPOLIVIT LAUR. SURIUS.

E vita discessit anno 1181 — Hibernus.

Benedictio et claritas et sapientia et gratiarum actio, honor et virtus et fortitudo Deo nostro, qui sponsam suam Ecclesiam foecundat, ut nunquam sit sterilis, sed semper foecunditate mirabilis; ut in tempore persecutionis rosas Martyrum, in tranquillitate pacis pariat lilia Confessorum, quatenus Dilecto suo, qui candidus est et rubicundus, sponsa respondeat in rubore rosarum et candore liliorum. Non enim in emissionibus paradisi sola sunt mala punica, sed conjuncta sunt cum pomorum fructibus; nec nardus sola, sed cypri cum nardo; et venter sive foecunditas sponsae non tantum acervo tritici comparatur, sed etiam dicitur vallatus liliis. Virum quoque, qui stabat inter myrteta, ascendentem super equum rufum, non tantum equi rufi secuti sunt,

* *Auge* vel *Augensis vallis* regio est fertilissima in Gallia, in vetere scilicet Normannia (gallice *Normandie*). Nunc partim cum provincia, quae de *Calvados* dicitur, partim vero cum illa, quae *de l'Orne* nuncupatur, est conjuncta.

sed et albi; et de medio duorum montium aereorum non tantum quadriga equorum ruforum, sed etiam equorum alborum quadriga egredi videbatur. Dominus quoque, qui fecit Arcturum, cum Arcturo non solum fecit Orionas, sed et Hyadas. Per Arcturum septem stellarum, designatur Ecclesia, septiformis spiritus luce radiosa, Oriones, qui orientes in hieme tempestates excitant, demonstrant Martyres: qui in hieme infidelitatis exorti, excitaverunt contra se persecutionum tempestates. Hyades, stellae pluviales, orientes in vêre, Confessores significant: qui tempore tranquillitatis apparentes, mentes hominum irrigarunt fluviis doctrinarum. Sicut igitur cum Arcturo fecit Dominus Orionas et Hyadas, sic Dominus de Ecclesia Sponsa sua, ut nunquam sit sterilis, sed semper foecunda, aliquando Martyres, aliquando quoque generat Confessores. Inter quos effulsit sanctae Matris Ecclesiae proles egregia, gloriosus Christi sacerdos et antistes Dublinensis Ecclesiae, vir beatus Laurentius, cujus memoria in benedictione permanet, genere nobilis, et insignis virtutibus; clarus operibus et signis magnificus. Similem enim fecit eum Dominum in gloria Sanctorum, et glorificavit eum in conspectu regum. Cujus vitam et virtutes ego, licet indignus, sed tamen non indevotus servulus, sancto Augensi collegio fraterna charitate conjunctus, ad laudem Dei et sancti Confessoris gloriam, ad excitandam devotionem legentium, stylo compendioso, invocatâ Sancti Spiritus gratiâ, tractare curavi. Et haec quidem de praefatione dixisse sufficiat. Stultum enim est, ante historiam effluere, et in ipsa historiae narratione succingi.

§ 1. Dilectus igitur Deo et hominibus, sacer Dei Pontifex, Laurentius, ex partibus Occidentis, insula Hibernia, claris natalibus extitit oriundus. Quem Dominus in terra barbara sicut lilium inter spinas, vel sicut Job in terra Hus, invenit: qui non plus traxit de terrae suae barbarie, quam piscis marinus de maris salsugine. Magna siquidem fuit sanctitatis ejus commendatio, quod in medio nationis prâvae et perversae lucêret quasi stella matutina in medio nebulae; immo tamquam luminare magnum in mundo, verbum vitae continens; lumen ad revelationem gentium barbararum, et gloriam Ecclesiae. Natus igitur in terra barbara, de nobili tamen prosapia fuit, per matrimonium regis filius et reginae. Cujus pater, linguâ patriâ, Moriardocothocel appellatus est, latine vero Mauricius; mater ejus Inianobren linguâ sua, idest, filia principis, linguâ domesticâ. Et pater quidem tanta generositate claruit, ut non modica pars Hiberniae, quae Lagenia * dicitur, ad eum jure haereditario pertineret. Et si autem in hoc minime gloriandum est, sed neque tamen omnino silendum: quandoquidem inde major in illo virtus fuisse probatur, quod

* Vulgo *Leinster*, altera e quatuor regionibus, quibus Hibernia dividitur.

mundanae vanitatis major fomes extinctus est. Suis autem parentibus post prolem multiplicem beatus Laurentius ultimo datus est filius : sed licet nascendo ex carne fuerit novissimus, quod tamen ad spiritum attinet, primus emicuit.

§ 2. Nato beato puero, pater ipsius, qui infensus fuerat Comiti de Kildara, Donato nomine, placatus postmodum, in foedus pacis et amicitiae invicem conservandae, eidem Comiti filium suum misit, ut eum faceret baptizari, jubens ut Conconor vocaretur. Sed ferentibus puerum ministris venit obviam quidam, qui propheta apud eos habebatur. Vera enim pleraque omnia hominibus praenunciare probabatur. Is itaque cum causam itineris cognovisset, et quod de puero mandarat pater ejus, statim accessu spiritus versum Hibernicum protulit, cujus hic est sensus : Iste puer magnificus erit in terris, et gloriosus in coelis, praeeritque plurimis tam divitibus quam egenis : et erit Laurentius nomen ejus. Sic enim jubeo eum appellari. Cumque ministri admirantes responderent, non audere se patris imperio non parere, dixit vates: Ego hac nocte domum patris ejus ingrediar, et vos de nominis mutatione satis reddam excusatos. Illi ergo coepto itineri insistentes, ad Darensem civitatem, sanctae Brigidae sedem, puerum pertulerunt : ubi receptus a praedicto Comite cum gaudio, et ab Episcopo civitatis protinus baptizatus, Laurentius, uti vates praedixerat, vocatus est....

§ 3. Crevit itaque puer, et coepit bonae indolis adolescens esse; et honorifice, ut decuit, enutritus usque ad annum decimum, super omnes coaetaneos suos miris profecit incrementis. Accidit autem, ut pater ejus maximum Dermitii Regis odium incurreret, metueretque ex furibundi Regis minis, non solum in se, sed etiam in totam ditionem suam illum saeviturum. Metiens igitur et metuens bellorum et dissensionum discrimina, communicato cum suis consilio, de quatuor filiis, quos habebat, juniorem ei Laurentium pacis obsidem delegavit. At Rex inhumanus, crudelius tractans de puero, ipsum in terram lapidosam et sterilem, ubi victum seges aegra negabat, jussit vinctum deportari, ubi a fructu frumenti, vini et olei privabatur, ubi parvulus petiit panem, et non erat qui frangeret ei. Ibi sanctus puer aliquandiu degens, multiplicem passus est injuriam ex fame et nuditate, intantum ut per inopiam eorum, quae ad victum pertinent, et stridentis boreae flatum, ad mendicorum squalorem pervenerit, et a planta pedis usque ad verticem percussus, quodammodo secundum carnem omnino tabesceret. Quod cum ad aures patris quorundam relatu venisset, sine mora comprehensos duodecim Regis Dermitii milites se quamprimum occisurum minabatur, nisi sibi filius, super quo commota fuerant paterna viscera, celeriter redderetur. Id audiens Rex Dermitius, cum non ignoraret terram illius esse invictissimam, puerum reddere maluit, quam

perdere milites suos. Nec tamen reddidit eum patri, sed cuidam Episcopo Glindalacensi, idque his pactis legibus, ne illum patri restitueret, nisi prius sui milites sibi redderentur. Missi sunt ergo milites ad Episcopum, qui Regi Dermitio eos remittendos curavit: puerum autem per duodecim dies apud se retinuit, et capellano suo ut curam de illo gereret, qui inciderat in latrones, tamquam bonus Samaritanus commisit. Is vero puerum benigne suscepit, et instar prudentis stabularii non minus spiritus, quam carnis gerens curam, non erogare ea tantum, quibus corpus de suis infirmitatibus convalescere posset, studuit: verum etiam supererogando ad ejus spiritum confovendum, per illius tam brevis temporis spatium in oratione Dominica, et primis fidei rudimentis, hoc est, in symbolo, sicut dicebat, parvulum Laurentium erudivit. Sic igitur puer convalescens de infirmitatibus suis, fortis factus ad majora, si juberet Dominus, toleranda, pro pace patriae passus exsilia, duodennis ab exsilio revertens, pacem populo reddidit, et gaudium universae terrae.

§ 4. Post dies autem duodecim adveniens pater, sollicitavit Episcopum, ut per sortem inquireret, quem de liberis suis ascriberet Clericali militiae, et divinis obsequiis dedicaret. Sed divinae praedestinationis electione jam Deo sortitus puer Laurentius hoc audiens, risisse fertur, et dixisse: « Non est opus, pater, sortitione. Ego, si permittis, Clericorum sortem ultro eligo; caetera autem tamquam vana, amatoribus mundi relinquo. » Puerilis autem animi audita comitate et dulcedine, pater subrisit, Episcopus et omnes qui audierunt, mirati sunt et gavisi, quod puer adeo nobilis, contempta haereditate temporali, quae ipsum contingere potuisset, Christum sibi in haereditatem elegit alacriter. Pater vero ei consentiens et gratulans, arreptâ ejus dexterâ, tamquam sinistram spernens, illum Deo obtulit, et sancto Coëngino, ecclesiae cathedralis regionis illius patrono devovit, jam dicti Episcopi curae eum nihilominus commendans, ut illum, qui se sponte sua divino ministerio mancipaverat, ministrum idoneum litteratura et moribus exhiberet.

§ 5. Datus igitur sanctae Ecclesiae perpetuo serviturus, velut alter Samuel ab Helcana patre suo, sub Episcopo, tamquam sub Heli, magistro fuit, quamdiu idem vixit Episcopus, qui eum docuit verbo pariter et exemplo. Sed qui eum elegerat Dominus, eum in schola Sancti Spiritus plenius edocuit, et multiplici varietate virtutum ornavit. Profecit proinde aetate et sapientia, profecit et gratia apud Deum et homines. Nam gratia Dei erat in illo, et naturalia corporis incrementa, spiritualium prosequebantur augmenta gratiarum. Eratque coelo totus inhians, mundum et mundana repudians, fervens in audiendo, sagax in repetendo, prudens in discernendo, sollicitus audita tenaci memoriae commendando. Nam in lege Domini fuit voluntas ejus, et in illa meditabatur

die ac nocte. Et dedit illi Dominus cor ad praecepta, et legem vitae et disciplinae, ut doceret postmodum Jacob testamentum Domini, et judicia ejus Israël. Electus itaque Domini Laurentius, olim a parentibus terrenis velut adeps separatus a carne, etiam tunc patrem suum spiritalem, virum religiosum, Episcopum Glindalacensem, inevitabili morte praeventum amisit: de cujus obitu tamquam pius filius condolens, summum patrem omnium majori, quam antea, devotionis ardore complexus est, cogitans quia omnis, qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiae. Quapropter agebat senem moribus, expers omnis lasciviae juventutis. Concurrebant in eo morum honestas, et scientia litterarum: et ex adjuncta scientia vitae sanctitas splendidius rutilabat, et ipsam scientiam honestas virtutum sociata Domino consecrabat.

§ 6. Igitur Dominus, servi volens in talentis creditis peritiam experiri, illum sui destitutum patroni solamine, cum annos natus esset viginti quinque, in Abbatem Glindalacensem, ecclesiae Clero et populo id postulantibus, promovendum curavit. Hujus vero ecclesiae nomen, a prima sui fundatione celebre et famosum tota Hibernia fuit. Ejus enim patronus beatus Coënginus ortus de stirpe regia, multis miraculis prae caeteris sanctis Hiberniae, in illa olim legitur effulsisse. In hac autem ecclesia et Episcopatus erat, et Abbatia. Sed Abbatia, quod ad temporales divitias attinet, raro exemplo, longe erat Episcopatu opulentior: quippe ubi nobiles in primis viros in totius regionis praesidium ab antiquo populus eligebat. Susceptum itaque hujus dignitatis gradum beatus Laurentius humiliter administrans, coepit se magis ac magis in vitae honestae dignitate, castitate et sobrietate, praeeunte divina gratia, exercere. In eleemosynarum largitate et caeteris misericordiae operibus videbatur, ut dignum erat, minister potius, quam Praelatus, ut dicere posses illud eum semper habuisse prae oculis: *Ducem te constituerunt: noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis* (*Eccli.* XXXII); non elatus de regimine, sed substratus de sollicitudine: non de generis nobilitate superbiens, quia virtute decet, non sanguine, niti; non de virtutum seu gratiarum donis insolenter tumescens. Primis igitur quatuor annis suae administrationis non habuit requiem servus Dei. Erat enim in tota regione illa intolerabilis rerum inopia, quae etiam victui necessaria hominibus negaret: maxime autem in pauperes flagellum hoc saeviebat. In quo cum vir Domini (ut erat valde compatiens, et erga afflictos pia gestans viscera), pro sua abundantia larga manu indigentibus subvenire satageret, nulli saltem commiserationis affectu defuit, seu benigni animi voluntate, sic omni petenti se tribuens, ut Evangelio parèret. A falsis quoque fratribus graves persecutiones sustinuit, qui invidiae facibus accensi, detractionis dente sinceram ipsius vitam rodebant: sed palpantes quasi caeci

parietem, non inveniebant ostium, per quod ad dignam ejus reprehensionem ingredi possent. Apparebat inter ipsos aurora, sed invidentiae caecati malignitate, sicut dicit beatus Job, arbitrabantur umbram mortis. Horum vir Domini mortis lividam nequitiam et dissimulationis cautela, et charitativa beneficiorum impensione viriliter superabat.

§ 7. Erat etiam in terra illa praedo quidam, genere nobilis, in hoc tamen degenerans, quod vespillonum et raptorum se gerebat principem: qui omnibus omnia pro libitu surripiens, magis autem in Abbatis Laurentii subditos insidiis grassabatur, nunc fraudulentia, nunc violentia manifesta saeviens. Quodam namque die occurrit detestabilis ille Abbatis hominibus, qui ex viciniis mel et frumentum ad populi sublevandam penuriam deferebant: et insiliens in eos, nefanda rabie laicos cecìdit, clericos spoliavit, foeminis vim attulit. Quod cum relatum esset viro Dei, ingenti moerore animi percussus, ascendit in domum Dei, nec cibum capere voluit. Cum enim clientulorum et amicorum carnalium numerosa multitudine vigeret, non superba temeritate praesumpsit ultionem divinam, sed ad humilem potius orationem se convertens, humiliter exspectavit Dominum, qui ab illis praedonibus populum misericorditer liberaret. Nam in fide et lenitate sua sanctum fecit illum Dominus. Unde et dicebat: « Tua est ultio, Domine: tu melius nosti tempus retributionis, et modum: » quod non multum post ejus orationem impletum est. Tertia namque die iniquus ille praedo, qui catervae latronum praeerat, permittente Domino in quorundam manus hominum devènit, qui comprehensum sine regis licentia, eo maxime, quod esse de stirpe regia diceretur, vita privare non audentes, orbatum oculis dimiserunt: qui et post non multum temporis vita functus est.

§ 8. Eodem etiam tempore tres magni latronum principes, qui multis sceleratis praeerant, tres turmas satellitum sibi collegerant, religiosisque personis et Ecclesiasticis ad sancti Coëngini et Abbatis Laurentii protectionem pertinentibus, molestias et damna plurima saepius inferebant. Quodam igitur die in via, quam sanctus Coënginus manibus suis construxisse dicitur trans paludes et aquarum scaturigines, dum in suis exspectarent latibulis, si quos spoliandi opportunitas se offerret: mox quatuor sacerdotes cum magna turba hominum transire comperiunt, qui Eucharistiam, sicut tunc moris erat pluribus, secum pro tuto viatico ac securo duce itineris publice deferebant. In quos ferociter irruentes, sacerdotes manu sacrilega spoliaverunt, nostrae redemptionis pretio, hoc est, Eucharistiae nullam reverentiam exhibentes: sed magis irreverenter tractantes, nefandis dentibus attingere et atterere praesumpserunt, et caeteros usque ad mortem fere verberibus affecerunt. Quo audito discrimine, coepit dolere non mediocriter Abbas Laurentius, peccatis suis imputans injurias suis

ubditis irrogatas, maxime cum pater patriae ipse diceretur. Qua onsideratione non de fastu honoris, non de nobilitate generis, on de potentia seculi superbe elatus, humiliter ad orationem onversus est, malensque persecutionis gladium in se, quam in uam plebem converti, jejunium sibi indixit, ut uno die naturali ec cibum, nec potum caperet: et ecclesiam ingressus cum suis lericis, Dominum incessanter deprecabatur, instar fidelis patroni, ro liberatione suorum insistens. Sed non longe post divina ultio n illos sacrilegos animadvertit. Octavo enim die illorum princies supradicti a quibusdam Regis ministris comprehensi sunt: t quamvis sic satis procul a civitate beati Laurentii capti essent, nus tamen ex illis, quasi non posset alibi inveniri patibulum, ecessitate divinitus compellente, ad Glindalacensem urbem peructus est, et in rupe eminentissima, ingredientium in ecclesiam, t inde egredientium obtutibus exposita, suspensus interiit: ut bi de flagitioso aequum Dei agnoscerent judicium, ubi contra cclesiae libertatem illum nequiter deliquisse constabat. Reliqui uo ejusdem nequitiae consortes, in via illa qua sacrilegium peretrant, suspendio necati sunt. Quibus ita sublatis, tranquillitas atriae, et viatoribus securitas restituta est, requiemque dedit eus famulo suo ab omnibus inimicis. Ita nimirum similem eum ecit Dominus in gloria sanctorum, et magnificavit eum in conpectu inimicorum, et in verbis suis monstra placavit. Glorificavit um in conspectu populi sui, et civitas Glindalacensis magni lim, ut supra dictum est, nominis, tanto irradiata sidere, non arum in tota regione illa honoris et reverentiae consecuta est.

§ 9. Igitur quatuor his annis ita peractis, pax reddita est oti regioni, et copiosa fertilitas praeteriti temporis inopiam mire upplevit. Unde Abbas Laurentius, charitate fervidus, ad opera haritatis totus accinctus, copiam rerum ipsi allatam, pauperibus utriendis et ecclesiis aedificandis abunde impertiit: cumque ivitiae ejus, licet plurimae, benignitatis et charitatis ejus sumtui non responderent, thesaurum patris sui, quem custodiendum cceperat, pauperibus totum distribuit, et quaecumque invenire oterat manus ejus, multivariis charitatis officiis liberaliter dipergendo, per manus indigentium in coelos transmisit: ut, queadmodum de sancto Levita et martyre Laurentio, cujus nomen on sine praesagio meritorum adeptus fuerat, sic et de illo veaciter dici possit: *Dispersit, dedit pauperibus: justitia ejus maet in seculum seculi* (*Ps.* III). Certe si electus Dei inter mundi candala, inter antiqui serpentis sibilos, et fragilis carnis blanitias laesus aliqua ex parte fuerit (non est enim homo justus in erra, qui faciat bonum, et non peccet), charitatis affectus, qui rat insignis in illo, operire poterat multitudinem peccatorum. niversa enim delicta, ut habet Salomonis proverbium, operit haritas; et si peccavit multum, remissum est ei, quoniam dilexit

multum. Porro multas infirmitates tam manuum impositione, quam oris anhelitu salutifero sanavit: pejerantesque omnes, man eis imposita, quod prius celaverant, cogebat confiteri.

§ **10**. Interea contigit, ut Glindalacensis Episcopus, qui pe id tempus praeerat, vitae diem extremum ageret, sedesque cathe dralis ejus obitu vacaret. Ea igitur sic pastore tamquam commun spiramine destituta, sanctus Abbas Laurentius ad pontificali honoris cathedram ab omnibus magna instantia et concordia pe tebatur. At ille suo more humiliter de se sentiens, petenti resti tit populo, aetatem immaturam provide sapienterque praetexens Nec tamen humilis ejus excusatio postulantium devotam superas set instantiam, nisi divina obstitisset providentia, qua dictante scriptum est: *Advocatus a potentiore, discede: ex hoc enim te ma gis advocabit* (*Eccli.* XIII). Quod de beato Laurentio suo tempor factum est. Dominus enim ad majora et multis utiliora eum re servans, quia fidelis et prudens servus super creditis sibi talenti fuerat, illisque contentus, non pusillanimitate, sed humili timor ductus, Episcopus fieri recusavit: postea Archiepiscopi eum inful cohonestavit. Nam post non breve tempus Gregorius Archiepisco pus Dublinensis ad patres suos collectus est. Ejus sede vacante permulti ambitione caecati, generis nobilitate et litterarum scienti tumentes, dignos se illo praesulatu existimabant. Sed eos, ut im probos, depulit Dominus ab honore, quippe qui superbis resistit humili autem et mansueto Laurentio apud electores tantam con ciliavit gratiam, ut cum de eligendo pastore tractaretur, subito afflatu Spiritus Sancti, eorum animi Abbatis Laurentii celebri me moria afficerentur. Namque et generis nobilitate, et morum ho nestate erat apud eos clarissimus, et juxta Apostoli doctrinam de constituendo Episcopo Timotheum et Titum admonentis, irre prehensibilis Dei dispensator, non superbus, non iracundus, non vinolentus, non percussor, non turpis lucri cupidus: sed hospi talis, benignus, prudens, sobrius, justus, continens, amplectens qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem: ut sollicite se ipsum praebeat bonorum operum exemplum, in integritate, in gravitate: ut is, qui ex adverso erat, vereretur, et oppilaretur omne os iniqua loquentium, cum nihil haberent mali de illo di cere. Itaque omni mox sopitâ discordiâ, diversas eligentium vo luntates Spiritu Sancto in unam conflante, beatum Laurentium elegerunt in Archiepiscopum et pastorem (sed valde invitum, diuque renitentem, et in ipso honorê onus pensitantem). Et onus quidem prosternit debiles; honor autem pusillanimes dejicit. In illo autem non allevabat onus honoris ambitio, sed potius oneris gravitas honorem declinandum probabat. Librabat enim montes in pondere, et colles in statera: quod pauci faciunt. Quorum pau citatem admirans Isaias, exclamat: *Quis libravit in pondere mon tes, et colles in statera?* (*Is.* XL). Si montes libremus in pondere

suo, majus eorum pondus est, quam altitudo. Illorum enim altitudo superari potest et pedibus calcari: pondus vero eorum quis ferat? Per montes autem intelligimus dignitates, quae plus habent oneris, quam honoris; quae despici quidem possunt, sed sustinere eas quis possit? Colles quoque libremus in statera, quantus ascensus eorum, tantus et descensus comperietur. Sic et in dignitatibus, quae per colles designantur, si ascenditur ad praelationem, descenditur ad servitutem. Librans igitur animus sancti viri montes in pondere, et colles in statera, onus in honore, et servitutem in praelatione pensabat: sicque fiebat, ut consideratio servitutis et oneris, omnem appetitionem praelationis et honoris ab ejus animo averteret. Tandem tamen se jactans in Dominum, desiderio fructus suscepit laborem, et a Gelasio totius Hiberniae primate, in ipsa Dublinensi Ecclesia, multis Episcopis praesentibus, gratias agente populo, consecratus est.

§ **11**. Beatus igitur Laurentius pontificalem adeptus infulam, diligenti studio satagebat, ut esset subditis suis forma sanctitatis, et totius honestatis exemplum: ne praedicantem vel docentem contraria remorderet conscientia, sed potius praedicationem vitae sanctimonia commendaret. Decet enim majorem natu, decet et illum, qui primus est in Ecclesia, sic pronunciare verbum scientiae secundum doctrinam, ut non impediat musicam. Impeditur autem melodia musicae, si laudatur Dominus in sono tubae, et non laudatur in psalterio et cithara. Laudetur ergo Dominus in tubali praedicationis sono, et consonet psalterium, concordet et cithara; ut una sit harmonia sive consonantia praedicationis, quae per tubam intelligitur; et executionis decem mandatorum, quam decachordum psalterium designat; itemque mortificationis carnis, quam cithara significat. Itaque mox ut indutus est beatus Laurentius stola gloriae, etiam vasis virtutis expetiit coronari. Circumcinxit ergo se zona justitiae, circumpedes, et femoralia, et humerale sibi imponens, tunicam talarem totam cilicinam non tantum induens, sed carni assuens, cujus cilicii asperitate, et vermium multitudine succrescente perforabatur caro sancti pontificis: ut ex interiori ardore spiritus flamma exterius resultante, ipsa caro velut in frixorio coqueretur. Sicque clavum clavo retundens, punctiones punctionibus rèprimens, proprium corpusculum exarabat: extra hoc est, ex carne primo maledicto supposita, spinas et tribulos eliminare contendens: ut sic acervum frugum posset sibi cumulare in posterum. Sic attendens sibi pastor egregius, de omni corde suo satagebat laudare Dominum, in divinis officiis assiduus et devotus: diligensque decorem domus Dei, ut amplificaret cultus divini sanctitatem, et sacris altaribus debitam praestaret reverentiam, constituit ad sacrum Domini ministerium viros idoneos ordinare, ne propter servitores servitia Domino displicerent, sicut scriptum est: *Ne offeratis ultra sacrificium frustra*,

Incensum vestrum abominatio est mihi. Neomeniam, et sabbatum, et festivitates alias non feram (*Is.* I); et subditur causa: *Iniqui sunt coetus vestri.* Ideo vir sanctus et timoratus sive religiosus, honestatis amator, et zelator religionis, operam dedit, industriamque adhibuit, ut clericos seculares, qui in Ecclesia Dublinensi erant instituti Canonici, secundum exteriorem et interiorem hominem mutatos in melius, in regulares canonicos transformaret. Et ut hoc summi Pontificis auctoritate confirmaretur, duos e canonicis suis misit Romam, propter usum et consuetudinem Arroacensis ordinis: per quos sancti viri desiderium adimpletum est. Fecitque regulares stare cantores circa altare, ut laudarent nomen Domini: et dedit in celebrationibus decus, et in sono eorum dulces fecit modos.

§ **12**. Ut autem Domino suo securius militaret, spiritualis certaminis milites electos ordinans, armisque eorum et signis se muniens, habitum Canonicorum regularium et vivendi normam accepit, eique convenienter vivere studuit. Nam pene continue, dum ei licebat, cum canonicis illis edebat in refectorio, locis et horis congruis sive debitis servabat silentium, ad matutinas singulis fere noctibus cum illis in chorum ingrediebatur, una cum eis vigilias et laudes Domini celebrabat. Sciens autem scriptum, *Vigilia honestatis tabefaciet carnes* (*Eccli.* XXXI); devotione ferventi vigilabat in orationibus, et attenuabat carnem suam. Finitis enim matutinis laudibus, caeteris ad lectos redeuntibus, ipse in ecclesia remanebat, etsi non semper solus, tamen ut solitarius: ibatque pro consuetudine ante signum Dominicae passionis, ubi velut in speculo vitae, contemplabatur aeneum serpentem, elevatum in stipite Crucis, et ejus dulci memoria sanabatur a languoribus suis, psallebatque Domino cum tremore: et nunc stando, nunc sedendo, nunc etiam flectendo genua, totum Psalterium resonabat. Affirmatum est equidem a fratribus religiosis, qui prae caeteris frequentius orationibus insistebant, quod vir sanctus cum praedicta Cruce dulcissimum habebat colloquium: de qua multa mirabilia memorantur, quae magna peregrinorum veneratione ab antiquis temporibus frequentatur. Facto vero die, exibat in coemeterium, et illic aliquantisper deambulans commendationem fidelium defunctorum percantabat.

§ **13**. Cumque non ignoraret illud Ecclesiastici, *Servum inclinant operationes assiduae* (*Eccli.* XXXIII): carnem suam vigiliis et jejuniis exsiccatam, et asperitate cilicii, ut supra dictum est, exaratam, reducto paululum cilicio verberibus exponebat, terque ad minus in die se virgis caedi volebat ab aliquo familiari, qui tacere nosset: excutiebatque per confessionem, adjunctis virgarum scopis, si quid ejus sanctae animae pedibus mundani pulveris adhaesisset. Etsi autem ejusmodi virgarum castigationibus et orationibus carnis coërcèret malitiam, at tamen in omnibus

discretionis moderamen adhibebat, nec sine judicio flagellabat carnem propter dictum illud Sapientis : *Si non obedierit servus, curva illum compedibus: verum sine judicio nihil facias grave*(*Eccli*. XXXIII). Nam Apostolus ad perfectam carnis mortificationem nos invitans, cum praemisisset, *Obsecro vos per misericordiam Dei, ut exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem:* subjecit, *Rationabile obsequium vestrum* (*Rom*. XII), videlicet secundum ethnicum, ut ne quid nimis. A carnibus quidem semper abstinuit, postquam canonicus fuit: omni vero tempore a desideriis carnalibus. Sextâ feriâ solo pane vescebatur et aquâ, et frequenter nec panem sumebat illo die, nec aliquid refectionis corporalis, cibatus solo pane et aqua doloris ex compassione Crucis Jesu Christi, cum quo se animo crucifigebat. Saepe etiam panem lixivio mixtum solebat edere, ut posset dicere cum Psalmista: *Cinerem tamquam panem manducabam, et potum meum cum fletu miscebam (Ps*. 101).

§ **14**. Erat vero multum liberalis non solum pauperibus, sed et divitibus, hospitalis et discretus, unumquenque sic, ut decebat, suscipiens, pauperum inopiae succurrendo, divites vero invitando suis beneficiis ad sectanda charitatis opera: ut simul dives et pauper ab uno acciperent non solum temporale subsidium, sed et consilium spiritale. Sic enim decebat pastorem bonum pascere gregem suum. In omnibus autem, quibus posset popularem excitare favorem, caute se gerebat, inanem gloriam et lupinam hypocrisim tamquam pestem èvitans. Nam propriae carnis macerator, amator abstinentiae non tantum hospitibus se splendidum in panibus, ferculorum varietate atque potus diversis generibus exhibebat: verum etiam cum illis aliquando discumbens, et inter multas epulas cibis vilioribus utens, aut edere se simulans, pia quadam simulatione communem se illis ostendebat. Et quod est argumentum mirae prudentiae, saepe merum bibere credebatur, cum non esset merum, sed aqua potius modici vini admixtione sic tincta, ut vinum a discumbentibus putaretur. Singulis autem diebus pauperes sexaginta, aut quadraginta vel minimum triginta in conspectu suo refici faciebat, exceptis aliis pauperibus, de quibus infra dicemus.

§ **15**. Erat autem vir sanctus admodum procerae et elegantis staturae. Vestimenta ejus nec nitida nimium, nec abjecta plurimum, sed ex moderato et competenti habitu erant. Exterior ejus habitus, propter rudem et servilem populum, auctoritatem et reverentiam pontificis prae se ferebat : medius vero, canonicum regularem : ad carnem, cilicia et talaris interula, poenitentem. Per haec et alia beatus pontifex tamquam sapiens architectus seipsum dabat, in similitudinem picturae, exemplum bonorum operum, et sculpebat in subditis signacula sanctitatis, et assiduitate sua variabat picturam : et in lege Domini judicabat congregationem

et in fide sua probatus est, et cognitus est in verbis suis fidelis. Transigebat noctem sicut diem, et vigilia sua perfecit opus, et in diebus suis suffulsit domum Domini, et corroboravit templum, et praevaluit amplificare civitatem Dei, et adeptus est gloriam in conversione gentis suae. Nam in diebus ejus prosperata est plantatio illa Dei novella, ut verum esset quod scriptum est: *Servivit Israël Domino cunctis diebus Josue* (*Jos.* XXIV).

§ **16**. Non est autem ex toto silendum, quod beato viro ex abbatis minori officio in pontificem sic translato, praedictus Rex Dermitius quemdam Clericum successorem ejus violenter constituit, et contra jus consuetudinis, quo tam Clerus quam populus ibidem Abbatem eligere consueverat, in dictam Abbatiam, illis reclamantibus, eum irreverenter intrusit. Sed is tamen, ne Evangelicum illud non impletum abiret, *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus, eradicabitur* (*Matth.* XV); tam a dignitate, quam ab officio postmodum amotus est. Clero autem et populo in jus eligendi restituto, nepotem quemdam S. Laurentii, Thomam nomine, juvenem praeclarum moribus et scientia, sanctique pontificis convictu atque consortio clariorem, in Abbatem Glindalacensis Ecclesiae concorditer elegerunt. In quo facto non defuit Dominus servo suo, de quo scriptura dicit: *Bonus relinquit haeredes filios et nepotes* (*Prov.* XIII); et iterum: *In semine sanctorum permanet bona haereditas, et nepotum ipsorum semen in testamento stetit* (*Eccli.* XLIV). Hunc igitur cum sanctus, non propter propinquitatem carnis, sed magis charitate spiritus, prae caeteris impense diligeret, ita ut etiam secreta sua ei secure committeret, civitatem Glindalacensem deinceps tanto frequentius, quanto libentius visitavit. Nam prope civitatem ad tria milliaria locus erat secretus, et B. Coëngini frequentia consecratus, quem prae aliis tanto specialius elegit, quanto ejus sancti viri virtutes studiosius imitari satagebat. Is vero locus non in hominum conspectu, sed in miranda solitudine esse dicitur. Nam ex una parte rupes ex alto pendens triginta cubitis, ad hunc locum transitum denegat: ex altera stagnum non modici ambitus, totidem cubitis in profundum descendens, a parte sua navigium * pandit. Nec tamen sine fontis dulcedine locus est. Nam ex eadem rupe rivulus sonorus, dulcissimas fundens aquas, erumpit, habitatori loci non parum praebens solatii, consitis arboribus sive herbis continuum virorem ministrans: apud quem rivulum etiam salix mirifica reperitur, poma ferens usque ad hiemale S. Martini festum crudissima, ut vix a quoquam tum possint degustari. Appropinquante autem nativitate Dominica, celeriter maturescunt, solis infirmis pro medicinali remedio reservanda. Locus autem inferior, ei concavitati subjacens, a duodecimo Calendas Octobris usque ad

* Navigium pro *navigatione*.

octavum Calendas Martii, solis lumen non accipit, immo quaedam ejus pars, solis radiis nunquam illustratur.

§ **17**. In ea autem concavitate, quam S. Coënginus suis manibus effecisse dicitur, B. Laurentius persaepe latitans, contemplativis deliciis illic devotus perfruebatur, de corpore suo minime sollicitus. Sed tamen in multa necessitate ei deesse nolens, ter tantum in hebdomada panem et aquam, interdum etiam olus ei praebebat, tamquam alter Moyses contemplationis divinae suavitate refectus. Ibi ergo morans per quadragenas, hominum non admittebat frequentiam, nisi jam dicti Abbatis nepotis sui, qui ei cibum, qualem diximus, subministrabat: ad eumque causas et negotia populi, et ad populum sancti sacerdotis responsa atque consilia referebat. Erat autem accessus ad eum per scalam: cujus ima pars in aqua figebatur, superior tenebatur ad rupem. Neque tamen ex hoc ipso loco egredi sancto viro molestum erat, si urgente negotio subditis suis id necessarium cognovisset: sed velut alter Moyses in ingressu tabernaculi et egressu, Rachelis et Liae, Mariae et Marthae pro loco et tempore, in se facies varias transfigurabat. Sic autem implebat fidelis pastoris et prudentis rectoris officium, non propter improbam agendorum instantiam, contemplationem negligens: aut propter contemplationis studium, agenda postponens. Videbatur autem populo barbaro, cornuti Mosi similitudinem afferre ex frequenti collocutione cum Domino. Nam sermo ejus instar faculae ardebat, radios vibrabat igneos: dixisses stimulos et quasi clavos in altum defixos. Ibat vir sanctus per arma justitiae a dextris et a sinistris, detruncans cruentas acies vitiorum, praedicans assidue verbum Dei, et opus faciens Evangelistae: instans opportune, importune: arguens, obsecrans, increpans in omni patientia et doctrina, ne de manu sua requireretur sanguis commissi sibi populi pereuntis. Ducebatur enim ad mortem populus Dubliniae, vel potius jam perierat infami ternario vitiorum, puta concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum, et superbia vitae. Ex quibus, tamquam ex fontibus venenatis, oriuntur et dimanant rivuli mortiferi totius iniquitatis, ebrietates, crapulae, et earum comes ignis luxuriae, contentiones, rapinae, injuriae mutuae, et alia mala infinita. Quibus vitiis cum cives suos videret beatus pontifex irretitos, dolebat plurimum, et speculator constitutus a Domino super speculam suam stetit jugiter per diem, et super custodiam suam totis noctibus: et quod audivit de ore Domini, verbum annunciavit populo subdito sibi. Vidit enim et praedixit, post vitia secutura supplicia, injurios plectendos injuriis, luxuriosos incendiis vastandos (luxuria namque ignis est, usque ad perditionem devorans, et omnia virtutum eradicans genimina), et homicidas caedibus perdendos. Per quae enim peccat quis, per haec et punitur.

§ **18**. Veniente ergo gladio Domini, ut pastor saepe praedixerat,

non longo temporis intervallo, rex Dermitius, adjuncto sibi Richardi Comitis auxilio, cum multa Anglorum caterva Hiberniam ingressus, Dubliniam magna vi cepit, captam succendit igne, bona civitatis diripuit, et homines interfecit. Atque ita, secundum vaticinia viri Dei, misit in eos iram Dominus et vindictam, et reddidit illis iniquitatem eorum. Beatus autem Laurentius instar Jeremiae, testis extitit stragis populi sui: ubi etiam multis affectus injuriis, rebus eorum, quantum ipse poterat, defensis et munitis, morti sese pro illis exponere neutiquam formidavit. Corpora etiam caesorum pius pastor inter manus hostium adhuc palpitantia rapiebat, et velut alter Tobias, festinabat Christianae tradere sepulturae. Si quos autem post stragem invènit superstites, quibus poterat facultatibus, iis succurrebat. Majori tamen affectu movebatur in illis, quos prius viderat felicitate uberiori florere, et subito quidem, sed tamen justo Dei judicio, in summam miseriam conjectos esse. Inter omnia autem malorum genera, summum in miseriis infelicitatis genus est, fuisse felicem. Clericos praeterea, contra impetum gentis superbae, quae civitatem obtinuerat, in suis locis permanere posse, non sine magnis periculis impetravit: quibus etiam libros et ornamenta ecclesiae ipse, cujus bonis temporalibus et ecclesiasticis non pepercerat hostilis iniquitas, immo potius universa rapuerat, vel vastaverat, prudenter et strenue restituenda curavit.

§ **19**. Quodam tempore vir beatus pro Ecclesiae suae negotiis in Angliam profectus, ad Regem Henricum venit Cantuariam *; ibique, ut decuit, susceptus in ecclesia sanctae Trinitatis a monachis, ob impetranda suffragia S. Thomae gloriosi martyris devote pernoctans, in crastino monachorum precibus Missarum solemnia celebrare disposuit. Cumque pontificalibus vestibus processisset ornatus, quidam fatuus audiens eum virum sanctum et religiosum esse, simplici sui fatuitate vel fatua simplicitate sibi persuasit, se recte et pie facturum, et praemia posse divina promereri, si tam beatum virum sancto Thomae reddat martyrio parem. Mox igitur animi sui conceptum volens perficere, fustem ingentem arripuit, et per medium irruens populum in beatum antistitem, totis viribus eum in capite percussit. Ille vero percussus, statim corruit ad cornu altaris, graviter vulneratus. Id videntes monachi, et omnes qui aderant, cum multo dolore et lacrymis in faciem se prostraverunt, credentes pontificem lethaliter vulneratum. At vir sanctus post brevem morulam levato capite, dare sibi aquam in vasculo postulavit; et super eam dicens orationem Dominicam, eamque benedicens signo sanctae Crucis imposito, lavari ea vulnus capitis imperavit. Quo facto, cessavit fluxus sanguinis, et protinus vulnus sanatum est: sicque sanus effectus, inchoata Missarum solemnia celebravit. Quod qui vidit,

* *Canterbury.*

testimonium perhibuit. Ipsum autem vestigium vulneris semper mansit in capite: et nunc in ipso capitis cranio, deficiente ossis particula, fractura cernitur apparere. Jubente vero rege suspendi fatuum illum, beatus pontifex vix precibus obtinuit, ne quid mali hac de causa illi inferretur.

§ **20**. Alio tempore cum de Regis Angliae curia remearet, venit in Walliam *: ubi diu ventum exspectans prosperum, taedio angebatur. Erat autem in illis partibus quaedam ecclesia in honorem beatae Virginis apud castrum cujusdam divitis, ejus expensis recens aedificata, cujus lateri homo quidam perpetuo se incluserat, ut Deo liberius adhaereret. Huic igitur viro Dei nocte apparens Virgo sancta, ornatu et facie reverendissima, sciscitabatur cur sua ecclesia dedicata non esset. Cui cum anachoreta responderet, Episcopum dioecesanum diu abfuisse: « Ego vero, inquit illa, nolo eam ab eo dedicari. » Ecce adest Laurentius Dublinenensis Archiepiscopus, cujus praestolabar adventum, ut ipse meam ecclesiam consecraret. Et hoc ei signum, quod ventum vel transitum non obtinebit, donec meae satisfecerit voluntati. » Ad haec experrectus homo et territus visione, facto jam die, misit pro castellano, ejus ecclesiae fundatore, totamque ei patefecit ex ordine visionem. Is mox ad Archiepiscopum properans, eum ad suum castrum invitavit, susceptumque honorifice procuravit: factaque coenâ, precabatur eum, ut illam ecclesiam consecrare dignaretur. Vir sanctus respondit, id sibi non licere; castellanique precibus assentiri modis omnibus renuit. Videns id castellanus, non cunctatus est viro Dei minas beatae Virginis indicare, totam anachoretae visionem per ordinem commemorans. Quam sanctus vir mente pertractans, vidensque secundum Deum sibi non esse illicitum, sed permissum, divinae visioni devotisque precibus assensum praebens, ecclesiam postridie dedicavit. Cumque Missam et divina officia peregisset, gustato pane cum suis navim ingressus, cursu prospero ad portum desideratum pervenit. Ex eo tempore innumera fiunt miracula in ecclesia illa, divinaque indigentibus beneficia praestantur.

§ **21**. Rursus beato viro in Angliam cum tribus navibus contendente, in mediis maris vorticibus tempestas saevissima extitit, ita ut pene naves et homines mergerentur. Jamque nautis spe omni evadendi periculi propemodum destitutis, quidam melioris spei vir, conversus ad sanctum praesulem, dixit: « Domine, ecce perimus: succurre nobis tuis sanctis precibus. » Illo igitur flexis genibus Deum deprecante, statim mare quievit, cessavitque tempestas, ita ut possent homines admirari et dicere: *Quis est hic, quia venti et mare obediunt ei?* (*Matth.* VIII).

§ **22**. Alio quoque tempore properanti ei in Angliam, et jam navim ingresso, quidam e civibus Dubliniae comites se adjunxerunt,

* Britanniae Majoris regio, cui *Galles* nomen est.

sub tanto pastore pericula maris se evasuros confidentes. Et ecce cum jam securius mare sulcarent, subito commotis fluctibus, ventisque saevientibus, tempestas horribilis exorta est, adeo ut praesentem intentarent omnia mortem. Congregati ergo omnes ad patrem et patronum Archiepiscopum, anxie precabantur, ut suo interventu ocyus ipsis succurreret, mors enim in januis videbatur. At secretarius et amicus Dei : « Confidite, inquit; nemo vestrum peribit; sed audite consilium meum, et iram Dei devotionis muneribus placate! Ad ejus enim, ut nostis, et beatae Virginis matris ejus honorem, Dubliniae ecclesiam novam construimus: ad quam perficiendam dare vos moneo de fructu operum ejus, qui vobis omnia largitur: sicque promitto ego vobis in Domino, tranquillitatem maris absque vestro et rerum vestrorum periculo citius adfuturam. » Mox illi ad Archiepiscopum bona et alacri voluntate multa donaria apportant. Erat enim navis illa multis referta divitiis. Ille vero gaudens in Domino, brevi et devota oratione penetrat coelos; statimque mari subsidente, et tranquillitate restituta, Deum et sanctum ejus pontificem omnes pariter collaudant.

§ **23**. Emergentibus autem causis quibusdam Ecclesiae suae, pastor strenuus vigilans super gregem sibi commissum, summum Pontificem adire decrevit: Romamque feliciter perveniens, adjutus Domini gratiâ, propositum implevit. Cumque pro libertate Hiberniae Ecclesiae facunde satis egisset, et animi ejus benignitas atque prudentia manifeste innotuisset, regressurus ad propria, Legatus totius Hibersae a domino Papa constituitur. Reversus inde prospere in Hiberniam, commissae sibi legationis officium cum magna totius Ecclesiae libertate exequi satagebat. Quaecumque religioni, vel ecclesiarum officiis, vel honestati clericorum deesse videbat, ea sufficienter et honeste supplebat, superflua resecabat, recte disposita inviolabiliter observari volebat; eratque in zelo legis Domini velut ignis, et quasi adeps separatus a carne. Intantum autem ministrorum ecclesiae execrabatur immunditiam, castitatis et honestatis zelator, tamque eos ad continentiam provocabat, ut omnes tam subdiaconos, quam diaconos vel presbyteros, si incontinentiae convicti essent, licet tamquam Archiepiscopus posset, tamen nollet absolvere : sed ad Romanam Ecclesiam, a summo Pontifice absolvendos, destinaret, ita ut quodam tempore, quod dictu mirum sit, centum quadraginta presbyteros de incontinentia convictos, Romam miserit absolvendos. Cupiebat enim omnes sui similes efficere, et quam in se sectabatur munditiam, eam etiam a subditis requirebat, lumbos suos non zonâ pelliceâ, sed aspero cilicio constringens. Itaque Apostolicum illud, quod re ipsa praestabat, ore quoque jubebat: *State succincti lumbos vestros in veritate* (*Ephes.* VI).

§ **24**. Cum autem sic legationis suae fungeretur officio, et

coelestis vitae pabulo populum reficere conaretur, temporalium rerum inopia totam Hiberniam miserabiliter occupavit. Itaque humanissimus pastor, assuetus olim operibus pietatis et benignitatis, videns tempus acceptabile, tempus miserendi, foenerabatur Domino, dum miseretur pauperum: totusque inopum commiserationi addictus, pensatis eorum miseriis, egestatem illorum suam existimans, pro facultatum suarum copiis, sed non largissimae charitatis suae votis, illis opitulabatur et succurrebat. Quingentos namque pauperes, extremâ penuriâ oppressos, per triennium quotidianis sustentabat eleemosynis, exceptis aliis plus minus trecentis, quos per Episcopatum suum vestibus et alimonia donabat, quibusque necessaria omnia ministrabat. Multae etiam foeminae egestate afflictae, parvulos suos, quos nutrire non poterant, necessaria quadam cautela ad ostia ejus deponebant, itemque aliis diversis locis, per quae illum noverant transiturum. Sciebant enim in eo maternum inesse affectum, nec posse deesse eis: quippe qui gremium pietatis omnibus expandens, nemini se negabat. Ille vero non immemor paupertatis et pueritiae, quam pro nobis Jesus Christus assumpsit, qui in die judicii dicturus est: *Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv); quique alibi dicit: *Quicumque susceperit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit* (*Matth.* xviii): pium se puerorum nutritium exhibebat, eosque per diversa dioecesis suae loca hominibus et balivis suis nutriendos et diligentius custodiendos commendans, eis necessaria omnia suppeditavit. Et cum talium sit regnum coelorum, ipse jam exultans in coelis, frequentius in terris puerorum miseretur. Erant autem id genus pueri ferme ducenti, quandoque plures, quandoque pauciores: exemptis nonnullis pauperibus, de quibus jam dictum est: et parvulis, quos in domo sua bonus Christi nutritius procurabat. Cum autem hi pueri jam adulti essent et enutriti, tradi singulis crucem ligneam jubebat, quas signi cujusdam loco ferentes, circuibant provinciam: atque ita ab ejus praefectis et aliis, nomen Dei et pontificis venerantibus, vitae sustentandae consilium et auxilium eis impendebatur.

§ 25. Per id tempus, multiplicatis malis in terra, cum sanctus pontifex die quodam a Dublinia Wassofordiam iter haberet, quidam e militibus Regis, Wilhelmus nomine, se comitem ei adhibuit, ne forte si solus esset, incideret in latrones. Sed et scriptor quidam cum uxore sua parvuloque infante, tamquam securius iter jam facturus, illis se junxit. Ingredientibus autem his nemus quoddam, latronum latibulum, viginti quatuor loricati latrones e latebris prodierunt, simulantesque se velle parcere pontifici et suis, petebant, ut militem ipsorum traderet voluntati: ipse vero cum suis clericis, illaesus abiret. Sed vir sanctus respondit, malle se interfici, quam illis militem jugulandum

permittere. Tum illi furiis agitati, in clericos ejus saevius irrue runt, et scriptorem antedictum crebro irrumpendo occiderun Ejus autem uxoris misertus Episcopus, postea quae ad victum v stitumque pertinent, perpetuo illi subministavit: puerum vero li teris erudiendum curavit, et quoad vixit, inter Clericos suos illu numerari voluit. Porro latrones lanceam in militem vibrante misericorditer sese interponentis Episcopi equum confoderun sicque miles equi praesidio de eorum manibus ereptus est. Pra sul vero spoliatis clericis, variis affectus injuriis, in proxima veniens civitatem, latrones illos per internuncios admonuit, a sua malitia abstinentes, veniam impetrarent: ni id facerent, cum omnibus ejus civitatis presbyteris in eos excommunicatio sententiam pronunciaturum. Illis autem omnem poenitentiam correctionem respuentibus, eos excommunicavit. Quod cum i cognovissent, et quemadmodum fieret excommunicatio, inquisi sent, dixerunt: « Excommunicemus et nos Archiepiscopum: » accipientes exta bovis furto ablati, loco stolarum, et accen lignorum faculis loco candelarum, instar luporum ululaba Clericos irridentes, anathema legentes, et in derisum Ecclesi etiam in aqua ipsas faculas exstinguentes. Ex iis unus poste die, licet quadruplici tectus veste, frigore satis temperato et t lerabili extinctus est. Tertio inde die malitiae eorum dux itide peremptus est, atque ita alii post alios intra annum unum p rierunt.

§ 26. Quidam e ministris Archiepiscopi quandoque, non absq sua fortassis culpa, Dubliniae ad patibulum trahebatur. Cumq jam ad suspendii locum pervenisset, rumor ejus rei ad Archiep scopum perlatus est. Illico surgit ille, sequiturque hominem, eum liberet. Videns autem unus e carnificibus praesulem venie tem, timensque ne infelix ille ex eorum manibus auferretu caput misero praecìdit. Id cernens Episcopus, multumque dole ereptum sibi hominem, in ejus percussorem maledictionis fulme intorsit. Cumque ille cum sociis Dubliniam rediret, in ponte ca dens coxam fregit, et ex eo vulnere brevi vitam amisit, manifest divinae ultionis judicio. Sic Dominus, quantae sanctitatis et gra tiae apud ipsum esset beatus Laurentius, et quod ejus verba pondu haberent, saepius declaravit.

§ 27. Duo viri Dubliniae in loco sacro latrocinium perpetra runt: sed pro meritis suis percussi a Domino, protinus amente effecti sunt, ligatique ad ecclesiam sanctae Trinitatis, et ad Archie piscopum adducti sunt. Quos cum ille vidisset, misericordià motu erga illos, data benedictione, jussit eos a vinculis expediri. Ill soluti, in faciem corruentes, diu tamquam exanimes jacuerunt Tandem surgentes incolumes, viro Dei pro salute recepta gratias egerunt. Quod ille, ne facerent, more suo prohibebat, et ut soli Deo gratias agerent, verecundus et humilis hortabatur.

§ 28. Quandoque vir sanctus cum duobus Episcopis et Abbate homa nepote suo ad concionem quandam properabat. Cumque pud pagum quemdam horas Dominicas cantaturus descendisset, omo quidam adveniens ad eum exclamavit: « Praesentiam tuam, omine, non equitum multitudine gloriari decet, sed in eo potius, t aegrotis et afflictis succurrere studeas. Est in Ecclesia hujus agi proxima femina quaedam nobilis, quae ab immundo vexata piritu, nuper mente capta est. Ad eam igitur ire te decet, et fundere preces pro ea ad Dominum, ut tuis flexus precibus, illam mare dignetur. » Percepta ea simplicis hominis petitione, Archiepiscopus jubet ire Thomam Abbatem, et orare pro ea. At ille odis omnibus recusabat vel limina ecclesiae attingere: intantum l genus homines horrebat. Praecepit ergo idem Episcopo Kildaensi Malachiae. Sed is itidem se excusans, ajebat se non tanti esse eriti, ut daemones expellere possit. Jubet tandem vir Dei, ut lemens Episcopus eat. Qui sua simplicitate libenter se iturum espondit. Erat is vir magnus et calvus. Cumque eum daemoiaca conspexisset in ecclesiam intrantem, mox ei calvitiem objecit, addens etiam contumeliam per mendacium: « O calve vissime, inquiens, qui semper meretricio te jungis contubernio, uid hic a me requiris? » Simulque arripiens lapidem, jactavit eum. At Episcopus et contumeliam, et horrorem non ferens, d Archiepiscopum cum timore pudefactus rediit. Tum demum ir sanctus ut simulationem, sic arrogantiam vitare volens: « Ego, quit, si sic necesse est, eam in nomine Patris et Filii et Spiritus ancti visitabo. » Cumque ad ostium ecclesiae venisset, Crucis gnaculo et eam, et feminam consignavit. Eum autem ut vidit iserabilis mulier, multa in eum probra et convicia conjecit. ed ille vir misericors, ejus miseriae misertus, de Domino non iffidens, ligari eam praecepit. Et cum manibus eam attrectasset, ectori ejus Crucis signum impressit, et aquam benedictam ori us infudit, humique prostratus, Dominum pro ea suppliciter et reviter oravit. Inde recedens, cum triduo post eo revertisset, ivenit eam sanae mentis, et jamdudum ipsius reditum praestontem. Illa vero mox ad eum accedens, multis precibus nocte la retentum, cum omnibus comitibus ejus honorifice procuravit, eximii amoris signum crebro ejus manus et pedes deosculans, gratias agens omnipotenti Deo, quod per ejus merita perfectae sset reddita sospitati.

§ 29. Quidam beati viri marestallus *, toto corruptus corpore, iserabiliter inflatus erat. De cujus salute cum jam medici omnes em abjecissent, adductus est ad dominum suum. Is protinus anus ei imponens, oransque pro eo: « Ducatur, inquit, ad hoitium suum, et cum sanatus fuerit, redeat ad pristinum munus. » eductus est ergo domum, et proxima nocte omnis ille corruptus

* Marestallus vel Marescalcus equorum curam agebat.

humor effluxit, et post dies octo viribus instauratis, ad virum De cum alacritate reversus, gratias egit pro sanitate, per eum divi nitus ipsi donata. Cui vir sanctus : « Memineris, ait, non homini sed soli Deo gratias agere. »

§ **30**. In ecclesia beati Martini Dubliniae quidam sacerdos nomine Galwedius, ministrabat. Erat autem carus Archiepiscop quod eum a juventute nutriisset, et ejus clericus fuisset. Is igitu aliquando gravi infirmitate depressus, ad extrema pervenera Nam cum et sensu et halitu carère videretur, complures eu mortuum putabant; quidam vero nondum exanimem, sed velu in ecstasi positum existimabant. Unde factum est, ut tribus in noctibus totidemque diebus corpus in medio positum, sepultur mandare differrent. Tandem adveniens sanctus Laurentius, et co pori tamquam funeri appropinquans, pietate motus ad lacryma mortuum sic affatur : « Tu quidem, dilectissime, si posses, mi jam loqui velles : sed in omnibus fiat voluntas Dei. » Sic ait, flexis genibus, Dominum tacitus oravit. Quis autem fuerit affect orantis, satis declaravit Domini exaudientis effectus. Compl enim oratione, quam novit ille solus qui approbavit, sacerd Galwedius quasi de gravi somno excitatus, surgens incolumis gratias egit Deo et sanctae Mariae, et beato Laurentio domi suo, apertisque in circumstantes luminibus, quaerebat quid il facerent, vel qua ex causa illuc pariter convenissent. Stupefac vero et territi omnes in eo, quod accidisse videbant, sic illi re sponderunt : « Toto triduo nullum vitae signum habentem, se instar mortui jacentem, te sepelire proposuimus. » Et sacerdo « Novit Dominus, inquit, animam meam separatam fuisse a cor pore, et disceptantibus Angelis pro ea, vidisse me dominum meu Laurentium, flexis genibus, coram Deo et gloriosa virgine Mari matre ejus, pro me humiliter deprecantem ; ejusque oratio flexum Dominum, animam meam corpori restitui jussisse. » Tu vero beatus pontifex pro familiari sibi et humili verecundia, il sacerdoti sub poena excommunicationis interdixit, ne rem han ulli omnino homini, donec ipse viveret, revelare ausus esset.

§ **31**. Haec de vita et moribus sancti viri, ejusque virtutibu a certissimis excerpta testibus, post aliquot annorum curricula tamquam paucae quaedam reliquiae ad nos perlata sunt. Jam qu occasione et quo pacto, Domino largiente, ad Augensem usqu ecclesiam pervenerit, in veritate, qua comperi, succincte narrar curabo. Oborta fuit gravis dissentio inter Regem Angliae Henri cum *, sub quo passus est sanctus Thomas martyr gloriosus, e Regem Hiberniae potentissimum Deronogum : cujus sedandae causa se beatus pontifex interponens, venit in Angliam, secum ducens quemdam nepotem suum, juvenem elegantem, ut eum

* Hujus nominis secundus, qui ab anno 1154 usque ad 1189 regnavit. Is magna Hiberniae part anno 1171, potitus est.

Regi Henrico obsidem daret, si pax cum illo constitui ulla ratione posset. Sed Rex Angliae pacem repugnans, crudelem potius tyrannum se exhibuit, regioque edicto cavit, ne viro Dei liceret in Hiberniam reverti, portusque omnes, qui Hiberniam spectarent, ei voluit esse interdictos, hac ratione beatum virum exulare cogens. Ita ille Regem in Nortmanniam transfretantem in monasterio Abbendoniae tres hebdomadas exspectavit. Deinde taedio quodammodo affectus, Regem sequi statuit, si forte in negotio illo magis eum placabilem offenderet. Ingressus igitur navim apud Dovariam, Witsantum applicuit, prosequensque Regem in Nortmanniam, febre corripitur. Ea ingravescente, triduo valde ejus morbi importunitate afflictus, ab incepto desistere cogebatur. At tamen contra febris ardorem flamma charitatis pugnabat instantius, et naturam, quam febrile debilitabat incommodum, in charitatis et pacis commodum fortiter sibi militare cogebat. Atque deinceps in ipso itinere locum inquirere coepit, in quo aut quiesceret, aut certe etiam remaneret. Jam enim aliquo modo praesenserat dissolutionem sui corporis imminère. Sui igitur tabernaculi depositionem praevidens, tabernaculum non manufactum toto animo expetebat. Ejus autem exemplar, Domino providente. viro sancto in monte Augi ostensum est. Perveniens enim ad ejus montis supercilium, et inde castrum intuens, et in castro ecclesiam eminentem, cognoscensque e quibusdam in via ipsi occurrentibus, castrum esse Augense, in introitu Nortmanniae, in Henrici Regis Angliae ditione constitutum, ecclesiamque esse beatae Virginis, in qua Canonici instituti S. Victoris Parisiensis, Deo et beatae Mariae regulariter servirent: non mediocriter exhilaratus, et tamquam Davidis prophetico spiritu afflatus: *Haec*, inquit, *requies mea in seculum seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam* (*Ps.* 131): dataque benedictione cum Crucis signo, ad eam ecclesiam venit, et fusa illic oratione, se ipsum Deo et beatissimae Virgini commendans, ad hospitium divertit, lectoque decubans, accito ejus loci Abbate Osberto, viro religioso, confessione praemissa, viae praesentis vero viatico suum ad vitam transitum praemunivit.

§ **32**. His peractis, vir venerabilis et circumspectus clericus David, supra memorati juvenis paedagogus, ad Regem Henricum profectus est, ut quod beatus vir de pace concilianda coeperat, ipse pro tenuitate sua, divina praeveniente gratia, consummaret. Cumque Regem quibus poterat rationibus emollisset, ejusque animum ad pacem inflexisset, quarto die ad sanctum Episcopum reversus est. Cui cum rem a se gestam retulisset, sanctus praesul, quamvis jam morti proximus, exultare visus est: et, ut facto gratias ageret, quod verbo non poterat, caput suum in illius sinum deposuit: ea ipsa re satis indicans, illum magistrum Davidem, spiritum suum, jam cum morte colluctantem, pace

impetrata, pro qua ipse, quantum poterat, laborarat, exhilarasse. Tertio autem ab adventu suo die, febrium ingravescente dolore, sanctus praesul Abbatem ejus loci cum fratribus ejus acciri voluit, seque in eorum collegium et fraternitatem recipi petiit: eique libentissime assensum est. Inde extremam et petiit, et percepit unctionem. Cum autem de faciendo, ut moris est, testamento admoneretur, sic respondisse fertur: « Novit Dominus mihi ne nummum quidem sub sole relictum esse. » Par est enim credere, diversis misericordiae et benignitatis officiis et operibus quicquid ad manum habere poterat, virum pium in coelestes thesauros transmisisse: vel potius Canonicae professionis memorem, nihil se habere proprium existimasse: ut, qui vivere constituisset secundum regulam a sanctis Apostolis institutam, in extremo vitae fine nihil suum esse dicendo, ab ea regula minime deviaret. Atque ita beatissimi Augustini consors, aut ut rectius dicamus, successor effectus, testamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Christo non habuit.

§ 33. Deinceps felix Laurentius ad portum salutis festinans gemitus atque suspiria poenitentis indesinenter Domino offerebat, tam mente quam ore revolvens illum psalmum Davidicum, *Miserere mei Deus, miserere mei: quoniam in te confidit anima mea* (*Ps.* 56). Ea vero poenitentis lamenta sanctitati viri nihil quicquam derogabant, sed eam potius confirmabant. Fertur enim magnus pater Augustinus inter familiaria colloquia dixisse, post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos et sacerdotes, absque digna et competenti poenitentia exire de corpore non debere. Quamobrem sibi jusserat in ultima aegritudine Psalmos Davidicos, qui sunt paucissimi, de poenitentia scribi, eosque legens ubertim ac jugiter flebat. Et beatus Laurentius aquas de superiori irriguo haurire non cessabat, nec tamen irriguum inferius contemnebat, populum suum morte pastoris continuo desolandum, mirabiliter lingua materna dicens: « Heu popule stulte et insipiens, quid jam facturus es? Quis sanabit aversiones tuas? Quis medebitur tui? Sic autem charitatem implebat, ex una parte, quod melius erat, cupiens dissolvi, et esse cum Christo: ex altera autem necessitatem fraternam attendens, propter subjectum populum cum Apostolo cupiens diutius in carne remanere. Fidelis autem Deus mercedem laborum ejus absque dilatione jam reddendam ei statuerat. Itaque cum sextae feriae terminus advenisset, in confinio sabbati subsequentis Spiritum Sancti viri requies aeterna suscepit. Atque ita gloriosus Christi confessor Laurentius, Dublinensis Archiepiscopus et Legatus Hiberniae, plenus dierum, perfectus et consummatus in operibus bonis, Christi cohaeres, ad Christum migravit decimo octavo Calendas Decembris.

§ 34. Ejus autem obitus et remotis certo oraculo declaratus

st, et per praesentes, Domino providente, venerationi habitus. a enim nocte, qua ortus ab occasu sol Augi òccidit, cum fuit ccasu purior ortus ei, cuidam civi Dubliniae, Innocentio nomine, somno visum est, cum esset in ejus urbis ecclesia cathedrali, ummum altare corruere, penitusque dissipari. Qua visione turtus, mane publice retulit somnium, cum juramento asseverans ominum Archiepiscopum diem extremum clausisse. Id quod ostea, nunciis advenientibus, verum fuisse compertum est, adem scilicet nocte migrasse Pontificem, qua visio haec Innontio oblata fuit.

§ 35. Contigit autem, Domino agente, ut mox a celebratis ncti confessoris exequiis, Alexius Romanae Ecclesiae Cardinalis Scotiae Legatus adesset. In cujus aliorumque multorum praetia corpus sancti pontificis, in medio Augensis ecclesiae honoce et reverenter sepulturae mandatum est. Ubi postea latuit nis quatuor et mensibus sex thesaurus pretiosus, tum quidem sconditus, sed suo tempore revelandus. Cujus quidem futurae elationis haud vulgare extitit argumentum. Ea enim nocte, qua risti confessor hujus mundi tenebras reliquit, sicut multorum ertione innotuit, admiranda claritas super Augense monastem ita repente visa est emicare, ut intuentes putarent Abbam, vel castri domum aliam, emisso coelitus fulgure, concreari. Ubi sane divina bonitas aliquantulum revelare dignata est, alis et quantus esset ille, qui ea nocte ex hoc mundo migrarat. quo non debet temerarium videri, sed pium potius, si sentur ad lucem transisse inaccessibilem, ut illius beatitudinis participeps, quam opportuno tempore suis manifestat et largitur elibus beatus et solus potens Rex regum et Dominus domintium; cui est honor, gloria et imperium in perpetuum, Amen. n sanctos autem relatus est vir beatus a summo Pontifice onorio Reate, tertio Idus Decembris, pontificatus ejus anno ecimo.

MARTYRIUM

SS. CONFESS. SAMONAE, GURIAE ET ABIBI

AUCT. SIM. METAPHRASTE. HABETUR IN TOMIS ALOYSII.

Martyrio laurea donati seculo IV — Patriâ Edesseni.

§ 1. Agebatur quidem sexcentesimus annus ab imperio Al
xandri Macedonis: novem autem annos jam transegerat Dioc
tianus, sceptra tenens Romanorum: et sextum jam consulatu
obtinebat Maximianus: Augarus autem Zoarae filius, his temp
ribus erat Praetor, et Cognatus erat Episcopus Edessenorum,
magna excitabatur persecutio adversus ecclesias omnibus. q
erant sub ditione Romanorum. Et nomen quidem Christianoru
tamquam nefarium, probris appetebatur et exagitabatur: sac
dotes autem et monachi, propter firmam fidem et inexpugnabile
miserabilibus tradebantur suppliciis, desiderioque et metu d
strahebantur pii. Nam cum libere eloqui veritatem propter Chri
vellent desiderium, refugiebant rursus metu suppliciorum. N
ii quidem, qui se armabant adversus pietatem, studebant ut Chi
stiani Christianismum abjurarent, Saturnoque et Rheae se adju
gerent: contra autem fideles, ut nihil esse ostenderent ea, qu
ab illis colebantur.

§ 2. Illo ergo tempore Gurias et Samonas apud Judicem a
cusantur, quorum ille quidem ex Sarcigitua, hic autem ex vi
Ganade erat ortus, ambo educati Edessae, quam vocant Mesop
tamiam, quod sit media inter Euphratem et Tigridem; et ant
quidem ejus fama ad paucos pervaserat: post martyrum aute
certamina erat omnium sermone celebrata. Atque Sancti quide
nequaquam versabantur in civitate: sed procul ab ea remoti,
qui vellent procul abesse ab ejus tumultibus, studebant esse D
soli manifesti. Et Guriae quidem continentia et charitas, erat bo
et honesta possessio, et ex illius studio cognomen est ei impo
tum, adeo ut ex nomine eum non cognoveris, nisi prius dixer
continentem. Samonae autem erat in Deum corpus et animus ju
venilis et àlacris, et cum Guria virtute contendebat. Ii ergo a
cusantur ad judicem *, quod non solum omnem finitimam Edess
regionem suâ doctrinâ confirmarent, et ut suae adhaererent fide
animum adderent; sed etiam efficerent, ut despicerent perse
tores, et ut illorum impietatem omnino nihili facerent, docere
convenienter ei, quod scriptum est: *Nolite confidere in principibu*

* Anno 304.

in filiis hominum, in quibus non est salus (*Ps.* 145). Quibus judex ad magnam accensus insaniam, jubet omnes, qui habent in honore religionem Christianam, sequentes doctrinam Guriae et Samonae, simul cum iis, qui eos ad id inducebant, comprehensos, in tuta includi custodia. Jussus autem ad effectum est deductus, et capta occasione, cum aliis quidem ex his plagas imposuisset, alios autem aliis tormentis subjecisset, et ut Imperatoris decreto parèrent, suasisset; tamquam qui benigne et clementer se gereret, alios quidem sinit domum abire: sanctos autem ut primos, et qui pietatem aliis impertiissent, jussit adhuc affligi in carcere, qui ipsi quoque martyrii gaudebant societate. Audiebant enim in aliis provinciis multos idem, quod ipsi, cartamen suscepisse: ex quibus erat Epiphanius et Petrus, et sacrosanctus Pamphilus cum multis aliis in Caesarea Palaestinae, Timotheus Gazae, in magna Alexandria Timotheus, Agapetus Thessalonicae, Hesychius Nicomediae, Philippus Adrianopoli, Melitinae Petrus, Hermes, et ejus socii in confiniis Martyropolis: qui fuerunt etiam redimiti coronà martyrii a Duce Heracliano cum aliis confessoribus, quorum est major numerus, quam ut possit ad nostram venire cognitionem. Sed redeundum est ad ea, de quibus prius dicebamus.

§ 3. Antonius ergo Praeses Edessae, cum concessisset aliis, ut domum reverterentur, ei in altum erecto tribunali. jubet ad se adduci Martyres: et cum fecissent quod jussi fuerant apparitores, sanctis dicit Praeses: « Divinissimus noster Imperator haec jubet, ut et a Christianismo deficiatis, quem sequimini, et imagini Jovis cultum divinum tribuatis, thus in ara sacrificantes. » Ad haec Samonas: « Absit, inquit, ut vera fide relicta, propter quam speramus fore, ut vitam assequamur immortalem, manuum opus et figmentum colamus. » Praeses autem: « Imperatoris, inquit, jussa omnino sunt implenda. » Respondit Gurias: « Puram et divinam nostram fidem nunquam inficiabimur, sequentes voluntatem hominum, in quos cadit interitus. Habemus enim Patrem in coelis, cujus sequimur voluntatem, qui dicit: *Qui me confessus fuerit coram hominibus, ego quoque eum confitebor coram Patre meo, qui est in coelis. Qui me autem negaverit coram hominibus, ego quoque eum negabo coram Patre meo et Angelis ejus.* » Judex autem: « Non vultis ergo, inquit, parère voluntati Imperatoris? Quomodo vero non fuerit absurdum, ea quidem, quae visa fuerint hominibus, iisque qui non multum et quantum vos, possunt, reipsa ad effectum deduci: eorum autem, qui rerum potiuntur, jussa fieri irrita? » — « Qui Regis regum, inquiunt Sancti, faciunt voluntatem, carnis voluntatem respuunt ac rejiciunt. » Deinde cum Praeses minatus esset mortem, nisi parerent; Samonas: « Non moriemur, inquit, o Tyranne, si Creatoris sequamur voluntatem: immo vero vivemus potius. Sed si ea secuti fuerimus,

quae jubet vester Imperator, scias quod etiamsi tu nos non interemeris, nos tamen male peribimus. »

§ 4. Postquam haec audivit Praeses, jubet Anovito Commentariensi * eos in tutissimam conjicere custodiam. Veritatem enim aegre fert animus, qui sua sponte est ad malum propensus: ut, qui aegrotant oculi, splendorem solis. Postquam autem ille fecit, quod ei fuerat imperatum, et Martyres fuerunt in carcere, in quo etiam multi alii sancti prius inclusi fuerant a militibus, Imperator quidem Diocletianus, accersito Musonio Praeside Antiochiae, jubet eum venire Edessam, et Christianos, qui in ea erant inclusi, sive erant communis, sive sacrati ordinis, de sua interrogare religione, et eis finem dare convenientem. Cum is ergo venisset Edessam, et Samonam et Guriam primos curasset sistendos ad tribunal judiciale, dicit eis: « Domini hic est orbis terrae, hic est jussus, ut vos arae Jovis vinum libetis, et thus imponatis. Sin minus, ego vos variis consumam suppliciis. Corpus enim flagris lacerabo, donec perveniam usque ad ipsa viscera: plumbum autem fervens non prius cessabo vestris axillis infundere, quam id pervaserit usque ad intestina. Deinde nunc quidem manibus, nunc vero pedibus suspendam, et efficiam, ut solvantur compages articulorum: novaque et inaudita excogitabo supplicia, quae nec omnino quidem ferre poteritis. »

§ 5. Respondit autem Samonas: « Vermem, cujus minae sunt intentatae iis, qui negant Dominum, et ignem, qui non extinguitur, magis, quam ea, quae tu enumerasti, tormenta formidamus. Ipse enim, cui cultum offerimus rationalem, primum quidem nos corroboratos adversus varia tormenta, eripiet a tuis manibus. Deinde etiam in tuto collocabit, ubi est habitaculum omnium laetantium. Alioqui autem omnino adversus solum corpus armaris. Quid enim animam potueris laedere? Quae quandiu quidem habitat in corpore, tormentis evadit praeclarior: ea autem recedente, nullus est omnino sensus corpori. Quo magis enim homo noster externus corrumpitur, eo magis internus renovatur in dies: per patientiam enim hoc propositum certamen peragimus »... Cum itaque vidisset Praeses immutabilem eorum constantiam, statim mittens dicere, processit ad castigandum, et jubet Anuino Commentariensi utrumque una manu suspendi, et eis toto pondere corporis divulsis, adhuc eorum pedibus gravem suspendere lapidem, ad sensum acrioris doloris. Atque hoc quidem ita se habebat, et ab hora tertia usque ad octavam tale tormentum forti animo tolerabant, non vocem emittentes, non gemitum, non aliquid aliud ostendentes, quod esset pusilli et abjecti animi. Dixisses eos pati in alieno corpore, aut aliis patientibus, ipsos solum esse spectatores eorum quae fiebant.

§ 6. Interim autem, dum ii penderent manibus, occupatus

* Carceris custos vel qui captivorum indicem habet.

erat Praeses in aliis audiendis. Deinde cum ab eis quievisset, jubet Commentariensem interrogare Sanctos, an jussui Imperatoris vellent parere, ut liberarentur a tormento: et cum ille quidem interrogaret, hi vero non possent, aut non vellent respondere, jubet eos includi in interiore custodia, in lacu tenebroso et nomine et re ipsa, et pedes usque ad diem sequentem affixos esse ligno. Die autem jam apparente, a ligni quidem vinculis pedes sunt relaxati; carceris autem aditus fuit obstructus, ut nec solaris quidem radius posset subire: edictum autem fuit custodibus, non frustum panis, nec parvam quidem guttam aquae tres totos dies eis praebere. Quamobrem de caetero tenebrosus carcer et longa inedia erat condemnatio Martyribus. Cum autem adesset tertius dies circa principium mensis Augusti, apertus quidem fuit aditus carceris: illi autem in eo retenti sunt usque ad decimum Novembris. Deinde Judex eos curat sistendos pro suo tribunali. « Et nec tantum, inquit, tempus vobis praebuit, ut mutati aliquod salutare caperetis consilium? » Illi autem respondent: « Quod nobis videtur, tibi jam saepius ostendimus: tu autem fac ea quae tibi fuerunt imperata. » Praeses autem statim jubet Samonam altero pede in genu inclinari, et ferreum vinculum injici ejus genui. Quod cum factum esset, eum quidem suspendit praecipitem, a pede, quem inclinaverat, alterum deorsum trahens pondere ferri, quod verbis non potest explicari: et sic athletam moliens discerpere. Quo quidem tempore cum coxae acetabulum per vim sedem suam reliquisset, effectum est, ut Samonas claudicaret; Guriam autem, quod esset imbecillus et subpallidus, sinebat impunitum, non quod eum benignis adspexisset oculis, non quod esset misertus ejus imbecillitatis: sed ut qui, quod eum punire cuperet, potius pepercisset. Ne forte, ajebat, nobis imprudentibus consumeretur ante cruciatus.

§ 7. Et jam erant quidem duae horae diei, ex quo suspensus erat Samonas: hora autem quinta jam aderat, et is adhuc pendebat sublime: et qui circumsistebant milites, movebantur misericordiâ, et hortabantur ut Imperatoris parèret imperio. Sed peccatorum misericordia caput Sancti non pinguefecit. Ille enim etsi acerbe premeretur a tormento, ipsos ne ullo quidem dignabatur responso, sinens eos lugere, et se potius, non illum dignum censere misericordia. In coelum autem tollens oculos, precabatur Deum ex profundo cordis, et ei revocabat in memoriam miracula quae a seculo facta sunt: « Domine Deus, dicens, sine quo nec passerculus quidem cadet in laqueum; qui Davidi dilatasti cor in afflictionibus; qui Prophetae Danieli vim dedisti etiam contra leones; qui pueros Abramiaeos et Tyranni et flammae victores effecisti: tu quoque nunc Domine adspice ad bellum quod contra nos geritur, qui nostrae naturae nosti imbecillitatem. Conatur enim inimicus figmentum tuae dexterae avertere ab ea, quae est

apud te, gloria. Sed tu benignis tuis nos intuens oculis, conserva in nobis, quae extingui non potest, lucernam tuorum mandatorum: tua autem luce dirige nostras semitas, et dignare nos frui ea, quae est in te, beatitudine: quoniam es benedictus in secula seculorum. » Atqué ille quidem Agonothetae emittebat hanc gratiarum actionem; quidam autem scriba, qui aderat, litteris mandavit quae dicta sunt.

§ 8. Jussit autem Praeses Commentariensis eum solvere a supplicio. Ille vero cum sic fecisset, et portasset cum iis qui aderant, jam doloribus defessum et confectum, in priorem ferentes custodiam, deponunt juxta sanctum Guriam. Cum autem esset Novembris decimus quintus, noctu circiter galli cantum surrexit Judex: eum vero praecedebant lampades et satellites: et cum ad basilicam venisset, quae dicitur, ubi erat judicium, cum magno fastu sedet pro tribunali: et accersit athletas Guriam et Samonam. Et hic quidem venit ambulans in medio duorum, et fultus utriusque manibus. Nam et premebat inedia, et gravabat senectus, bona spe solummodo eum refrigerante. Gurias autem ipse quoque portatus ducitur, ut qui nec posset omnino ingredi, utpote quod pes ei fuisset graviter a vinculo sauciatus. Ad quos defensor impietatis: « Cum data, inquit, fuerit vobis potestas, de eo, quod est vobis conducibile, simul deliberastis. Dicite ergo, an novi aliquid sit a vobis consideratum: et an priorum vos aliqua subierit poenitentia: et parète jussui divinissimi. Sic enim vestris opibus et possessionibus, quin etiam hac suavissima quoque luce fruemini. » Ad haec Martyres: « Nemo, inquiunt, qui sapit, magnifecerit parum manere in iis quae fluunt. Sufficit enim nobis tempus, quod praecessit, ad usus eorum et aspectum: nec eorum aliquid desideramus. Quam autem mortem nunc nobis intentas, ea nos ad immortalia transmittet tabernacula, et efficiet, ut simus participes ejus, quae est illic, beatitudinis » .....

§ 9. Cum ergo vidisset Praeses immutabilem eorum constantiam, et quemadmodum in animae exultatione extremam accepissent sententiam, sanctis quidem, Deus, inquit, eorum, quae fiunt, sit inspector, quod non per me volebam vos vitae finem accipere: sed inexorabilis jussus me ad id cogit Imperatoris. Spiculatori autem jubet accipere Martyres, et in curru imponere, et procul a civitate abducere cum militibus, et eis illic finem afferre gladio. Ille autem cum per portam Romanensem sanctos noctu eduxisset, cum altus sopor teneret cives, ad septemtrionalem partem civitatis abducit in montem Bethelabicla. Illi vero cum fuissent in eo loco, et in laetitia cordis et magna animi constantia e vehiculo descendissent, a spiculatore et iis qui sub eo erant, tempus ad orationem petierunt et acceperunt. Perinde enim, acsi non sufficerent tormenta et sanguis ad intercedendum pro eis, propter summam modestiam adhuc etiam opus habebant precatione. Cum

itaque oculos in coelum sustulissent, et intense precati essent, Deus et pater Domini nostri Jesu Christi, suscipe in pace spiritus nostros, postremo dixerunt. Samonas autem conversus ad spiculatorem: « Exequere, inquit, id quod est tibi imperatum: » cumque genu simul inclinasset cum Guria, eis amputantur capita decimo quinto Novembris. Atque hoc modo quidem se habuerunt res Martyrum.

§ **10**. Cum autem tertium quoque quaereret numerus, ut in his glorificaretur Trinitas, invenit (o optimam Providentiam!) tempore quidem postea Abibum, qui autem idem cum iis qui praecesserant, iter ingredi constituerat, et illo ipso martyrii die fuit consummatus. Magnus ergo inter martyres Abibus, ex eadem quidem, ex qua illi patria, nempe ex Thelsaea vico erat ortus: sacro autem diaconatus fuerat honoratus chrismate. Cum vero Licinius * teneret sceptra imperii Romanorum, et Lysanias creatus fuisset Praeses Edessae, excitata rursus erat persecutio adversus Christianos, et Abibo universum imminebat periculum. Is enim obibat civitatem, divinas cunctos docens Scripturas, et magno animo confirmans ad pietatem. Cum autem haec venissent ad aures Lysaniae, ea Licinio Imperatori ab eo significantur. Studebat enim, ut ipse ei committeret quaestionem habendam de Christianis, et maxime de Abibo. Neque enim fuerat ei prius commissa. Ille vero litteris datis, jubet ut morte Abibum afficiat. Litteris ergo redditis Lysaniae, quaeritur ubique Abibus. Ipse autem degebat in quadam parte civitatis, propter statum Ecclesiasticum; mater vero et quidam ex iis qui ad eum genere attinebat, cum eo versabantur. Ille autem cum rem rescivisset, ne daret poenas, quod martyrii deseruisset ordines, cuidam qui erat ex primis cohortis (is autem vocabatur Theotecnus) seipsum indicat: et tandem: « Quem quaeritis, inquit, Abibum, ipse sum. » Ille vero benigne eum intuens: « Nemo, inquit, adhuc novit te ad nos venisse, o homo. Abi ergo, et servare: nec sis sollicitus de matre, nec de iis qui genere ad te attinent. Nullus enim eos potuerit omnino afficere molestia. » Et haec quidem Theotecnus.

§ **11**. Abibus autem, cum tempus vocaret ad martyrium, nolebat pusillo et abjecto animo suffurari salutem. Ei itaque dicit: « Non propter caram matrem, nec propter cognatos me reddo manifestum: sed adsum propter Christi confessionem. Ecce enim vel te nolente apparebo coram Praeside, et meum Christum praedicabo coram principibus et regibus. » Theotecnus itaque vèritus, ne sua sponte veniret ad Praesidem, et ea de causa ei afferretur periculum, ut qui eum non fecisset manifestum, assumit Abibum, et eum adducit ad Praesidem: « Hic ille est, inquit, qui

* Licinius Licinianus, quem Galerius, anno 307, sibi in imperio consociaverat. Cum autem, post varios casus, in manus incidisset Constantini M., qui apud Chrysopolim, anno 323 proelio eum superaverat, ab ipso Thessalonicen missus est, ut illic privatus dègeret. Sed paulo post milites eum interfecère.

quaeritur, Abibus. » Cum autem Lysanias audiisset Abibum sua sponte adiisse ad certamina, arbitratus eam rem esse contemptus et audaciae, ut qui parvifecisset austeritatem tribunalis, eum statim curat ducendum in judicium; conditionemque ab eo petit, et nomen, et patriam. Cum vero respondisset se quidem esse ortum e vico Thelsaea, significasset autem, se esse Christi ministrum, statim Martyrem est criminatus Praeses, quod non obtemperasset jussis Imperatoris. Hujus autem rei apertum esse dicebat indicium, quod Jovi thus non sacrificaret. Ad haec, se quidem Christianum esse, dicebat Abibus, et non posse verum Deum relinquere, sacrificare autem inanimis et nullo sensu praeditis operibus manuum. Praeses vero, eum brachia vinctum funibus, jussit in ligno sublimem extolli, et ferreis unguibus lacerari. Erat autem suspensio longe violentior, quam laceratio. Veniebat enim in periculum, ne discerperetur, cum violenta extensione ei divellerentur brachia.

§ 12. Interim dum is penderet sublimis, conversus est Praeses ad blanditias, et fingebat se esse patientem. Minabatur autem etiam graviora, si non mutaret propositum. Ille autem: « Nemo, inquit, me abducet a fide: neque persuadebit, ut adorem daemones, etiamsi plura tormenta inferat et majora. » Cum autem vellet scire Praeses, quamnam ei utilitatem tormenta conciliarent, quae corpus solum consumunt, Christi Martyr Abibus: « Non ad praesens usque tempus, inquit, nostra consistunt: nec ea solum sequimur quae cernuntur. Quod si tu quoque volueris adspicere ad spem et promissam nobis remunerationem, forte etiam dices cum Paulo: *Non sunt condignae passiones hujus temporis ad gloriam quae est revelanda in nobis* (*Rom.* VIII). Cum autem Praeses ea quae dicebantur, damnaret stultitiae; et nunc quidem blandiens et subiens personam patientiae, nunc vero minans et acerbam ei mortem intentans, neutri eorum cum videret cedere: « Non tibi repentinum et totum simul vitae finem afferam (sententiam ei pronunciavit), sed te lento igne paulatim liquefactum, efficiam immitem et implacabilem animam deponere. » Dixit, et cum versus septentrionem extra civitatem collecta fuisset materia, ducebatur ad rogum, sequente quidem matre, sequentibus autem iis quoque, qui alias cognatione ad eum attinebant. Ille vero postquam esset precatus, et benedixisset omnibus, et ei osculum dedisset in Domino, accensa autem esset materia ab iis qui ad id serviebant, in ignem injicitur; et cum aperto ore flammam accepisset, apud eum, qui dederat, spiritum deposuit. Deinde cum ignis esset sedatus, qui ad eum attinebant, pretioso linteo eum circumdederunt, et unguentis unxerunt: cumque psalmos et hymnos, ut par erat, cecinissent, prope Samonam et Guriam eum deposuerunt, ad gloriam Patris et Filii et Spiritus Sancti, quae est divina Trinitas, et in quam non cadit

divisio. Quam decet honor et adoratio nunc et semper, et in secula seculorum, Amen. Talem quidem vitae finem invenit Martyr Abibus tempore Licinii, et talem cum Sanctis nactus fuit depositionem, et sic piis attulit requiem a persecutionibus. Nam deinceps quidem Licinio fuit diminuta potentia; Constantino autem floruit dominatio, et creverunt ei sceptra Romanorum: qui primus inter Imperatores libere professus est pietatem, et Christianis concessit vivere ut Christianos.

ORATIO DE S. LEOPOLDO

AUSTRIAE MARCHIONE ET CONFESSORE

HABITA A FRANCISCO PATAVO ADVOCATO CONSISTORIALI, 12 CALENDAS DECEMBRIS ANNI 1484, SEDENTE INNOCENTIO VIII ET FRIDERICO III IMPERATORE SUADENTE: IN PUBLICO CONSISTORIO.

Ad coelestem patriam evolavit anno 1136.

§ 1. Si quam dicendi facultatem, si quod humanum ingenium posse satis exequi laudes sancti Leopoldi * existimarem, P. S. Reverendissimi domini: non ego apud vos adeo auderem, ut Viri tanti virtutes exiguis dicendi viribus vellem attingere, et debilis in re tanti ponderis inexercitatusque athleta certamen hoc inire perarduum. Sed quoniam nemo tam eloquens, tam felici ingenio praeditus est, ut ejus magnitudini virtutum orationem aequare valeat: immo cujusvis disertissimorum eloquentia, studium, opera, facultas, ingenium, longe superatur et deficit, cum vel cogitare, vel expromere verbis conatur, quantum moribus, quantum denique tota vita claruerit: hinc ego, etsi in hoc mihi inusitato genere dicendi parum vehemens orator videar, tamen pro mea tum in eum ipsum pietate, tum in universam Christiani ritus religionem observantiâ, dicendum vel id mihi pro viribus censeo. Neque enim id alienum sive officium sive patrocinium a quolibet puto homine Christiano, quando omnes debiliores sunt, quam ut de tanta re satis dicere queant. Accedo igitur ad vestrum venerandum et plane divinum conspectum: vestra utor liberius dignitate, fretus videlicet pietatis quo fungor officio, certusque apud vos plus valere loquentis animum in causa pia, honesta, religiosa, sancta, quam orationis copiam et ornamenta vacua negotio rerum et auctoritate. Et si mansuetudo sanctitatis vestrae saepenumero

* Hujus nominis III, vel, ut aliis placet, II.

mihi pias humanasque causas et pro pauperibus peroranti faciles porrexit aures: quanto faciliores in praesentia sperare possum illas mihi porrigi? Cum hic de religione, de vera, de sancta republica, de fide agatur catholica: dum virum insignem pietate laudamus, eumque ipsum referendum in sanctorum numero ducimus. Leopoldum dico, quem solum in terris Deus ipse immortalis nobis praecipuo exemplo constituit. Alios namque ad beatam vitam liberius evexit solitudo, atque ab humanis negotiis separatio, remotaque vita et a seculi curis penitus expedita. Unum hunc inter paucissimos mortales humanis implicitum rebus humana contempsisse, et inter ipsarum humanarum rerum impedimenta semper divinis inhaesisse constat. Rarum profecto et memorabile sanctitatis exemplum! qui dum in coetu vixerit, humanarum minime curarum expers, inter divina adeo sit versatus, quod non nisi arbitrandum sit ipsum coelestem gloriam consecutum. cum hic maxime status, ea vitae conditio distrahere soleat: in potissimum sanctitas quaesita et inventa sit. Nam etsi pluri sit dignum laude, tamen perdifficile majores nostri judicaru in magna videlicet peccandi licentia juste vixisse. Accedit et re uxoriae et liberorum cura. Quod quidem (ut cum Apostolo dicam) a coelestium cogitatione maxime dividit.

§ 2. Aggredior igitur his munitus praesidiis, Redemptoris implorato numine, sine quo nihil incipere fas est: vitam beati Leopoldi ab omnibus plane imitandam ac ejus probatissimos mores, frequentissimam deinde miraculorum multitudinem, explicaturus ut in actis constat, super ea re de cujus agitur canonizatione productis coram Reverendissimis in Christo Patribus, Rodorico Portuensi Episcopo sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellario, Marco Episcopo Praenestino, Francisco sancti Eustachii Diacono Cardinali, ad talia obeunda deputatis. In quorum enarratione, compensata rerum magnitudine cum tempore quo illa recensebo, paucis me percurrisse vos judicaturos non dubito. Illud in primis rerum natura vel lata lege fixit, ut a robore robur generetur, ab aquila similis avis, et a forti ac constanti idem nascatur: et contra nil existimamus fieri posse. Leopoldus cognomento Pius, patre Leopoldo * Marchione Austriae natus est**, familia utriusque parentis illustri, et tota divini cultus, et in qua duo praecipue claruere, religio et populorum regimen. Cui omnia pietatis munera adjunxit, et in eo tenore perseveravit, ut animi moderatione et misericordia reliquos anteiret: Majoresque suos orthodoxos tanto antecelluit, quanto Pii cognomen, quo Leopoldus meruit insigniri, caeteris praestat. Leopoldus enim Pius ubique inscribitur, hocque ei cognomen viventi inditum est, quod post trecentos et quinquaginta fere annos, quibus in Domino quievit, adhuc inconcussum

* Hujus nominis II, cognomento *Pulcher*. Vitae finem implevit anno 1096. Mater autem Leopoldi Pii fuit Itha, filia, ut videtur, imperatoris Henrici III. ** Anno 1073.

extinctumque manet, et aeternum servat per secula nomen. ic ab infantia non se deliciis aut voluptatibus quibus aetas illa rmaxime irretiri solet, neque iis quae omnes faciunt pueri se commodavit, aut aliqua ex parte corrupit inter regios luxus esque innumeras: ab omnibus enim hujusmodi se abdicavit: quod jam Dei nutu fas est credi, inter tot rerum omnium de-ias, sobrium, continentem, abstemium, et in carne quodam-odo viventem praeter carnem cerneres; et eousque, ut qui illius mporis res gestas et hujus incorrupti viri vitam conscribunt ui quidem plurimi sunt dignissimi scriptores) unum hunc pleno mmendant ore, admirantur, extollunt, solumque adolescentem cunt earum rerum expertem quas fert adolescentia.

§ 3. Huic non equi, non canes praecipuum fuere studium: d divina eloquia, veraeque fidei cultus assiduus cognitioque stu-osissima placuere. Saepius enim sacros codices intentum erat dere: nec a divinarum rerum contemplatione seu operatione va-tum invenire facile fuisset. Genitore vitâ functo, regni habenis ereditario jure susceptis, populos natura feroces ea moderatione imi gubernavit, ut eis non praeesse sed prodesse curaret, et rectorem et exemplum ad bene beateque vivendum subditis raeberet. Quippe qui non eorum opibus (ut nonnullis regnan-um mos erat) inhiaret: sed populum sibi a Deo commissum cte, quiete, sancte, ac aequa lance conservare studeret: horum-ie animas una cum sua innoxias, mundas et Deo gratas reddere, onos propositis praemiis meliores efficere, summisque honoribus ficere gauderet. In jure erga sontes administrando ita se habuit, nunquam misericordiae fuerit immemor, juxta illud: *Nolo ortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII,33). a ut, cum scelera coërceret, a tormentis aut caede semper ab-ineret: ut verus imitator Salvatoris haberetur. Uxor ei pari san-itate ac moribus. Deoque Max. ita jubente, anno MCVI oblata gnes Imperatoris * filia, pudicitia insignis, et quae viro sponte l bona opera properanti calcaria subderet. Et quod praecipuum unus mulierum dicit Jurisconsultus foecundissima, liberos duo-eviginti enixa est, ita quod ex ipsa foecunditate intelligi potest, rum Dei cultum, quo vir et uxor ducebantur, ipsis viventibus ec beatitudinis pignora non denegasse: ut illud vere testari ossit: *Uxor mea sicut vitis abundans in lateribus domus meae: lii mei sicut novellae olivarum in circuitu mensae meae. Ecce sic nedicetur homo qui timet Dominum* (*Ps.* 127). Inerat enim illi ecunditati juncta continentia quaedam: et ita quod, ut diceret ieronymus, non voluptatis impetu, nec praeceps ad ipsius fe-batur affectum. Quo fit, ut cum hic Leopoldus suum vas, juxta ictum Apostoli, cum omni sanctitate custodiret, non voluptatis d procreandae sobolis gratiâ et non aliter congrediebatur uxori.

* Scilicet Henrici IV. Agnes autem vidua erat Friderici I, Sveviae Ducis.

§ 4. Hi ergo sic sanctissimo copulati matrimonio, mira cum essent ambo praediti bonitate, ambo in Redemptorem nostrum pientissimi, nilque in dies cogitarent nisi quo maxime pacto placere ac summo Deo gratificari possent: concordes animi et uno spiritu arbitrati rem gratam Altissimo fore, si quam aere proprio sacram construerent aedem, cui quaeque commoda et ministeria praesto essent: beatae Mariae templum condere, in eoque sanctae et approbatae religionis viros collocare decreverunt, quorum precibus, beata Dei Genitrice intercedente, salutis eorum aeterna felicitas impetraretur. Et cum de loco aedis construendae cogitarent, miraculo datum est (ut in urbe Roma de nive scribitur) divina quasi voluntate ventus coortus flammeolum Agnetis capiti leviter sublatum procul ab oculis in remota detulit loca: quod nono post anno, cum relaxandi animi gratiâ Vir Dei deambularet oculosque ad vepres verteret, conspectum super frutice illaesum et inviolatum laetabundus accepit. Deinde, velut Deo jubente, aedificatum templum est beatae Mariae Virgini dicatum, conspicuum et opulentum, situm in ripa Danubii octavo a Vienna lapide duratque adhuc novum *Claustri burgum* * cognominatum. Sed cum ejus templi fundamenta jacienda essent **, proceres et magnates, qui cum eo aderant, illud monebant, ut ipse primum in fundamentis poneret lapidem. Verum ipse studiosus humilitatis eorum vanis monitis subridens, sacerdotum id esse muneris perseveranter affirmavit. Nimirum accersitus Ottho, loci ejus Praepositus, primus lapidem jecit; post alii subsecuti sunt. Finito operi dotem dedit, privilegio sanxit, ibique Canonicos, quos saeculares vocant, sacris praeesse voluit. Ubi cum negligentius ministrarent, Canonicos regulares beati Augustini, sanctimoniâ vita praeditos et fidelibus gratos, qui adhuc praesunt, substituit convocatis prius ad id opus Conrado Saltzburgensi tunc Episcopo, Raimario Episcopo Pataviensi, et Romano Curcensi Episcopo, aliisque non spernendis consultoribus. Deinde, ut fortius omnia tenerentur, ab Innocentio II Pontifice maximo, sine cujus auctoritate omnia irrita existimamus, Leopoldo per nuncium poscente, confirmata sunt. Extant Pontificis illius litterae, quibus ob praeclarum hoc facinus, Leopoldi bonitatem ac fidem commendans, etiam beati Petri filium reverenter ac religiose appellavit. Extat pontificale privilegium, quo canonibus multae conceduntur immunitates. Eugenius etiam III Pontifex maximus Viterbii, et Urbanus IV successor Veronae, litteris Apostolicis, privilegiis ac monumentis, pro confirmatis et bene gestis rebus, pro Leopoldi meritis post ejus obitum habuere. Ita et Innocentius VI, cum referre Leopoldum ob singularissima ejus in

* Scilicet, germanice, *Kloster Neuburg*. In pretiosissimo hujus celeberrimi coenobii thesauro adhuc servantur et Agnetis flammeolum et fruticis ramusculus, cui id inhaeserat.

** Fundamenta jacta sunt anno 1106.

Deum benemerita in numerum Sanctorum decrevisset, et jam nuper ea re legatos in Germaniam misisset, increscentibus bellis, efficere quod vehementer optabat non potuit: vel, ut verisimile fit, pullulante etiam Boëmica haeresi *, coactus ab incepto destitit. Is enim patria Levionensis inter maximos utriusque Juris consultos advocatus celeberrimus fuit, et cujus virtute Ecclesiae patrimonium recuperatum est medio Aegidio Cardinali Hispano: cujus operâ et ingenio quamplura praeclara facinora tempore suo peracta fuerunt. Sed ad rem redeo.

§ 5. Alterum monasterium ordinis sancti Bernardi aedificavit sub titulo salutiferae Crucis ** in valle nemorosa, duodecimo a Vienna lapide: in quo quamplurimi monachi et ministri abunde aluntur. Instauravit a majoribus suis ante conditum, sed relictum, vi atque hostili metu procul abactis et deletis hostium viribus atque incursionibus, ampliori etiam fructu dotavit. Haec Leopoldus, beatissime Pater, inter tot regni occupationes ad thesauri coelestis reconditoria vivens posuit, hanc sibi voluntatem delegit, his veris deliciis usus est, hoc sibi ad futuram vitam iter aperuit: et in tam laudabili benevivendi tenore, et tam praeclaris monumentis, MCXXXVI salutis anno orbe cessit coelosque migravit. Post cujus obitum idem Innocentius II Pontifex maximus, non unis litteris, paterna ut decet charitate tanti viri uxorem et filios honestavit: et collato eidem Leopoldo benedictionis ac absolutionis munere, non exiguis laudibus ipsius sanctitatem prosecutus est. Accessit hoc amplum testimonium atque pro dignitate Vicarii omnipotentis Dei praedecessoris tui ad augendum Leopoldi gloriam et sanctitatem. Poscebant id insignia ejus merita, poscebant id curae, labores et vigiliae, omni tempore pro incorruptae religionis metu. Non enim aliter esse potuisset de tam integro et consummato erga Deum viro. Non indiget profecto laudatore atque enarratore gestarum rerum is qui ita se gessit, ut opera ab se palam edita multis locis testimonio sunt, et cujus vitae rumor in exemplar venerit. Refero vera, Pater sancte, non vana loquor, non utor carmine ficto: adsunt enim praeclara et non vulgaria monumenta, et sic res ipsa fidem verbis praestat. Singulare monumentum Regumberti de probatissima Leopoldi vita, de sanctissimis moribus extat: necnon in coenobio Claustriburgensis vetustus inspicitur codex, in quo Leopoldorum familia summa cum veneratione et praecipue praesentis Leopoldi natalis dies tenorque vitae legitur. Et monasterio Novimontis altero Martini codice Praedicatorum ordinis, per temporum digestionem confecto, plurima de Leopoldo commemorantur. Idem testatur Andreas annalium Christianorum conditor. Sic et in alio codice monasterii Noviburgensis Heroico hexametro et carmine

* Haeresis videlicet, quae a Joanne Hus fuit excitata.
** Germ. *Heiligenkreutz.*

dactylico multa hujusmodi referuntur. Sic et in coenobio Ca nensi Cisterciensis Ordinis liber servatur, in quo miracula i inclyti viri leguntur. Idem non praeterit Honorius non vul auctor in monumentis monasterii Cellae Mariae. Quid refera libro temporum, quem de rebus Austriae Haselpach Theol non mediocris digessit? Quid de vetusto codice nuperrime rep in bibliotheca Posoniensis Praepositi? cujus locupletissimus te accedit R. dominus Cardinalis sancti Marci, cui, cum temp Xisti praedecessoris sanctitatis vestrae legatus Pannoniis prae deret, Leopoldi vitam ejusque mores integerrimos inspicie cura demandata est. Quid de Pii II praedecessoris etiam S. summae doctrinae viri, historiarum auctoris, et vetustarum rum indagatoris acerrimi, historia de principibus Austriae, veriore quo ab homine ultimae dignitatis et pene in terris d nae conscripta, dicam? Multa ille equidem de eodem Leop graviter, ornate et accumulatissime, ut sui moris erat, conscrip

§ 6. Jam habes, beatissime Pater, de vita Leopoldi, mori ac sanctissimis institutis, et gubernandi suos probatissima tione, quae non sine magna laude vivens exegit; et quanti P tifices praedecessores tui eum fecerint; Innocentius ma II, qui munere benedictionis et absolutionis post mortem co donato, talia, tanta, tam praeclara, sanctitatem omnia sp ctantia de eo praedicavit exempla, quibus non solum persua nobis possumus, immo credere cogamur Innocentium II n nisi pro sancto Leopoldum habuisse. Restat ut sacratissim vitae post jam memorata, non leve testimonium adducam. Mag quidem res est, quae solum in catalogum Sanctorum scrib compellit. Animadverte, obsecro, Pater sancte: haec enim sile praetereunda non sunt, cum scilicet incitamentum sint caete ad bene beateque vivendum. Labor enim fastidium afferre n debet, quando laudabile et certum exspectatur praemium. Ma aeterna gloria dari non potest: et quidem rebus supernaturalib se asserit. De miraculis loquor et praecipue Leopoldi, ut annalib Germanorum late et copiose narratur. Referre non piget, ut qu illic latent, nobis aperta et velut ante oculos posita conspici intueri possint. Et in eorum monumentis servata haec leguntur

§ 7. Mulier quaedam Carinthia, immundo vexata spiritu, Leopoldi ope liberatur. Puer mutus novem annis ex Herzogemburga vocalis fit. Alius captus manibus et pedibus, convaluit. Presbyter Herbipolensis caecus, relictis tenebris, diem vidit. Virgo icta fulmine, revixit. Altera lapillo obcaecata, Leopoldi tumulo porrectis precibus, recuperat visum. Puer chiragrâ laborans et officio manuum penitus carens, ejusdem ope salutem recipit. Sic et mulier podagra uno pede, et alter duobus, ejusdem ope liberi fiunt. Eques quidam gutture tumefacto, ossibus crescentibus, ita ejus miraculo liberatur, ut sine cicatrice vel alio signo liber factus

ːrit. Alia mulier aere alieno gravis, cum a creditoribus vehe-
ntissime urgeretur, destituta solvendi spe, Leopoldi tumulum
it, ibique non sine magno dolore ingemuit, numini se com-
ndans. Auditae fuerunt preces, et vox auribus quiescentis in-
uit, ut domum repeteret, et scrineum aperiret, quo inventura
t satisfactionis debiti schedulas: quod ubi invenit, domos cre-
orum, qui et Christiani et Judaei erant, petiit, ut chartas obli-
ionis redderent. Qui responderunt, se dedisse cuidam vestibus
lestinis induto, et qui debita solverit. Tunc statim exhilarata
ilier, apertissime intellexit Leopoldum fuisse, a quo mortales
ırima miraculorum beneficia et assidue accipiunt. Sed longe
jora multoque praeclariora fecisse constat Leopoldum, quae
nia litterarum monumentis mandata tunc interiere, cum mo-
sterium Novumburgae incendio conflagravit. Circa quorum so-
onia etsi complura in medium adduci possint, loco et rei quam
m explicaturus forte non inconvenientia, potissimum in his
ae ad fidem, ad gravitatem, ad constantiam, ad concordiam
tium spectant: cum sint accurate diligenterque discussa ab
qui summae rei praefuerunt, pro praepositis consulto praeterire
itui. In his etenim adsunt Leopoldi miracula non a levibus
ulierculis, non a senibus deliris, non a corruptis, non ab in-
nstantibus, sed ab hominibus fama et integritate praeditis:
n gratia, non amore, non prece, non pretio, non vi, non metu,
c denique ulla spe, pro veris comprobata. Accedit adhaec te-
ium multitudo in unum idemque consentiens: quae vulgata
ma Leopoldi mores, fidem, justitiam, religionem, pietatem, con-
ntiam, integritatem, sanctimoniam vitae, testantur abunde.
§ 8. Sed jam habes, Pater sancte, quid, sedente Xisto Pont.
ax. praedecessore tuo, ab Reverend. dominis Cardinalibus in
m pium opus deputatis sit, R. domino Vicecancellarios referente,
ujus rei minime, ut opinor, S. T. oblita est, cum unus e sacro
onsistorio tunc esset. Idque jam omnes accepisse reor, quibus
arentibus ortus Leopoldus sit, quam praeclari, quamque illu-
tres; quantum divinis incubuerit, quonam pacto, extincto patre,
e gesserit; quemadmodum leges justitiamque coluerit, matrimonii
ervaverit jura, quas aedes construxerit sacras; quanti eum fece-
int praedecessores tui, et dum vixit, et postquam vitâ migravit.
labes et miracula, testimonia vitae, tum magna tum maxima,
t quae prior, et quae nostra vidit aetas: quibus quam sanctus,
uamque Deo fuerit acceptus, demonstratur aperte: et quae ad
bservandam aeternitatem vir magnus et totus Dei exegerit. Po-
cebat hominis altitudo longiorem orationem: materia suppeditabat,
uam ingentia implere volumina. Ego vero morem illorum, qui
paucis calculis innumerabilium ferme rerum summam comple-
ctuntur, his paucis exegi. Defecissent aliter latera, et lingua com-
pressa obmutuisset: observantiaque bene meritorum tanta apud

te est, ut cum intelligis quempiam aeternitatem promereri, illico
tua bonitate id confirmes. Jam virtutes ipsius Leopoldi, quas
Creator omnium etiam miraculis comprobavit, ab Dei Vicario,
qui solus in terris es, adscribere in numero sanctorum jure me-
ritoque exposcunt, exspectantque. Ad quaecumque enim loca Leo-
poldi nomen pervenerit, pro sacrosancto veneratur et colitur;
idque non simpliciter, prout a nonnullis fieri consuevit, sed in-
delebili atque inviolabili titulo sanctus Leopoldus appellatur e
pro sancto habetur. Quaeritur tamen pro laudabili consuetudin
solemnitateque, a sacrosancta Ecclesia introducta, S. T. nutu
quo absque nil tutum, nil stabile, nil denique sanctum credit
Id exigi mea oratione non existimes velim. Nam imprimis Chr
stianissimus fidei nostrae totiusque religionis orthodoxae ver
legitimus, indubitatus defensor Fridericus Imperator August
a quo ejus bonitate nihil adhuc perperam peti audivimus: n
vero idcirco tantum, quod ex sanctissima Leopoldi familia A
strali ducat originem, verum etiam ut Deus in suis glorie
creaturis, ejus filius Maximilianus Austriae ac Burgundiae Arc
dux invictissimus, patrem sortitus est Caesarem. Sic inclyt
Hungrorum Rex, caeterique Principes catholici illarum prov
ciarum, et denique omnes eorum populi, nutum, vocemque sa
ctitatis tuae sitibundi cupiunt, praestolantur, exspectantqu
Quid enim his testibus magis in mundo dari possit non vide
Magna profecto res est, ut mortales, Deo propitio et favente, gl
riosissimos et coelestes titulos benefaciendo sibi quaerant. Ja
tempus est, jam te sic velle conspicimus et tenemus omnes:
tua videlicet hac coelesti voce Leopoldus, qui cum jam in coe
sanctus sit, etiam in terris sanctum esse declares sanctissimo t
decreto, longa hominum exspectatione optato. Diu mortales h
in augmentum fidei, in monumenta Romani et Ecclesiastici n
tus, in gloriam aeternitatis quam nimio ardore exposcunt, et
benefactis longo labore quaesita jam praemia declarentur *.

* Re verâ B. Leopoldus Sanctorum cathalogo, inter minores Confessores receptus, ab In-
centio Pp. VIII adscriptus est anno 1485. Canonizationis Bulla die 6 januarii anni ejusdem ed
fuit. Exinde S. Leopoldus, ut Austriae patronus habetur coliturque; et incredibile est dictu qua
veneratione ejus Corpus, quod in monasterio Kloster Neuburg adservatur, a Christifidelibus vi
tetur, quibus votis pia ejus memoria celebretur. Anno 1506, die 15 februarii, praesente Imperator
Maximiliano I, sacrae hujus Sancti Reliquiae solemniter recognitae fuere.

VITA S. OTHMARI ABBATIS

AUCTORE WALAFRIDO ABBATE AUGIENSI *.

Obiit anno 759 — Alemannus.

§ 1. Othmarus ** genere Alemannorum oriundus, in aetate puerili a fratre suo Rhetiam Curiensem *** perductus est: et in servitio Victoris, earumdem partium Comitis, multo tempore constitutus, et litterarum scientiâ sublimatus, virtutum sectator, morumque laudabilium possessor, sacerdotii gradum conscendit; et a supradicto Comite benigne retentus, cuidam titulo S. Florini **** Confessoris praelatus est. Cumque morum ejus probitas, et sanctae vitae munditia longe lateque plurimorum aures dulci amore respergeret, Waldrammus quidam, qui sibi vastitatem eremi, in qua sanctus Gallus cellulam construxerat, velut a parentibus haereditario jure ad se transmissam vindicavit, eundem Othmarum a Victore supradicto ad praeficiendum eidem cellulae impetravit *****. Et voti compos effectus, cellulam cum omnibus quae ad eam pertinebant, illi solemniter commendavit. Atque ut rui melius desiderii convalesceret utilitas, ad Pipinum Regem profectus, eundem Abbatem ipsi praesentavit, et locum, cui pridem eum praefecerat, proprietatis jure principi contradidit, omni instantia deposcens, ut regia auctoritate ex integro Othmarus Abba eidem praeficeretur loco. Cujus petitioni jam dictus princeps assensum praebens, locum sibi traditum viro venerabili commendavit, et regularem inibi vitam instituere jussit. At ille regressus confestim, boni Mandritae studium in ipso executus initio undiqueversum congrua monachis habitacula construxit, et ipsius sacri loci statum, ad utilitatem divini servitii studiosissime reformavit. Religiosos etiam quosque ita liberalitate sua ad devotionis studium invitavit, ut ex quorundam donationibus possessiones ipsius coenobii admodum dilataret, et intra paucos annos complures ad sacrae militiam vitae fratres attractos, magisterio suo et cura decentissime gubernaret.

§ 2. His praelibatis, vitae ejus sanctitatem liceat summatim perstringere: ut liquido cunctis clareat, quibus profectuum gradibus ad hanc gloriam sit evectus. Erat nimirum parsimoniae sectator eximius, creberrimo macerans jejunio corpus: ita ut in

* Walafridus hic et S. Galli Vitam (16 octobris) conscripsit.
** S. Othmarus in omnibus documentis, quae supersunt, usque ad seculum nonum, *Audomarus* nuncupatur.
*** Ital. *Coira*. **** Gall. *Saint-Flour*, in Rhetia.
***** Anno circiter 720.

praecipuis jejuniorum diebus ex consuetudine, bidui abstinentiam continuaret frequentius. Et his contra tentamentorum jacula clypeis praemunitus, vigilias amabat, et assiduitate orandi spiritualis nequitiae repellebat. Summae autem humilitatis gratiâ praecipue praeditus, intantum voluntariam paupertatem diligebat, ut terrenam gloriam omnibus fugeret modis. Cui etiam haec erat consuetudo, ut si quoquam pro utilitate monasterii eum tendere necessitas poposcisset, vilis miti dorso veheretur aselli. Erat inter caetera, tanta in eo pauperum sollicitudo, ut eorum curam per se potius, quam per alios exhibere studeret. In eo vero misericordiae opere, quod eleemosyna dicitur, vix cuiquam habebatur secundus. Nam ad suscipiendos leprosos, qui a caeteris hominibus sejuncti manere consueverunt, hospitiolum haud longe a monasterio extra eas mansiones, quibus caeteri pauperes recipiebantur, constituit, et eis curam per se omnimodis impendebat tam sollicite, ut nocturnis etiam horis monasterio saepe digressus curam infirmitati eorum miro devotionis adhiberet obsequio. Capita siquidem eorum pedesque abluens, purulenta suis manibus vulnera detergebat, et victui necessaria ministrabat, illam semper animo revolvens sententiam, quam judex justus misericordibus prolaturus est, dicens: *Quod uni de his minimis fratribus meis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* II). Sicque factum est, ut cunctorum qui eum noverant, veneratione sublimis, pater pauperum appellaretur a plurimis. Tam pleniter autem misericordiae studium possederat, ut si quem pauperum nuditatis injuria torpentem conspiceret, plerumque suis exutus vestibus, miseri contegeret artus: ita ut interdum sine tunica, sola cappa contectus, ad monasterium remearet. Maluit enim per praesentis pompae contemptum ad indumentum incorruptionis aeternae pertingere, quam per boni operis amissionem futurae nuditatis opprobria sustinere.

§ 3. Quodam enim tempore ad Pipinum Regem veniens, honorifice susceptus est. Et inter alia largitatis ejus beneficia, ad necessitates fratrum suorum sublevandas, argenti libras septuaginta percepit. Sed mox, ut ad sua rediret, egressus, maximam ejusdem pecuniae partem pro foribus palatii pauperibus erogavit. Paucos autem solidos vix a fratribus, qui secum erant, compulsus retinuit, quibus postmodum quoddam territorium monasterio vicinum coëmit. Dominicorum enim non immemor praeceptorum, sua causa de crastino non cogitabat, sciens monachum victu et tegumento contentum esse debere. Et ideo paupertatem sibi potius suisque delegit, quam rerum transeuntium possessionem superfluam, expeditis mentibus onerosam.

§ 4. Igitur cum jam Dominus meritis ejus digna rependere decrevisset, callidus universae bonitatis inimicus, bonis ejus actibus invidens, ejusque exemplis aliorum vitam dolens proficere,

quietem, quam in Christi servitio, licet non parum laborando, possedit, perturbare contendit. Sed quamvis flatibus adversitatis temporariae pulsata, radicem petrae veritatis habens infixam, paradisi cedrus inconvulsa permansit. Nam Warinus et Ruathardus, qui tunc temporis totius Alemanniae curam administrabant, diabolo suadente, immanissimo avaritiae morbo praeventi, res ecclesiarum sub sua potestate sitarum, magna ex parte n proprietatis suae dominium per vim contraxerunt. Qui cum sibi de possessionibus beati Galli perplura eodem violentiae ausu vindicassent, vir Dei Othmarus, non possessionibus terrenis inhians, sed coenobialis vitae, in eodem loco rerum ingruente penuriâ, defectum praemetuens, Pipinum Regem adiit, ipsi tyrannicam eorum praesumptionem exposuit, pariter protestatus, grave eum crimen incursurum, si eorum actibus consentiendo faveret. Qua pro causa benevolus princeps utrumque conveniens, interminatus est eis, gratiâ suâ illos omnimodis carituros, si non ecclesiis Dei, quae injuste abstraxerant, absque recrastinatione restituerent. At illi patriam repetentes, vitio rapacitatis infecti, et bestiali saevitia efferatis, jussionem regiam neglexerunt. Virum etiam Dei Othmarum, cum pro hac re iterum principem adire vellet, missis clanculum post eum militibus, vinculis injectum per vim redùci fecerunt. Necnon et Lamberto cuidam, qui fratribus ejus professione connumeratus erat, non vitae sanctitate, persuaserunt, ut ei ficta quadam machinatione luxuriae crimen impingeret: id elaborantes, ut sanctitate ejus hujusmodi suspicionibus infamata, deponendi eum occasionem invenirent. Qua causa plurimi, tam dolosae factionis ignari, ad concilium evocantur.

§ 5. Itaque vir venerabilis castitate integer, vitae ac morum maturitate grandaevus, in medio collocatur, et in ejus accusationem Lambertus falsitatis minister, coram omnibus praesentatur. Acceptaque loquendi licentiâ, veritatis oblitus, falsitatis assertor, dixit se quandam foeminam nosse, quae a beato viro vim pollutionis fuisset perpessa. Ad quod nullum penitus dedisse fertur responsum. Cumque a plurimis respondere cogeretur objectis, hujusmodi dicto temperavit eloquium: « Fateor me quidem supra modum in multis peccasse: de hujus autem objectione criminis, secreti mei inspectorem, Deum invoco testem. » Illis autem, ut hujus facti se excusatione purgaret, attentius ei insistentibus, mente securus, conscientia liber, tacitus perduravit. Et quia accusandi licentiam apud judices patère cognovit, maluit pro sinceritate sui pectoris divino, quam humano pro excusatione criminis placere judicio. Mox ergo, ut cunctis claresceret ipsius castimoniam falso fuisse infamatam, Lambertum ultio divina corripuit. Nam febrium vexatione pervasus, paulatim resoluto membrorum vigore, contrahi coepit. Sicque omnibus membris

status sui amittentibus rectitudinem vel formam, capite ad terram more quadrupedum inclinato, non solum deformitate figurae terribilis, verum etiam viva voce in sanctum Dei peccasse, omni tempore fatebatur.

§ 6. Concilio autem inique inchoato, et iniquius terminato, vir Dei Othmarus apud villam Potamum * palatio inclusus est. Quod cum nullus intrare, vel còlloqui cum eo permitteretur, aliquot dies absque corporalis sustentaculo victus transegit. Cumque diuturna vexatione famis laboraret, Patgozus quidam e fratribus ejus noctu advenire solebat, et ei victus solatia ministrare. Postmodum vero Gozbertus quidam, vir potens, dum sibi virum Dei commendari ab iniquis principibus impetrasset, in quadam Rheni fluminis insula nomine Stein, juxta praedium suum custodiae illum deputavit. Ubi quidem sanctus pater spiritali tantummodo exercitio, id est, orationibus ac jejuniis vacans, eo liberius Domino deservivit, quo ab humana frequentatione curisque secularibus fuerat absolutus. His et similibus notae devotionis insistens operibus, exacto non multi temporis spatio, ab his mundanae perturbationis angustiis ad coelestis latitudinem gaudii, XVI Calendarum Decembrium die commigravit **: et corpus ejus in eadem insula tumulatum, multis deinceps diebus ibidem sine corruptione permansit.

§ 7. Evolutis autem post transitum ejus decem annis; fratres *** illius per visionem a Domino commoniti sunt, ut corpus cari patris ad monasterium reducerent. Hoc patefacto divinae voluntatis consilio, undecim ex iisdem fratribus noctu ad locum, in quo sancti viri exuviae servabantur, deveniunt: et sepulcrum aperientes, corpus ejus ab omni corruptione illaesum reperiunt, excepto quod pars extrema pedis unius, quem aqua alluebat, tantum colore mutato, quasi tabida videbatur. Et congruo satis miraculo prima sanctitatis ejus indicia claruerunt, ut videlicet tam illaesum a corruptione corpus ejus inveniretur, quam liber ipse fuerat a crimine, cujus oppositione superatus videbatur ad tempus. Hac itaque devoti fratres rerum novitate perfectius instructi, corpus honorifice sumptum, rati imposuerunt. Et accendentes candelas, unam ad caput, alteram collocaverunt ad pedes.

§ 8. Cumque deserto littore, incertis se profundis viis commisissent, et summa instantia remigio insistentes, sub omni celeritate cuperent remeare, continuo tanta vis pluviae ventorumque prorupit, ut vix effugium se crederent habituros. Sed mira omnipotentis Dei dispensatione, et, ut credimus, sancti viri meritis actum est, ut ipsa etiam elementa, quae nobis insensibilia videntur, famulantia sui Creatoris imperio, quanti viri reliquiae

* Castrum Bodmann, ad Constantiae lacum.
** Anno, ut superius adnotavimus, 759.
*** Coenobii scilicet S. Galli.

idem veherentur, sentirent. Nam pelagus circumquaque imbri-
ra tempestate commotum, undasque in altum suspendens, nihil
mino remigantibus molestiae intulit: sed in quamcumque par-
n navis devenit, rejectis flatibus, tumentes in se fluctus de-
ssit. Et ita omni ex parte undarum molibus, imbrium effu-
nibus, ventorumque flatibus non parvo spatio dimotis, quasi
pe quaedam scapha cingebatur, ut ne una quidem pluviae
tta, quae hinc inde vehementer inundabat, in illam descende-
. Cerei quoque, qui in beati patris obsequium ardentes, ad
ut pedesque fuerant collocati, lumen primae accensionis ne-
quam amiserunt, quoadusque corpus ejus ad monasterium
erretur.

9. Aliud adhuc restat miraculum, quod in eadem sacri cor-
is translatione devotis fratribus Dominus patefecit. Nam cum
nimia remigandi instantia fessi, adveniente refectionis horâ,
recuperandas alimento corporeo vires, laudibus Domini prae-
ssis, consedissent, tandemque felici convivio intermisceri potus
tia commonerent, unus ministrorum intulit, nil ibi jam po-
m superesse, praeter quod in flascone parvo servabatur, unde
unicuique quippiam ad gustandum potius, quam ad biben-
n, praeberi potuisset. Illi vero miraculorum Domini, quomodo
cis panibus multitudinem hominum paverit numerosam, fa-
ntes mentionem, ex eodem parvo, quod habebant, cunctis qui
rant, cum charitate distribui fecerunt. Et mirum in modum
pit in eodem vasculo ita liquoris haustus crescere, ut conti-
a effusione nihil minui videretur, quoadusque bibentes pocu-
um copiâ vincerentur. Ergo pro rei novitate obstupefacti, largi-
i omnium bonorum Domino, qui eis tam mirabiliter sufficientiam
ebuit, debitas gratiarum actiones cum laudibus persolverunt.
timque ut iter coeptum itidem aggressi sunt, in vasculo potus
savit. Cumque optati littoris portum subissent, fratribus, qui
iam cum Dei laudibus venerunt, quae gesta fuerant, ex ordine
exuerunt. Celebratoque in commune gaudio, sancti Viri corpus
gno sumptuum cum honore ad monasterium transtulerunt,
inter aram sancti Joannis Baptistae et parietem in sarcophago
suerunt: ubi etiam postmodum, ipsius facientibus meritis,
moria digna Dominus dignatus est manifestare miracula *.....

§ **10.** Talibus igitur miraculorum indiciis vir Dei Othmarus
st altarium sancti Petri honorifice sepultus, annis triginta qua-
r, et centum nonaginta quatuor diebus, in pace quievit. Sed
m jam omnipotens Deus lucernam, lucis operibus accensam,
minumque negligentiâ diu in occulto positam, ad exemplum
ue illustrationem fidelium super candelabrum ponere, ac splen-
re sanctitatis ejus omnibus in domo Dei manentibus luminis

* Prodigiorum, quae Deus per S. Othmari intercessionem, perfecit, magnam copiam Walafridus
c refert: sed ea brevitatis causâ, nobis sunt praetermittenda.

sui gratiam vellet administrare, coetus fratrum, in coenobio sa Galli sub regulari censura Christo devote famulantium, assid colloquiorum sermocinationes de meritorum ejus excellentia cere coepit. Hujuscemodi vero colloquiis iidem fratres sese invi cohortantes, divino, ut credimus, nutu pariter omnes deside coeperunt, ut sancti viri corpusculum ad beati Galli ecclesi quae jam, Deo opitulante, decenter adornata refulsit, iterato re ceretur. Dictante autem aequitatis ratione, cum hoc suo tan consilio facere non praesumerent, vitae ejus libellum, qui nos rum solertia antecessorum multiplici testium adnotatione conscriptus, ad nos pervenerat, venerabili Episcopo Salom legendum contradunt, suaeque voluntatis affectum, quo ejusdem loci congregatio fervebat, aperiunt: ejus per omni diciis, ejusque obedire parati consiliis. Benevolus autem pon perspectis vitae ejus exemplis, multimodas gratiarum act bonorum omnium auctori persolvit, quod bellatorem suum zelo justitiae fortiter dimicantem, tam apertis miraculorum sionibus declaravit. Remoto etiam dubietatis scrupulo, de ctitate ejus quamvis certus extiterit, nihil tamen temere, de se ipso inordinate sua sola auctoritate voluit definire: sed suo prudenti usus consilio, causa Ecclesiasticorum dogm annualem synodum solemniter indicit, et presbyteros ac di nos, diversique ordinis clericos apud Constantiense oppi convenire praecipit. Quibus in unum collectis, venerandus tifex in medium consurgit: factoque silentio, vitae ipsius sa moniam, quae jam multos ibidem residentes dulci rumore quantulum permulserat, sparsim pro tempore coram om recitavit. Quo facto, cum maxima clericorum copia in viri laudibus acclamaret, primo Augiensis coenobii Abbatem, qui e tunc temporis cum quibusdam fratribus nobis valde carissimis confluxerat, ac deinde omnem illius concilii clerum Episc commonuit, ut triduani jejunii abstinentiam facientes, totius fontem in commune precarentur, quatenus pietatis suae mu his in rebus suae voluntatis dispositionem dignaretur perfic Quibus dictis, Episcopi sententiam synodus collaudat, seque benter ita facturam esse conclamat.

§ **11**. Finito itaque synodi hujus concilio, ac peracto tri dierum jejunio, venerabilis praesul ad idem monasterium c suis perveniens, seniorem nostrum Grimaldum, rectorem ips monasterii, ac Ludovici Regis archicapellanum, de hac re tra turus, aggreditur. Post amicae vero salutationis officia, cum m tuis inter se colloquiis vitae illius rigorem, ac miracula ob in cium sanctitatis ejus frequenter ostensa commemorarent, monac ejusdem coenobii in unum convenire praecipiunt, simulque c eis residentes, sanctum corpus de tumulo, in quo eatenus jacebat

* **Salomon erat tunc temporis Episcopus Constantiensis.**

erendum, atque in S. Galli ecclesiam collocandum, pari voto communi consilio omnes unanimiter decernunt. Venerabilis m Abbas Grimaldus, quorumdam animos metu ac formidine tiens esse permotos, confidentior caeteris effectus, infirmantium ntes consolando roborat, et paternae affectionis studio trepi- itium corda informat: adstruens ex divinae voluntatis dispo- one procedere, quod tam multi de eodem tumulo sancti viri pusculum desiderarent auferre. Praesul etiam praeclarus, cum atem tam fiducialiter in his rebus gerere conspiceret, Hart- tum decanum una cum caeteris fratribus secum assumit, ad ulcrum accedens, lapidem superpositum removere, ipsumque cophagum, in quo thesaurus pretiosi corporis jacebat, praecipit rire. Quo facto, membra sanctitate plena inspiciens, monachos niam decantare, precibusque devotis hortatur insistere. Deinde erandas sancti Patris exuvias humiliter deosculans, cum omni erentia de tumulo sublevavit, et in lectica, quae illarum rece- i paulo ante compacta fuerat, reposuit. Sub capite autem, et a pectus viri Dei, quaedam panis rotulae, quae vulgo *oblatae* untur, ita illaesae, atque ab omni corruptione extraneae, ab lem Episcopo inveniebantur, ut in nulla omnino parte colorem specimen sui amittentes, adspicientium oculis infra spatium ius hebdomadae viderentur esse confectae. Quo vero ordine, ove in tempore eo loci pervenerint, nobis quidem incognitum, o autem novimus esse manifestum. Hoc tamen pro certo scimus, od per triginta quinque annos nullus mortalium ejus sepulcrum eruit, antequam praesens Episcopus, ministerii sui fretus au- ritate, ejusdem congregationis fratribus hoc faciendum in- nxit. Idem tamen Episcopus venerabiliter eas assumens, sacro rpori apposuit, ipsumque corpus cum summa cautela obvolu- m, in lectica superius dicta honorifice commendavit.

§ 12. Post haec igitur facto intervallo quasi horae unius, aesul devotus, hortatu Grimaldi Abbatis, debito cum honore nctum virum ex eodem oratorio jubet transferre *. Tum vero nnis illa monachorum congregatio, albis continuo vestibus in- ita, dulci modulatione in Dei laudibus prorumpens, beati viri rpus laetabunda prosequitur. Sicque per numerosae multitudinis pulos, quos amor translationis ejus attraxerat, magno cum ho- ore deductus, ecclesiam sancti Galli ingreditur, ac juxta ejus tarium in dextera parte deponitur. Episcopus autem animad- rtens frequentiam populorum, qui diversis ex partibus illo con- nerant, aliquid de sanctitate illius velle audire, cum propter igoris subreptionem faucium raucedine impeditus, ipse ad eos qui non potuisset, quemdam archipresbyterum ambonem con- cendere, ac vice sui sermonem ad populum facere jussit: ita idelicet, ut presbyter ipsi altiori paululum loco consistens, ea

* Solemnis haec S. Othmari translatio anno 863 facta fuit.

tantum proferret, quae sibi Episcopus in vicino positus dicen
insinuaret. Aliquantis autem vitae ejus exemplis ac virtutib
coram populo breviter recitatis, Missarum solemnia peragunt
populusque ad sua cum gaudio revertitur. Episcopus vero ip
nocte mansit in monasterio. Mane autem facto, fratres in uno
collegit, atque inter alia sacrae institutionis documenta, de san
Viri meritis certus existens, confidenter praecipit, ut super
niente depositionis ejus die, vigilias ac Missarum solemnia h
norifice perficiant, diemque illum tam ipsi, quam omnis fami
intra monasterium constituta, in honore beati Othmari feriam
cum gaudio spiritalis laetitiae festivum possideant. His omni
ita, ut retulimus, veraciter peractis, praesul benignus ora
nibus fratrum ac benedictione munitus, monasterium la
egreditur.

§ 13. Quo vero temporum statu, vel sub quibus regni pr
cipibus haec gesta fuerint, si quis pie quaerendo cognoscere cu
in hac nostrae conscriptionis serie facile poterit invenire q
quaerit. Ipsa enim temporum statuta in hoc loco ideo conscrip
mus, ut et legentium fidem custodiant, et majorem apud p
steros vigorem sui adnotatione scriptis exhibeant. Igitur beat
Othmarus primis temporibus Caroli, patris Carlomanni et Pipi
a Waldrammo nobili ac potente viro, ad ejusdem Caroli pra
sentiam adductus, cellulam sancti Galli gubernandam ab il
suscepit, ejusque possessiones per multa annorum spatia in d
versis rebus nobiliter augmentando dilatavit. Defuncto autem C
rolo non post multos annos, filius ejus Carlomannus *, divino
putatur, amore, omissis secularis pompae deliciis, germano s
Pipino regni gubernacula reliquit: et primo Romae in mon
Soracti apud ecclesiam sancti Silvestri constructo monasteri
regularis vitae institutis libera colla subdidit; ac deinde in S
mniam provinciam ob amorem secretioris vitae secedens, in m
nasterio sancti Benedicti, quod est situm in castro Cassino, re
quum vitae tempus religiose conversando complevit. At vero P
pinus pater Caroli imperatoris, per auctoritatem Stephani Roma
Pontificis, deposito ac detonso Rege Childerico, anno ab Incarna
tione Domini septingentesimo quinquagesimo quarto, Indiction
septima, ex praefecto palatii Rex constitutus, solus Francis coep
imperare. His ita gestis, praefatus vir Waldrammus, ad cuju
possessionem cellula sancti Galli quasi haereditario jure perti
nere videbatur, comperto quod Pipinus ex Francorum consens
in regni esset sede collocatus, virum Dei Othmarum, sicut su
perior vitae ejus libellus èdocet, iterato assumens, ad pala
tium perduxit, atque ejusdem loci titulum ipsi Othmaro a Reg

* Carolomannus, Caroli Martelli filius, Caroli Magni Imperatoris patruus, repente mundo val
dicens, monasticam vitam amplexus est anno 747. Obiit anno 755 in Gallia; sed sacrae ejus ex
viae Cassinum, ubi is multos annos vixerat, delatae fuerunt.

commendari postulavit. Quo facto, sanctus vir, multis regiae largitatis muneribus pro ejusdem loci instructione susceptis, gaudens et tripudians, ad monasterium rediit. Septimo autem anno regnante Pipino, Warini et Ruadhardi potentiâ injuste oppressus, plenus dierum, plenus etiam sanctitate meritorum, de angustiis hujus vitae eripitur, et pro bonorum studiis operum ad aeternae beatitudinis gaudia perducitur. Evolutis post haec decem annis, a suis monachis ad monasterium translatus, inter aram sancti Joannis Baptistae et parietem ecclesiae in dextra altaris parte honorifice * commendatur: ac deinde interpositis non minus sexaginta annis, decimo septimo Calendas Maji, in die sancto parasceves Paschae, ad oratorium sancti Petri deducitur. Post haec autem trigesimo quinto anno, Incarnationis autem Domini octingentesimo sexagesimo quarto, Indictione duodecima, sub piissimo Rege Ludovico, translationem, quam supra descripsimus, Grimaldus Regis archicapellanus, atque ipsius Abbas monasterii, cum Salomone Constantiensis Ecclesiae praesule, quarta feria sub octavo Calendarum Novembrium die peregit. Et ut nos solerti studio indagare potuimus, a septimo Pipini anno, quo vir sanctus de hujus seculi angustiis commigravit, usque ad hanc translationem, centum et quatuor anni computantur **.

DE S. EUCHERIO EP. LUGDUNENSI

EX MARTYROLOGIO ADONIS ARCHIEPISCOPI TREVIRORUM.

Floruit sec. V — Gallus.

§ 1. Natale sancti Eucherii Episcopi Lugdunensis, admirandae fidei, vitae et doctrinae viri. Qui ex nobilissimo Senatorum ordine ad religiosam vitam habitumque conversus, diu in agro suo super fluvium Durentiam *** intra septa speluncae sponte conclusus, Christo servivit, jejuniis et orationibus vacans. Defuncto autem pontifice Lugdunensi, cum universa Ecclesia, juxta morem a se antiquitus observatum, triduanis jejuniis et obsecrationibus, qui gubernationem ejusdem Ecclesiae suscipere deberet, sibi posceret a Domino revelari, cuidam puero apparens in visu Angelus Domini: « Est, inquit, senator quidam Eucherius nomine, super fluvium Durentiam retrusus in specu, qui, relictis omnibus quae possidebat, secutus est Dominum. Ad hunc deducendum

* Videtur deesse *sepulturae*, aut aliquid ejusdem.
** Alia miracula nunc sequuntur, quae praeterimus.
*** Gall. *Durance*.

pergite, et vobis pastorem illum constituite, quoniam a Deo est electus. »

§ 2. Quod cum puer senioribus diluculo retulisset, omnipotenti Deo, cunctis fratribus congregatis, gratias egerunt: missoque cum clericis ad praefatum locum Archidiacono, qui tunc Ecclesiae curam gerebat, invenerunt eum, sicut eis Dominus revelaverat. Cumque illi Archidiaconus rem, propter quam venerant, indicasset, coepit cum juramento dicere, se voluntarie de specu non egressurum, nec cum eo, nisi ligatus duceretur, iturum. Cumque diu talia repeteret, Archidiaconus, effracto muro speluncae, eduxit eum, et juxta quod ipse juraverat, vinctum perduxit Lugdunum. Quem pari animo unoque consensu Clerus et populus sibi eligens * sacerdotem, in pontificali cathedra solemniter collocavit **.

§ 3. Hujus uxor Galla, in sancto habitu Deo serviens, speluncam ejus ingressam, omne illic vitae suae tempus in studio religionis exegit. Duae ipsorum filiae, quarum una Consortia, altera Tullia vocabatur, virginitatis gratiâ et signorum gloriâ claruerunt.

VITA

S. EDMUNDI ARCHIEP. CANTUARIENSIS

EX DIVERSIS MSS. CODICIBUS PER LAUR. SURIUM, MUTATO FERE STYLO, INTERDUM PARAPHRASTICOS DESCRIPTA. AUCTORIS NOMEN ABERAT, CUM CERTUM SIT, ROBERTUM RICHIUM, BEATI VIRI FRATREM, ET ROBERTUM BACONUM, EJUS DISCIPULUM, ILLIUS SCRIPSISSE VITAM. HISTORIA, QUAM NOS EDIMUS, EST PLANE FIDE DIGNA.

Morti occubuit anno 1242 — Anglus.

§ 1. Beatus Edmundus *** pago Abendoniensi **** in hanc lucem editus est: cujus virgineam integritatem miro quodam modo praesignificare visus est omnipotens Deus, quando praeter communem nascentium morem ita mundus e maternis visceribus ejus singulari beneficio prodiit, ut mundissimus pannus, cui involutus fuit, nullam prorsus maculam ab eo contraxisse videretur; ita ut obstetrices rei novitate perculsae, non immerito magna

* Anno circiter 434.
** Hic sanctus doctissimusque Praesul diem supremum obiit anno probabiliter 454.
*** Qui et Eadmundus vocatur.
**** Angl. *Abington* in *Berkshire*.

ıdmiratione afficerentur. Cum autem baptizatus est, mater eum ı munditia Edmundum voluit appellari: tum etiam, quod cum um adhuc utero gestaret, ad beati Edmundi martyris monuıentum orans, illic primum vitalem in eo spiritum deprehenisset. Dicta est illa Mabilia, pater vero Eduardus: qui, uxore labilia consentiente, mundo valefaciens, in monasterio de Evesham, ıonasticam induit vestem, et felici cursu vitae hujus reliqua patia emensus est. Porro Mabilia in seculo non seculariter viens, carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifixit. Rejeto enim seculari habitu, singulis prope noctibus intererat no·turnis Abendoniensium monachorum psalmòdiis, atque ad nudum orpus vestem adhibebat cilìcinam, quae et aspera esset, et ad alos usque se porrigeret: utque ea magis affligeret carnem, loicam ferream ei adjunxit ad suras usque pertingentem. Intra psam autem loricam duae erant laminae ferreae, quae cruciatum ıugerent. Horum autem ipsa moriens haeredes voluit esse duos ilios suos Edmundum et Robertum. Tale fuere beati Edmundi ɔarentes, rebus quidem temporariis locuplètes mediocriter, sed norum opibus praepollentes. Atque ita factum est, ut beatus Edmundus ab ipsis prope incunabulis admodum religiose a matre educaretur, et in tenera aetate disceret, quemadmodum postea etiam adultus in preces et jejunia incumbere deberet. Nam ut sua sponte sextis feriis pane et aqua contentus esset, pia mater ei et promittere, et largiri solebat munuscula, quibus sciret illam ıetatulam facile invitari, ut sic arte quadam salutaris parsimoıiae studium ei jam tum instillaret.

§ 2. Cum autem mitteret eum cum fratre ejus Parisios, ut iberalibus disciplinis instituerentur, ne ex ignorantia laberentur n errores, duo eis cilicia dedit, jussitque ut bis vel ter qualibet ıebdomada ea induerent. Timebat enim prudens et religiosa foeınina, ne postquam pubertatis annos attigissent, per abrupta nsanarum libidinum praecipitia incauti agitarentur. Itaque spiitualium bellorum rudes et imperitos sapienter praemunire stuluit: ipsique Edmundo, quem praescia sanctitatis ejus, prae aeteris filiis impensius amabat, cum Lutetiae litteris daret opeam, cum lineis indumentis etiam cilicium mittere solita fuit. Itque ille sanctus puer, omnem a se levitatem repellens, choreas, lliaque ludicra et spectacula devitavit. Porro Dominicis et festis liebus, ut erat a matre edoctus, ante sumptum cibum, totum ɔerlegit Psalterium.

§ 3. Eunti aliquando apud Oxonam * per pratum quoddam leambulandi causa, sodalibus, ut id faceret, eum invitantibus, um se celerius ab illis subduxisset, ne conscientiae puritatem vel nugis puerilibus, vel otiosis sermonibus contaminaret: puer Jesus illi apparuit, candidus et rubicundus, qualem eum sponsa

* Angl. *Oxford*.

describit in Canticis, et tamquam a summo coeli vertice repente in terram delapsus, sic eum prior appellavit: « Salve, dilecte mi. » Ille id audiens, vocem ignoti pueri admiratus est. Cernens suavissimus puer Jesus pavefactum illum et haesitabundum, rursus illum compellat; sciscitatur, num vel tenuem sui habeat notionem. Respondet ille columbina simplicitate: « Neque ego ullam habeo tui notitiam, neque me puto tibi esse notum. » Tum puer Jesus: « Et quinam, inquit, fieri potest, ut tam ego tibi ignotus sim, cum in scholis ad latus tibi assideam, et ubicumque sis, comes semper individuus tibi praesto adsim? » subjunxitque: « Respice in faciem meam, et vide quid illic scriptum sit. » Respexit ille, et vidit coelestibus exaratum litteris: « Jesus Nazarenus, Rex Judaeorum. » Quod cum puero Jesu indicasset, ille ocyus respondit: « Hoc est nomen meum, quod tu debes affigere animo tuo, ejusque ardere desiderio, semperque noctibus accurate imprimere fronti tuae: quod tibi magno praesidio erit adversus mortem repentinam; sed et aliis quoque, qui illud ita fronti suae inscripserint. » His dictis, omni melle dulcior puer ille, in quem desiderant Angeli prospicere, ab ejus oculis disparuit, sed non parum suavitatis in ejus pectore reliquit. Ab eo autem tempore Edmundus nocte vel die studuit passionem Christi animo versare, in eaque meditanda medullitus delectari. Cum autem quodam die festo multis occupationibus impeditus, nocte recordaretur, se Dominicae passionis commemorationem omisisse, caputque fessum quietem reposceret, sub auroram adparuit ei diabolus, et ambas ei detinuit manus, ne Crucis signum posset in fronte pingere. Sed mente orante Edmundo, daemon inter lectum et parietem decidit.....

§ 4. Accidit autem ut mater ejus a corpore migratura, eum ad se acciret. Ad quam ille venit, extremam ejus benedictionem percepturus. Quam cum illa ei amantissime impertiisset, rogabat Edmundus, ut absentes quoque liberos suos ea benedictione afficeret. At illa: « Noveris, inquit, fili mi, omnes fratres tuos in te benedictionem percipere, quippe qui per te tuae erunt virtutis et gratiae participes. » Non enim latuit matrem, quis quantusque futurus esset, cum id indiciis quibusdam jam ante designatum esset. Viderat enim ipsa, nocte quadam in somnis coronam spineam ferentem illum in capite suo, quae vehementer accensa, flammas ad sidera vibrabat.

§ 5. Postquam adolescentiae metas attigit, ita sensus suos per vitae spiritalis exercitia rebus bonis et virtutum studio assuefecit, ut ex jugi consuetudine deinde tamquam naturaliter mala omnia vitaret. Magnam in eo curam posuit, ut velut in tabulis rasis sanctitatis habitum, crebris actionibus bonis acquisitum, quadam imaginaria impressione effingeret, atque ita innocentiae fundamento ardua virtutum palatia superstrueret.

structuraque per spiritum inchoata, cresceret in spiritum sanctum in Domino. Et certe talis ille effectus est, ut non solum prius faceret, quam doceret: sed etiam prius faceret, quam vel facienda au divisset. Carnis foedas voluptates et delicias non modo fugit, sed et prorsus horruit, et abominatus est: et cum virtutum omnium valde studiosus esset, castitati tamen singularem navavit operam, sciens illud Sapientiae, incorruptionem hominem Deo proximum facere: quo factum est, ut usque ad supremum vitae diem inviolata in eo permanserit virginitas. Ut autem cura ejus conservandae major ei inesset, de consilio cujusdam sacerdotis, coram imagine perpetuae Virginis, sanctissimae Matris Dei castitatis nuncupavit votum, et illi singulari et incomparabili Virgini se commendans, eam sibi sponsam delegit, utque foedus cum illa initum prorsus firmum et stabile fore declararet, novo quodam modo eam annulo suo tamquam arrhabòne sibi despondit, annulum illum quem ea causa fecerat, ejus imaginis digito infigens, in quo etiam inscripta erat Angelica salutatio. Atqué ex eo tempore, ut ipse in suo obitu confessus est, quoties illius clementissimae Virginis imploravit opem, illa in tentatione exitum, in persecutione solatium, in afflictione remedium, in dolore gaudium ei celeriter impetravit. Habuit vero etiam in digito suo annulum, cum quo post mortem, ut solent pontifices, sepultus est, cui itidem, cunctis admirantibus, Angelica salutatio insculpta fuit, ut beatissima Virgo ipsum, suum sponsum et habere et agnoscere dignaretur.

§ 6. Pia mater ejus, cum esset e vita decessura, commendarat ei fratrem ejus Robertum, et sorores, ut tamquam major natu, illorum curàm susciperet. Haec rès ei aliquandiu ab externis occupationibus magnas molestias attulit. Admonuerat eum mater, ut sororum pudicitiae consuleret : quae cum essent speciosae admodum , multis periculis expositae videbantur : quamquam maternis et sermonibus et exemplis confirmatae, caeteris fortiores erant. De iis in quodam virginum monasterio collocandis agere volebat Edmundus cum ejus monasterii sororibus. Sed illae negabant, nisi certa numeratâ pecuniâ, se illas in suum consortium admissuras. Ille veritus hoc ad labem Simoniacam pertinere: recessit ab eis: et cum aliud nil suppeteret, ad Deum deprecandum se contulit, sorores hortans, ut idem ipsae quoque facerent. Oratum est igitur, nec despexit Altissimus humilium preces. Innotuit enim Edmundo, in quodam paupere monasterio foeminarum monasticam religionem egregie florère, et arctissime conservari. Illic ergo Edmundus sorores suas degere peroptans, cum loci Praefecta sive Priorissa de ea re colloqui voluit. Sed ea, licet ei ignotus esset, illius sermonem antevertit, suoque eum nomine appellans, « De sororibus tuis, inquit, Edmunde, non est quod mihi quicquam Indices. Ego enim, Domino revelante, jam scio, quid velis. Si illae ad nos venerint, repulsam apud nos haudquaquam

patientur. » His verbis mirifice exhilaratus Edmundus, totum curarum pondus, quod a sororibus ei incubuerat, in Priorissae manus deposuit, sorores suas illi commendans: atque ita domesticis absolutus curis, Parisios rediit, liberalium disciplinarum cursum confecturus. Ubi sane diligentissime in litteras incubuit, et magnam ex eis suavitatem percepit: discendi quidem percupidus, sed recti vivendi cupidior, ita studebat discere, tamquam semper victurus: ita vivere, tamquam cras moriturus. Ita fiebat, ut et studio bene discendi sensus a rebus frivolis et noxiis avocatos, facilius ad bene vivendum accommodaret et disponeret: et ex recte vivendi consuetudine mentem coelestis lucis fulgoribus serenatam, ad bene discenda subtilia purius et tersius applicaret. Acute enim cognoscendis et perspiciendis rerum causis sic animum adhibebat suum, in eoque tam fervens et assiduus fuit, ut brevi admirabiles in doctrina progressiones haberet, et non studiosis modo, sed etiam magistris et praeceptoribus miraculi instar esset.

§ 7. Hostis autem malignus, teterrimus daemon, cum eum cerneret castitati summam impendere operam, magis etiam pectoris ejus tranquillitatem perturbare nitebatur. Itaque puellam quandam, hospitae ejus filiam, illius amore inflammavit, ita ut illa impudicis in eum conjectis oculis, itemque signis et nutibus eum ad turpem concubitum provocare conaretur. Sed cum hac ratione nihil proficeret, apertis cum eo verbis coepit agere, et multis modis ad nefarios amplexus invitare. Ille haud secus atque pestem quandam illam fugiens, saepe objurgabat et verbis castigabat eam. Sed cum neque sic vellet ab illo improbo conatu revocare sese, sed pergeret esse importuna, tandem apud se deliberans, qua illa posset via reduci ad sanitatem, tempus ei certum praefigit, ad quod adesse debeat. Illa se sperans voti compotem fore, statuto tempore confidenter venit. Postquam autem ad eum ingressa est, et illo jubente superioribus vestibus nudata, apprehensam virgis egregie in tergo verberavit, ut stultitiam, quae erat colligata in corde ejus, virga disciplinae fugaret. Tum illa tam male et duriter accepta, fugit eum, quem antea tam perdite erat persecuta: tantumque apud eam illi virgarum ictus profecerunt, ut, quemadmodum ipsa postea fassa est, deinceps nunquam ejusmodi tentatione pulsata sit. Cernens autem impurissimus daemon se tam aperta mali specie eum evertere non posse, per matronam quandam satis, ut videbatur, honestam, eum in turpitudinis foveam pertrahere conatus est. Ea enim sub officii praetextu quaedam ei munera obtulit, ut iis eum illiceret et emolliret ad consentiendum suae malae voluntati. Quod cum ille animadverteret, perquisivit ex ea, num conscio marito suo his ipsum muneribus afficeret. Respondit illa: « Nihil hujus novit vir meus, quem nolim scire hunc me tibi peramanter habere honorem. » Tum

vir sanctus : « Ego vero, inquit, nesciente marito tuo, dona tua non recipiam. » Abiit illa cum muneribus suis, voto frustrata suo: et vir Dei ab ejus infestationibus liberatus est.

§ 8. Postquam ex adolescentiae annis excessit, crescente cum aetate corporis robore, crevit etiam invisibilis militiae pugna. Quamobrem non contentus ille communibus ciliciis, quibus mater eum a teneris annis uti voluit, novum cilicii genus effinxit, quo carnem suam non tam domare quam excruciare studuit: quod genus et priscis incognitum, et recentioribus incompertum puto. Habebat cilicium non ex tenuibus pilis, ut àssolet, contextum, sed ex chordulis quibusdam, instar retis multa densitate inter se consertis et intricatis confectum, cui multi inerant noduli, humanae carni prope intolerabiles. Ab anteriori parte patebat, funiculis a capitio usque ad fimbrias hinc inde assutis constrictum: qua re fiebat, ut ejus noduli corpori arctius apprimerentur, et majores ei cruciatus afferrent. Nec tamen hoc tormenti genere ille contentus, aliud addidit, majori etiam admiratione dignius. Ut enim ex perpetua cilicii ejus compunctione corpus doleret acrius, fune ex equorum pilis triplicato ita illud constrinxit, ut a scapulis usque ad renes crebro ambitu funis duceretur, et infima parte tanta vi adstringeretur, ut vix corpus inflectere, aut inflexum erigere posset. Et quia interdiu manus et collum, ne homines adverterent, ea ratione affligere non potuit, noctibus cilicio ea affligebat. Addebat vero etiam femoralia cilìcina, et caligas aeque cilìcinas, quibus assidue utebatur cum lorica illa, quam mater ei reliquerat, duplicia de manu Domini recepturus, pro duplici martyrio, quo se ipse ultro affecit. Porro in Adventu et Quinquagesima plumbeam quandam vestem induit, et durum corium atque nodosum, et ad dolores corporis augmentandos pluribus locis corpus suum funibus constrinxit, ne anima ejus peccatorum funibus constringeretur.

§ 9. Cum artium magister effectus esset, praeter morem eorum, qui tum publice legebant vel profitebantur, Missae sacrum audire et preces Canonicas quotidie legere consuevit: quae religiosa consuetudo etiam discipulis ejus profuit, quibus persuasit, ut cum ipso Missae sacrificio interessent. Ut vero commodius et liberius id efficere posset, in paroecia, in qua degebat, sacellum construendum curavit in honorem sanctissimae Virginis Mariae, quam semper amore singulari coluit et prosecutus est. Accidit autem, ut quidam ex auditoribus ejus et morbo et egestate premeretur, nec quemquam haberet, qui opem ferret ullam. Eum jam lecto decumbentem, jussit in hospitium suum inferri: ubi sane rara quadam humanitate et benevolentia quinque hebdomadibus coram illo cubavit, eique in iis, quae ejus poscebat necessitas, sedulo ministravit, interim nihilominus et praelegens, et disputans assidue.

§ **10**. Solebat quotidie devote et reverenter dicere precem quandam in honorem Matris Dei et beati Evangelistae Joannis, cujus initium est, *O intemerata*, etc. Sed cum aliquando studiis esset occupatus, illius dicendae oblitus est. Proxima nocte beatus Joannes ei apparens, jussit manum porrigere. Habebat enim in manu ferulam, et dire visus est ei minitari ictum immanem. Sed mox placatus, retinuit manum, quam jam ad caedendum extenderat: blandeque et familiariter eum admonuit, ne illam precationem unquam omitteret. Jam sex annis liberalium artium professorem egerat haud vulgarem, cumque sociis suis praelegeret geometriam, mater ei in somnis apparuit, perquisivit quid legeret, et quid sibi vellent figurae, quibus adeo intentus esset. Ille ubi respondit quod visum fuit, mater apprehensa manu ejus, tres in ea circulos pinxit, Patrem et Filium et Spiritum Sanctum ordine eos appellans: addiditque: « Hisce deinceps figuris, fili mi, intentus esto, omissis istis, quibus te occupas. » Tum ille matris vocem intelligens, mox ad Theologiae studium se transtulit. Pecuniam, quam ei liberales disciplinas profitenti, auditores numerare solebant, pulveribus opertam in fenestra recondebat, ita dicens: « Terra terrae, et pulvis pulveri merito debet commendari. » Sed id sodales quidam animadvertentes, interdum joco eam tollebant: porro nequam homines furtim eam surripiebant. Postquam autem Theologiae animum appulit, non sat habuit mane sacrificio interfuisse, sed in augmentum pietatis et religionis, in aede sancti Mederici nocturnis aderat vigiliis: post matutinas sive nocturnas preces, in oratione cum lacrymis et gemitibus coram altari sanctae Mariae persistebat, ac deinde, nulla corpori quiete data, cum aliis ad scholas accedebat. Vespertinis etiam precibus se praesentem exhibebat. In aedibus sacris reverenter et pie se gessit, et vel nunquam, vel rarissime illic assidère voluit. Archiepiscopus Eboracensis Walterus cum eum Theologiae studere didicisset, sacra biblia suis sumptibus ei scribenda curare voluit. Audierat enim illum Oxoniae librorum penuriam pati. Sed id ille recusavit, veritus ne monasteria ea re gravarentur. Habebat ipse Psalterium cum glossis, et duodecim prophetas, itemque Epistolas Decretales: sed haec omnia distraxit, pretiumque in studiosos inopes Parisiis erogavit. Mirantibus caeteris, cur praeter omnium morem codices necessarios venderet, uni ex iis causam sciscitanti, et stultitiam objicienti respondit: « Quo plura novimus, eo quoque plura facere debemus. Ego vero hos codices distrahens, parum feci, minusque quam debui. Cum enim dicat Christus: *Si vis perfectus esse, vende omnia quae possides, et da pauperibus* (*Matth.* XIX): ego, qui multa retineo, pauca largitus sum: pusillanimitatis potius, quam prodigalitatis, argui debebam. » Tanta autem aviditate sacras complectebatur litteras, ut in earum studio pene insomnes duceret noctes. Studiis

intentus, coram se habebat imaginem eburneam beatae Mariae, in cujus circuitu depictum erat nostrae redemptionis mysterium. Itaque in codice fervebat lectio, ad imaginem, vel eam potius, quam illa repraesentabat, preces dirigebantur: utrinque vero ejus animo influebat contemplationis dulcedo et ecstasis. Quoties biblia sacra aperiebat, honoris causâ reverenter ea exosculabatur.

§ **11**. Brevi autem mire in Theologiae studio profecit; ita ut intra annos paucos, multis magna contentione hortantibus, Doctoris titulo ornatus sit: sed id sane invitus, quod illo honore se indignum arbitraretur. At vero jam promotus in Doctorem, adeo cunctis prodesse studuit, acsi omnibus juvandis natus esset. Erat profecto concionator egregius, disputator acutissimus, pius Theologiae professor: atque in iis omnibus aliis effundebat quod ipse hauserat de fontibus Salvatoris. Non raro contigit, ut multi et magni viri, cum ejus praelectionibus interessent, lacrymas cohibere non possent, sed codices complicare cogerentur. Mel et lac erat sub lingua ejus, et inde mira suavitas, in auditorum mentes distillabat. Multi ex ejus schola prodiere doctores eximii, qui etiam vitae ejus vestigia pro viribus sectari conati sunt: nonnulli ecclesiasticis beneficiis honorati vel onerati potius, flammis oris ejus in schola praelegentis incensi, relictis omnibus, monasticam vitam amplexi sunt. Ignis enim in cordis ejus altari jugiter ardens, aliis ostendebat lucis iter. Quadam nocte in somnis vidit ignem copiosum existere in schola sua, atque inde septem faculas extrahi. Altera luce in scholis eo praelegente, Abbas quidam Cisterciensis ordinis eo advenit, et lectione absoluta, septem ex ejus discipulis secum abduxit, qui omnes facti sunt in ejus monasterio monachi. In iis unus fuit Stephanus, qui postea Claravallensis Abbas creatus est. Nihil hac re, tamquam imminuto auditorio suo, movebatur Edmundus: laetabatur potius illo damno, quod cum animarum salute conjunctum esset. Disputaturus aliquando de sacrosancta Trinitate, ascendit in cathedram: cumque illic sedens discipulos exspectaret, et quid dicturus esset, animo pertractaret, somno oppressus, vidit columbam superne advolantem, oreque suo ferentem mirificum Christi corpus, et ipsius ori inferentem, moxque ad superna revolantem. Expergefactus, de beatissima Trinitate tam praeclare, sublimiter et luculenter disseruit, ut humani ingenii modum prope excessisse videretur.

§ **12**. Multa ei concionanti gratia aderat, ita ut ignitis sermonibus suis animos auditorum, quantumvis frigidos, efficaciter inflammaret. Sensit hoc Comes Wilhelmus Salesbre *, quem *Longam Spatham* cognominarunt: qui cum multo tempore sua peccata confessus non esset, nec vellet Christiano more sacrosanctam Eucharistiam percipere, in ejus concione conversus est, et ad meliorem frugem se recepit. Sub ipsis autem concionibus suis

* Urbis scilicet, quae Angl. vocatur *Salisbury* vel *New-Sarum*.

vir sanctus Crucem manu tenebat, quam subinde intuens, modo acerbe plorabat, modo leniter subridebat. Lacrymarum ei tum causa erat, ut ipse ait, quod cum multi essent verbi auditores, factores perpauci extarent; licet Christi passio eis ob oculos versaretur, nec innumera Sanctorum exempla deessent. Ridebat vero, quod non ignoraret, per Christi passionem et Crucem immensa toti orbi beneficia collata.

§ 13. Abstinentiam in omnibus singularem ab ipsis primis aetatis initiis consectatus est, puta in sermone, cibo, potu, somno, rebusque aliis, quantum humanae ferrent vires, in iis temperantiae studens. Solo pane et aqua sextis feriis contentus fuit: interdum solum panem edens, nullum omnino potum admisit. Unde id consecutum est, ut nonnunquam labia ejus scissa viderentur, ut solet arida tellus, humorem sitiens. Defluebant a capite et barba pili, medicis ejus rei causam dicentibus, quod corpus ejus humoribus destitutum esset. Cibis vescebatur vilioribus: quod si adessent delicata fercula et potus lautior, minus iis utebatur. Nolebat ut sua causa quisquam ex ipso perquireret, quibus in prandio vesci vellet: et si appositas escas quispiam commendasset, gustare eas nolebat, quod opiparas esse inde conjiceret. Secundis et quartis feriis, itemque in Septuagesima carnibus abstinuit: caeteris diebus prope nihil e carnibus vel piscibus attingens, nec tamen vel disputationes, vel praelectiones intermisit. Promotus ad sacerdotium vel presbyterium, duram illam vivendi rationem, quam carnis excruciandae causâ susceperat, etiam duriorem effecit. Rarissime bis in die edebat, idque non nisi honesta ratione persuadente. Denique tantum ille sibi abstinentiae rigorem indixerat, ut plerique e suis putarent eum vel mente captum, vel vitâ privatum iri. In preces sedulus incumbebat, et in nuda humo defigebat genua, idque interdum tam duriter, ut erumpente sanguine alterum genu adspergeretur, alterum vero semper callum duceret. Singulis diebus omnia Christi crucifixi membra a capite usque ad pedes singulatim salutabat iis verbis: *Adoramus te, Christe, etc.* Quotidie etiam triplices dicebat horarias preces, quas vulgo horas vocant, puta Canonicas, sancti Spiritus, et perpetuae Virginis Mariae: addebatque etiam Officium defunctorum. Post primum exsurgens somnum, mox vel ad precandum, vel meditandum, vel legendum se conferebat, et tam post nocturnas vigilias, quas Matutinas vocant, quam ante eas, ita perseverabat. Lectum quidem habuit satis honeste compositum, nec tamen in illo cubabat, sed in scabello, nonnunquam etiam nuda humo: quandoque vero caput pendulum ad lectum reclinabat. Interdum etiam, ut dimidio tantum corpore quiesceret, sedens capiebat somnum: idque annis triginta ita fecisse creditur. Linteamina, operimentum, vel culcitram non habuit, sed vel pallio, vel epomide, sive superhumerali tegebat se. Vestes ut plurimum habuit colore

cinericio, nec abjectas nimis, nec valde pretiosas. Ludis vel spectaculis secularibus sese admiscère noluit. Beneficium Ecclesiasticum vel unum solum, licet crebro sibi essent oblata, nunquam habere voluit, nisi praesens resideret: et illud ipsum, si praelectionibus vacaturus erat, nullius exspectato consilio, resignare solebat. Tandem tamen, ut liberius posset praedicare verbum Dei absque auditorum onere, in nobili Ecclesia Salisberiensi accepit cum canonicatu thesaurarii dignitatem, quorundam instantia et prece victus. Causarum ventilationibus et placitis * interesse noluit, idque Pontificis Maximi permissu, cujus litteras impetravit. Pecuniam non modo tangere, sed vel adspicere indignum arbitrabatur, nisi eam, quam sua manu pauperibus distribueret. Cellaria vel alias officinas domus suae ingredi noluit, parum id se decère existimans. Rationes quoque rerum suarum per se reposcere, indecorum sibi arbitrabatur. Quod e facultatibus suis proprium habuit, id commune studuit facere egenis.

§ **14**. Interea sanctitatis ejus fama etiam Alpes transgressa est, et cum summus Pontifex eum Crucis amatorem esse didicisset, Crucis praedicationem ei cum insigni privilegio demandavit: permittens ei, ut ab ecclesiis acciperet res necessarias, et eorum metere posset carnalia, quibus spiritalia seminabat. Ea tamen potestate ille uti noluit, sed gratis annunciavit Evangelium, suisque stipendiis more ab illis qui militant, valde alieno, militavit. Quamobrem etiam Deus in illa legationis functione et itinere multis eum miraculis cohonestavit. Cum enim verbum Crucis in pago Lemestrensi praedicaret, juvenis quidam, juvenilibus irretitus oblectamentis, ab ejus manibus Crucem accipere cupiens, ad eum accessit. Eum vero foemina quaedam a proposito revocare volens, arrepto pallio, retraxit, sed non impune. Mox enim contracta manus docuit eam, non sibi fas esse, Christo militaturum a tam pia voluntate revocare. Illa sentiens divinitus se percussam, flens et ejulans voces dabat miserabiles. Sciscitante viro sancto, quid id sibi vellet, dictum est, quid accidisset. Tum ille ad mulierem: « Vis ne, inquit, de manu mea Christi crucem accipere? » Illa respondente se id velle, Vir sanctus Crucis signum ejus humeris imposuit, et illa confestim sanata est. Rursus in pago Stradevicensi illo Crucem praedicante, cum juvenis quidam Crucem vellet accipere, amica ejus retinuit eum. Sed eam repente coelestis vindicta oculorum lumine privavit: flenti vero et ploranti vir beatus pro ea orans, lumen restituit. Alio tempore concionaturus apud Boclandam, ubi Deo famulabantur moniales instituti Cisterciensis, priusquam eo advenisset, defuncta monialis cuidam viventi monachae apparens: «Magister Edmundus, inquit, huc venturus est, et ad populum conciones habiturus. Tu ei filum tali loco repositum offeras, ut ex eo Cruces efficiat. » Fecit

* *Placita*, Medii Aevi seculis, Dominorum feudalium judicia dicebantur.

illa, ut erat admonita, et cum multae inde confectae essent Cruces, permulti signati sunt, nec tamen quicquam fere de filo decessisse videbatur. Cum Wigorniae extra templum concionaretur, horrida nubes se repente diffudit, vehementes auditoribus imbres minitans. Sentiens vir Dei consternatos illos jam fugam meditari, signum Crucis contra illas nubes expressit, ita dicens: « Praecipio tibi, maligne spiritus, ut procul hinc abscedas, nec hunc populum ausus sis impedire. » Dixit, et dispulsa mox atra caligine, nubes lucida obumbravit eos, interim in circuitu cum magna tempestate multa pluvia cadente. Saepe etiam alias diversis temporibus pluviam et tempestatem ab eo loco, quo concionabatur, avertit.

§ 15. Cum autem Cantuariensis sedes jam diu vacasset, et ad Gregorium IX Pontificem Maximum * devoluta esset illi metropoli pastorem praeficiendi deliberatio, per omnem Angliam ille diligenter per fidos nuncios jussit inquiri, quis illi oneri ferendo in primis idoneus, tantoque honore affici praecipue dignus omnium judicio censeretur. Tandem Edmundus unus omnium et aptissimus et dignissimus existimatus est; eumque canonice electum, Cantuariensi Ecclesiae pastorem dedit. Missi sunt tum spectabiles viri ad Ecclesiam Salisberiensem, qui eum Cantuariam** perducerent, sed inquisitum minime repererunt. In pago autem Calvensi invento indicant, quid de ipso factum sit. At illo consentire nolente, redeunt ad Salisberiensem Episcopum, quid Edmundus responderit, exponunt. Praecipit ille graviter et severe, ut obediat. Nec tamen Edmundus flecti potest, donec dictum est, eum mortiferi peccati periculum minime evasurum, si consentire nolit. Tum ille Deum offendere timens, et precibus victus, et ratione convictus, et praecepto adactus, assensit tandem, sed ita tamen, ut protestaretur se nulla ratione electioni illi cessurum, nisi graviter se in Deum peccaturum formidaret. Ita demum, cunctis exultantibus, admodum honorifice et multa celebritate Archiepiscopus ordinatus est ***.

§ 16. Pastor igitur in populo Dei constitutus, omni virtutum genere magis ac magis enituit: nec de ea, quam diximus, vitae severitate et duritia quicquam remisit; sed in dies potius quippiam ad eam adjecit. Non induebatur purpura et bysso, aut veste pretiosa, ut solent plerique Episcopi: sed contentus erat tunica vel candidi, vel cinericii coloris, pretii non magni. At tamen ne frons a caeteris discreparet, superiores vestes honestas habuit, non tamen studio vanitatis. Cum esset in itinere, si quis ei vel tenuissimae sortis homo peccata sua confiteri voluisset, mox ab equo desiliit, confitentem audivit, pium et affabilem illi se praebuit, nec repulit eum vel ob temporis importunitatem, vel ob

* Gregorius Pp. IX ab anno 1227 usque ad 1241 regnavit.

** Anglice, *Canterbury*.

*** Anno 1234, die vero secunda aprilis.

ospitium propinquum. Pauperibus ostiatim mendicantibus laras praestabat eleemosynas: male valentium domos per suos hoines diligenter invisebat, eosque fovebat beneficiis: quibusdam t illis quotidianum victum et congruum vestitum subministrans. uellas inopes suo aere nuptui collocandas curabat: quem in sum applicare solebat mulctas pecuniarias, propter peccata quiusdam jure irrogatas. Ab omni munere excutiebat manus suas, t eos, qui munera acciperent, detestabatur, praesertim potestaem gerentes, quos ad faciendam justitiam gratuitos ajebat esse ebere, non muneribus invitari et illici: iisque crebro dicebat: Prendere et pendere, non nisi littera una inter se discrepant: » gnificare volens admodum propinquum eum esse suspendio, ui praeter fas munera libenter accipiat. Et multi quidem, ut jus sibi benevolentiam conciliarent, multa etiam non parvi pretii fferebant, sed ille omnia respuebat, ajebatque: « Nunc quando ives sum et nullius egeo, teterrimus satan muneribus capere e vult, quibus etiam tum, cum pauper essem, corrumpere me on potuit. Sed Dei ego benignitate fretus, spero nunquam illum ac ratione mihi impositurum. Muneribus enim praeter jus fasue datis et acceptis, hodie corruptus est orbis Christianus, peibitque etiam prius quam id percipiant Christiani, nisi hanc estem a se extirpare et profligare conentur. »

§ 17. Hunc in modum se in Episcopatu comparavit et gessit ir sanctus, quandiu pace et tranquillitate potitus est. Sed quia arus et acceptus erat Deo, oportebat eum in tentationum foriace probari et èxcoqui. Itaque cum totum se vellet saluti aniarum et Ecclesiasticae libertati tuendae, ut ejus decessores feerant, impèndere, multa ei adversa et molesta tum a Rege *, um a regni proceribus illata sunt. Immo vero etiam ipsum Canuariense collegium **, quod eum ad illam dignitatem evocaverat, i, proh dolor! se opposuit. Interim ille etiam eos, quos explorate overat suos esse hostes et persecutores, ad oscula pacis, et ad uam familiaritatem passim admisit, ita ut etiam gratis amicorum fficiis et obsequiis, illorum graves injurias praeferre videretur. Qua in re cum a suis reprehenderetur, ille respondebat: « Proecto si mihi utrumque amputent brachium, vel e capite oculos evellant, nihilo mihi cariores erunt. Nolo ego propter eos peccare in Dominum, neque ex culpis alienis mihi damna conflare: immo vero malim insilire in rogum ardentissimum, quam peccatum ullum sciens admittere in Deum meum. » Cum autem ejus familiares lugerent et moererent ob illatas ei injurias, objurgabat eos, ita dicens: « Sicut mater aegrotanti filio solet amarum offerre poculum, et jubere uti salutis recuperandae causâ illud ebibat:

* Angliae rex erat tum Henricus III, filius Joannis cognomento *Sine terra*, cui is, in tenerrima aetate, anno 1216, successit: obiit autem anno 1272.
** *Canonicos* intellige.

ita nos adversa omnia salutis causâ perferre debemus, et maris hujus inundationes perinde ut lac sùgere, atque cum Praecursore Domini in deserto mundi hujus comedere mel silvestre. » Commemorare etiam solebat, Christum Dominum, cum morte afficeretur, nihil repugnasse, sed potius pro eis Patrem suum deprecatum esse: itemque non homini, sed Deo, servandam esse vindictam. Verum enim vero cum se animadverteret in Anglia pastoris officium ita, ut oporteret, exercere non posse, voluntarium complexus exsilium, in Gallias migravit.

§ 18. Capta inde opportunitate, clam ab Anglia discessit *, et Pontigniacum ** in Gallias profectus est: quo in loco noverat refugium et receptaculum fuisse omnium ab Anglia propter justitiam exsulantium Praelatorum. Illic ad annos sex delituerat beatus Thomas Archiepiscopus Cantuariensis et martyr: itemque celebris ille Stephanus a Languetonia cum aliquot suffraganeis suis multis annis palmam certaminis sui ibi praestolatus erat. Extant vero etiam versus cujusdam de loco illo:

> Est Pontigniacum pons exsulis, hortus, asylum.
> Hic gràditur, spatiatur in hoc, requiescit in illo.

Eo cum venisset beatus Edmundus, in primis reverenter acceptus est; ibique permanens, lectioni et assiduis precibus vacabat, et sua manu scriptitabat: interdum etiam ad propinqua loca concionaturus exibat. Interim gravi morbo corripitur, et sole nimium fervente, familiares ejus consultum arbitrantur, ut ad locum temperatiorem transferatur. Itaque vir Dei a Pontiniaco recedens, Soisacense *** monasterium petiit, ubi etiam vitâ functus est. Dolentibus autem Pontiniacensibus, quod ipsos relinqueret, sic eos consolatus est: « Ad proximas beati Edmundi Regis et Martyris ferias revertar ad vos. Tum enim sol a nobis longius recedens, hiemis frigora adducet. » Quod quidem prophetico spiritu illum dixisse, probavit eventus. Illo enim die Pontiniacum corpus ejus relatum est, implevitque mortuus, quod vivens promiserat. Ubi autem animadvertit diem extremum impendère, sacrosanctum Christi corpus afferri jussit. Eo allato, suas ad illud manus extendens, cum ingenti fiducia ait: « Tu es, Domine, in quem credidi, quem praedicavi, quem veraciter docui: et tu mihi testis es, quod in terris nihil praeter te quaesivi. Et ut tu nosti nihil me velle, nisi quod tu vis: ita fiat, Domine, voluntas tua. » Mirabantur omnes qui illic aderant, putabantque eum alienatum mente haec dicere, maxime quod haud aliter se gereret, ac si Dominum carne crucifixum, coram intueretur. Postquam autem sacrosanctam percepit Eucharistiam, toto illo die adeo jucundus et hilaris fuit.

* Anno, ut videtur, 1240.
** Gall. *Pontigny*, non longe ab urbe *Auxerre*. Ibi celeberrimum erat Cistercensium monasterium, anno 1144, extructum, unum e *quatuor*, ut vocabantur, hujus Ordinis *filiorum*.
*** Gall. *Soissy*, in regione cui nomen est *Brie*.

t omnis aegritudinis expers videretur, multâque omnes, qui lic aderant, admiratione afficerentur. Manabant ab oculis la-ymae pietatis, perpetuam mentis serenitatem testabatur vultus mutabilis. Sacramento extremae Unctionis accepto, Crucem on sine lacrymis et gemitibus complectebatur, et mira devotione : pietate vulnera Christi crebro et prolixe deosculabatur. Porro ilnus lateris illacrymantibus oculis respiciens, diuque ore ad-oto inde sugens: « Haurietis nunc, inquit, aquas de fonte Sal-itoris. » Eam illius devotionem et gestus, ultra modum adstantes lmirabantur, maxime quod incredibili hilaritati adjunctam cer-rent disciplinam. Denique membris sensim deficientibus, nova mper mentis gratia in eo pullulabat. Itaque tametsi mors ei at proxima, nullum tamen mortis signum in eo extitit: nulli ge-itus vel suspiria, nullae ejus querimoniae audiebantur: nec lecto cubuit, ut solent moribundi, sed vel sedit, vel quietem capturus, iput in manum deposuit. Tandem, morbo invalescente, felix ima evolavit e corpore decimo sexto Calendas Decembris, anno hristi millesimo ducentesimo quadragesimo *.

DE S. DIONYSIO EPISC. ALEXANDRINO

EX ECCLESIASTICA HISTORIA EUSEBII,

NTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO ANGLIAE EPISCOPO **.

E vivis excessit initio anni 265 — Patriâ Alexandrinus.

§ 1. Jam tertius annus eo (Philippo) regnante praeterierat, um Heraclas ministerium ecclesiae Alexandrinae undecim annis xecutus, e vita decessit ***, et ejusdem ecclesiae Episcopatum ob-inuit Dionysius ****. Quae autem et quam turbulentae procellae lionysium persecutionis tempore exagitarint, testimonio Epistolae psius, ad Germanum perscriptae, hoc loco ostendam: in qua pse de se narrat hoc modo: « Ego coram Deo loquor, et ipse novit uod vere loquor. Neque certe de fuga in praesentia mecum cogi-avi, neque quasi Deo invito ullam feci. Quin etiam alias, regnante

* Die decimasexta novembris. Ejus corpus, sacris vestibus indutum, ad Pontiniacense monaste-ium delatum fuit, ibique reconditum. Eum coelitum albo inscripsit Innocentius Pp. IV, die ndecima januarii, anno 1247. Praeter *Constitutiones*, extat S. Edmundi Opus, quod *Speculum Ec-lesiae* inscribitur, et in Vol. 13 *Bibliothecae Patrum* habetur.

** Haec S. Dionysii Ep. Alex. Historia, a Surio, sub die octava aprilis refertur. Adnotandum orro nobis est hunc S. Dionysium eumdem esse, quem Baronius in Martyrologio ad diem tertiam ctobris jam annuntiaverat.

*** Anno scilicet 246.

**** In Gentilium erroribus S. Dionysius primam suam aetatem exegerat; at cum litteris daret ceram, S. Pauli Ap. Epistolis vehementer illectus, ad Christi fidem se convertit, atque presbyter actus est. (Vide *Bollandistas* ad diem III oct.).

Decio, antequam persecutio palam contra Christianos ediceretur, cum Sabinus id temporis frumentarium ad me perquirendum misisset, ego quatriduo in aedibus commoratus, ejus adventum assidue exspectavi. Ille autem undique circumit, vias, fluvios, agros, passim ubi me latitare, aut quo me profectum esse suspicaretur, sedulo pervestigat: sed caecitate et quasi caligine, ne aedes quaereret, circumfusus tenebatur. Sibi namque persuaserat, me persecutione appetitum, domi nolle moram facere. Vix tandem post dies quatuor, Deo mihi, ut inde demigrarem, praecipiente, et se mirandum in modum quasi ducem itineris praebente, ipse, liberi et alii multi fratres simul domo egressi sumus. Quod plane divinae providentiae opus fuisse, rerum eventa, quae deinceps sequebantur, unde non parum commodi fortasse quibusdam et utilitatis obtigit, satis perspicue declararunt. »

§ 2. Deinde paucis interpositis, ea quae in fuga sibi contingebant, evidenter explanat, istaque subnectit: « Ego una cum his, qui mecum erant, forte sole occidente in satellitum manus incidens, ab illis ad Taposirim * deducebar: sed tamen, sicuti erat Dei providentia prospectum, Timotheus, quia non una aderat, neutiquam prehensus est. Profectus igitur post, offendit, cum aedes nostras, praeterquam quod ministri eas custodirent, omnino desertas esse, tum nos instar mancipiorum abductos. » Deinde subjungit: « Quam admirabilis (dicam enim quod verum est) et divinae provisionis ratio fuit ista quidem? Indigena quidam forte fortuna Timotheo propere fugienti et conturbato fit obviam, rogat festinationis causam: iste verum narrat. Ille cum audivisset (abierat enim ad nuptias laute epulatum: quippe mos est, in hujusmodi hominum conventibus totam noctem in hilaritate et laetitia consumere) ingressus in domum convivii, accumbentibus nuntiat: qui quidem omnes uno impetu, tamquam signo dato, consurrexerunt, et maturo gradu properantes, coeperunt quam celerrime ad nos contendere: qui cum in nos inciderent, summo gaudio exultare, atque satellitibus, qui nos observabant, fugam facientibus, nos, ut eramus, grabatis valde male stratis conquiescentes, de improviso occupare. Ego certe (Deus testis est) eos ut fures primum reputans, qui ad spolia et rapinam venerant, mansi in lecto nudus plane, ut eram, solo indusio coopertus: reliquum autem vestitum prope me positum porrexi. At hi surgere jubent, et quam mox abire. Tandem animadvertens quamobrem adventassent, coepi vociferari, supplex illos precatus, ut abirent, nosque illic manere paterentur. Quin etiam petebam ab eis, ut si quo me beneficio afficere cuperent, ipsi caput meum cervicibus abscindere dignarentur, sicque satellitibus, qui me essent cruciatum abducturi, anteverterent. Illi, dum haec clamore efferebam

* Oppidum est, unius diei itinere, ab Alexandria dissitum, ubi S. Dionysius usque ad annum 251, quo Deciana persecutio finem accepit, mansit.

(sicut consortes mei, et omnium calamitatum mearum participes, pro certo norunt), me invitum e lecto excitarunt. Tum ego humi me supinum prosternere; isti igitur manibus pedibusque me abreptum (Gajus quidem, Faustus, Petrus et Paulus, qui me sequebantur, istarum rerum omnium testes esse poterunt) educere, ac prehensum prope invito animo ab oppidulo exportare, et nudo asino impositum, secum inde avehere. » Ista de se narrat Dionysius.

§ 3. Idem etiam Dionysius in Epistola ad Fabium episcopum Antiochiae, certamina et decertationes eorum, qui sub Decii imperio martyrium pertulerunt, isto modo prosequitur: « Non ex Imperatoris edicto persecutio apud nos incepta fuit, sed integro anno praeverterat. Nam vates (quisquis ille fuerit) malorum omnium, quae huic civitati acciderunt, architectus, infinitam gentilium turbam contra nos incitaverat impuleratque, atque adeo ad patriam suam et antiquam superstitionem defendendam magnopere instigarat. Qui ab illo ad malevolentiam irritati, omnemque aucupati licentiam ad scelus patrandum, solam pietatem et verum cultum daemonum suorum istum censuerunt, ut Christianorum caede et sanguine suas crudeles manus respergerent. Primus igitur senem quendam, Metram * nomine, arreptum impia verba contra Deum loqui mandant: cujus corpus, propterea quod eorum voluntati repugnabat, fustibus caedunt, vultum oculosque praeacutis arundinibus pungunt, ipsumque adeo ad suburbia abductum lapidibus obruunt. Deinde fidelem mulierem quae vocabatur Quinta, ad idolorum delubrum ducere, et ad falsos deos venerandos impellere coeperunt: eamque, cum se averteret, et talem cultum detestaretur, pedibus constrictis, per universae urbis plateas, asperis saxis constratas raptare, et simul ac corpus ejus ad saxa molaria allisissent, et flagris pariter lacerassent, ad suburbia trahere, ibique crebro saxorum conjectu obterere.

§ 4. « Tum vero uno quasi animorum impetu omnes in piorum aedes irruere, et singuli quos sibi vicinos esse cognoverant, propere educere, exspoliare, diripere; et divitias ac supellectilem, si quae erat pretiosior, sibi seponere: si quae vilior, sordidior, et ex ligno confecta, in viis dissipare, deinde exurere: adeo ut civitas illa veram speciem urbis ab hostibus captae despoliataeque probe repraesentaret. Fratres ergo deflectere e via, et in loca separata ac solitaria se subducere: rapinam bonorum suorum similiter cum illis, quibus Paulus illustre perhibet testimonium, cum gaudio suscipere. Atque haud scio, utrum quisquam praeter aliquem unum alicubi fortasse, hucusque Dominum denegaverit. Serapionem item proprio lare abstractum, diris concidunt tormentis, et omnibus membrorum articulis confractis, ex loco edito praecipitem dejiciunt. Nullus itineris flexus, nulla via publica, nullus

* Quidam hunc Methranum vocant.

angiportus erat, in quo tuto vel noctu, vel interdiu liceret incedere: quippe omnes ubique uno ore conclamabant: « Si quis e Christianorum numero impia et profana verba effari recusaverit, rapiatur extemplo, et in ignem conjiciatur. » Atque ista mala hoc modo non ad exiguum temporis spatium grassata sunt, verum tandem seditio et bellum intestinum, quod in illos miseros postea invasit, crudelitatem contra nos exercitam, in ipsorum capita convertit. Unde nos quidem, dum illorum furor in nos incensus, aliis rebus implicatus tenebatur, paulisper respiravimus: verum confestim animum Imperatoris, qui clementius aliquanto et humanius videbatur erga nos antea affectus, omnino commutatum esse nobis nunciatum est. Quapropter minarum formido in nos jactatarum vehementer accrescebat: nam Decii edictum erat jam divulgatum, illudque tale profecto videbatur, quale Dominus praedixerat futurum: in quo terribilissima illa ejus propemodum explebatur sententia, nimirum electos, si possibile esset, in errorem inductos fore: qui omnes certe metu perculsi obstupuerunt: atque ex illis qui cum dignitate, tum divitiarum affluentia praestare videbantur (qui quidem non pauci erant numero) nonnulli timore perterriti, diis illorum colendis se ultro offerunt; alii ex privatis aedibus in publicum raptati, ad delubra ducuntur a magistratibus; multi vicinorum suasu eo pelliciuntur: qui quidem nominatim evocati, ad impura et profana eorum sacrificia se conferunt.

§ 5. « Horum autem non pauci, quasi minime essent sacrificaturi, sed illi ipsi potius victimae et sacrificia idòlis futuri, pallore exalbescunt, et formidine attoniti stupent: adeo ut frequenti populi turba, quae circumsistebat, dum se omnibus perspicue patefaciebant, cum ad moriendum, tum ad sacrificandum tandem timiditate esse affectos, risui et ludibrio haberentur. Alii paratius ad altaria procurrunt, duro ore et impudenti constanter asseverantes, se nunquam fuisse Christianos: de quibus Domini sententia verissime dici potest, divitem difficulter posse servari. Ex reliquis, qui tenuiores erant et magis obscuri, plerique utrumque istud hominum genus, quod postremo posuimus, imitantur, alii capessunt fugam, nonnulli prehenduntur. Atque ex prehensis multi ad vincula et carcerem pergunt, et multis diebus ibi tenentur conclusi, postea tamen antequam ad tribunal accedunt, Christum ejurant; quidam tormenta diu fortiter sustinent, sed ad extremum succumbentes, fidem pernegant. Caeterum qui Domini erant, tamquam firmae et beatae columnae, ejus ope et gratia roboratae, fidei firmitati, quae in eorum animis penitus insidebat, vires ac tolerantiam apte et apposite respondentem adepti, admirabiles et insignes ejus regni martyres ac testes facti sunt.

§ 6. « Quorum primus erat Julianus, homo podagrae doloribus adeo oppressus, ut neque incedere, neque pedibus consistere posset. Hic cum aliis duobus, qui eum gestabant, ad judicem

dducitur: alter nomine Cronion, cognomento Eunus, et senex se Julianus *, Dominum ingenue confitentur: qui per totam rbem, quae certe, ut nostis, amplissima est, camelis insedentes educti, et ita sublimes verberibus caesi, tandem immenso quodam ogo et supra modum exardescente, hominum multitudine undique ircumfusa, comburuntur. Ac dum abducebantur ad locum supplicii, miles quidam, nomine Befas, illis inter eundum opem erre, et his, qui eos contumeliâ afficiebant, ex adverso resistere iborat. Qui, cum populus contra eum propterea vociferaretur, de illico abripitur ad judicem, et in praeclaro illo proelio pro ietate suscepto, tamquam fortissimus Dei bellator, strenue et iriliter se gerens, securi demum percutitur. Alius quidam genere fer, qui et appellatione Macar **, et ob vitam beatam, quam diinae gratiae subsidio degisset, vere Macar, id est, beatus fuit, cum d fidei negationem, judice eum ad eam rem magnopere cohorante, adduci non posset, vivus crematus est.

§ 7. « Epimachus etiam et Alexander *** non longo post temore, quam vincti tenebantur, post horum martyrium multos doores perpessi, dilaniati novaculis, et flagellis lacerati, ad extrenum ardentissimis flammis circumjectis absumpti fuerunt. Quibus uatuor mulieres martyres adjungebantur: quarum prima fuit Ammonarium, sancta virgo: quae, cum judex diu admodum illam torsisset, utpote constanter asserentem se nihil aliquando eorum dicturam, quae ille jussisset, eaque in sententia firme perstaret, ad supplicium abducitur. Mercuria secunda erat. Anus in primis veneranda, tertia Dionysia, quae quamvis erat multorum liberorum parens, illos tamen Domino in amore minime praetulit; quarta Ammonarium **** altera: quae tres, cum praeses vereretur, ne incassum tormenta illis infligeret, et quodam modo evinceretur a mulieribus, nullum tormentorum genus amplius subire cogebantur, sed statim capite obtruncato, mortem oppetunt. Pro omnibus enim prior Ammonarium, tamquam in prima dimicationis acie locata, satis tormentorum exceperat.

§ 8. « Heron praeterea, Ater, Isidorus Aegyptii et Dioscorus *****, una cum illis, adolescens quindecim annos, natus judici traduntur. Et primum judex adolescentem, tamquam facilem ad persuadendum, blandis verbis in fraudem inducere, tum velut remissum et flexibilem ad fidem negandam tormentis impellere tentat. Sed Dioscorus neque persuasione quicquam commotus est, neque judicis omnino cessit sententiae. Caeteros acerbissime crudelissimeque verberibus dilacerat: quos cum tormenta magno et fidenti animo pro fide tolerare cerneret, rogo cremandos tradit.

* S. Julianus et Eunus, die 27 februarii coluntur.
** S. Macarius die 8 decembris celebratur.
*** SS. Epimachus et Alexander 12 decembr. coluntur.
**** SS. Dionysia et Ammonarium item 12 dec. passae sunt.
***** Horum omnium natalis die 14 dec. celebratur.

Dioscorum autem, cum propter singularem animi magnitudinem, quam palam ostenderat, tum propter prudentissima responsa, quae ad singula rogata dederat, judex magnopere admiratus, dimisit, affirmans se propter aetatem certos dies illi velle concedere, quibus resipiscendi haberet facultatem. Jam ergo Dioscorus, summa pietate eximius, nobiscum est, exspectans cum certamen prolixius, graviusque, tum amplius praemium et diuturnius.

§ 9. « Porro Nemesis quidam *, et ille etiam Aegyptius, falso in crimen vocabatur, quod cum latronibus societatem coiverat: sed istam calumniae notam, ab eo alienissimam quidem, cum coram Centurione diluisset, iterum per judicem fuit delatus, quod Christianus esset, vinculisque constrictus ad praesidem venit. Ille injustissimus praeses beatum martyrem tormentis et verberibus duplo gravioribus, quam latrones ipsos, afflictans, exemplo Christi inter latrones interjectum (unde non parum honoris adeptus est), fervido ignis exurit incendio. Quaedam porro militum turma de repente accedit, nimirum Ammon, Zeno, Ptolemaeus, Ingenes, et pariter cum illis senex Theophilus ** : qui pro tribunali se ipsi stiterunt. Cum igitur quidam, quod Christianus esset, in quaestione versaretur, et jam ad fidei negationem propenderet, isti assistentes, prae rei indignitate dentibus frendere, vultu nutare, manus extendere, toto denique corpore gestus quosdam agere coeperunt. In quos cum omnium ora essent conversa, prius quam ulli alii in eos injecerunt manus, illi ipsi ad subsellia accurrere, se Christianos profiteri: sic ut cum praefectus et assessores, qui aderant ei concilio, timore obstupescerent: tum Christiani, in quos jam inquirebatur, ad ea tormenta, quae post essent perpessuri, toleranter sufferenda maxime confirmarentur, tum denique judices, qui essent contra eos sententiam pronunciaturi, maximo metu exhorrescerent. Isti vero e foro gloriantes abscedere, et prae testimonio, quod Christo perhibuerant, summo gaudio exultare, Deo per illos gloriosos triumphos agente.

§ 10. « Alii praeterea complures in urbibus et pagis distracti erant, et quasi membratim discerpti: ex quibus unum exempli gratiâ commemorabo. Ischyrion cujusdam magistratus negotia, mercede conductus, procurat. Is, qui eum conduxerat, jubet idolis sacrificare: quem, cum mandato minime obsequeretur, coepit conviciis lacerare: ac cum constanter fidei adhaeresceret, gravibus affecit contumeliis: atque ubi vidit eum pacate et tranquille omnia sufferentem, arrepto fuste praeacuto, intestina ac viscera ejus transfodit, crudeliterque interemit. Quid attinet percensere multitudinem eorum, qui in solitudine et montibus vagi errantesque, fame, siti, frigore, morbis, latronibus, bestiis fuerunt extincti? Quorum electionis beatae et eximiae victoriae quamquam testes

* S. Nemesius martyrii palmam accepit die 19 decembris.
** Omnium horum nomina die 20 decembris recensentur.

sunt hi, quibus adhuc ex illo numero vita suppeditat, tamen unum aliquod facinus proferam, quo res istae sint exploratius cognitae perspectaeque. Chaeremon episcopus civitatis, quae Nilus dicitur, cum jam plane grandis esset, et aetate prope exacta, una cum uxore sua ad montem Arabiae confugiens, neque post reversus est, neque usquam eos quispiam videre potuit. Et licet fratres jam aliquoties eum cum uxore quaererent, tamen neque ipsos, neque corpora eorum uspiam reperire potuerunt: permulti certe in eo Arabico monte erant, a barbaris Saracenis facti captivi: quorum alii aegre quidem et vix ingenti pecuniae summa redimi poterant, alii hactenus nullo modo. Atque ista, mi frater, non frustra equidem dicendo persecutus sum, sed ut cognoscas quantae et quam acerbae calamitates apud nos obtigerint: quas qui fuerint magis experti, plura de illis et sciunt, et dicere possunt. »

§ **11**. His etiam alia paulo post attexit: « Illi igitur divini martyres (qui jam Christi tamquam assessores sunt, et regni ejus consortes, participes judicii, et illius in hominibus judicandis sententiam approbantes ferunt) dum erant apud nos, nonnullos e fratribus, in quibus crimen sacrificandi idòlis haerebat, quique a fide excidissent, cum conversionem ac poenitentiam eorum perspicerent, eamque posse acceptam fore ei, qui omnino non vult mortem peccatoris, satis exploratum haberent, ad se denuo admittunt, recipiunt in ecclesiam, conventus cum illis celebrant, ineunt societatem, precum et epularum communione una utuntur. Quid igitur consilii nobis, frater, datis? Quid censetis nobis agendum esse? Illis ne suffragabimur? Ejusdem cum illis erimus sententiae? Judicium eorum sequemur? Modum tenebimus benignitatis? His quorum illi miserti sunt, benefici et clementes erimus? An contra, eorum judicium inane et irritum faciemus? Eorum sententiae nos ipsos constituemus animadversores? Clementiae inhumanitus resistemus? Refringemus institutum? Deum denique ad iram provocabimus? »

§ **12**. De persecutione autem, quae vehementissime, regnante Valeriano, exardescebat, quas et afflictationes, et incommoda idem Dionysius cum aliis propter verum cultum Dei, universarum rerum opificis, subiverit, verba ejus, quibus in Germanum suae aetatis Episcopum, qui illius fama maledictis laedere tentasset, invehitur, satis perspicue declarant, quae ita se habent: « Videbor equidem nonnullis fortasse, dum admirabilem Dei providentiam erga nos ostentatam cogor necessario explicare, in magnam amentiam inscitiamque esse prolapsus. Verum quoniam secretum Regis occultare est, ut inquit Scriptura, praeclarum, et Dei opera praedicare cumprimis eximium, ego cum Germano manus conserere aggrediar. Veni ad Aemilianum, non quidem solus, sed me comitati sunt compresbyter meus Maximus, et Diaconi Faustus, Eusebius

et Chaeremon: et quidam e fratribus, qui Roma ad nos venerant, nobiscum una profectus est. Aemilianus autem non dixit mihi conceptis verbis: Ne conventus agito. » Hoc enim illi fuisse fere supervacaneum, et in eo, quod ille moliebatur, postremas sane tulisset: praesertim cum ad id, quod caput est nostrae religionis, omnem suam curam et cogitationem convertisset. Nam non de hoc. nimirum ne conventus agerem, ab eo sermo erat institutus, sed de eo, ne meipsum deinceps Christianum esse profiterer: atque ab hoc quidem me desistere mandavit, ratus id quidem, si ego fidem commutarem, alios eamdem mecum sententiam secuturos. Non absurde equidem, neque circuitione ulla usus, respondi, Deo obtemperandum magis, quam hominibus: quin palam etiam contestatus sum, me illum, qui solus Deus est, et nullum alium venerari: neque sententiam velle mutare, neque aliquando desistere esse Christianum. Deinceps jussit, ut in pagum nomine Cephro, prope locum quemdam desertum situm, recta abscederemus. Verum verba, quae ab utrisque ultro citroque habita sunt, uti fuerunt a quibusdam in commentarios relata, accipitote *.

§ **13**. Dionysio, et Fausto, et Maximo, et Marcello, et Chaeremoni in concilium introductis, Aemilianus qui praefecturam gerebat, sic locutus est: « Vobiscum jam coram absque scripto lubet disserere de Imperatorum dominorum nostrorum humanitate atque clementia, quam erga vos declarant. Nam salutis vestrae ac vitae potestatem vobis fecerunt, modo ad id, quod est secundum naturam, velitis vos ipsos convertere, et deos, qui illorum regnum servant incolume, sancte adorare: eorum autem penitus oblivisci deorum, qui naturae repugnare videantur. Quid igitur ad ista respondetis? Neque enim vos ingratos fore arbitror, cum tanta benignitas ab illis sit vobis ostentata: quandoquidem ad res meliores vos amice et benevole cohortantur. Dionysius respondit: Non omnes colunt omnes deos, sed singuli singulos pro arbitratu. Nos proinde unum Deum, omnium rerum fabricatorem, qui Valeriano et Gallieno Caesaribus, Augustis, viris sanctissimis imperium largitus est, et colimus et veneramur. Huic etiam sine intermissione pro eorum regno, ut stabile et firmum maneat, preces adhibemus. Tum praefectus Aemilianus: Qui vos, inquit, prohibet, quo minus hunc, si Deus sit, cum aliis diis, qui sunt secundum naturam, cultu et reverentia observetis? Vobis enim praeceptum est, ut deos adoretis, quos omnes norunt. Ad quae Dionysius: Nos, inquit, nullum praeter unum Deum honore et observantia prosequimur. Aemilianus praefectus iterum: Video, inquit, vos non modo ingratos esse, sed singularis Augustorum mansuetudinis prope immemores. Quapropter in hac civitate non liberum erit vobis versari, sed eritis in partes Libyae relegati, in locum videlicet, qui Cephro nuncupatur: quem ex Augustorum

* Haec, quae in Cap. 13 continentur, S. Dionysius ex Actis publicis fideliter transcripsit.

nostrorum jussu vobis assignavi. Neque usquam omnino vel vobis, vel aliis quibusque potestas erit, aut celebrandi conventus, aut in ea, quae coemeteria appellantur, ingrediendi. Quod si quis vestrum in eum locum, ad quem vos ire praeceperim, minime proficiscatur, aut in aliquo reperiatur conventu, suo ipsius capiti creabit periculum; non deerit namque accurata ad vos observandos industria. Abite igitur, quo jussi estis.

§ **14**. « Sic Aemilianus me etiam morbo laborantem abire compulit, et ne ad unum quidem diem eam profectionem differre voluit. Quodnam ergo mihi supererat otium, vel ad conventus agendos, vel secus? Deinde addit: At tamen nos, juvante Deo, non a conventu palam inter nos celebrando abstinuimus: quin ipse equidem quosdam in civitate fratres, perinde ac si simul cum illis versatus fuissem, ad conventus perstudiose agendos impuli: et quamvis ab illis corpore abessem, ut inquit Apostolus, spiritu tamen semper aderam. Ad Cephro autem non exiguus coetus nobiscum una migravit, tum fratrum qui ab urbe nos sequebantur, tum aliorum, qui ex reliqua Aegypto convenerant. Atque ibi Deus quasi januam ad verbum suum praedicandum nobis patefecit. Ac primum quamquam persecutione eramus divexati, et lapidibus obruti, postea tamen non parva gentilium multitudo, idolis relictis, ad Deum colendum se convertebat. Nam tunc primum verbum Dei, quod nunquam antea accepissent, per nos inter eos disseminatum fuit. Et Deus, perinde atque hujus rei causa solum illo nos deduxerat, eo completo ministerio, iterum inde abduxit. Quippe Aemilianus, ut videbatur, habuit in animo nos in asperiora interioraque Libyae et magis deserta loca transferre. Omnino enim in Mariotam commigrare mandavit, et singulis nostrum per regiones varias pagos praescripsit singulos: me autem propius ad regiam viam, ut primus prehenderet, collocavit. Sic enim res ab illo dispensata, sicque comparata fuit, ut quando visum foret, nos comprehendere, omnesque facile occupare posset.

§ **15**. « Ego vero cum in Cephro abire jussus * essem, tametsi locum ubinam esset situs, ignorabam, et nomen nunquam antea fere audiveram, tamen libenter et absque animi perturbatione eo abscessi. At ut primum nunciatum erat mihi, ut in Colluthionis agros demigrarem, qui mihi aderant, norunt quo pacto (hoc enim mihi ipse vitio vertendum puto), animo affectus essem. Primum rem valde acerbe tuli, admodumque succensui: nam quamvis loca illius regionis magis mihi cognita essent, ac magis familiaria quam Cephro, tamen ipsum Colluthionem desertum a fratribus, desertum a probis viris esse dicebam, et non solum molestiis, a crebro viatorum transitu exhibitis, sed periculosis etiam latronum incursionibus objectum. Caeterum cum fratres mihi

* Anno, ut videtur, 257.

significassent, Colluthionem non tam longe ab Alexandria distare, et licet Cephro magnam fratrum societatem ex Aegypto profectorum nobis attulisset, adeo ut majores conventus celebrare potuissemus: ibi tamen, quia propius inde aberat Alexandria, crebrius hominum summo amore, familiaritate et amicitia, nobiscum conjunctorum aspectu (ad nos enim velle accedere, nostrosque animos recreare, et ita tamquam in suburbiis paulo remotioribus nos aliquoties conventus agere posse dixerunt), revera frui licere, permagnam animo cepi consolationem. Ac sic plane contigit » Post ita de aliis rebus adversis, quae sibi acciderant, ita scribit:

§ **16**. « At multis fidei confessionibus gloriatur Germanus, et multa mala contra se patrata habet dicere ille quidem: sed quot, quaeso, judicum sententias contra nos pronunciatas potest enumerare? Quot publicationes, proscriptionesque bonorum, quot fortunarum direptiones, quot abdicationes dignitatum, quantas inanis et popularis gloriae contemptiones, quantas laudum a praefectis et a senatoribus nobis tributarum despicationes, quantam minarum nobis objectarum, adversarum vociferationum, periculorum, persecutionum, exsilii, angustiae et variae cujusque modi afflictionis tolerantiam, ut illa quae sub Decio et Sabino, et quae hactenus sub Aemiliano mihi obtigerunt. Ubi Germanus comparuit? quis sermo de eo pervagatus? Verum magnam istam inscitiam, in quam ob Germanum modo prolapsus sum, missam facio. Quocirca rerum singulorum explicationem fratribus, qui eas tenent, singillatim persequendam permitto. »

§ **17**. Idem etiam in Epistola ad Domitium et Didymum conscripta, eorum qui istius persecutionis procellis agitati fuissent, hoc modo mentionem facit: « Christianos autem, qui et permulti sunt, et vobis minime cogniti, nominatim citare supervacaneum arbitror. Sed hoc sciatis velim, viros et mulieres, juvenes et senes, puellas et vetulas, milites et privatos, cujusque generis, cujusque aetatis extitisse: quorum alii flagris caesi, alii ignis incendio cremati, alii ferro percussi, partâ victoriâ, coronas martyrii adepti sunt. Nonnullis autem longinquum hoc persecutionis tempus non satis fuit, ut Domino viderentur accepti, ipseque illos ad se reciperet. In quorum numero, ut verisimile est, ego ipse sum, cui adhuc vita suppetit. Ac propterea ipse qui dicit, *Tempore accepto audivi te, et in die salutis adjuvi te* (*Isa.* XLIX), me in illud tempus distulit, quod mihi idoneum opportunumque fore norit. Quoniam autem de me meisque sociis rogatis, et quo loco sit vita nostra constituta, certiores fieri cupitis, accepistis, credo, qua ratione quidam ex Mariotide me, Gajum, Petrum et Paulum, a Centurione, duce, militibus et servis captivos abductos de improviso adorti, invitos et minime sponte sequentes vi abstraxerint, et a militibus avulsos secum abripuerint. Jam vero ego cum Gajo et Petro, soli a caeteris fratribus separati, in desertum et

squalentem Libyae locum conclusi sumus, tridui viam a Paraetonio distantes. » Quin etiam paulo longius progressus dicit: « In urbem clam et ex occulto ingressi sunt, alios fratres invisuri: presbyteri quidem Maximus, Dioscorus, Demetrius, Lucius (Faustinus enim et Aquila, qui hominum sermone celebriores sunt, in Aegypto vagi oberrant), Diaconi autem post illos, qui pestis contagione infecti interierunt, relicti Faustus, Eusebius, Chaeremon: Eusebium dico, quem ab initio persecutionis Deus suâ gratiâ roboraverat, et non modo ad ministeria confessorum, qui carceribus tenebantur, summo studio et omni animi contentione explenda, sed etiam ad lintea, quibus corpora beatorum martyrum jam vita defunctorum involverentur, neglecto vitae periculo conficienda praeparavit. Praefectus vero nihil adhuc de sua in sanctos remittit acerbitate, sed alios, qui ad eum adducuntur, e medio, ut dixi, tollit: quosdam tormentis dilaniat, nonnullos arcta custodia et vinculis contabefacit: et quamquam praecipit, ne quisquam illos adeat, atque adeo curiose inquirit, ecquis reperiatur, qui eos velit adire, Deus tamen propenso fratrum studio, et assiduo eorum curatione, illos istis rerum angustiis oppressos reficit sublevatque. »

§ 18. Ubi jam pax, sedata prope persecutione, constituta fuit, Dionysius rediit Alexandriam *. In qua urbe tam gravis seditio et bellum intestinum de integro ciebatur, ut fratres in civitate, propterea quod omnes in alterutram seditionis partem divisi erant, Dionysius nullo modo posset invisere. Unde in ipso Paschatis festo ab ipsa Alexandria, velut exsul ab extera regione, per litteras cum illis colloqui coactus fuit. Quin etiam aliam postea Epistolam ad Hieracem ecclesiarum Aegypti Episcopum de festorum celebratione conscripsit, in qua seditionis, quae eodem tempore fuit Alexandriae concitata, his verbis mentionem facit: « Quid mirum, si arduum et difficile sit mihi apud eos, qui longinquiore locorum intercapedine distant, per epistolas tamquam coram sermones conferre, cum et mihi ipsi mecum colloqui, et proprio animo in varias partes distracto consilium dare anceps et periculosum videatur? Nam ad viscera mea, meos carissimos fratres, contubernales, uno animi consensu mecum concordes, ecclesiae ejusdem cives, cogor equidem necessario litteras scriptas dare: eas tamen ad illos mittere videor mihi nullo modo posse. Facilius enim, non dicam in exteras regiones, sed ab oriente ad occasum usque iter facere quisquam poterit, quam ab una Alexandriae parte ad alteram pergere. Media namque civitatis platea plus habet periculi, plusque difficultatis ad transeundum, quam solitudo illa deserta longa, ac nullis hominum vestigiis trita, quam Israëlitae vix duabus hominum aetatibus peragrarunt: et quam

* Postquam scilicet, Valerianus a Persis captus, et in servitutem abductus fuerat: id quod anno verosim. 260 accidit.

ipsum etiam mare Rubrum, quod quidem in duas partes disruptum, et instar duplicis muri utrinque erectum, praetergredientibus Israëlitis transitum dedit perfacilem. »

§ **19**. Porro autem cum pestifer ac lethalis morbus bellum continuo insequeretur, cumque festi Paschatis celebratio modo appropinquaret, deinceps rursus fratribus scripsit Dionysius, et graves calamitatis perturbationes illis significavit his fere verbis: « In hac miseriarum turba aliis fortasse neque hoc tempus, neque aliud, immo neque illud ipsum tempus, quod homines putarent omnium laetissimum, nedum alia tempora, ad festum celebrandum satis idoneum videretur. Etenim jam lamentationum plena sunt omnia, jam lugent omnes, jam moerores, jam querelae universam urbem propter multitudinem cum illorum qui modo mortui sunt, tum horum qui quotidie moriuntur, occupant. Nam sicut de primogenitis Aegyptiorum scriptum est, sic et nunc ingens clamor editus: non enim est domus, in qua non sit mortuus: idque plane merito. Multa namque et gravia incommoda, perditorum conatu, Christianis etiam ante hoc importata fuissent. Primum omnium nos ex urbe expulerunt: quo quidem tempore nos soli, cum ab omnibus persecutione exagitati essemus, et mulctati morte, festum laetis animis celebravimus, et singula loca, ad singula afflictionum genera nobis praestituta, ut ager silvestris, solitudo deserta, navis fluctibus jactata, diversorium publicum, et horridus carcer, opportuna videbantur, in quibus celebres conventus maximo cum studio ageremus. Quin beati martyres, qui e vita cesserant, et a Deo in coelum ad epulas erant invitati, festum omnium certe splendidissimum peregerunt.

§ **20**. « His de rebus deinceps bellum et fames eos de improviso oppressere: quae quamquam nos una cum gentilibus perferebamus, soli tamen inter omnes, quaecumque urgebant, aequo animo sustinuimus: et tametsi illarum rerum, quas illi cum conscivissent ipsi inter se, tum praeterea perpessi essent, eramus ex aequo participes, pace tamen Christi, quam nobis solum clemens largitus est, rursum mire nos ipsos oblectavimus. Caeterum vix tum nos, tum illi brevissima ad respirandum sumus intercapedine potiti, cum pestis ista subito grassari coepit: res plane illis ad terrendum omni metu formidolosior, ad excruciandum quavis calamitate miserior acerbiorque, et ut proprius illorum scriptor memorat, ad cogitandum solum omnium opinione major. Verum nobis non ejus generis putabatur, sed a Deo cum ad fidem nostram exercendam, tum ad tolerantiam animi probandam, nihilo minus, quam alia rerum incommodarum genera, quae aliquando obtigissent, coelitus inflictam. Et sicut alicubi a nobis minime abstinuit, sic in gentiles longe lateque oberravit: paulo post adjungit ista.

§ 21. « Quamplurimi e fratribus nostris adeo immenso quodam charitatis et fraternae benevolentiae ardore erant inflammati, ut minime suae parcentes vitae, sed ipsi sibi inter se firme adhaerescentes, eos qui morbo opprimebantur, nulla sui cura aut cautione adhibita, sedulo inviserent, illis inservirent assidue, pro viribus ob Christi amorem curarent, una cum illis decederent e vita, lubentissime contagione aliorum infecti, etiam morbum a proximis quodammodo ad se attraherent, suaque sponte aliorum moerores benevole mitigarent. Multi item dum aliis aegrotantibus curam adhibent, illisque vires restituunt, ipsi aliorum mortem in se derivantes, vitam amittunt. Et verbum illud, quod vulgo semper dicitur, quodque verae benevolentiae solum videtur convenire, nimirum ut singuli pro amicis abeant e vita, seque eorum causa, ut ita dicam, rejectamentum efficiant, re ipsa expleverunt. Ex fratribus igitur, qui virtute facile erant praestantissimi, ad hunc modum mortem oppetiverunt: quorum nonnulli erant presbyteri, alii diaconi, quidam e populo virtutis ergo multum laudati: adeo ut istud mortis genus, quod propter incredibilem pietatem et robustam fidem suscipiebatur, nihil a martyrii splendore abesse videretur. Quin etiam sanctorum corpora manibus erectis supinisque excipere, gremio suo reponere, occludere oculos, ora obturare, gestare humeris cadavera, decenter ornare, illis adhaerescere, amice complecti, lavare accurate, et linteo funebri involvere non gravati sunt: ipsique, qui supererant, paulo post similia officia in se collata propterea adepti, quod eamdem mortis viam instarent, quam qui praeiverant instituissent. Gentiles autem his omnibus fecere contraria: eos enim, qui aegrotare incipiebant, ab aedibus extrudere, deserere amicissimos, in plateis semivivos projicere, cadavera insepulta canibus exponere dilanianda, mortis participationem et quasi communionem avertere, quam plane vel infinita diverticula quaerentes, nullo modo poterant evitare. »

§ 22. Post istam Epistolam, cum civitatis status denuo pacatus esset et tranquillus, Dionysius fratribus, qui Aegyptum incoluerunt, aliam de festis celebrandis misit, et praeter illam, alias etiam varias exaravit. Extat item ejus Epistola de sabbato, alia item de gymnasio. Hermannoni porro et aliis in Aegypto fratribus litteras conscribens, ubi alia tum de Decii sceleribus et improbe factis, tum de facinorosis moribus illorum, qui Decium subsequebantur disseruerit, pacis et concordiae, quae in Ecclesia Gallieno regnante vigebat, meminit.

§ 23. Praeter ista omnia Dionysii opera, alii duo libri de Promissis erant ab eo elaborati. Causa cur hos scripserit, erat Episcopus Aegypti, nomine Nepos: qui promissa in sacris scripturis sanctis viris factitata, in hoc seculo, sicut Judaei somniant, praestanda fore docuit: hominibusque persuadere laboravit, eos

certo quodam millenario annorum numero in deliciis corporeis et voluptate in terra victuros. Qui cum putaret se ex Joannis Apocalypsi suam opinionem posse obtinere, librum quem ἔλεγχον ἀλληγοριστῶν, id est, Reprehensionem eorum, qui allegorias componunt, inscribebat, de hoc argumento edidit. Cui Dionysius in duobus illis libris, quos de Promissis contexuit, acriter contradicit. In horum posteriore inter alia sic scribit: « Cum essem in loco quodam, qui Arsenoites dicitur, ubi, ut nosti, jampridem hoc dogma (Nepotis) prodiit in lucem, sic ut non modo schismata nascerentur, sed integrae ecclesiae a fide deficerent, presbyteros ejus sectae, qui fratribus in singulis pagis undique praedicabant verbum Dei, convocavi, eosque magnopere cohortatus sum, ut palam praesentibus fratribus, audireque cupientibus, illorum doctrina exquisite discuteretur. Atque cum librum, qui illis erat tamquam quoddam propugnaculum et murus inexpugnabilis, ad me attulissent, considens in uno loco cum illis, toto triduo a primo mane usque ad vesperam, quae in eo scripta erant, studiose refutare conabar. Ibi tum quidem certe fratrum constantiam, studium veritatis, facile obsequium et prudentiam ideo supra modum admirabar, quod tam praeclaro ordine, et tanta cum modestia rogabant, disceptabant, nobisque assentiebantur, atque etiam tam diligenter praecavebant, ne illis, quae fuerant ante ab ipsis decreta, si quicquam in eis veritati repugnare videretur, mordicus adhaererent: quin etiam contrarias rationes minime omittebant nobis opponere, sed quoad eorum fieri poterat, ea quae erant ab ipsis proposita, munire et defendere tentabant: et contra, ubi poscebat ratio sententiam mutare, et nostro assentire judicio, eos neutiquam omnino pudebat: denique conscientia integra, sincera cogitatione, et puris erga Deum ac simplicibus animis, ea quae erant firmis rationibus et testimoniis, a sacris litteris depromptis, confirmata, admodum approbabant. Ad extremum hujus doctrinae princeps et dux Coracion, omnibus fratribus qui aderant audientibus, palam confessus est, nobisque attestatus, neque se velle deinceps, quandoquidem adversariis rationibus se putabat satis abunde convictum, illi dogmati animum adhibere, neque de eo disserere, neque mentionem facere, neque aliquando illud usquam docere. Unde alii fratres, qui aderant, pro ista disceptatione in publico ecclesiae conventu habita, proque omnium conciliatione et concordia maximam laetitiam animis perceperunt. »

§ 21. Praeter Epistolas Dionysii supra commemoratas, aliae complures ejus extant Epistolae: ut illae, quae sunt contra Sabellium ad Ammonem ecclesiae Bernicensis Episcopum missae: et ea quae ad Telesphorum, et quae ad Euphranorem data fuit: alia iterum ad Ammonem et Euporum. Quatuor item libros de eodem argumento, nempe contra Sabellii haeresim composuit,

quos gentili suo Dionysio, qui romanus erat Episcopus *, dedicavit. Non paucae praeter has sunt illius apud nos Epistolae. Quin etiam libri illius sunt, epistolae formâ; hi sunt *de Natura* et *de Tentationibus*. Ad Basilidem porro Ecclesiarum Pentàpolis Episcopum scribens, ait se Commentarios in principium libri *Ecclesiastes* confecisse.

§ 25. Interea temporis Dionysius cum jam decem et septem annis episcopatum Alexandriae administrasset, duodecimo anno imperii Gallieni, moritur (anno CCLXIV). — Hactenus ex Ecclesiast. Historia Eusebii Caesariensis. De eodem Dionysio etiam S. Hieronymus in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum, inter caetera sic habet: « Dionysius Alexandrinae urbis Episcopus, sub Heracla scholam presbyter tenuit, et Origenis valde insignis auditor fuit... sed adversus Paulum Samosatenum, ante paucos dies quam moreretur, insignis ejus fertur epistola. » S. Athanasius, scribens contra Arianos, egregie illos confutat haereticos qui falso hunc Dionysium suae haereseos adstipulatorem fingunt; et pluries eum vocat *beatae memoriae Episcopum, a Patribus jure celebratum, atque Catholicae Ecclesiae magistrum* **.

VITA *** S. GREGORII THAUMATURGI

PER D. GREGORIUM EPISC. NYSSENUM SCRIPTA, GENTIANO HERVETO GALLO, VIRO DOCTISSIMO INTERPRETE.

Claruit sec. III — Patriâ Neocaesariensis.

§ 1. Hujus, quae in praesentia habetur, orationis; et vestri conventus unus idemque est scopus et institutum. Magnus enim Gregorius, et vobis causa fuit ut conveniretis, et mihi de eo propositum est dicere. Ego quidem existimo ejusdem esse facultatis, se ex virtute praeclare et recte gerere, et sermone, quae sunt pulcra et honesta, referre. Quamobrem idem fuerit invocandum auxilium, per quod ille in vita recte virtutem exercuit. Id autem est, ut ego quidem judico, gratia Sancti Spiritus, quae et ad vitam, et ad dicendi facultatem iis vires praebet, eosque confirmat, qui in utroque studium posuere. Quoniam ergo praeclara illa et insignis vita, Sancti Spiritus virtute recte gesta est, orandum

* S. Dionysius Papa qui sedit ab anno CCLIX ad CCLXVIII.

** Initio anni 265, ut superius jam enunciavimus, provectâ admodum aetate, diuturnisque laboribus fractus, nec minus meritis quam diebus plenus, S. Dionysius, quem S. Basilius aliique fere omnes antiqui patres. *Magni* cognomento exornant, mortalem hanc vitam cum immortali commutavit.

*** Hanc S. Gregorii Thaumaturgi Vitam Surius ad diem tertiam julii collocavit. Ex ea porro, utpote prolixa, sententiisque referta, aliqua passim, prout nobis videbitur, recidemus.

est, ut ad orationem tantum detur auxilium, quantum illi affuit in vita: ut rerum gestarum dignitas laudem minime antecellat; sed talis ostendatur praesentibus in ea, quae fit de eo, commemoratione, qualis in ipsis cernebatur factis iis qui erant illo tempore. Atque si inutile quidem esset meminisse eorum qui virtute praestant, et iis qui audiunt, ad id quod est bonum, nullus rediret fructus, esset fortasse supervacaneum et inutile, nullius commodi gratia accedere ad laudationem, cum et ipse narret temere, et frustra auribus exhibeat molestiam. Cum autem, si ea, quam par est adesse, adfuerit elegantia et gratia orationis, erit commune lumen eorum qui audiunt, non secus atque fax iis qui in mari navigant, ad seipsam dirigens eos qui per mare errant in tenebris, existimo opus esse utrisque aequali studio, et vobis ad audiendum, et mihi ad dicendum. Clarum est enim, in ejus vitam, recte et ex virtute gestam, facis instar per recordationem nostras animas illuminantem, futuram esse viam ad id, quod bonum est et honestum et ei qui narrat, et eis qui audiunt. Naturâ enim quodammodo insitum est hominibus, ut sint apti et accommodati ad omne quod est honestum et laudabile, et id possidere desiderent.

§ 2. Atque eorum quidem, quae sunt dicenda, argumentum est ejusmodi, quod quidem mihi audenti suscipere nulla ex parte imminet periculum, sive se ad rerum gestarum magnitudinem extollere potuerit oratio, sive non. In utroque enim horum par erit laus ei qui laudatur. Nam si res quidem gestas assecuta fuerit oratio, earum admiratione aures omnino obstupescent. Sin autem ea a tergo longe relicta fuerit, sic quoque ejus qui laudatur, gloria illustratur. Est enim maxima laus hominis, si ostensum fuerit eum esse talem, ut omnes omnium laudes superet. Nemo autem ex iis qui sunt divinâ instituti sapientiâ, quaerat pro more externo, ut qui spiritalibus celebratur laudibus, artificiosâ encomiorum laudetur ratione. Non est enim nobis et aliis simile de eo, quod bonum et honestum est, judicium. Neque easdem de iisdem invenerit aliquis opiniones apud eos qui in mundo vivunt, et eos qui mundum superarunt. Illis enim videntur magna et digna, in quae studium conferatur, divitiae et gloria, et mundanae potestates, et fabulae, quae patriae suae tradunt originem, et quae iis, qui sapiunt, fugiendae sunt narrationes, trophaea et proelia, et mala, quae ex bellis proveniunt. Nostra autem oratione una honorata est patria, paradisus, quae fuit prima sedes hominum generis. Una est civitas, quae est coelestis, et per vivos est constructa lapides, cujus artifex et opifex est Deus. Una est generis claritas, quae nobis cum Deo intercedit necessitudo et affinitas, quae non casu alicui evenit, convenienter ei, quae in mundo est, cognationi, quae fluens per hanc casus consequentiam, saepe fertur etiam ad improbos: sed quae non aliter parari

potest, nisi libero ac voluntario animi instituto. Quotquot enim, inquit, eum acceperunt, dedit eis potestatem, ut filii Dei fierent. Hac autem nobilitate quidnam fuerit praeclarius?

§ 3. Quoniam ergo separati ab omnibus, divitiis, claritate generis, gloria, deliciis, cognatis et amicis, ab ea, quae est ex vitio vel virtute, affectione manemus inseparabiles, id solum esse existimandum beatum judicamus, quod ex virtute geritur. Neque vero existimet aliquis, me, quoniam nihil habeam praeclarum, quod possim narrare de patria, vel majoribus Gregorii, prae me ferendo haec contemnere, dedecus latenter effugere. Quis enim nescit eximium Ponti cognomen, quod est genti impositum ab hominibus, quod testatur virtutem eorum qui ab initio eum locum sortiti sunt? solus enim ex universo mari et universa terra, Pontus Euxinus * nominatur, sive in eos, qui illic versantur, hospites ipso nomine illorum testante humanitatem, sive etiam quod talis est locus, ut non solum incolis et indigenis, sed iis etiam qui ad ipsum undequaque veniunt, abunde suppeditet quae sunt ad victum necessaria. Talis enim est natura regionis, ut sit fertilissima omnium quae usui sunt ad victum, et nullo careat ex iis bonis quae sunt apud alios, utpote quod mare efficiat, ut quaecumque sunt apud alios, sint eorum propria. Cum autem sit tota gens ejusmodi, ut quamcumque quis ejus partem per se consideraverit, existimet eam esse potiorem caeteris, nihilo secius communi gentis judicio, quae circumcirca habitatur, est aliarum veluti quidam vertex civitas Magni Gregorii, quam quidam insignis Imperator ex iis, qui Romanorum obtinebant imperium, Caesar nomine, amore loci captus et desiderio, voluit ut civitas suo nomine vocaretur Neocaesarea **. Sed haec nihil faciunt ad nostrum institutum, ut per haec existimemus demonstrare praeclariorem illum Magnum inter sanctos Gregorium, si regio abundet fructibus, si civitas est magnificis ornata aedificiis, si vicino mari undequaque quicquid videtur, affatim importetur. Sed nec ejus Majorum, qui ortum in carne praecesserunt, mentionem faciam in oratione, divitias et honores, mundanosque eorum splendores referens. Quid enim haec ad laudem contulerint, sepulcrum, columnae et inscriptiones, et mortuae narrationes apud eum qui se supra mundum universum extulerit? Sed quemadmodum quidem, aut a quibus natus sit, aut quamnam ab initio habitarit civitatem, ut quae ad propositam narrationem nihil nobis conferant, praetermittemus. Ejus autem laudationis ducemus principium a vita, quam is egit ex virtute.

§ 4. Cum enim in corpore admodum juvenili esset defectus

* Italice *Mar Nero*

** Nunc vocatur *Niksar*. Ea, seculo quarto, metropolis erat Ponti regionis orientalis, quae *Pontus Polemoniacus* appellabatur, nomen a Polemone ducens, uno ex Mithridatis posteris, cui provinciae illius imperium largitus erat Antonius.

tenderet, et vidit illius studium in eodem congruere desiderio, relicto omni externae philosophiae studio, cum illo ventitat ad eum qui illo tempore dux erat Christianae philosophiae *. Is autem erat Origenes, cujus scripta magnifiunt, et ea ratione ostendit, non solum studium et diligentiam, sed morum etiam honestatem et moderationem. Cum enim esset tantâ refertus sapientiâ, non dedignatus est alio uti magistro ad divinas disciplinas. Cum autem apud magistrum tanto tempore esset versatus, quod percipiendis satis esset disciplinis, cum multi essent, qui eum in externa regione retinerent, et apud se eum manere vellent, eam quae ipsum peperit, regionem omnibus praeferens, revertitur in patriam, sapientiae et cognitionis divitias omne genus importans, quas veluti mercator quispiam in externis studiis cum omnibus versans, qui magnae erant existimationis, mercatus est. Quamquam ei, qui res recte judicat, ne hoc quidem omnino ad ejus laudem parvum esse videbitur, tantae civitatis preces, quae communiter fiebant, despicere, et omnium eximiorum, qui in ea erant, virorum, et qui apud eos versabantur magistratuum, ut vir illic maneret, contendentium, studium non admisisse. Quibus omnibus hoc erat propositum efficere, ut vir ille magnus apud eos maneret, futurus tamquam aedificator virtutis, et vitae legislator. Sed undequaque fugiens materiam arrogantiae, ut qui sciret vitium superbiae ut plurimum fuisse causam et principium malae ac sceleratae vitae, ad vitam quietam in patria degendam, tamquam in portum aliquem confugit. Cum autem tota gens illa eum virum adspiceret, et omnes exspectarent, ut in publicis conventibus ipse suam aperiret eruditionem, ut longorum laborum fructum aliquem perciperet, gloriam et existimationem: sciret autem vir ille magnus, undenam oporteat veram philosophiam publicari ab iis qui eam vere exercent, nec aliqua ambitione, laudisque et honoris cupiditate ejus sauciaretur animus (gravis enim laus est eorum qui audiunt, cum arrogantia et gloriae cupiditas frangat et enervet robur animae), ea de causa, ostentationis loco usus est silentio, re ipsa, non verbis, ostendens thesaurum reconditum. Cumque a fori tumultibus et, ut in summa dicam, a vita, quae in civitate transigitur, seipsum separasset, in quadam solitudine secum solummodo versabatur, et per seipsum cum Deo, universi mundi et eorum quae sunt in ipso, parvam ducens rationem, non de regnis sollicitus, non de magistratibus anxie curam gerens, aliquidve sciscitans, non quomodo ex rebus publicis communiter aliquid administretur, narrantem audiens, sed ut anima per virtutem perficeretur curans, ad hoc toto studio contendebat, vitam et quaecumque in ea sunt, valere jubens.

* Videtur S. Gregorius Thaum. hoc tempore, anno scilicet 239, baptismum suscepisse.

§ 7. Cum autem Phoedimus, Amaseae * Ecclesiae illo tempore praefectus, cui divinitus ex Sancto Spiritu inerat vis praesciendi futura, omne studium poneret, ut si in manus ejus veniret magnus Gregorius, eum Ecclesiae praeficeret, ne vir tam praeclarus otiosam et inutilem vitam traduceret: is sentiens quid cuperet et pararet Episcopus, conabatur latère, nunc ad hanc, nunc ad aliam transiens solitudinem. Quoniam autem nihil non experiens insignis ille Phoedimus, omnibusque utens machinis et artibus, non poterat Gregorium adducere ad sacerdotium, ut qui diligentissime observaret et circumspiceret, ne quando eum sacerdos manu apprehenderet; eratque utrique aequale studium, cum alter quidem capere, alter vero effugere cuperet persequentem. Nam alter quidem cupiebat Deo sacrum offerre donarium, alter vero timebat, ne ei afferret ad philosophiam aliquid impedimenti sacerdotii cura, tamquam grave aliquod onus, ejus vitae imposita: ea de causa diviniore quodam impetu ad studium propositum impulsus Phoedimus, nihil attendens, quod inter eos intercedèbat spatium, quo remotus erat a Gregorio, qui ab eo distabat trium dierum itinere: sed ad Deum respiciens et dicens, et se et illum a Deo hora illa adspici, pro manu verbum imponit Gregorio, eum Deo consecrans, qui corpore non aderat, et ei illam civitatem attribuens, quam usque ad ea tempora contigerat teneri tanto errore idolorum, ut cum essent innumerabiles, qui et ipsam habitabant civitatem, et eam quae est circumcirca regionem, non inventi sint plures, quam septemdecim, qui verbum fidei accepissent **.

§ 8. Cum sic ergo jugum coactus subiisset, omnibus legitimis postea in ipso peractis, et ab eo, qui sacerdotem ipsum renunciarat, breve tempus petiisset ad mysterium accurate considerandum, non amplius, sicut dicit Apostolus, existimavit oportere attendere carni et sanguini; sed petiit ut sibi fieret divinitus manifestatio occultorum; neque prius ausus est accedere ad verbi praedicationem, quam per quamdam visionem fuisset sibi revelata veritas. Nam cum noctu aliquando de verbo fidei consideraret, et omne genus cogitationes versaret (erat enim tunc quoque quidam, qui probabilibus argumentis piam adulterabat doctrinam), saepe etiam intelligentibus dubiam reddentes veritatem, pro qua tunc ei vigilanti, et diligenter meditanti revera apparet quidam, tamquam in figura humana, honesta veste pontificia indutus, forma senili, vultusque dignitate et honestate habitus, magnam virtutem prae se ferens. Is vero visu stupefactus, surrexit quidem e cubili, rogavitque ut sciret quisnam esset, et quanam de causa veniret. Cum ille autem voce quieta sedasset ejus animi perturbationem, et dixisset se jussu divino ei apparuisse propter ea de quibus dubitabat, ut ei revelaretur piae fidei veritas, illius verbis ei confirmatus est

* Hodie *Amasieh*, in Ponto.
** Ad episcopatum evectus est S. Gregorius Thaum. anno verosimil. 240.

animus, illumque adspexit cum quadam laetitia et admiratione. Deinde cum ille manum directo porrexisset, et ei tectis digitis veluti ostenderet id quod ex obliquo apparebat, ipse quoque una cum porrecta illius manu suum quoque vultum convertit, et ex adverso ejus quod viderat, aliud vidit spectaculum in muliebri figura, quae formam superabat hominis. Rursus autem stupefactus, in seipsum inclinavit, dubioque ac omnino perplexo fuit animo, propter spectaculum, ut qui oculis non ferret visionem. Etenim in hoc maxime consistebat admirabilitas visionis, quod cum esset nox profunda, simul cum iis, quae visa fuerant, lux resplendebat, tamquam cujusdam lucidi conflagrantis thalami. Quoniam ergo non poterat oculis ferre visionem, audivit quemdam dialogum eorum, qui a se visi fuerant, explicantium inter se invicem rationem ejus, quod quaerebatur: per quos non solum didicit verae fidei cognitionem, sed etiam nominatim cognovit eos qui apparuerant, cum uterque ex his vocaret alterum suo nomine. Dicitur enim audisse ab ea, quae in figura muliebri apparuerat, rogante Joannem Evangelistam, ut manifestaret juveni mysterium veritatis: illum autem dixisse, se paratum esse Matri Domini in hoc quoque gratificari, quoniam ei ita placeat. Et ita cum dixisset brevem, et quae facile describi poterat, orationem, se ab ejus subduxisse oculis: eum autem divinam illam mystagogiam, protinus mandasse litteris, et illo tempore praedicasse verbum in Ecclesia, et posteris veluti quandam haereditatem, illam divinitus datam doctrinam reliquisse, per quam in hodiernum usque diem in mysterio instituitur, qui est apud illos, populus, qui permansit intactus ab omni vitio haeretico. Haec sunt autem verba mystagogiae: « Unus Deus pater Verbi viventis, consistentis sapientiae, et virtutis, et characteris aeterni, perfectus perfecti genitor, pater filii unigeniti. Unus Dominus, solus ex solo, Deus ex Deo, character et imago divinitatis, Verbum efficax, sapientia, quae eorum, quae sunt, continet constitutionem, et virtus effectrix universae creaturae. Verus Filius veri patris, invisibilis patris filius invisibilis, et qui interire non potest, ejus, in quem non cadit interitus, et qui mori non potest, immortalis et aeternus aeterni. Unus Spiritus Sanctus, qui ex Deo quod sit habet, et per filium scilicet apparuit hominibus, imago filii perfecti perfecta. Vita, causa viventium, fons sanctus, sanctitas suppeditatrix sanctificationis, in quo manifestatur Deus pater, qui est super omnia, et in omnibus: et Deus filius, qui per omnia. Trinitas perfecta, quae gloria et aeternitate et regno non dividitur, neque abalienatur. Neque ergo creatum est aliquid aut servum in Trinitate, neque adventitium, tamquam quod prius quidem non esset, postea autem sit ingressum. Neque enim Filius unquam defecit Patri, neque Filio Spiritus, sed immutabilis et inalterabilis, semper est eadem Trinitas. » Quod si quis velit de hac re sibi fidem fieri, audiat Ecclesiam, in qua verbum praedicabat. Apud eos enim

[i]n hodiernum usque diem servantur beatae illius manus characte[r]es. An non haec cum illis tabulis a Deo fabricatis certant gratiae [m]agnitudine? Illas autem dico tabulas, in quibus divinae volunta[t]is impressa est legislatio. Quomodo enim Mosem dicit Scriptura, [c]um fuisset extra id, quod apparet, et intra ea, quae oculis cerni [n]equeunt, adyta anima pervenisset (hoc enim significat caligo), et [d]ivina mysteria didicisse, et per se totum populum in cognitione [D]ei instituisse: in hoc quoque magno viro licet eamdem videre [o]economiam: cui mons quidem erat, non tumulus aliquis sensilis, [s]ed altitudo verorum dogmatum cupiditatis; caligo autem id, [q]uod alii capere non possunt, spectaculum; tabula vero, anima; [l]itterae autem quae erant in tabulis, vox ejus, qui fuit ab eo visus. [P]er quae omnia et sibi, et iis, qui ab ipso instituebantur, fuit declara[t]um mysterium. Postquam ergo fiduciâ quadam et audaciâ per hanc [i]mpletus est visionem, non secus ac athleta quispiam, qui quantum satis est experientiae et virium a puerorum, qui exercebantur, magistro nactus ad certamina, fidenti et audaci animo se exuit ad stadium, et in pulvere decertat contra adversarios; eodem modo et suo studio, et ejus, quae sibi apparuit, gratiae auxilio, animo satis instructus, certamina sic aggreditur. Non oportet enim aliquid aliud vocare, quam certamina et contentiones, omnem vitam, quam ipse egit in sacerdotio, in quo per fidem prostravit omnes vires adversarii. Nam cum statim se a solitudine movisset, et ad urbem contenderet, in qua oportebat eum Deo construere Ecclesiam, cum cognovisset totum locum a fraude daemonum obtineri, et veri quidem Dei templum nusquam esse constructum, totam autem civitatem, et quae circumcirca sita est, regionem esse plenam altaribus, delubris et simulacris, universo populo suum in hoc ponente studium, ut ornata essent nemora et sacra idolorum, et insanus simulacrorum cultus maneret apud homines, confirmatus pompis et mysteriis, et eorum quae in altaribus mactantur, inquinamentis: non secus ac fortis aliquis miles, cum duce exercitus pugna congressus, per illum vincit eos qui parent illius imperio: ita etiam hic vir magnus incipit adversus ipsos daemones se praeclare gerere, sed quonam modo?

§ 9. Nam cum a remota illa solitudine viam urbem versus conficeret, nox autem deprehendisset, et cum vehementior pluvia retardaret, subit quoddam templum cum suis comitibus. Erat autem illud templum insigne, in quo qui colebantur daemones, ad aedituos aperte ventitabant, ut qui illic divinarent, et responsa redderent. Cum autem subiisset templum cum suis comitibus, daemones quidem confestim exterruit Christi nominis invocatione: figura autem Crucis aëre expiato, qui erat inquinatus nidoribus, illic mansit, pro more totam noctem in orationibus et hymnis decantandis vigilans, adeo ut esset transformatum in domum orationis templum, quod propter cruorem victimarum et simulacra erat

abominandum. Cum hoc modo totam noctem peregisset, mane rursus coepit ultra progredi. Cum vero aedituus mane consuetum daemonibus cultum exhibuisset, apparentes ei daemones, dicunt clamantes, non licere eis templum ingredi propter eum, qui illic manserat. Is autem quibusdam piaculis utens, et quaedam sacrificia adhibens, per ea conabatur daemones rursus in templo collocare. Postquam autem eo nihil non experiente, erat ei labor irritus, cum daemones non amplius pro more exaudirent ejus vocationem, tunc irâ percitus aedituus magnum illum virum offendit, omnes in eum minas aperte intentans, se et eum ad magistratus delaturum, et manus ei illaturum, et audax ejus coeptum Imperatoribus esse significaturum : quod cum esset christianus, et deis inimicus ausus sit templum ingredi, cujus ingressum esse ademptam satam, quae in sacris operatur, potestatem, nec amplius in eis locis habitare, ut solebat, divinantem daemonum operationem. Cum ille autem temerariam et insolentem aeditui iram eximiâ repressisset prudentiâ, et opposuisset omnibus ejus minis verum Dei auxilium, et diceret, se in ejus, qui pro eo pugnaret, viribus tantam posuisse fiduciam, ut potestatem habeat expellendi daemones, unde velit, et eos collocandi in quibus velit locis, et pollicetur, se ea, quae diceret, jam esse demonstraturum. Admiratus aedituus, et magnitudine potestatis obstupefactus, rogavit ut in his ipsis suam ostenderet potestatem, et rursus in templum reduceret daemonia. Cum Magnus autem ille haec audisset, rupit brevem quandam libelli particulam, et eam dedit aedituo, in ea impressa quadam voce imperante daemonibus. Haec autem verba continebat scriptura: « Gregorius satanae: Ingredere. » Cum autem accepisset aedituus libellum, altari imposuit. Deinde cum ei consuetos obtulisset nidores et inquinamenta, rursus videt ea, quae prius viderat, antequam a templo essent exterminati daemones. Cum haec autem facta essent, coepit cogitare divinam quandam potestatem esse in Gregorio, per quam visus erat esse potentior daemonibus. Cum eum ergo rursus magno esset studio consecutus, priusquam venisset in civitatem, rogavit ut ab eo disceret mysterium, et quisnam esset ille Deus, qui sibi subjectam haberet daemonum naturam. Cum autem paucis ei dixisset Magnus ille mysterium pietatis, ita fuit affectus aedituus, ut est verisimile eum affici, qui rebus divinis initiatus, et opinatus est rem esse viliorem et abjectiorem, quam ut existimaretur Deus per carnem humanam apparuisse. Cum is autem dixisset ejus rei fidem non confirmari verbis, sed eorum quae sciunt, probari miraculis, aedituus adhuc ex eo quaesiit miraculum. Deinde per id, quod factum est, adductus est, ut fidei assentiretur. Quo tempore dicitur Magnus ille fecisse miraculum omnium minime credibile.

§ **10**. Nam cum requireret aedituus ingentem quendam lapidem, qui eorum oculis se obtulit, manu autem humana moveri

on poterat, per solam ex fide potestatem, jussu Gregorii transerre ad alium locum, nihil differens ille magnus, statim tamquam nimato imperavit lapidi, ut transiret ad illum locum quem stendit aedituus. Ubi autem hoc factum est, vir statim verbo credidit, et omnibus relictis, genere, domo, uxore, possessionibus, liis, amicis, sacerdotio, focis et penatibus, pro his omnibus degit cum magno illo viro versari, et esse ejus laborum particeps, t divina illa frui philosophia et eruditione. Sileat ad haec omne criptorum artificium, miracula per historiam augens et amplificans. Non enim in his quae dicta sunt, tale est miraculum, ut licentis eloquentia se ipso fiat majus aut minus. Quod cum vidisset ille aedituus, statim fraudem daemonum, quâ utebantur ad humanam decipiendam naturam, et animadvertit, et est abominatus, et ad verum Deum se convertit, cum per ea, quae a servo facta fuerant, considerasset inexplicabilem Domini potestatem. Dehinc cum ille Magnus coepisset se praeclare et fortiter gerere adversus daemones, et veluti quoddam trophaeum adversus devictos circumducens aedituum, jam sui nominis fama perculsa gente, cum bona fiducia sic ingressus est civitatem, non curribus, et aequis, et mulis, et comitatus multitudine se jactans, sed circumcirca stipatus virtutibus. Publice autem effusis omnibus urbis habitatoribus ad novum videndum spectaculum, et omnibus videre cupientibus, quisnam sit ille Gregorius, qui cum sit homo, tamquam rex quispiam habeat potestatem in eos qui apud ipsos existimantur esse dii, pro imperio ferens, et agens quocumque voluerit daemonia, et undenam voluerit, pro arbitrio expellens, et inducens tamquam mancipia, et illorum ferat cultorem veluti vi quadam redactum in servitutem, despicientem quidem honorem, in quo prius fuerat, pluris autem facientem una cum eo versari, quam omnia quae habebat. Omnibus autem eo animo ante civitatem illum exspectantibus, cum eo accessit, omnibus illum fixis oculis adspicientibus, tamquam materiam inanimam homines praeteriens, ad nullum conversus eorum qui occurrebant, et recta pergens in civitatem, multo magis eos obstupefecit, cum eum videntibus famam videretur superare. In magnam enim civitatem primum ingredientem, cum nulla ei prius fuisset ejusmodi consuetudo, non admiratum fuisse tantum populum, sed tamquam incidentem per solitudinem, ad seipsum solum et ad iter respicere, ad nullum se convertentem ex iis qui circa ipsum congregati fuerant, hoc visum est hominibus superare miraculum, quod factum est in lapide. Ea de causa habita est ratio eorum, qui, ut ante dixi, fidem ante ejus adventum acceperant, utpote universa civitate honorante ejus sacerdotium. Sic ingressus est undique compressus et coarctatus ab iis qui eum deducebant. Deinde vero simul ac attigit philosophiam, ab omnibus, tamquam ab aliquo onere, seipsum liberavit, et nihil ei erat ex iis quae sunt ad vitam necessaria, non ager,

non locus, non domus, sed ipse erat sibi omnia : vel potius virtus et fides erat ei patria; et focus, et divitiae. Postquam ergo fuit quidem intra civitatem, ad quiescendum autem nusquam ei erat domus, non Ecclesia, non propria: iis, qui erant cum ipso, tumultuantibus, et quomodo diversaretur, et apud quem tegumentum inveniret, dubitantibus: « Quid haec (inquit ad eos magister) dubitatis tamquam sitis extra Dei tegumentum, ubinam vestra corpora quieti daturi sitis? Vobisne parva domus videtur esse Deus, siquidem in ipso vivimus, et movemur, et sumus? Angustumne ducitis coeli tegumentum, et ab eo quaeritis aliud diversorium? Sit vobis studio una domus, nempe sua unicuique vita, quae per virtutes aedificatur, et in altum erigitur. Hoc solum vobis sit curae, ut tale habitaculum sit nobis imparatum. Terrestrium enim murorum ambitus non afferunt lucrum iis qui vivunt in virtute; potius autem ab iis qui vitio inquinantur, parietum usus jure requiritur, quoniam occultorum probrorum domus saepe est operculum. Qui autem ex virtute vitam gerunt, non habent parietes, quidnam eorum occultent. »

§ **11**. Cum autem haec diceret iis qui cum ipso versabantur, accedens quidam vir insignis, qui genere et divitiis, reliquisque copiis et potentiâ erat inter primos numerandus, nomine Musonius, cum vidisset multos eodem teneri studio, ut Gregorium suis aedibus exciperent, occupans aliis praeripit hanc gratiam, rogans, ut ille magnus hospitio a se exciperetur, et ingressu domum suam honoraret, ut esset splendidior et gloriosior in futurum, et memoriam hujus honoris ad posteros transmitteret. Cum autem concurrentes multi eadem rogarent, aequum esse censens, eam gratiam concedere ei, qui praevenerat, cum alios benignis verbis prosecutus esset, et vicissim honorasset: divertit ad eum qui prior invitarat. Cum autem esset exiguus numerus eorum qui prius in verbo initiati et instruoti fuerant, antequam dies praeteriisset, et Sol venisset ad occasum, tantus accessit numerus in prima congressione, ut ad constituendam populi congregationem sufficeret multitudo eorum qui crediderant. Mane advenerat, et rursus aderat populus pro foribus, et ipsi, et uxores, et filii, et aetas confecta senio, et si quis aut a daemonibus vexatus, aut ab aliquo alio incommodo et calamitate corporis, illeque in medio eorum ad usum eorum qui convenerant, congruenter virtuti spiritus se dividens, praedicans, examinans, admonens, docens, curans. Hac enim praedicatione multos maxime adducebat, quod visus ad auditum accederet, et per utraque divinae virtutis in eo resplenderent indicia. Aures enim sermo, oculos vero adducebant in admirationem, quae in aegroto fiebant, miracula. Qui lugebat, audiebat quod eum consolaretur. Juvenis castigabatur, et docebatur temperantiam. Seni porrigebatur medicina verbis convenientibus. Servi docebantur, ut bene afficerentur

in dominos. Qui dominatum obtinebant, ut essent benigni et clementes in eos qui subjiciebantur eorum imperio. Pauper, ut solas divitias existimaret virtutem, cujus possessio est in cujuslibet potestate posita. Is, qui se de suis jactabat divitiis, convenienter admonebatur, ut eorum quae habebat, esset oeconomus, non dominus. Mulieribus conducibilia, pueris convenientia, et patribus ea quae decebat, distribuens; et factus omnia omnibus, tantum repente populum induxit auxilio Sancti Spiritus, ut ad templum aedificandum fuerit incitatus, pecuniis et corporibus omnibus ad id suum studium conferentibus. Hoc est templum, cujus constructionis ille jecit fundamenta, et id coepit aedificare. Exornavit autem quidam ex successoribus pro illius dignitate, quod etiam in hodiernum usque diem ostenditur. Id autem vir ille magnus protinus huic rei incumbens, veluti sui sacerdotii fundamentum quoddam et quandam basim viro civitatis clarissimo commendavit, divina quadam impulsione et majori ope studens operi, ut sequens tempus testificatur. Nam cum nostris temporibus gravissimus aliquando terraemotus civitatem labefactasset, et omnia propemodum funditus periissent, et publica ac privata aedificia omnia corruissent, solum illud templum mansit infractum et inconcussum, ut vel ex hoc sit manifestum, cum cujusmodi potestate vir ille magnus ea quae a se erant gerenda, susciperet. Sed haec quidem multis postea temporibus a divina potentia demonstrata fuere ad hujus magni viri fidem testificandam. Tunc autem cum omnes, tam qui urbem, quam cui circumcirca positam regionem habitabant, Apostolica miracula stupuissent, et quicquid ab eo dicebatur ac fiebat, vi divina geri et dici credidissent, ne earum quidem controversiarum, quae ad hanc vitam pertinebant, existimabant ullo esse praestantiorem judicem: sed omne judicium, perplexumque et implicitum negotium illius consilio expediebatur. Ex quo et bonarum legum observatio, paxque et tranquillitas, et publice et privatim eis aderat illius beneficio, et magnum bonorum incrementum, cum nullum vitium eorum inter se concordiam abrumperet.

§ **12**. Duo fratres, aetate juvenes, qui paternam haereditatem nuper inter se diviserant, unum stagnum vindicabant, uterque totum id habere contendens, et non admittens alter alterum in societatem possessionis. Fit magister, causae arbiter, qui cum ad locum pervenisset, in arbitrio usus est suis legibus, hoc agens, ut reconciliarentur juvenes, et redirent in gratiam, et lucrum pacis existimarent vectigali praestantius. Cum autem esset inutilis ejus exhortatio, et fervèret adolescentia, et majori irâ incederetur, spe lucri aestuans, et utrinque ex subditis pararetur exercitus et magna manus, ira duce ac furore caedem spirans, constitutum fuit tempus certaminis. Cum autem postridie ejus diei esset utrinque committendum proelium, permanens homo Dei in

stagni ripis, et totam noctem agens insomnem, fecit quoddam Mosaicum in aqua miraculum, non ictu virgae profundum in duas partes scindens, sed eam totam tamquam terram consolidans, effecit continentem plane aridam, et omni humore vacuam, ut ne in cavo quidem ullo ullas habeat aquae reliquias, quae ante orationem instar pelagi exundabat. Atque ille quidem cum divina potestate hanc tulisset sententiam, rursus domum rediit: adolescentibus autem, lata factis ipsis sententia, diremit contentionem. Cum enim id non esset, pro quo bellum inter se parabant, pax iram est consecuta, et rursus natura inter fratres dedit sui significationem. Ac tunc quoque divinae illius sententiae licet videre signa evidentia. Nam circa id, quod olim fuit stagnum, in hodiernum diem servantur aliqua vestigia aquae inundationis. Quicquid autem erat aquae profundum, id totum est transmutatum, ut quod a silvis, pratis, agris et habitatione sit occupatum.

§ **13**. Alterum autem ejus post hoc tale miraculum ostenditur et memoratur. Quidam apud eos fluvius praeterfluit regionem, ipso nomine indicans, quam sit asperum et immane fluentum. Lycus * enim nominatur, quod sit accolis noxius. Is vel ex ipsis quidem Armeniae fontibus descendit cum magno aquae impetu, cum per montes, qui ei supereminent, lapsus, copiosum fluentum suppeditet. Cum in concavis autem locis subter praecipitiorum radices undique praeterlabatur, hibernis torrentibus longe evadit violentior, quae confluunt e montibus, aquas in se excipiens. Cum vero it supina et humili, quam praeterfluit, regione, saepe suis marginibus anguste coërceretur, in aliqua parte ripa effundebatur, agros omnes subjectos, et quicquid erat aliud, suo fluento per transversum inundans, adeo ut ejus loci accolis ex improviso continua inferret pericula, intempesta nocte, vel etiam interdiu flumine in agros irruente. Quo fiebat, ut non solum plantae et semina, et pecora aquarum impetu interirent, sed etiam ad ipsos usque habitatores perveniret periculum, qui ex improviso aquae inundatione domi erant naufragi. Cum ergo quae a magno Gregorio praeclare facta fuerant miracula, totam gentem pervasissent, surgentes qui ad illam fluvii partem habitabant, ipsi et uxores et liberi publice omnes magno fiunt Gregorio supplices, rogantes ut aliqua ratione ab insperatis eos malis liberaret. Dicebant enim Deum in eo posse omnia, quae nulla ingenii humani ope possunt fieri. Nihil enim, quod consilium et vires humanae praestare possint, ab ei esse praetermissum, ut qui lapidibus et aggeribus, et si quid aliud adversus hujusmodi mala excogitari soleat, omnia fecerint nec vi mali potuerint resistere: et ut magis ab ipsis moveretur ad misericordiam, rogarunt ut

* *Lycus* enim, e graeco vocabulo λύκος, idem est ac latine *lupus*.

pse videret calamitatem, et sciret, nec fieri quidem posse, ut ransmutarent habitationem, et quod propter aquae impetum eis nors omni ex parte ostentetur. Cum ergo ad locum pervenisset nulla enim cunctatio ejus ad bonum studium retardabat, nec ehiculo, nec equis, nec aliquo ex iis, quae ipsum possent porare, indigens, sed baculo cuidam innitens, totum iter confecit, imul etiam cum viae comitibus de spe altiore philosophans: nter quos semper in eo, quod erat principale, immorans, prae najori illo studio, reliqua omnia faciebat veluti transiens), et postquam ei ab iis, qui eum deduxerant, ostensum est fluvii diortium, et idipsum, quod cernebatur, explicavit calamitatem, um propter aquae irruptionem eum locum profunda occupasset acuna, haec dicit ad eos qui erant congregati: « Non est honinum, o fratres, aquae motum terminis circumscribere. Est olius divinae potentiae hoc opus, aquae motum intra terminos oncludere. Sic enim dicit ad Deum Propheta: *Terminum posuiti, quem non transgredientur* (*Ps.* 103). Soli creatae naturae Domino st subjecta elementorum natura, in quibus locis collocata fuerit, n iis semper permanens. Quoniam ergo Deus est, qui aquis praecribit terminos, solus ille propria potestate potest hujus fluvii compescere insolentiam. » Et diviniore cogitatione, veluti a Deo afflatus, et magna voce Christum ad id, quod erat propositum, adjutorem sibi adesse precatus, quem manu gestabat baculum, lefigit in corrupto ripae loco. Cum autem esset terra in eo loco madefacta et mollis, facile profundum subiit, simul et ponderi baculi, et manui ejus qui figebat, cedens. Deinde cum Deum rasset, ut hoc esset veluti claustrum et obstaculum aquarum iolentiae, rursus reversus est, re ipsa ostendens, quicquid ab illo iebat, divina fieri potestate. Statim enim haud ita longo post empore, baculus quidem, actis in ripa radicibus, arbor evasit: planta autem fluento posita est terminus, et in hodiernum usque iem incolae plantam et vident, et narrant. Quando enim imbribus t torrentibus Lycus ille pro more inundans, magna vi sonoque ertur rapidus, tunc cum inferiorem partem arboris in superficie eviter aqua contigerit, rursus tumescens in medium contrahitur lveum, et veluti qui extimescat appropinquare arbori, curva unda ocum transgreditur. Talis magni Gregorii fuit virtus, vel potius ei, qui in illo operabatur miracula, et veluti subjecta elementoum natura, ostensa est, prout ei videbatur, mutari ejus jussis, deo ut stagnum quidem sit mutatum in agrum frumentarium, quae autem lacunae fuerint habitatae habitatoribus, baculo fidei ubente, et tutos eos futuros cavente. Nomen autem in hodiernum sque diem arbori est baculus, Gregorii gratiae et virtutis moninentum, quod in omni tempore servatur ab incolis.

§ 11. Mittitur ad eum legatio ex quadam propinqua civitate,

ut ad eos veniret, et per sacerdotium * Ecclesiam eorum constitueret. Est autem civitati nomen Comana, in qua magnum Gregorium volebant hospitio excipi, publice gratiam postulantes. Cum ergo apud eos fuisset, et aliquot dies degisset, et iis quae faciebat et loquebatur, eorum ad mysterium cupiditatem vehementius accendisset, cum tempus esset, ut eorum legatio ad finem perveniret, et crearetur aliquis pontifex eorum ecclesiae, tunc quidem ex iis, qui magistratus gerebant, quos noverant, eos curiose indagabant, qui dicendi facultate, et genere, et reliquis insignibus ornamentis videbantur excellere. Existimabant enim, quoniam haec in magno quoque Gregorio inerant, nec eorum debere esse expertem eum, qui ad hanc perveniret gratiam. Cum autem multiplicia essent eorum suffragia, et alii alium praeponerent, exspectabat magnus Gregorius, donec sibi divinitus daretur aliquod consilium ad id, quod erat propositum. Et quomodo fertur Samuel non esse admiratus pulcritudinem et magnitudinem corporum in regis judicio, sed animum requisiisset regium, etiamsi sit in vili et contempto corpore: ita ille quoque despiciens studia eorum, qui ferebant suffragia, hoc unum solummodo spectabat, num quis vel antequam renuncietur, vitae et virtutis exercendae industria in moribus ferat sacerdotium. Cum autem illi eos, quibus sua dederant suffragia, adducerent cum laudationibus, unusquisque eum, qui a se eligebatur, proponens: ille vero etiam viliores, jubebat respicere, quo ad vitae honestatem: fieri enim posse, ut etiam in his inveniatur aliquis, iis qui sunt illustriores, animae divitiis excelsior: quidam ex iis, qui praeerant suffragiis, hanc magni Gregorii sententiam existimavit esse derisionem, si ex iis, qui dicendi facultate, et dignitate, et manifesto vitae testimonio praelati sunt aliis, nullo admisso ad sacerdotium, ex illiberalibus et sordidis artificibus ad eam gratiam existimentur aliqui digniores: et simul ironice loquens, ei ita dicit: « Si haec jubes, ut ii, qui sunt hujusmodi, et a tota civitate delecti, despiciantur, Alexandrum carbonarium voces licet ad sacerdotium; atque adeo, si videtur, in eum transeuntes, ad ei danda suffragia conveniamus nos et tota civitas. » Is quidem haec locutus est, de ejus sententia detrahens, et per hoc ironicum suffragium, quod nullus esset de prioribus judicium, reprehendens.

§ **15**. Per haec autem, quae dicta sunt, venit illi Magno in mentem, ut cogitaret, num non sine Dei numine facta sit Alexandri mentio ab iis qui ferebant suffragia: « Et quis est, inquit, hic Alexander, cujus fecistis mentionem? » Deinde cum quidam ex iis, qui aderant, eum, de quo facta erat mentio, per risum adduxissent, sordidis lacerisque pannis indutum, nec id toto corpore, et simul ipsa specie opus suum ostendentem, ut qui ex carbonum operatione, et manibus, et facie, et toto denique

* Ut scilicet ibi eligeret consecraretque episcopum.

corpore esset sordidatus, reliquis quidem in medio stans Alexander risus fuit argumentum : perspicaci autem illi oculo magnam attulit admirationem id, quod fiebat et cernebatur, vir in extrema paupertate, et neglecto corpore se solum respiciens, et veluti iis exultans, quod erat ineruditis oculis ridiculum. Ita enim habebat, nec propter paupertatis necessitatem ad hanc vitam devenerat : sed erat vir quidam philosophus, ut ejus postea vita significavit, quae erat caeteris excelsior, adeo ut etiam pervenerit usque ad martyrium, ut qui cursum per ignem consummavit. Latère autem est conatus, vel studuit potius, ut qui ea, cui a vulgo studetur, prosperitate longe esset superior, et mundi vitam nihili faciens, excelsiorem veramque vitam concupisceret, et ut propositum virtutis scopum facilius attingeret, conabatur latère. Talis autem cum esset vilissimo artificio tamquam turpi aliqua persona occultatus, et alioqui cum esset florenti aetate, temperantiae instituto periculosum ac lubricum existimabat, manifestare pulcritudinem corporis, naturae prosperitati veluti insultans, et eam insectans. Sciebat enim eam praebuisse multis lapsus occasionem. Ne ergo aliquid eorum, quae nollet, sibi eveniret, nec alienis oculis esset causa excitandi mali animi motus, ideo sponte assumit artem carbonariam : per quam et corpus ad virtutem exercebatur laboribus, et pulcritudo occultabatur sub carbonum sordibus ; et simul quod ex suis redibat laboribus, id ita dispensabatur, ut serviret praeceptis. Cum eum itaque abduxisset a concilio, et ex eo omnia esset accurate sciscitatus, illum quidem dat suis domesticis, jubens ea, quae oportebat, facere. Is autem cum rursus venisset ad concilium, eos docebat, qui erant congregati, eis verba faciens de sacerdotio, et per ea describens vitam ex virtute agendam. Et in tali oratione tamdiu est immoratus, coetum detinens, donec iis impletis quae jusserat, ii qui ei ministrabant, advenerunt, secum habentes Alexandrum, qui et lavacro sordes ex fuligine contractas abluerat, et magni Gregorii vestibus erat indutus : haec enim eis facere jusserat. Cum autem omnes essent conversi ad Alexandrum, et ex eo quod videbatur, essent in magnam adducti admirationem : « Nihil vobis novi accidit (dixit eis magister), si oculis decepti estis, et soli sensui ejus, quod bonum est, judicium permisistis. Veritatis enim eorum quae sunt, judex incertus est sensus, qui per se arcet, ne profundum animi penetretur. Simul autem ipsi quoque veritatis et pietatis inimico daemoni gratum erat, ut esset omnino otiosum vas electionis, quod occultabat ignoratio, nec is vir prodiret in medium, qui esset futurus eversor illius potentiae. » Haec cum dixisset, Deo virum offert per sacerdotium, cum eum pro more initiatum gratia consecrasset. Omnibusque novum sacerdotem intuentibus, is rogatus ut verba faceret ad Ecclesiam, statim ab exordio ostendit Alexander, non falsum de eo Gregorii fuisse judicium. Erat enim

ei plena sententia oratio, minus ornata dictionis floribus. Quo factum est, ut quidam elatus adolescens, qui ex Attica apud eos degebat, inornatam irriserit dictionem, quod non esset Atticis exculta ornamentis. Quem dicunt fuisse correctum a quadam visione, cum vidisset columbarum gregem, quadam admirabili refulgentem pulcritudine, et quemdam audisset dicentem, has esse Alexandri columbas, quas ille irriserit *.

§ 16. Jam enim in omnem partem pervaserat divina praedicatio, et omnes tam in civitate, quam in ea, quae circumcirca sita est, regione ad piam rectamque dogmatis fidem erant traducti, altariaque et templa, et quae fuerant in eis simulacra, erant eversa: expurgata autem erat humana vita ab idolorum inquinamentis, extinctusque erat sceleratus nidor sacrificiorum, ablutusque cruor ex altaribus, et sordes caesorum animantium: omnes autem in omni loco in Christi nomine templa erigebant oratoria: cum Romanorum, qui tunc erat, Imperatorem subiit ira et invidia, propterea quod falsa quidem ejus patria neglectui esset superstitio: augebatur autem mysterium Christianorum, et per totum orbem terrae multiplicabatur Ecclesia, per eos, qui semper verbo adjiciebantur, crescens in magnitudinem. Et cum existimasset fieri posse, ut divinae virtuti sua resisteret acerbitas, et reprimeret quidem mysterii praedicationem, dissolveret autem coetus Ecclesiarum, rursus autem traduceret ad simulacra eos, qui ad verbum processerant, ad gentium Praesides mittit edicta, terribiles supplicii minas in eos statuens, nisi omnibus probris, contumeliis et cruciatibus afficerent eos qui nomen Christi adorabant, et terrore et cruciatibus eos rursus adducerent ad patrium cultum daemonum **. Postquam autem magistratibus est annunciatum hoc sceleratum et impium edictum, cum per totum pervasissent Imperium, qui ad hoc erant constituti a tyrannica crudelitate: et in gentem Ponticam is obtinebat dominatum, cui ad sceleratum desiderium non deerat summa potestas, ut qui feritatem et acerbitatem haberet ingeneratam, et odium in eos qui verbo crediderant, ab eo publice proscribitur, oportere vel fidem abjurare, vel omne genus suppliciis et mortibus àffici. Neque aliud tunc publicum aut privatum quicquam agebatur, aut ullum ponebatur studium ab iis qui tractabant publica, quam ut obsidèrent et punirent eos qui fidem sequebantur. Erant autem non solum minae verborum terribiles, sed cum iis varius apparatus suppliciorum, nullum non afferebat stuporem, et antequam veniretur ad periculum, metum incutiebant hominibus enses, et ignis, et bestiae, et fossae, et instrumenta ad torquendum membra accommodata, et ferreae in igne cathedrae, et ligna erecta, in quibus eorum extensa, qui persistebant.

* Alexandri Episcopi Comanae in Ponto et Martyris festum die undecima augusti celebratur.
** Haec Christianorum persecutio a Decio imperatore, anno 250, decreta fuit.

corpora, projectis horrendis laniabantur ungulis, et alia innumerabilia ad multiplices corporum cruciatus inventa ab eis excogitabantur. Unumque erat studium iis, qui hanc habebant potestatem, ut nullus eo posset ostendi scelere superior. Alii quidem deferebant, alii vero indicabant, alii vero scrutabantur eos qui erant absconsi. Alii invadebant eos qui fugiebant. Alii autem, injectis oculis in facultates fidelium, ut rebus eorum potirentur, praetextu pietatis ac religionis eos, qui fidem amplectebantur, expellebant.

§ **17**. Erat autem in gente confusio, perplexaque et inexplicabilis animi dubitatio, cum essent omnes inter se suspecti, cum nec in tanto terrore maneret filiorum in parentes beneficentia, neque paternae curae a natura ingenerata fidelitas remaneret parentibus in filios. In varios autem ritus religionis inter se scindebantur genera. Et filius, qui erat gentilis, erat proditor parentum fidelium; et filium, qui crediderat, pater incredulus accusabat. Et frater, qui erat ex eadem essentia, pugnabat cum natura, sanctum esse existimans, sumere poenas de consanguineo, si pietatem amplecteretur. Hinc plenae quidem erant solitudines iis qui expellebantur; habitatoribus autem aedes erant inanes; multa autem publica habitacula ad usum carcerum deserviebant. Non poterant enim carceres capere eorum multitudinem qui propter fidem puniebantur; foraque omnia, et omnes publici et privati coetus, pro consueta laetitia calamitatis erant talis participes, cum alii quidem attraherentur, alii vero abducerentur, alii propter ea, quae fiebant, vel riderent, vel flerent. Non erat infantium misericordia, non honor canitiei, non virtutis reverentia, sed perinde atque in captivitate dedebatur omnis aetas inimicis fidei. Ne foeminis quidem dabat naturalis generis imbecillitas, ut remotae essent ab his aerumnis: sed una in omnes aequalis erat lex crudelitatis, eos adducens, qui erant alieni ab idolis, naturam non discernens. Cum tunc ergo imbecillitatem naturae vidisset vir ille magnus, utpote quod multi non possent pro pietate usque ad mortem decertare, consuluit Ecclesiae, ut parumper cederet terribili irruptioni, dicens esse melius, fugiendo suas conservare animas, quam si starent in acie certaminum, essent ordinum fidei desertores: et ut maxime persuasum esset hominibus, nullum animae afferre periculum, si fugâ fidem servarent, suo exemplo eis consulit, ut secederent, ipse ante alios cedens vehementi periculo. Simul autem iis quoque, penes quos erat potestas, hoc maximo erat studio, ut illo tamquam duce exercitus expugnato, omnem fidei aciem frangerent et dissolverent. Et ideo inimici magnopere studebant, ut ille in eorum veniret potestatem.

§ **18**. Ipse autem cum desertum quendam collem occupasset, secum habens eum, qui ex aedituo adductus fuerat ad fidem ab initio, jam Diaconatus gratiae inservientem: cum autem qui

persequebantur, magna multitudine sequerentur eorum vestigia, a quopiam eis ostenso loco, in quo abscondebatur, alii quidem vallem colli subjectam circumseptam custodiebant, ut ei nulla ex parte liceret effugere, si ad hoc esset conversus; alii autem cum in montem accessissent, per omnem partem scrutantes, jam magno illi viro conspecti fuerant, rectâ ad ipsum currentes. Ille autem cum jussisset ei qui erat cum ipso, ut staret certa et solida in Deum fiducia, et ei suam crederet salutem, manus tendens ad orationem, et nec etiam si prope fuerint inimici, metu excutiatur fides. Praecepti autem exemplum se praebuit Diacono, fixo et stabili oculo coelum intuens, extensis manibus recta figura. Et hi quidem in his erant. Illi autem cum ad eos accurrissent, et omnem locum diligenter inspexissent, omnemque in rupe stationem, et omnem rupis accessum, et omnem a lacuna effectam concavitatem diligentissime scrutati essent, rursus in vallem redeunt, quasi metu eorum qui scrutabantur, ipse in fugam conversus incidisset in manus eorum qui circumsidebant. Postquam ergo nec ab his est inventus, nec erat apud illos qui locum adspexerat, in quo magnus ille degebat, signis descripsit eum, in quo affirmabant quaesitores, se neminem vidisse, nisi solas duas arbores, a se invicem parum distantes. Cum autem secessissent qui quaerebant, relictus index cum illum magnum offendisset in oratione, et eum qui cum ipso erat, et divinum cognovisset praesidium, per quod illi eis visi sunt arbores, accidit ad ejus pedes, et verbo credit: et qui paulo ante fuerat persecutor, fit unus ex fugientibus. Iis ergo longo tempore manentibus in solitudine (bellum enim invalescebat adversus fidem), et graviter furente praeside in eos qui ad verbum pietatis accedebant, et omnibus in fugam conversis, quoniam nulla spes relicta erat, fore ut magnus Gregorius veniret in manus persecutorum, tunc omni sua rabie et acerbitate conversa in reliquos, ubique per gentem scrutabantur omnes similiter, viros, mulieres et pueros, quibus Christi nomen erat venerabile, eosque trahebant in civitatem, et replebant carceres, pro alio scelere intentantes eis crimen pietatis. adeo ut nulli ex rebus publicis tunc vacarent judicia, nisi huic tantum, quod iis, qui tunc imperium obtinebant, erat curae, ut omnes contumelias et omnia tormenta, quae excogitari poterant, in eos inferrent, qui fidem retinebant. Quo quidem tempore fuit omnibus longe evidentissimum, magnum illum virum nihil consuluisse sine Dei numine. Nam cum se per fugam populo conservasset, erat commune auxilium omnibus qui pro fide decertabant. Sicut enim de Mose audivimus, quod ab Amalecitarum acie procul remotus, per orationem iis, qui erant sui generis, dabat vires adversus inimicos: eodem modo ille quoque animae oculo intuens ea quae videbantur, divinum invocabat auxilium iis qui decertabant pro fidei confessione.

§ **19**. Cumque aliquando una cum iis qui cum eo erant, pro more Deum oraret, repente angore et animi perturbatione plenus, aperte prae se tulit iis qui aderant, a se spectaculum videri alienum, seque id aegre ferre, auresque obstruere, tamquam sono aliquo ad eum perveniente: et non exiguo interjecto intervallo, cum toto tempore quod intercessit, inflexibilis mansisset, et immobilis, tamquam propositum spectaculum bonum esset exitum assecutum, ad suam rediit consuetudinem, et clara voce Deum laudavit, hymnum victoriae et gratiis agendis appositum pronuncians, quem saepe audimus David dicentem in Psalmodia: *Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum* (*Ps.* 123). Iis autem admirantibus, et ut ex eo scirent, rogantibus quodnam fuerit hoc spectaculum quod ejus oculis subjectum est, fertur dixisse, se illo tempore magnum vidisse casum, prostrato diabolo a quodam adolescente in certamine pro pietate. Iis autem quod dicebatur, adhuc ignorantibus, narrat eis apertius, quod illa hora quidam nobilis adolescens, majori fretus auxilio, magnis sudoribus pro fide decertavit, a lictoribus productus ad praesidem. Nomen quoque adjecit, eum nominans Troadium, et quod post multa, quae fortiter tulit, tormenta, fuit martyrii coronâ redimitus. Auditione autem obstupefactus Diaconus, neque audens non credere ei, quod dicebatur, et simul credens esse majus, quam ut cadat in humanam naturam, ut qui procul erat a civitate, cum nemo ei renunciasset, dicat iis, qui cum eo sunt ea, quae fiunt, perinde ac si interesset, supplex rogat magistrum, ut sibi permittatur ea cernere oculis. et ne ab eo prohibeatur, ne veniat ad loca ipsa, in quibus factum est miraculum. Cum is autem diceret, esse pertimescendum adesse in medio eorum qui occidunt, saepeque diaboli perversitate accidere aliquid, quod nollemus, Diaconus dixit, se confidere auxilio ejus orationum, hac apud eum voce utens: « Tu me Deo commendes, nec me ullus insequetur metus inimicorum. » Cum is autem per orationem veluti socium cum eo misisset divinum auxilium, confidens viam confecit, ad nullum se convertens ex iis qui occurrebant *.

§ **20**. Cum autem divina ope ** soluta esset illa Tyrannis, et humanam vitam pax rursus excepisset, per quam erat omnibus liberum rebus divinis dare operam, rursus descendens in civitatem, et totam in orbem circuiens regionem, iis, qui erant ubique, populis magnam fecit accessionem in Deum studii et pietatis, statuens ut pro iis qui pro fide decertarant, agerentur festi dies et celebres conventus. Cumque alius alibi corpora Martyrum accepissent, quotannis, finita annui orbis conversione, convenientes exultabant, diem festum celebrantes in honorem Martyrum.

* S. Troadii martyrium die 28 decembris recolitur.
** Anno 251.

Est certe hoc quoque argumentum magnae ejus sapientiae, quod cum omne simul hominum genus suo tempore ad vitam communem componeret, veluti quidam auriga naturam regens, et frenis Dei cognitionis eos jugo subjungens, concedebat ut sub jugo fidei laetitiâ exilirent subditi. Cum enim animadvertisset, quod propter corporeas delectationes in idolorum errore permaneret puerile vulgus et ineruditum, ut interim in eo, quod est praecipuum, nempe in Deum, se recte gererent: pro illis inanibus superstitionis ritibus, permisit eis, ut in sanctorum Martyrum memoriis se exhilararent, exultantesque oblectarent, utpote quod procedente tempore futurum erat, ut vita traduceretur ad id quod est honestius et praestantius, et fides eos ad id deduceret, quod quidem jam in multis recte successit, omni delectatione ab iis quae sunt jucunda corpori, traducta ad genus laetitiae spiritalis. Hoc autem modo se gerens in Ecclesia, et omni studio incumbens, ut ante suum e vita excessum, videret omnes ad fidem salutarem traductos a simulacris, postquam cognovit suum instare obitum, totam circumcirca regionem et civitatem est perscrutatus, cupiens scire, an essent aliqui relicti extra fidem. Ubi autem cognovit omnes qui permanserant in antiquo errore, non esse plures, quam septemdecim, dicit hoc quidem esse dolendum, ad Deum respiciens, quod aliquid desit ad plenitudinem eorum qui servantur: « Verumtamen jure magnas esse agendas gratias, quod suo in Ecclesia successori tot relinquit simulacrorum cultores, quot ipse accepit Christianos. » Cum autem precatus esset, ut et qui jam crediderant, crescerent in perfectionem, et infideles converterentur, ita ab humana vita migravit ad Deum *, mandans suis necessariis, ut nullum proprium locum ei compararent ad sepulturam. Si enim vivus non sustinuit vocari alicujus loci dominus, sed inquilinus vixit in alienis, neque post mortem pudebit eum esse inquilinum. Sed hoc, inquit, narretur posteris, quod Gregorius neque vivus alicujus loci possessor est nominatus, et post mortem fuit inquilinus alienorum sepulcrorum, seipsum sejungens ab omni in terra possessione, adeo ut nec in proprio quidem loco voluerit sepeliri. Solam enim eam possessionem judicavit pretiosam, quae in se avaritiae non suscipit vestigium. Repentinam autem totius gentis traductionem a gentili vanitate ad veritatis agnitionem nemo miretur, qui hanc legerit orationem, respiciens oeconomiam, per quam facta est tanta mutatio eorum qui traducti sunt a falso ad veritatem. Nam quod factum est in primis temporibus ejus sacerdotii, quod ad reliqua miracula festinans praeteriit oratio, nunc assumens narrabo.

§ **21**. Erat quidam dies festus publicus in civitate, qui more patrio agebatur cuidam daemoni ex iis qui erant in regione. Ad eum tota fere gens confluxerat, tota regione una festum agente

* Die decimaseptima novembris anni 270 vel 271.

cum civitate. Erat autem theatrum plenum iis qui concurrerant, et effundebatur undique super sedes multitudo eorum qui confluxerant. Cumque omnes circa spectacula et acroamata ad orchestram adspicere magnopere cuperent, erat scena plena tumultu. Frustraque fuit praestigiatoribus miraculorum suorum ostentatio, cum tumultus eorum qui arcte comprimebantur, non solum musicae usum interrumperet, sed nec praestigiatoribus sua ostendere permitteret. Quo quidem tempore a toto populo communis haec vox erupit, daemonem invocantium, cui hunc diem festum agebant, et rogantium, ut eis ab illo latius praeberetur spatium. Postquam autem omnibus inter se colloquentibus, vox in altum efferebatur, et videbatur totius civitatis tamquam unius oris esse oratio, quae has preces offerebat daemoni. Erat autem precatio, ut iisdem verbis a me dicetur: « Jupiter, fac nobis locum. » Cum audisset Magnus ille vocem eorum qui daemonem nominatim invocabant, a quo petebant, ut civitati fieret latum spatium, dicit ad eos, misso quodam ex iis qui adstabant, mox eis esse dandum latius spatium, quam precabantur. Hac autem voce tamquam tristi prolatâ sententia, publicam illam celebritatem mox pestis excipit, et in choris statim admixta est lamentatio, adeo ut oblectationes converterentur in luctus et calamitates; pro tibiis, et quae ad numerum fiebant, saltationibus et plausibus, lugubri carmine assidue civitatem excipiente. Nam cum morbus spe citius ingruisset hominibus, is pervadebat, ignis instar domos depascens. Quo factum est, ut implerentur quidem templa iis qui morbo interiebant, qui quidem spe curationis ad ea confugiebant; pleni quoque essent rivi, et fontes, et putei iis qui prae morbi vehementia majori siti ardebant, quam ut aqua, quae erat in profundo, flammam eorum extingueret, cum ii quos semel is morbus invasisset, et post et ante aquae potum similiter se haberent; multi autem sua sponte fugerent ad sepulcra: quoniam ii qui erant superstites, ad eos sepeliendos minime sufficiebant; esset autem non inopinata mali hominibus irruptio; sed cum domui interiturae quoddam visum apparuisset, ita consequeretur interitus. Postquam ergo fuit manifesta omnibus morbi causa, nempe quod invocatum ab eis daemonium, stultorum votum maligne implebat, hanc sceleratam spatii latitudinem morbo civitati afferens: eo quidem tempore magnum Gregorium supplices adeunt, rogantes ut vim morbi compesceret per eum, quem ipse cognoscebat et praedicabat, Deum, quem solum vere fatebantur esse Deum, et habere in omnes potestatem. Nam cum illud visum ante futurum domus interitum appareret, et desperationem vitae protinus afferret, una periclitantibus erat via salutis, si intra illam domum magnus fuisset Gregorius, et precibus propulsasset morbum qui domui imminebat. Cum autem per eos qui primi hanc erant salutem consecuti, velox fama per omnes pervasisset,

cessarunt omnia quae prius ab eis magno studio procurabantur, oraculorum sciscitationes, piacula, et apud simulacra diuturnae supplicationes, adspicientibus omnibus ad magnum sacerdotem, et unoquoque eum ad se trahente ad salutem totius generis. Erat autem ei merces ab iis qui servabantur, eorum salus animarum. Nam cum tali experientia manifestata esset pietas sacerdotis, nulla erat amplius dilatio, quo minus mysterio assentirentur ii qui virtutem fidei docebantur. Sic fuit illis hominibus morbus salute praestantior. Qui enim cum sani essent ad mysterii doctrinam excipiendam infirma erant animi intelligentia, corporis morbo fuerunt confirmati ad fidem. Et sic confutato errore idolorum, traducti sunt omnes ad nomen Christi: alii quidem per morbum, qui invaserat, deducti ad veritatem; alii vero, ut a peste servarentur, fidem in Christum assumentes, tamquam propugnaculum. Sunt autem etiam alia in hodiernum usque diem memoriae mandata miracula: quae quidem auribus parcentes non credentibus, ne ii laedantur, qui quod in rerum quae dicuntur, magnitudine verum est, falsum esse putant, iis quae scripta sunt, non adjecimus *.

HISTORIA

S. ANIANI EPISC. AURELIANENSIS

EX MSS. CODICIBUS PER L. SURIUM,

MUTATO STYLO, ALIQUANTO COMPREHENSIUS DESCRIPTA.

Sec. V floruit — Nat. Gallus.

§ 1. Ea tempestate, qua Hunnica rabies se in regiones populandas devastandasque effudit, et Galliis atrociter imminebat, beatissimus Anianus Aurelianensis ** urbis fidum se pastorem declaravit. Metuens enim gregi, quem a Domino pascendum acceperat (quippe qui ex Sancti Spiritus revelatione, quae ventura essent, jam ante cognovisset), supplices pro eo ad Deum preces fudit, iram ejus ab eo avertere cupiens. Porro autem cum jam communibus omnium suffragiis Episcopus electus esset, ab Agrippino viro illustri, et militum magistro petiit, ut eos omnes quos carceres vinctos detinerent, liberos abire pateretur. Recusabat ille,

* Opera, quae S. Gregorius Thaumaturgus conscripsit prodiditque, haec sunt: 1. Oratio panegyrica in Origenem; 2. Symbolum seu expositio Fidei; 3. Metaphrasis in Ecclesiasten; 4. Epistola canonica. Haec media typis fuere impressa Moguntiae, anno 1604; et Parisiis, anno 1621. Alia opera extant, quae perperam S. Gregorio attribuuntur.

** Gall. *Orléans*.

nescio quid causae praetexens: sed cum vellet in templum precandi causâ ingredi, ab alto decidit lapis in caput ejus, diramque ei plagam imponens, multum ex eo sanguinem expressit. Sensit illico ea causa id accidisse, quod sancti Episcopi preces rejecisset. Mittit ergo, jam a famulis reportatus in domum suam, qui Episcopum vocent: mors enim propter nimiam sanguinis fluxionem jam impendere videbatur. Venit Episcopus, manu sua vulneri Crucis signum imprimit, sanguis sistitur, redeunt vires prope jam deplorato, aperiuntur carceres, et exeunt miseri, beati Aniani Episcopi intercessione in libertatem vindicati.

§ 2. Condiderat ejus decessor beatus Evortius * ecclesiam Aureliae. Eam sanctus Anianus illustriorem reddere volens, culmen ejus jussit altius evehi. In eo opere praefectus operis sive architectus, labante pede, e tecto corruens, praesentissimum vitae discrimen adiit, toto quassato corpore, vix ultimo spiritu in illo residente. Id sentiens beatus Anianus, procul contra eum expressit Crucis signum, ad eumque advolans, manum ejus apprehendit, punctoque temporis sanatum, jussit redire ad opus.

§ 3. At vero in Gallias irruentibus Hunnis ** saevissimus Attila Rex imperabat. Qui cum Aurelianensem urbem vellet evertere, beatus Anianus, non quod carnem poneret brachium suum, aut in hominum viribus confideret, sed ut officio suo non deesset, Arelaten *** profectus est, ut Aëtio patritio, qui tum in Galliis erat, barbarae gentis crudelitatem explicaret. Cum autem iter ageret, ad Mamerti viri potentis aedes divertit, qui gravissime decumbens, spiritu et voce, omnique gradiendi facultate destitutus, spem vivendi omnem suis ademisse videbatur. Ut autem persensit uxor ejus, matrona nobilissima, beatum Anianum advenisse, ad ejus se pedes abjecit, orans ut marito salus redderetur. Accedit igitur vir Dei ad lectum aegrotantis, videt eum horas extremas ducere, procumbit in preces, orat Dominum tota nocte cum lacrymis, donec mane aeger pristinae sanitati redditus est. Inde pergit Arelaten, et ab Aëtio humanissime exceptus, indicat quo in periculo versetur Aurelia, implorat ejus opem, quam Aëtius liberaliter et prolixe pollicetur. Redit deinde ad cives suos, non parum tanti pastoris absentia moerentes: erigit animos illorum multa consolatione: praeparant illi omnia, propulsando hosti opportuna.

* S. Evortius, Aurelianensis Antistes, die septima septembris colitur.
** Anno 451. *** Gall. *Arles*.

Hic inserere libet, ob majorem historiae fidem, quae D. Gregorius Turonensis habet lib. 2 Historiae Francorum, cap. 7 in haec verba:

§ 1. Attila Hunnorum Rex, a Metensi * urbe egrediens, cum multas Galliarum civitates opprimeret, Aureliam aggreditur, eamque maximo arietum impulsu nititur expugnare. Erat autem eo tempore beatissimus Anianus in supradicta urbe Episcopus, vir eximiae prudentiae, ac laudabilis sanctitatis, cujus virtutum gesta nobiscum fideliter retinentur **. Cumque inclusi populi suo pontifici, quid agerent, acclamarent; ille fisus in Deo, monet omnes in oratione prosterni, et cum lacrymis praesens semper in necessitatibus Domini auxilium implorare. Denique iis, ut praeceperat, deprecantibus, ait Sacerdos: « Adspicite de muro civitatis, si Dei miseratio jam succurrat. » Suspicabatur enim per Domini misericordiam Aëtium *** advenire, ad quem et Arelaten abierat, prius suspectus futuri. Adspicientes autem de muro, neminem viderunt, et ille: « Orate, inquit, fideliter. Dominus enim liberabit vos hodie. » Orantibus illis, ait: « Adspicite iterum. » Et cum adspexissent, neminem viderunt, qui ferret auxilium. Ait eis tertio: « Si fideliter petitis, Dominus velociter adest. » At illi cum fletu et ejulatu magno Domini misericordiam implorabant. Exacta quoque oratione, tertio juxta senis imperium adspicientes de muro, viderunt a longe quasi nebulam de terra consurgere. Quod cum renunciarent, ait Sacerdos: « Domini auxilium est. » Interea jam trementibus ab impetu arietum muris, jamque ruituris, ecce Aëtius, et Theudo **** Gotthorum Rex ac Thorismundus ejus filius, cum exercitibus suis ad civitatem accurrunt, adversumque hostem ejiciunt ac repellunt *****. Itaque liberata obtentu beati Antistitis civitate, Attilam fugant. Hactenus Gregorius Turonensis, qui etiam postea subjungit, neminem ambigere debere, Hunnorum exercitum B. Aniani obtentu fugatum esse. Sequitur nunc in historia S. Aniani:

§ 2. Post eam e barbaris reportatam victoriam, S. Anianus laetabatur in Domino, quod in tanta calamitate, tamque praesenti discrimine, neminem e suis amisisset, nisi si quis forte divinam desperans opem contra ejus praeceptum barbaro hosti se ultro tradidisset. Tanta autem meritis beati viri post eam victoriam extitit frugum ubertas in Aurelianensi territorio, ut magna inde

* Gallice *Metz*.

** Hanc virtutum gestorumque S. Aniani historiam, de qua S. Gregorius Tur. scribit, deperditam lamentamur.

*** Qui Romanorum exercituum dux erat.

**** Alii Theodorum aut Theodoricum eum vocant.

***** De hac Aureliae obsidione vide inter alios, Sidonium Apollinarem, qui Anianum *maximum consummatumque pontificem, Lupo parem, Germanoque non imparem praedicat* (epist. 15, lib. 9.).

ad superiorem laetitiam fieret accessio. Biennio inde elapso, multis virtutum ornamentis illustris B. Anianus, post calcatos seculi fluctus, jam emeritus miles, carnis nexibus expeditus, migravit ad coelos *, ab aeterno et immortali Rege seculorum amplissima praemia recepturus. Conditus autem est sepulcro ad occidentalem urbis Aurelianensis plagam in beatissimi martyris Laurentii aede, ubi meritorum ejus praestantiam Christus multiplici miraculorum gloria declaravit. Postea crescente fidelium devotione, ad orientalem civitatis partem extructo templo insigni, corpus illius eo translatum est, Christo pergente miraculorum signis mirificare sanctum suum: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum, Amen.

§ 3. Sanctus Anianus civitatis Viennensis indigena fuit, et parentibus nobilibus oriundus. Cujus germanus sanctus Leonianus, Abbas fuit. Sanctus Anianus in adolescentia videns mundi fallaces divitias esse, respuens eas, extra civitatem cellam construxit: ubi Deo fideliter servivit multis annis. Deinde, auditâ famâ sanctitatis beati Evurcii, venit ad eum, et demum ei in pontificatu successit.

MARTYRIUM S. ROMANI

EX ECCLESIASTICAE HISTORIAE EUSEBII CAESAREENSIS LIB. VIII, CAP. XII.
INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO ANGLO.

Martyrio coronatus sec. IV ineunte — Palaestiuus.

§ 1. Romanus, Palaestinus genere, Ecclesiae Caesareensis Diaconus et exorcista, cum pariter Antiochiae in ecclesiarum vastatione forte versaretur **, complures viros simul cum uxoribus et liberis acervatim ad idolorum delubra properantes, et iisdem hostias immolantes intuitus, spectaculum neutiquam tolerandum arbitratus est: et propterea singulari pietatis studio incensus, accedit propius, et magna voce exclamans, eos graviter redarguit. Qui propter hoc tam audax facinus prehensus, generosissimus, si quisquam alius, testis declaratur veritatis. Nam cum judex *** mortem illi ignis incendio infligendam pronunciasset, ille vultu hilari et animo maxime laeto, sententiam lubens amplexatus, ad supplicii locum abducitur. Deinde ubi alligatur ad palum, et dum ligna illi circumcirca coacervabantur, et hi qui incenderent

* S. Anianus obiisse videtur anno 453. ** Anno 303, Diocletiano imperante.
*** Nomen ei Asclepiades.

Hic inserere libet, ob majorem historiae fidem, quae D. Gregorius Turonensis habet lib. 2 Historiae Francorum, cap. 7 in haec verba:

§ 1. Attila Hunnorum Rex, a Metensi * urbe egrediens, cum multas Galliarum civitates opprimeret, Aureliam aggreditur, eamque maximo arietum impulsu nititur expugnare. Erat autem eo tempore beatissimus Anianus in supradicta urbe Episcopus, vir eximiae prudentiae, ac laudabilis sanctitatis, cujus virtutum gesta nobiscum fideliter retinentur **. Cumque inclusi populi suo pontifici, quid agerent, acclamarent; ille fisus in Deo, monet omnes in oratione prosterni, et cum lacrymis praesens semper in necessitatibus Domini auxilium implorare. Denique iis, ut praeceperat, deprecantibus, ait Sacerdos: « Adspicite de muro civitatis, si Dei miseratio jam succurrat. » Suspicabatur enim per Domini misericordiam Aëtium *** advenire, ad quem et Arelaten abierat, prius suspectus futuri. Adspicientes autem de muro, neminem viderunt, et ille: « Orate, inquit, fideliter. Dominus enim liberabit vos hodie. » Orantibus illis, ait: « Adspicite iterum. » Et cum adspexissent, neminem viderunt, qui ferret auxilium. Ait eis tertio: « Si fideliter petitis, Dominus velociter adest. » At illi cum fletu et ejulatu magno Domini misericordiam implorabant. Exacta quoque oratione, tertio juxta senis imperium adspicientes de muro, viderunt a longe quasi nebulam de terra consurgere. Quod cum renunciarent, ait Sacerdos: « Domini auxilium est. » Interea jam trementibus ab impetu arietum muris, jamque ruituris, ecce Aëtius, et Theudo **** Gotthorum Rex ac Thorismundus ejus filius, cum exercitibus suis ad civitatem accurrunt, adversumque hostem ejiciunt ac repellunt *****. Itaque liberata obtentu beati Antistitis civitate, Attilam fugant. Hactenus Gregorius Turonensis, qui etiam postea subjungit, neminem ambigere debere, Hunnorum exercitum B. Aniani obtentu fugatum esse. Sequitur nunc in historia S. Aniani:

§ 2. Post eam e barbaris reportatam victoriam, S. Anianus laetabatur in Domino, quod in tanta calamitate, tamque praesenti discrimine, neminem e suis amisisset, nisi si quis forte divinam desperans opem contra ejus praeceptum barbaro hosti se ultro tradidisset. Tanta autem meritis beati viri post eam victoriam extitit frugum ubertas in Aurelianensi territorio, ut magna inde

* Gallice *Metz*.

** Hanc virtutum gestorumque S. Aniani historiam, de qua S. Gregorius Tur. scribit, deperditam lamentamur.

*** Qui Romanorum exercituum dux erat.

**** Alii Theodorum aut Theodoricum eum vocant.

***** De hac Aureliae obsidione vide inter alios, Sidonium Apollinarem, qui Anianum *maximum consummatumque pontificem, Lupo parem, Germanoque non imparem praedicat* (epist. 15, lib. 9.

ad superiorem laetitiam fieret accessio. Biennio inde elapso, multis virtutum ornamentis illustris B. Anianus, post calcatos seculi fluctus, jam emeritus miles, carnis nexibus expeditus, migravit ad coelos *, ab aeterno et immortali Rege seculorum amplissima praemia recepturus. Conditus autem est sepulcro ad occidentalem urbis Aurelianensis plagam in beatissimi martyris Laurentii aede, ubi meritorum ejus praestantiam Christus multiplici miraculorum gloria declaravit. Postea crescente fidelium devotione, ad orientalem civitatis partem extructo templo insigni, corpus illius eo translatum est, Christo pergente miraculorum signis mirificare sanctum suum: Qui cum Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum, Amen.

§ 2. Sanctus Anianus civitatis Viennensis indigena fuit, et parentibus nobilibus oriundus. Cujus germanus sanctus Leonianus, Abbas fuit. Sanctus Anianus in adolescentia videns mundi fallaces divitias esse, respuens eas, extra civitatem cellam construxit: ubi Deo fideliter servivit multis annis. Deinde, auditâ famâ sanctitatis beati Evurcii, venit ad eum, et demum ei in pontificatu successit.

MARTYRIUM S. ROMANI

EX ECCLESIASTICAE HISTORIAE EUSEBII CAESAREENSIS LIB. VIII, CAP. XII. INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO ANGLO.

Martyrio coronatus sec. IV ineunte — Palaestiuus.

§ 1. Romanus, Palaestinus genere, Ecclesiae Caesareensis Diaconus et exorcista, cum pariter Antiochiae in ecclesiarum vastatione forte versaretur **, complures viros simul cum uxoribus et liberis acervatim ad idolorum delubra properantes, et iisdem hostias immolantes intuitus, spectaculum neutiquam tolerandum arbitratus est: et propterea singulari pietatis studio incensus, accedit propius, et magna voce exclamans, eos graviter redarguit. Qui propter hoc tam audax facinus prehensus, generosissimus, si quisquam alius, testis declaratur veritatis. Nam cum judex *** mortem illi ignis incendio infligendam pronunciasset, ille vultu hilari et animo maxime laeto, sententiam lubens amplexatus, ad supplicii locum abducitur. Deinde ubi alligatur ad palum, et dum ligna illi circumcirca coacervabantur, et hi qui incenderent

* S. Anianus obiisse videtur anno 453.

** Anno 303, Diocletiano imperante.

*** Nomen ei Asclepiades.

rogum, Imperatoris jam praesentis sententiam exspectabant, clamavit: « Ubi mihi ignis, quaeso? »

§ 2. Haec locutus, accersitur ad Imperatorem *, quo novum et inusitatum genus supplicii sustineret, ut lingua nimirum illi amputaretur. Quod fortissime perpessus, rebus omnibus declaravit, divinam vim illis, qui aliquid pró pietate subeant acerbitatis, opem semper apportare solere, cum labores et aerumnas allevando, tum animi alacritatem firme corroborando. Iste enim simulatque novum illum supplicii modum intellexit, prae generosa animi alacritate, neutiquam obstupefactus, lubens extendit linguam, et paratissimo animo eam lictoribus quasi instructam praebet. Post quod supplicium in vincula conjectus, longioque temporis spatio ibi afflictatus, tandem cum vigesimus annus** regni Imperatoris adventaret (quo ex decreto concessum erat, ut libertas omnibus, qui in vinculis ubique constricti tenebantur, palam praedicaretur), solus iste in compedibus jacens, utroque pede ad quintum foramen distracto, laqueo collo circumjecto strangulatus, martyrio demum, sicut ei erat in optatis, decoratur ***.

ITEM SANCTI PATRIS NOSTRI JOANNIS

ARCHIEP. CONSTANTIN. COGNOMENTO CHRYSOSTOMI

ENCOMIUM EJUSDEM MARTYRIS

UT HABETUR IN SIMEONE METAPHRASTE, APUD ALOYSIUM.

§ 1. Rursus Martyrum memoria, et rursus dies festus et celebritas spiritalis. Laborarunt illi, et nos laetamur. Decertarunt illi, et nos exultamus. Illorum est corona et communis gloria: illorum sunt praemia et certamina, et totius Ecclesiae gloria, decus et gloriatio. Et quomodo, dicet quispiam, posset hoc fieri? Quod partes et membra nostra sunt Martyres. Quoniam sive patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive glorificatur unum membrum, cum eo laetantur membra omnia. Caput coronatur, et reliquum corpus exultat. Fit unus victor in ludis Olympicis, et totus gaudet populus, et cum magnis eum excipit laudibus. Si autem in Olympicis certaminibus, qui nihil ad illos sudores contulerunt, tantâ fruuntur voluptate: multo magis hoc

* Scilicet Galerius Maxim., qui tunc Antiochiae versabatur.

** *Vicennalia* (festa), quae Imperatores post regni viginti annos magno sumptu celebrabant. Et *quinquenalia* et *decennalia* celebrabantur. *Vicennalia* autem Diocletiani, anno 303, habita sunt.

*** Eodem anno 303, mense novembris. Hujus insignissimi Martyris, cum Laurentio et Vincentio comparandi memoria summo cum honore in antiquis Martyrologiis Historiisque recolitur. Ejus res gestas cecinit Prudentius hymno. S. Joannes Chrysostomus praeclaram habuit de ipso orationem quam nos operae pretium ducimus, e Surio hic integram transferre.

fiet in Athletis pietatis. Nos sumus pedes, Martyres autem caput. Sed non potest caput dicere pedibus: « Vestri non egeo. » Gloriosa sunt membra, sed gloriae excellentia non facit alienationem a conjunctione, quae est cum reliquis partibus. Tunc enim fiunt maxime gloriosa, quando non abruperint eam, quae est nobiscum, conjunctionem. Nam oculus quoque, cum sit reliquo toto corpore splendidior, suam tunc conservat gloriam, quando non abscinditur a reliquo corpore. Et quid dico de Martyribus? Si enim Dominus noster Christus non erubuit fieri nostrum caput, multo magis ipsi esse nostrum caput non erubescunt: habent enim, quae egit radices, charitatem. Solet autem charitas conjungere ea quae sunt disjuncta, et de meritis non admodum accurate inquirit. Quomodo ergo ipsi cum nobis peccantibus dolore simul afficiuntur, ita etiam nos simul cum eis laetamur in rectefactis. Sic etiam jussit Paulus, *gaudere cum gaudentibus, et flere cum flentibus* (*Rom.* XII).

§ 2. Sed flere quidem cum flentibus, est valde facile; gaudere autem cum gaudentibus, non itidem. Facilius enim dolemus cum iis qui sunt in calamitatibus, quam gaudemus cum iis quibus sunt res secundae. Nam illic quidem ipsa natura calamitatis potest vel lapidem flectere ad commiserationem: hic autem in rebus prosperis invidia eum, qui non valde philosophatur, non sinit effici socium voluptatis. Nam quomodo charitas conjungit ea quae sunt divisa: ita etiam invidia dividit ea quae sunt unita. Quamobrem rogo vos omnes, studeamus gaudere cum iis qui rem recte gerunt, ut animam expurgemus ab invidia. Nihil enim aeque expellit hunc morbum gravem et curatu difficilem, atque gaudere cum iis qui vivunt in virtute. Audi quam sit Paulus summus in his utrisque: *Quis*, inquit, *infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror?* (2. *Cor.* II). Non dixit: *Et ego non molestia afficior:* sed, *Ego non uror,* dixit: urendi verbo ostendere volens summum dolorem. Et rursus ad alios scribens, dicit: *Sine nobis regnavistis: et utinam regnavissetis, ut nos quoque simul vobiscum regnaremus* (1. *Cor.* IV). Et rursus: *Nunc vivimus, si vos statis in Domino* (1. *Thess.* III). Vide quantopere studebat, ut res fratrum recte se haberent, qui nec se vivere quidem existimabat, si illi non essent salvi. Homo qui fuerat raptus ad tertium coelum, et delatus in paradisum, et qui fuerat particeps mysteriorum ineffabilium, et tantam apud Deum assecutus fuerat fiduciam, illorum bonorum sensum non valde accipiebat, nisi etiam vidisset fratres secum esse salvos. Sciebat enim aperte, sciebat charitate nihil esse majus, neque quod sit cum ea conferendum: nec ipsum quidem martyrium, quod est summa bonorum. Nam charitas quidem, etiam absque martyrio, facit Christi discipulos: martyrium autem sine charitate, non potest hoc facere.

§ 3. Undenam hoc sciri potest? Ab ipsis Christi verbis. Dicebat enim discipulis: *In hoc cognoscent omnes quod mei discipuli estis, si vos invicem diligatis* (*Jo.* XIII). Ecce charitas sine martyrio facit discipulos. Quod autem martyrium sine charitate non solum non facit discipulos, sed nec prodest quidem quicquam ei qui id sustinet, audi Paulum dicentem: *Si tradidero corpus meum ut comburatur, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest* (1. *Cor.* XIII). Propterea hunc sanctum maxime diligo, qui hodie nos congregavit, beatum (inquam) Romanum, quoniam cum certamine et martyrio, magnam quoque ostendit in Christum charitatem. Quamobrem ei quoque sancta lingua fuit amputata. Etenim hoc quoque par est examinare, quanam de causa non ad alia utique tormenta, supplicia et cruciatus eum deduxerit diabolus, sed linguam ei abscidit. Non enim hoc fecit temere, sed cum maxima malitia: est enim mala et malefica haec bestia, et omnia facit et movet adversus nostram salutem. Age ergo examinemus, curnam processit ad linguae ejus amputationem, paulo altius deducentes orationem. Sic enim sciemus et Dei benignitatem, et Martyris tolerantiam, et diaboli malignitatem. Et cum Dei quidem didicerimus benignitatem, Domino agemus gratias: Martyris autem cognità patientià, imitemur conservum: intellecta autem diaboli malitià, omnino aversemur inimicum. Propterea enim dedit nobis Deus clemens et benignus nosse ejus machinationes, ut eum magis odio habentes, facilius superemus. Quod enim cognosci possint ea quae mente agitat, audi quid dicat Paulus de eo qui fuerat fornicatus, scribens ad Corinthios: Confirmate in ipsum charitatem, ne circumveniamur a Satana. Non enim quae mente agitat, ignoramus (2. *Cor.* II). Quaenam est ergo causa, propter quam ei linguam amputavit? Patiamini, o dilecti, me rem paulo altius narrantem.

§ 4. Grave bellum fuit aliquando excitatum adversus Ecclesias, non barbaris facientibus incursiones adversus civitates, nec ullis alienigenis, sed iis qui videbantur praeesse huic nostro terrarum orbi, et barbaris et hostibus et Tyrannis omnibus crudelius et immanius utentibus iis qui eorum parebant imperio. Non solum enim libertas, et patria, et pecuniae, et praesens vita tunc veniebat in periculum: sed regnum coelorum, et bona quae sunt justis reposita, vitaque immortalis et Christi confessio. Nec solum grave bellum, sed novus quoque modus excogitatus fuit captivitatis. Non enim ex ea quae hic est, civitate expellebant, sed supernae Jerusalem, quae est libera, privare conabantur, et cogebant unumquemque animas sacrificare in altaribus, et suum abjurare Dominum, et se daemonum subjicere tyrannidi, perniciososque, et nostrae salutis hostes, colere daemones, quod mille mortibus, et quavis gehenna erat gravius et intolerabilius generosis animis et Christi amantibus. Tunc tunc, cum multi essent submersi, et fluctus

in altum tollerentur, et multi navem frangerent, beatus hic Romanus in medium eorum accedens, non statim consideravit, quemadmodum se traderet periculis: sed eos prius, qui timuerant, qui lapsi erant, qui suam salutem prodiderant, collegit, animavit, ut proelium instaurarent effecit; eo quidem, qui lapsi erant, erigens; eos autem, qui stabant, confirmans, precibus, exhortationibus et consiliis, de futuris et de praesentibus rebus multum philosophans: ostendens has esse ad tempus, illas autem perpetuas; praemia opponens laboribus, coronas tormentis, bravia doloribus; docens quaenam sit quidem vita praesens, quaenam autem futura, et quantum intersit inter utramque, et quod mori omnino sit necesse: et, si non hoc modo vitam finierint, omnino coacti lege naturae, paulo post discedent ab his corporibus. His et similibus exhortationibus beatus ille manus erexit dissolutas, confirmavit genua debilia, fugientes reduxit, metum expulit, angorem exegit, eis animum addidit, audacesque effecit et confidentes. Pro capreis et cervis eos effecit leones, magnam vim spirantes: Christi exercitum instruxit et exercuit: ignominiam nostram convertit in capita hostium.

§ 5. Cum ergo vidisset diabolus repente tantam fuisse factam mutationem; et qui nudiustertius eum timebant et contremiscebant, se audacter in eum gerere, et ipsum irridere, adeuntes pericula, prosilientes ad supplicia: et cum cognovisset auctorem, omnibus dimissis, in illum deinceps omnino virus suum inspiravit, omnem vim suam et insaniam movens in hoc beatum caput. Et quid facit? Considerate malitiam. Non eum duxit ad tormenta, non ejus caput abscidit: eum enim docuit tempus praeteritum, haec omnia fuisse facta temere. Non solum enim non retardavit animi alacritatem eorum qui crediderant: sed etiam magis auxit, eamque effecit majorem et vehementiorem. Carbones, inquit, substernebant; illi autem currebant, tamquam ad rosas. Ignem accendebant; ille vero tamquam in fontes aquarum frigidarum seipsos projiciebant. Latera caedebant, et profundos in eis sulcos faciebant, et rivos sanguinis deducebant; illi autem gloriabantur, tamquam auro omni ex parte circumfluentes. E praecipitiis jaciebant, et in mare demergebant; illi vero non tamquam in profundum descendentes, sed tamquam in ipsum coelum ascendentes, ita affecti erant, exilientes et exultantes, et tamquam in sacra pompa choreas ducentes, et ludentes in prato herbido. Ita arripiebat unusquisque cruciatus, non tamquam cruciatus, sed tamquam vernos flores carpentes, et coronas contexentes, et insigni animi sui alacritate meos praeveniebant cruciatus. Quid ergo, inquit, nunc fuerit agendum? Abscindamne ejus caput? sed fit id, quod habet in votis, et discipuli per facta majorem accipiunt adhortationem. Saepe enim eos admonuit, hanc mortem, quae est ad tempus, non esse mortem, sed migrationem et requiem:

oportere decessum despicere, et solam complecti animam. Si ergo caput abscidero, et forti animo tulerit, quod acciderit, ipsos per facta docebit apertius, quod mortem sic oportet despicere: et eorum magis eriget spiritus, et mortuus eis inspirabit majorem animi alacritatem. Propterea ergo linguam amputavit, ut privati voce qua fruebantur, Martyris discipuli, et defecti ejus admonitione, fierent timidiores, et ad priorem redirent angorem et dubitationem, non habentes, qui eis animum adderet, neque qui excitaret et armaret.»

§ 6. Considera autem mihi diaboli malitiam. Herodes quidem abscidit caput Joannis: hic autem non caput, sed solum linguam. Quamobrem? Si abscidero caput, inquit, et fuerit mortuus, recedet non videns interitum suorum fratrum: ego autem volo eum facere testem lapsuum et calamitatis suorum militum, ut dolore enecetur, videns quidem labentes, non potens autem manum porrigere, et valens eis ea, quae prius, consulere, ei voce execta simul cum lingua. Sed qui comprehendit sapientes in sua astutia, inventum convertit in ejus caput: et non solum non privavit consilio, sed eos etiam magis fecit frui adhortatione, et esse spiritalioris doctrinae participes. Nam cum hoc obtinuisset diabolus, vocatur de caetero medicus ad sectionem, et fit lictor pro medico: non id corrigens, quod morbo laborabat: sed id, quod erat sanum, corrumpens. Et cum linguam exemisset, non potuit simul cum ea vocem eximere: sed carnis quidem abscissa fuit lingua; virtus autem divinae gratiae, advolavit ad os beati Romani; et natura quidem amisit suum membrum, ferro id cogente; Dei autem gratia non sivit vocem cum ea excidere. Unde etiam de caetero discipuli fruebantur magis spiritali doctrina, non humana voce, cujusmodi prius, verba audientes: sed divina quadam et spiritali, et quae nostram superabat naturam; et superne quidem omnes concurrebant Angeli, inferne vero homines, unusquisque os sine lingua videre cupientes, et audire sic loquens: erat enim re vera admirabile, et praeter opinionem, diabolo quidem magnum afferens dedecus, magnam autem Martyri gloriam, discipulis vero plurimam consolationem, et magnum argumentum patientiae. Hic enim Deo mos est vel ex alto repetitus et a principio, quaecumque contra nos consarcinarit diabolus, ea in caput illius convertere, et ad nostram salutem redigere.

§ 7. Mihi autem hoc quoque considera. Ille hominem ejecit e paradiso, et Deus ei coelum aperuit. Ille ipsum expulit ex imperio terreno; Deus autem ei dedit regnum coelorum, et in throno regio nostram fecit sedere naturam. Sic dat Deus semper dona majora iis, quibus diabolus conatur privare homines. Hoc autem facit, illum quidem reddens tardiorem ad nobis parandum insidias: nos vero docens, nunquam timere ejus machinationes. Quod quidem factum est etiam in Martyre. Quia enim voce

existimavit se eum esse privaturum diabolus, multo majorem et praeclariorem ei Deus est largitus. Non erat enim ejusdem momenti, cum lingua loqui, et sine lingua: Nam illud quidem erat consequens, et commune omnibus: hoc autem erat supra naturam, et ejus solius proprium. Quamquam etiam si fuisset mutus Martyr post linguae abscissionem, sic quoque ei fuisset impletum certamen, et parata esset corona. Nam quod victus esset, erat maximum et apertum argumentum, quod linguam amputarit. Si enim non timebas linguam martyris, o scelerate et execrande diabole, cur eam abscidisti? Quamobrem non dimisisti argumentum decertationum, sed occlusisti stadium? Quemadmodum enim. si quis luctaturus deinde accepisset plagas, quae verbis explicari non possunt, et non valens deinceps amplius resistere, jusserit abscindi manus athletae, et sic eum percutiat, non est opus amplius alia probatione ad decernendam victoriam ei, cui fuerint manus abscissae: ita etiam in Martyre apertissimum omnium argumentum victoriae adversus diabolum, fuit linguae ejus amputatio. Nam etsi lingua erat mortalis, quoniam tamen ei vulnera dedit immortalia, propterea in illam ingentes omnino efflavit spiritus: sibi quidem majus afferens dedecus, martyri autem coronam faciens splendidiorem. Quomodo enim est mirabile, arborem videre sine radice, et fluvium sine fonte; ita etiam vocem sine lingua.

§ 8. Ubi ergo sunt, qui non credunt corporum resurrectioni? Ecce vox mortua est, et revixit: et uno momento temporis utraque facta sunt. Quamquam hoc longe sit majus, quam corporum resurrectio. Nam illic quidem subjecta est natura corporum, compositio autem solum est dissoluta: hic vero fuit sublatum ipsum vocis fundamentum, sed tamen rursus facta est splendidior. Quamquam si a tibia lingulas abstuleris, jacet inutile deinceps instrumentum. Sed non sic tibia spiritualis: sed etiamsi sit lingua privata, non solum non erat muta, sed etiam modulatius emittebat carmen, et magis mysticum, et cum majori admiratione. Rursus quoque in cithara si quis plectrum solum eripuerit, fit otiosus artifex, ars inutilis, et inane instrumentum. Hic autem nihil ejusmodi, sed contra omnino. Os enim erat cithara, lingua plectrum, anima artifex, confessio vero ars. Plectro tamen ablato, lingua, inquam, neque artifex, neque ars, neque instrumentum evasit inutile, sed omnia suam virtutem ostenderunt. Quis haec fecit? Quis haec ostendit admirabilia, et quae sunt praeter opinionem? Deus, qui solus facit mirabilia. De quo dicit David: *Domine Dominus noster, quam admirabile est nomen tuum in universa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super coelos. Ex ore infantium et lactentium perfecisti laudem* (*Ps.* 71 etc.). Atque tunc quidem ex ore infantium et lactentium, nunc autem ex ore elinguium. Tunc natura immatura, nunc os lingua

defectum. Tunc erat in pueris mollis radix, sed fructus perfectus: hic autem et ipsa radix erat ablata, et non prohibebatur fructus generatio: est enim vox, fructus linguae.

§ 9. Sunt revera magis admirabilia posteriora prioribus. Etenim ne his fidem non adhibeatis, illa propterea praecesserunt, ut in his non conturbemini, cum in illis fuerit assuetus animus. Propterea haec evenerunt, ut illa, quae latent et sunt vetera, credantur ex manifestis et iis quae recens facta sunt. Sic aliquando Aaronis quoque virga floruit, quomodo nunc germinavit os martyris. Sed quanam de causa Aaronis virga tunc germinavit? Quoniam erat designatus sacerdos. Quanam autem de causa nunc germinavit os martyris? Quoniam blasphemia et maledictis incessebatur magnus Pontifex Jesus Christus. Vide ergo, quanta sit miraculi cognatio et excellentia. Quomodo enim virga illa non unita radici, nec ex terra trahens humorem, sed defecta ea, quae illinc proficiscitur, suppeditatione, et perdita vitali et frugifera virtute, repente ostendit fructum: ita etiam hic quoque vox privata radice, et vim non habens ex instrumento, in sicco et sterili ore repente germinavit. In hoc quidem cognatio, in alio autem excellentia. Inter utrumque enim fructum multum interest. Nam ille quidem erat sensilis, hic autem spiritalis, et ipsos coelos aperiens ei, qui tunc eam vocem ediderat.

§ 10. Pro his omnibus gratulemur Martyri, glorificemus Deum, qui haec facit miracula; imitemur Conservi patientiam, gratias agamus Domino pro gratia; accipiamus ex iis, quae dicta sunt, sufficientem consolationem in tentationibus; et Dei, qui nos fecit, potentiam et curam admirantes ac providentiam, omnia ex nobis afferamus, et quae ex eo sunt, omnino consequentur. Seu homines, seu daemones, seu ipse diabolus adversus nos depugnet, nihil proficient ii qui nos oppugnant: modo ostendamus nostrum promptum animi studium, et quae a nobis afferri oportet, omnia afferamus. Sic enim et Dei attrahemus auxilium, et in vita futura magna fruemur gloria et salute. Quam detur nobis omnibus consequi gratiâ et benignitate Domini nostri Jesu Christi: cum quo Patri simul cum Sancto Spiritu gloria, honor, potentia in secula seculorum, Amen.





VITA S. PATROCLI ABBATIS

AUCTORE S. GREGORIO EPISC. TURONENSI, DE VITA PATRUM CAP. IX.

Claruit sec. VI — Nat. Gallus.

§ 1. Cum egregia Moysi vatis prudentia divinae descensionis tabernaculum, juxta ipsum oris Dominici praeceptum fabricare disponeret, atque ad hoc, ejusdemque apparatum multa congerere jussus, non haberet cuncta in promptuario, quae ab ipso Domino ostensa fuerant in montis ardui summitate, jussit commoneri populum, ut offerret unusquisque pro viribus quiddam muneris Deo, et hoc non ex necessitate, sed sponte. Offerebant ergo donaria auri, argentique, aeris, ac ferri metalla, gemmarum etiam pulcritudines, ac fila byssi duplicati, coccique bis tincti: nonnulli pelles arietum rubricatas, pilosque caprarum. Sed cum haec omnia doctores Ecclesiarum esse allegorica tradidissent, et in reliquis donariis gratiarum genera demonstrassent, in illis caprarum pilis laudationum verba significari dixerunt. Ita nunc et nos steriles sensu, imperiti studio, squalentes in actu, etsi aurum, argentumque, vel gemmas, filaque duplicata, ac torta non offerimus, saltem vel pilos caprarum, id est, verba, quae sanctorum atque amicorum Dei prodant miracula, in Ecclesia sancta porrigimus, ut legentes eo incitentur studio, quo Sancti meruerunt scandere polum. Ergo quia nobis de beati Patrocli vita nuper data relatio, quaedam prodidit non omittenda, ea manifestanda curavi. Et licet sermo sit rusticus, non tamen occulenda arbitratus sum, quae Deus gessit per famulum suum.

§ 2. Igitur beatissimus Patroclus Biturigii * territorii incola, Aëterio patre progenitus, cum decem esset annorum, pastor ovium destinatur, fratre Antonio tradito ad studia litterarum. Erant enim non quidem nobilitate sublimes, ingenui ** tamen. Cumque quodam meridie hic a scholis, ille a grege commisso, ad capiendum cibum paterno in hospitio convenissent, dixit Antonius fratri suo: « Discede longius, o rustice: tuum est enim opus oves pascere; meum, litteris exerceri; qua de re nobiliorem me ipsius officii cura facit, cum te hujus custodiae servitus vilem reddat. » Quod ille audiens, et hanc increpationem quasi a Deo sibi transmissam putans, reliquit oves in campi planitie, et scholas puerorum nisu animi agili atque cursu velocissimo èxpetit. Qui primis elementis, ac deinceps omnibus, quae studio puerili necessaria erant, ita

* Gall. *Berry*.
** *Ingenui* vocabantur inter nobiles et servos medii, liberi scilicet nati.

celeriter memoria opitulante, imbutus est, ut fratrem vel in scientia praecederet, vel alacritate sensus, adjuvante divini numinis auxilio, anteiret.

§ 3. Dehinc Mumioni, qui quondam cum Childeberto Parisiorum Rege magnus habebatur, ad exercendum commedatus est. A quo cum summâ amoris diligentiâ nutriretur, ita humilem atque subjectum omnibus se praebebat, ut omnes eum tamquam proprium filium in summa bonitate diligerent. Regressus vero domum, patre defuncto, reperit matrem suam adhuc superstitem. Cui illa ait: « Ecce genitor tuus, o dulcissime nate, obiit: ego autem absque solatio dego: requiram ergo puellam pulcram ingenuamque, cui copulatus, solatium praebeas maternae viduitati. » At ille respondit: « Non conjungor humanae conjugi, sed quae concepit animus, cum Domini voluntate perficiam. » Sed cum genitrix non intelligens, quaereret quid hoc esset, prodere noluit, sed abiit ad Archadium * Biturigae urbis Episcopum petiitque sibi comam capitis tonderi, accirique se in ordinem clericorum. Quod Episcopus, Domino volente, sine mora complevit. Multo autem post Diaconatus officium sumens, vacabat jejuniis, delectabatur vigiliis, exercebatur lectione, ac in oratione assidua ita promptus effundebatur, ut nec ad convivium mensae canonicae cum reliquis accederet clericis. Quod audiens Archidiaconus **, frendens contra eum, ait: « Aut cum reliquis fratribus cibum sume ***, aut certe discede a nobis: non enim rectum videtur, ut nolis cum his habere victum, cum quibus Ecclesiasticum implere putaris officium. » Non est autem ob haec servus Dei commotus animo, qui jam erèmi sitiebat adire secretum: sed egressus ab urbe memorata, venit ad vicum Nereensem ****: ibique aedificato oratorio, sancti Martini reliquiis consecrato, pueros erudire coepit in studiis litterarum. Veniebant autem ad eum infirmi, et sanabantur, atque energumeni nomen ejus confitentes emundabantur.

§ 4. Verum non ei erat solitudo, ut voluerat, sed patefacta virtus publicum usquequaque reddebat. Tunc pro hospitio eligendo quaedam conscripta brevia posuit super altare, vigilans et orans tribus noctibus, ut quid ei Dominus juberet, dignaretur manifestissime declarare. Sed pietatis divinae inclyta miseratio, quae eum praesciens, eremitam esse decreverat, breve illud accipere jubet, ut ad erèmum properaret. Ille autem in cellula, qua degebat, congregatis virginibus, monasterium instituit puellarum, nihil de omni labore suo, quod ibidem aggregaverat, cum

* Hic Antistes Concilio Aurelian. III, anno 538, coacto, subscripsit.

** Archidiaconi erant olim veluti caeterorum clericorum praefecti. De eorum officiis et praerogativis agit Thomassinus in *Discipl. eccles.* parte 1, lib. 2.

*** Ex his verbis elicitur clericos tunc communi mensa uti.

**** Oppidum est, olim celebre, in agro Burbonensi, in Tabulis Peutingerianis *Aquae-Neri* dictum, hodie *Neris*.

abscederet, sumens, nisi rastrum unum, unamque bipennem; ingressusque altas silvarum solitudines, venit ad locum, qui dicitur *Mediocantus*, atque ibi constructa cellula, in opere, quod supra diximus, Deo vacabat. Cum igitur inibi multos energumenos manu imposita, per signum Crucis effugatis daemonibus, mente integra reddidisset, unus ad eum adductus est rabidus, qui rictibus patulis ac ore cruento, quicquid attingere poterat, dentibus propriis laniabat. Pro quo triduum in oratione prostratus, obtinuit ab illa divinae miserationis potentia, ut mitigato furore, miser homo mundaretur: immissisque in os ejus digitis, fugato feralis atrocitatis spiritu, personam restituit incolumitati. Nullas vero ante eum vires habere poterat persuasionis iniquae praestigium. Nam sicut hos, qui vexabantur, emundabat, ita et quae immittebat occulte atrocia auctor criminis, repellebat per Crucis sacratissimae virtutem. Leubellae enim cuidam foeminae cum tempore luis illius inguinariae diabolus Martinum mentitus, oblationes, quibus quasi populus salvaretur, nequiter obtulisset, hae ad sanctum delatae non solum, revelante Spiritu Sancto, evanuerunt, verum etiam ipse incentor malorum, sancto teterrimus apparens, quem nequiter gesserat, confessus est. Transfigurat enim saepe diabolus se in Angelum lucis, ut hac fraude decipiat innocentes.

§ 5. Sed cum ei multas intentaret insidias, ne hic ascenderet, unde ille corruerat, immisit ei cogitationem, ut praetermissa erèmo, ad seculum reverti deberet. Sed cum sanctus virus grassari sensisset in pectore, in oratione prostratus petebat, ut nihil aliud, nisi quod Deo esset placitum, exerceret. Tunc apparuit ei Angelus Domini per visum, dicens: « Si vis mundum videre, ecce columna, in quam ascendens, contemplare omnia quae geruntur in eo. » Erat autem ante eum per ipsam visionem columna mirae celsitudinis collocata. In quam ascendens, vidit homicidia, furta, caedes, adulteria, fornicationes, et omnia prava quae geruntur in mundo; et descendens, ait: « Ne quaeso, Domine, revertar ad has pravitates, quas dudum te confessus, oblitus sum. » Tunc ait illi Angelus, qui cum eo loquebatur: « Desine ergo quaerere mundum, ne pereas cum eo; sed potius vade in oratorium, in quo Dominum depreceris, et quod ibi inveneris, hoc tibi erit consolatio in peregrinatione tua. » Ingressus igitur cellulam oratorii, invenit tegulam fictilem, in qua signum Crucis Dominicae erat impressum; agnoscensque munus divinum, intellexit sibi ad omnia mundanae persuasionis incitamenta hoc esse inexpugnabile munimentum.

§ 6. Post haec aedificavit monasterium Columbariense * in milliaribus quinque a cellula eremi, in qua habitabat: et congregatis monachis, ut in solitudine libero potius fungeretur arbitrio,

* Vulgo *Columbiere*, apud Bituriges (*Bourges*).

Abbatem instituit, qui gregi monasteriali praeesset. Octavum autem et decimum in hoc eremi loco expleverat annum. Tunc congregatis fratribus transitum suum annuncians, obiit * in senectute bona, et sanctitate praecipua. Qui aquis ablutus, feretroque impositus, ferebatur ad monasterium suum, ubi se vivens sepeliri mandaverat. Tunc Archipresbyter Nereensis vici, collecta clericorum cohorte, voluit vi auferre glebam sancti corpusculi, videlicet ut ad vicum suum, unde egressus fuerat, sepeliretur. Sed cum furibundus veniens, vidisset a longe pallam, quae sanctos tegebat artus, eximio albère nitore, ita nutu Dei est metu perterritus, ut omni velocitate revocaret ab animo quod male conceperat levitatis arbitrio. Conjunctusque psallentibus, in exequiis Sancti progressus, tumulavit eum cum reliquis, qui aderant, fratribus in ipso Columbariensi monasterio.

§ 7. Ad cujus sanctum sepulcrum Prudentia caeca, cum alia Lemovicina puella, similiter lumine viduata, ut sepulcrum ipsum in oratione osculatae sunt, lumen recipere meruerunt. Maxonidius autem post quintum caecitatis suae annum, hunc tumulum sanctum adiit, lumenque recepit. Energumeni vero, Lupus, Theodulphus, Rucco, Scopilia, Nectariola, Tacihildis, ad hunc sanctum tumulum sunt mundati. Sed et puellae duae, de Lemovicino venientes, oleo, quod ipse Sanctus benedixit, perunctae, a nequitia, qua obsidebantur, mundatae sunt. Et quotidie ibidem ad corroborandam fidem nostram, mirabilia operatur Dominus, qui perpetualiter glorificat sanctos suos.

VITA

S. ELISABETH, REGIS HUNGARORUM FILIAE

AUCTORE JACOBO MONTANO SPIRENSI.

In Domino quievit anno 1231.

§ 1. Elisabeth ** nobilissimis in Hungaria parentibus progenita est ***, patre Andrea **** Rege, matre Gertrude ***** Regina. Pater ejus in gubernando Hungarorum regno, non solum divitiarum opulentia, verum etiam (quod singulare est optimorum insigne Regum) pietate et justitia praeclarus fuit. Mater, quae natura sexus infirmior censeri poterat, adeo magnitudinem virilis animi

* Obiit octuagenarius, ut idem S. Gregorius Turon., qui ejus aequalis fuit, in *Franc. Hist.* lib. 5, cap. 10, scripsit.

** Hungarice, *Erzsebet* vel *Erzsi*.

*** Anno 1207.

**** Hujus nominis secundus.

***** E germanica domo *Andechs*.

prudentiamque nonnunquam exercuit, ut vel absente, vel occupationibus distento Rege, ipsa per se regni tractanda negotia non sine laude curaret. Lactentem * adhuc Hermannus Turingiae maximus princeps (quem vulgo Lantgravium vocant) Ludovico filio infanti **, quamvis utrinque minor aetas foret, quam quae jure sponsalia subire posset, missâ legatione, desponderi procuravit. Quadrimam postea, missis iterum legatis, afferri ad se precibus, et quidem facillime, obtinuit, quod Regina petitioni libenter admodum annuere visa est: id quod etiam regia munificentia declaravit. Nam posteaquam legatis honorifice susceptis, benigne auditis, atque humanissime tractatis, filiam in argenteo cunarum toreumate, mollissimo cubantem lectulo, et coram exhibuit, et commendavit, plurima quoque munera simul obtulit; praecepitque, principi dicerent, ne putaret his tantum muneribus liberalitatem suam limitari: destinare se, si diutius vivere contingat, adjicere gloriam, divitias, honores, nec pati, ut priorum collatio oblivione posteriorum vilescat: tantummodo bono esset animo, filiamque bene commendatam haberet: se neque declarandae munificentiae, neque augendae dignitati defuturam aliquando. Legati, rebus ex animi sententia prospere confectis, nobilissimam virginem una cum donariis accipientes, in Turingiam *** sunt reversi, atque a principe, proceribus, aulicis miro cum gaudio suscepti. Osculo mox infantis applicata Elisabeth, principem et omnes qui tum aderant, pro tam jucunda futurarum nuptiarum repraesentatione exhilaravit quamplurimum. Jamque triennium ibi exegerat, cum ecce foedo rumore percrebuit, Reginam insidiosa procerum quorumdam machinatione fato concessisse.

§ 2. Hoc aevi agens Elisabeth, argumenta quaedam saepenumero, ac veluti progymnasmata futurae sanctitatis edebat. Basilicas namque sanctorum ingressa, pro altari quolibet nunc genua figere, nunc puellari decentia prosterni, nunc oculos manusque attollere, et, si quando inter ludendum (ut habet aetas illa) proxime clausi templi fores accessisset, humi procumbere, et sacra limina crebrius osculari. Luctandi etiam studio occasionem humilitatis quaerebat, staturam suam scite admodum ad alicujus e sodalibus mensa corpusculum: quam ubi tenero arctatam complexu, artifici rotatu afflixisset, statim et ipsa prostrata, veniam petendo, offensiunculam, si qua intercessisset, deprecabatur. Decimam quamque portiunculam lucelli, quod ipsi ex lusu provenisset, pauperibus erogabat puellis, debito illas obstringens Dominicam precationem et Angelicam salutationem fundendi. Jam nonum ingredi annum coeperat, cum repente praeter omnium opinionem princeps ipse, sponsi pater, ex hac vita migravit. Aetatis deinceps

* Quartum enim annum agebat. ** Undecim annos natus.
*** In oppido, cui *Wartburg* nomen est.

incrementum, accessione profectuque virtutum accumulans, id in primis faciendum sibi destinaverat, ut omnibus in rebus Deum prae oculis haberet, illum inspectorem cordis humani cogitaret, illum penitus praesentem haud segniter observaret, illius causâ vestium decorem, carnis lenocinia, mundi vanitatem abjiceret, proculcaret, contemneret. Votivas quotidie preces Deo fundebat: quas interdiu si quopiam impedita negotio intermisisset, noctu persolvebat. Sanctum Joannem Apostolum, praeter caeteros carum, sibi patroni loco delegerat, imitata pietatem Christianorum, quibus singulatim eligere aliquem e coetu Apostolico, quem familiarius clientum more colant, consuetudo est. Ne tamen electionis eventu (ut àssolet) incerto, quia sorte agebatur, alium quam Joannem nancisceretur, praemissa ad Deum prece effecit, ut quem summopere volebat, semel, iterumque ac tertio sortiretur. Cujus rei compos effecta, adeo dilexit coluitque adeptum, ut ob ipsius nomen meritumve rogantibus, nihil denegandum putaret. Festos dies pro ingenii modulo religiose admodum peragebat, ita ut (quod ea fuit aetate mirum) semper aliquid sibi de ornatu corpusculi decerperet: sciens Deo mentem magis, quam vestem placere, acceptioremque animum esse, religionis studio deditum, quam corpus, margaritis, purpura, lapillis, auroque et argento praefulgidum. Proinde chirothecarum usum tantisper intermittebat, dum res divina compleretur, volens officio quantumvis parvo consuetudini suae aliquid detrahere, et voluntati aliud suadenti, pro Deo contrarium ingerere. Puellari lusu praepedita si quando fortuna laetior adspirabat, cessandum sibi ocyus ajebat, quandoquidem prosperioris aurae demulceretur afflatu. In choreis, quas vitare non poterat, semel tantummodo circumisse contenta, satis esse dicebat: uno se gyro mundi amatoribus gessisse morem, reliquos ob Christi amorem intermissuram. Ita quotidiano ferme exercitio, et affectioni aliorsum propensae renitendo, et dissolutioris vitae laxamenta declinando, ad majora christianae pietatis officia semet subrigebat.

§ 3. Educabatur una cum Elisabeth Agnes, soror sponsi, virgo admodum pulcra. Quae duae dum ad ecclesiam eundum esset, pari vestium ornatu decoratae, parique coronarum, gemmis auroque fulgentium, instructae gestamine, Sophiam sponsi matrem modico intervallo (ut nobilium mos est) antecedebant. Ingressis templum, coronam Elisabeth confestim deponebat, atque tamdiu inglorium verticem ostendere perseverabat, quoad ritu sacrorum completo, domum redire monebatur. Quod cum Sophiae, veluti temere factum, vehementer displiceret, percontanti causam ita respondit Elisabeth: « Absit a me tanta procul impietas, ut ibi caput meum turrito fastu micantis coronae superbiat, ubi caput Salvatoris mei spinis coronatum acerbe compungitur. » Ita jam tunc divina charitas in casta puellaris animi praecordia, animadversione

Dominicae passionis veluti mucrone quodam, vulnus agere coepit, eaque sibimet deinceps vindicare. Sed quia virtutem sequitur invidia, et innocentium vita reprobis semper esse despectui solet, coepere nonnulli ex aulicis tenerae virginis verecundiam injuriis afficere, lacessere contumeliis, mordere scommatibus, clanculo carpere, atque palam cachinnis, nutu, cavillis incessere. His accedebat Sophiae et Agnetis supradictarum mores, ab Elisabeth humilitate vehementer discrepantes: cum haec seipsam despiciens, mundi vanitatem, honorum excellentiam, vestium gloriam pro sordidis haberet; illae vero in contrarium prorsus affectae, nihil minus amare, colere, praeferre, quam quae amaret, coleret, praeferret Elisabeth, videbantur: haec praeterquam Deo, placere nemini cuperet: illae ut mundo placerent, parvi referre judicarent, si Deo displicerent. Ita mentium diversi affectus, morum quoque dissimilitudinem (ut àssolet) expresserant: unde exortus livor, sic innocenti puellae ad virtutem gradum fecit, ut illis ruinae non parvam occasionem praestaret. Auxit quoque invidiam quotidianae conversationis humilitas, per quam sacra virgo, relictis nobilibus et purpuratis, pauperum magis et ancillarum gaudebat consortio, fruebatur alloquiis, operibus occupabatur: intantum ut Sophia crebro diceret, illam sanctimonialium contubernio sociandam esse, quod vitam ipsis quam simillimam prae se ferret, nihilque ageret genere suo dignum. Erant et pròcerum quidam, quorum effrenatam petulantiam paulo ante commemoravimus, qui Elisabeth, quod dotem (ut ipsi garriebant) destinatis imparem nuptiis attulisset, aut Hungaris remittendam, aut alteri cuilibet ex nobilibus collocandam in matrimonium, contenderent. Inter haec invidentium verba, veluti rosa spinarum aculeis compuncta, Elisabeth quam latissime diffuso mansuetudinis odore, cum se contemptui haberi videret, ab iis praecipue, a quibus observari debuerat, verita ne quovis detrahentium molimine superata, viam desereret humilitatis, post uberrimas lacrymas, totis ad Deum praecordiis confugiens, suam illi causam enixissime commendavit. Nec spes orantem frustrata est, sponso deinceps ad ejus amorem argumenta non dubia demonstrante, propensumque animum, ubi ex itinere domum revertisset, tum munusculis, tum casto amplexu edente.

§ 4. Nec tamen interea temporis jactare pròcerum quorumdam cessabat improbitas, nihil prorsus nuptiarum inter principem et Elisabeth fore: dotem ab Hungaria, esse perquam tenuem; puellam, nobilissimi principis neque praestantiae congruere, neque animo sedere; proinde remittendam suis quamprimum esse. Hinc falsam persuasionem passim in vulgus dissipari, Gualterus quidam vir nobilis moleste ferens, principem aliquando inter viam, quid de adsciscenda sibi in matrimonium Elisabeth destinasset, familiarius percontatur. Cui ille, ostenso grandi monte, respondit, se, si

mons aureus totus esset, sibique daretur optio, altero dumtaxat, id est, aut monte, aut Elisabeth matrimonio potiendi, posthabiturum sacrae virginis conjugio amplissimam auri molem: ob id invidorum blaterationes prorsus minimi facere scire: illos, quae jactassent, probare non posse: perbrevi declaraturum, quo erga virginem animo foret. Hoc responsum ad Elisabeth perferre Gualtero deposcenti, non modo a principe facta est perferendi potestas, verum etiam, quo verbis major fides haberetur, additum munus. Erat autem e speculari lapide, in tenuissimas crustas fisso, gemina facie speculum sic fabrefactum, ut pars una vitri modo translucida, colorumque fucis nuda esset; altera Christianae crucifixionis picturam praeferret. Quo munere donata virgo, dici non potest, quanto sit affecta gaudio: cum et sponsum in admisso semel amore constare, et oblatrantium invidiam nihil effecisse experimentis adnotaret. Transgressam deinde nubiles annos, uxorem princeps duxit, celebravitque * apparatu magnifico nuptias, simul et blaterones mendacii convincens, et quemadmodum ipse in virgine non opes, non pulcritudinem, non generis excellentiam, sed honestissimorum integritatem praestantiamque morum quaesierit, declarans.

§ 5. Inito matrimonio Elisabeth nil de fervoris pristini remisit intentione, sed insuper auxit in dies, accumulavitque studia bonarum actionum. Enimvero animum contemplatione coelestium rerum pascebat, corpusculum vigiliis, precibus, jejuniis exercebat. Exhorrere etiamnum saepenumero solebat plumei lecti male blandam mollitiem, verita ne carni plus justo indulgens, Christi amore fieret indigna. Ob id noctu, deserto principis accubitu, ipso vel quiescente, vel dissimulante, vel etiam palam consentiente, maturius exsurgere, precibus operam dare, ac semet suaque omnia Deo commendare solita erat. Adeo quoque nocturnae huic precationi principem favisse constat, ut persaepe manu sua genibus nitentem sustentaverit, quoad preces illa finiret: subinde admonens deprecantem, caveret, ne vigiliarum prolixitate macerato corpusculo, capitis ac sensuum vivacitatem exhauriret. Porro ne graviori somno depressa, religiosum precandi morem negligeret, pediseqnas mulier sancta monuerat, dormientem se excitarent. Hoc ut quam cautissime fieret, principemque productiores laterent excubiae, iisdem praeceperat, pedum digitos leni tactu tamdiu attraherent, donec experrectam sentirent. Quod dum una illarum, Isintrudis nomine, incautius per caecae noctis tenebras attentat, casu pedem attraxit principis. Qui expergefactus, et rem, ut erat, intelligens, pro cognita uxoris consuetudine, haudquaquam moleste tulit expergificantis imprudentiam. Tanto autem fervore nocturnam hanc deprecandi assumpserat devotionem, ut saepiuscule sit pro lecto super stratos humi tapetas deprehensa

* In oppido Wartburg, anno 1220.

dormire. De quo ab ancillis reprehensa, verentibus eam asperitatem male aliquando cessuram, respondit duplex ea castigatione lucrum sibi provenire, quod lecti mollitiem posthaberet, quod virili contactu abstineret: ita enim vacuam carnalibus deliciis mentem, coelestibus facilius aptari. Querebatur interdum indigniorem sese fuisse, quam ut suam Christo virginitatem dedicaret. Nec tamen ob hoc segniore maritum dilectione prosecuta est: a quo etiam aliquo proficiscente, non facile abesse patiebatur, quamvis tellus aut gelu inhorresceret, aut nivibus tegeretur, aut immodicis caloribus fatisceret, aut imbrium praecipiti lapsu madèret. Nimirum didicerat, illo praesente tam in vigiliis, quam in precibus, nihil se damni facere. Arctiori deinde semet observationi dedens, sexto quoque hebdomadis die virgarum flagellis in tenerum corpus animadvertebat. Itidem in Quadragesima, ac interdum noctu, cum ad precandum surrexisset, ancillarum agebatur ministerio, cum interea dolorem ipsa veluti non sentiens alacritate mirabili dissimularet.

§ 6. Per idem tempus sacerdos Christi Conradus Marpurgensis, vita et eruditione praeclarus fuit. Is facta sibi a Pontifice maximo potestate, verbum Dei per Alemaniam praedicandi, adeo dexteritate pariter et auctoritate concionandi valuit, ut non minus severitate rebelles compesceret, quam bonos alliceret animaretque comitate. Verbis vita adamussim respondebat. Erat enim divitiarum et ambitionis contemptor, religionis Christianae ardens zelator, haereticorum hostis ac impugnator acerrimus. Ecclesiastica bona neque per se ambire non habita, neque suscipere oblata unquam est adnotatus. Vestis illi vulgarem non excedens, mensa frugalis, domesticae disciplinae fama incolumis. Huic Ludovicus clarissimus princeps omnes templorum praefecturas ac sacerdotia, quae ipse conferre habebat, conferendi in quos vellet, potestatem dedit, utque ab Elisabeth obedientia matrimonio congruens praestaretur, assensus est: quam illa et devotissime praestitit, et studiosissime servavit, non solum toto biennio, quo princeps postea supervixit, verum etiam posteaquam e vita migravit, et quidem multo promptiorem absolutioremque. Habiturus aliquando concionem idem magister de rebus (ut solebat) divinis, eidem Christi famulam interesse praeceperat. Quod cum illa, inopinato sororis viri sui adventu praepedita, non implesset, statim velut inobedienti remandat (incertum, serio, an tentandi astu) nolle se deinceps quicquam ipsi jubere, quae datam obedientiae fidem tam facile rupisset: uteretur deinde libertate sua: haud eum se virum esse, qui verba sibi dari aequo animo posset ferre. Hoc nuncio vehementer Elisabeth perculsa, magistrum postridie maturius adit, dejectisque in terram profundo pudore luminibus, veniam sibi dari suppliciter poscit. Quam cum ille veluti indignabundus aversaretur, ad pedes ejus regia mulier, nulla habita

generis sui ratione, advolvitur, ea demum humilitate veniam consecuta, caesis tamen prius ancillis, quarum forsan negligentia causam huic offensae dederat. Solebat in convivio, praeter morem nobilium foeminarum, principi proxima residere, volens etiam hac in parte suam erga illum charitatem demonstrare, licet hoc ipsi non parum afferret incommoditatis. Nam accepto magistri mandato, ne quo victu, per vim, aut per aliud compilationis genus parto, aleretur, magno prorsus cogitationum aestu jactari coepit, dum mensae assidens, nunc hos, nunc illos attingere veretur: dumque ad singula edulia conscientiae scrupulo permovetur, omnibus pariter abstinere tam non potuit, quam non debuit. Tres ancillarum, socias abstinentiae hujus habuit. Quarum tranquillitati, perinde atque suae prospectura, ex iis, quae in dotem acceperat, tam sibi, quam illis victum ministrari procuravit, principis etiam ea in re favorem ac comitatem experta singularem: qui, si quippiam scrupulo futurum inferri mensis contigisset, ejus rei certiorem vel nutu, vel insinuatione maritali faciebat uxorem. Destinabat et ipse pari semet abstinentiae mancipare, propalam etiam testatus, aegre sibi tam salubris propositi virtutem, quo minus ad rem celeriter conferret, offensione procerum quorundam intercipi retardarique, qui continentiam ejusmodi, non religioni ac devotioni, sed superstitioni magis atque delirio ascriberent: daturum tamen se operam, ut quamprimum (vellent nollent obtrectatores) quod persancte destinasset, in lucem ederetur: pergerent illae, ut coepissent, perbrevi se comitem habiturae. Oeconomos edeatrasque nonnunquam Elisabeth. dum officinas circumiret, utpote domina domesticae particeps curae, percontari solita, justene partus an secus esculentorum poculentorumque proventus suppeteret: ubi rescivit utraque juste provenisse, indeque victum diei praesentis suppeditatum iri, veluti gratulabunda hoc ipsum ancillis aperiens: « Hodie, inquit, Deo propitio, laute accipiemur et humaniter. » Neque vero continuo illam inter exquisitas etiam ciborum lautitias temperantiae subibat oblivio, astu quodam officioso genium suum fraudare solitam. Enimvero dum nunc principem alloquitur, nunc his lautiores buccellas apponit, nunc illis poculum officii gratia porrigit, nunc statoribus ancillisve negotium aliquod injungit, etiam ipsa a non curantibus esitare putari poterat: cum tamen aliis affatim expletis, saepius ipsa famelica triclinio excesserit, tortulisque mellitis, aut arido pane sustentari habuerit necesse. Caeterum si cui ademptam injuste rem familiarem comperisset, confestim damnum omne ita resarcire curavit, ut is, qui jacturam fecisset, non tam perdidisse, quam commutasse, res suas videretur.

§ 7. Advenerat festus quidam dies, cum Elisabeth pretiosis ornata vestibus, aureamque capite gestans coronam, ac familia

frequenti stipata, de more Christiano rebus divinis interfutura, in subjectam arci sanctorum basilicam ibat. Ingressam primo statim contuitu Crux Dominica, atque ex ea pendens imago Salvatoris, penitissime compunxit, compunctae lacrymas excussit, lacrymanti talia cogitanda suggessit: « En Creator et Redemptor meus, nudo corpore, brevi dumtaxat praecinctus tegmine, meâ causâ ignominiosam in Cruce mortem òppetit. At ego misera, gemmis, auro, bysso et purpura contecta, vitam coelestibus indignam beneficiis, perdo magis, quam ago. Illius caput intra Pilati aedes spinea corona dispunxit; meum vero aurea venustat. Illum ab amicis et discipulis desertum, Judaeorum vallarunt opprobria; me numerosa circumdatam familia, cuncti mirantur, suspiciunt, honorant. Hic meus est erga illum observantiae fervor, haec animi gratitudo, hoc vicariae dilectionis munus. Me miseram, me infelicem. Sic illius obedio praeceptis, beneficia revolvo, vestigia sequor, qui me, cum non essem, creavit, perditamque suo sanguine redemit. » Tantae autem hi cogitatus intentionis erant, ut destituto viribus corpusculo, ac facie tota in pallorem versa, repente regia mulier humi velut exanimis prolaberetur, cunctis, qui eam stipabant, vehementi pavore perculsis, elatamque foras tantisper sacris undis adspergere perseverantibus, dum stupore cessante, compos mentis redderetur. Hac defectione veluti quodam oraculo persuasa, pretioso deinceps amictu, quoad ejus personae, quam gerebat, honestas pateretur, abstinuit, ita ut saepenumero sub holosericis vestibus cilicium gestarit. Principem si quando longius proficiscentem sequi non posset, domi rèmanens, omnem prorsus vestium sibi cultum interdicebat, amictu nativi coloris contenta, ut a plebejis haud multum differret. Tum etiam precationum assiduitate, verberum usu, vigiliarum productione, carnem spiritui subjugans, blàndientes pro aetate voluptates, haud secus, àtque jam viduam agens, edomabat. Reverso principe, etiamnum ipsa, quam ad tempus virtutis gratiâ seposuerat, vestem comptiorem resumebat, scite admodum declarans, quid absente marito castam uxorem, quid domi agente praeferre deceat. Tentavit et opulentas quasdam mulieres, quibus familiariter devincta erat, abstrahere a luxu pretiosarum vestium, exemplo simul et verbo. Nec eam fefellit eventus. Nam etsi difficili primum aditu, pertinaci tamen instantia aliquando, quod volebat, persuasit; effecitque, ut quaedam illarum, voto etiam perpetuae castitatis semet obstringerent. Tres praeterea liberos ex Elisabeth praestantissimus princeps sustulit, filium unum Hermannum nomine, paterni principatus haeredem, duasque filias: quarum una Duci Brabantiae in matrimonium collocata est: altera sanctimonialium ascita collegio, atque in dominam electa, illis religiose praefuit. Caeterum Elisabeth partu edito, post expletum legitimi temporis spatium, quo se limine continere consueverunt

puerperae, ipsa per se gestare sobolem, atque nudis pedibus, amictu laneo, mediocri comitatu, per declive saxosi montis iter deportatam templo inferre, illatam una cum cereo funali ponere super aram solebat. Reversa dehinc domum, mox pauperculam mulierem obiter adnotatam, et tunico donabat, et pallio.

§ 8. Maxima sane commiseratione erga pauperes, atque incommodis membrorum laborantes erat, ut ei concinne admodum sancti Job verba convenirent: *Ab infantia mecum crevit miseratio, et de utero matris meae, egressa est mecum* (*Job* XXXI). Huic virtuti, ne sterilis esset, adjuncta erat munificentia: ad quam cum sua sponte incitaretur, ubi et principis favor accessit, properanti (ut dici solet) calcaria sunt addita. Pauperi cuidam phthiriasim patienti, atque ex capite non mediocriter laboranti, captato intra pomarium secreto, ne quis interveniret, capillum totonderat, deletisque pediculis, caput infirmum humiliter lotum, aliquandiu, materno in gremio foverat: cum ecce casu illuc accedentes ancillae, ubi dominam quo nolebant occupatam ministerio vident, haud se continere possunt, quo minus illam acerbiuscule objurgent, quod exorta regio sanguine mulier, usque ad tondendos crines, pediculosque conficiendos sese dejiceret. Quam illa reprehensionem, placido risu vultum serenans, parvifecit. Christo enim, non hominibus, placere gestiebat. Magnum hoc verae pietatis exemplum: longe tamen majus, quod sequitur. Venerant ad principem comites aliquot, procerumque non pauci. Jamque convivii tempus advenerat, cum residentibus cunctis, aberat Elisabeth. It, jussu principis statorum unus, accitum illam. Cui cum obviam factae nunciasset, cunctos ad ipsius adventum pendere convivas: illa maturius incedens, ubi coepit gradus, qui ad triclinium pertinebant, ascendere, subito mendicus quidam importunis clamoribus eleemosynam deposcere auditur. Quem illa desuper videns (neque enim antea sub gradibus jacentem animadverterat), paulisper exspectare monet, pollicita, quandoquidem in praesentiarum nihil sibi erogandum suppeteret, missuram se brevi quod patebat. Ille nihilo tranquillior factus, abeuntem pertinacissimis inclamat vocibus, et ne miserum se sine dono praeteriret, instantissime precatur. Figit gradum Elisabeth, eique pallium non contemnendi pretii, quo vestita erat, transmittit. Quod ille summa cum alacritate suscipiens, arce statim excessit. Id cum reversus stator non sine indignatione propalam retulisset, subrisit princeps; desertoque mox accubitu, progressus occurrenti ait: « Quid, mea soror, tandiu moraris? » Ad quem illa: « En, inquit, mi frater, appropero. » Talibus enim sese nominibus vicissim appellabant. Tum princeps: « Ubi loci, ait, pallium reliquisti? » Illa porrecto indice: « En, inquit, pallium nostrum de pertica propendens. » Videt ille, accedit, attrectat, evolvit, illudque ipsum esse, quod pauperi dudum eleemosynae loco donatum

ıdierat, cognoscit. Illico stupore vehementi perfusus, non parum ldubitat, tantae ne rei miraculum, an egregiam uxoris fidem, rius in coelum ferat....

§ 9. Celebrationi salutaris hostiae cum ab ineunte adolescentia benter, tum vero processu aetatis, libentissime interesse conıevit, ita ut cum audiendae rei divinae tempus appeteret, ipsa ıgressu aedis non semel ancillas anteverterit. Quo tempore cohiita quatenus valebat mentis evagatione, si quid gestabat ornaıenti, quo citra vitium muliebris decentiae carere poterat, id mne tantisper vel deponebat, vel occultabat, dum coeptus magni llius sacrificii ritus perageretur. Maxime vero singularis aliquid 'everentiae praeferebat, cum aut Evangelium recitaretur, aut hristi corpus tractaretur. Nimirum ad illud aures advertens, ad ıoc fauces animi praeparans, magno utriusque flagrabat desideio; simul admirans in tam mirifico sacramento exhiberi mortaibus Dei potentiam, sapientiam in antidoti praeparatione, beniguitatem in gratuita ac liberali dispensatione. Succurrebat haec expendenti e regione dignitas humanae conditionis, quam tanti aestimavit ille, qui fecit, ut perditam redemerit: redemptam, salutari cibo sustentaverit; sustentatae, praesentiam sui copiamque concesserit. Haec autem omnia, magnitudo divinae dignationis, et humanae ingratitudo naturae, veluti moles quaedam confertissima exaggerabat, cum et hanc inexcusabilem, et illam ineffabilem prorsus esse constaret. Verum quia non facile tegi vehemens animi potest intentio, quin aliquando exundet: contigit quandoque taliter affectam, consecratione salutaris hostiae peracta, luce non mediocri perfundi, adeoque splendescere, ut in faciem ejus sacerdos quidam, ob vitae meritum tali dignus munere, sine gravi oculorum reverberatione, minime posset, ut postea confessus est, intueri. Sanctiones Ecclesiasticas, et Christianas observationes cum semper Elisabeth, tum Quadragesimae diebus religiose mancipabat effectui: non modo precibus, eleemosynis, jejunio dedita, verumetiam corpusculum crebris virgarum verberibus castigans. Festos dies, cum Redemptionis nostrae mysteria repraesentantur, tanto coluit studio, tantaque animi devotione prosecuta est, ut ipsius in Christum propensissimus amor vix unquam clarius emicaret. Quo die ultimam Christi coenam recolere in usu est Christianis, interdicto sibimet penitus pretiosarum usu vestium, ad similitudinem plebejae cujuslibet mulieris vestita, in publicum procedebat, postmeridianam basilicarum visitationem ita humili schemate peragens, ut non nisi una e vulgo putari ab ignorantibus posset. Tum etiam accitos duodecim e pauperioribus, tanto dignata est honore, ut prostrata pedes eorum laverit, extenserit, osculo impertiverit: singulis denique duodenos nummos, pannumque ad mensuram commodae vestis, atque triticeum panem donaverit. Leprosos eo die non paucos aliquando susceperat:

quorum et manus et pedes cum abluisset, non est verita abominatissimorum tubera locorum osculo contingere. Neque deinceps tales unquam aversata, ipsis perinde atque incolumi glabraque cute nitentibus, locuta est, seditque vicina. Tum ad patientiam affatim exhortatis, stidem liberaliter porrigebat. Nocte, quae Parasceven antecedit, in oratione ac Dominicae passionis meditatione transacta, mandabat ancillis, caverent sollicite, ne quem sibi toto die exhiberent honorem. Exinde concinnatos manu sua lini fasciculos, itemque acerram thuris plenam, atque elychnia adinstar munitissimarum candelarum cerata, numerosissimos denique minutioris monetae nummos sumens, lustrabat nudis pedibus una cum popularibus turbis fana omnia, arasque singulas ordine venerata, imposuit singulis lini fasciculum, thuris granum, ardentemque cereolum. In plateis, quaquaversum iret, perquam liberaliter nummos pauperibus erogabat. Nec deerant, qui vilitatem nummorum tenacitati referrent acceptam, dicentes, Reginam munificentia regia uti debere, carioresque nummos elargiri: popularem in Elisabeth vilitatem, nequaquam sanctitatis et religionis, sed avaritiae magis indicem esse. Verum illa, contempto levissimorum hominum judicio, quod sapienter inceperat, perseveranter sectari quotannis non destitit, consciens, et animum Deo notum esse, et tam se in officio assumptae submissionis longe a tenacitate abesse, quam illi temerarii perversique interpretes longe aberant a judicii veritate. Lustrationem, Christiano more, priusquam Dominicae Ascensionis solemnitas agitur, fieri solitam, et ipsa laneis amicta, nudaque pedibus observabat: Christi Crucem ac Sanctorum reliquias indifferenter cum vulgo insecuta, Dei quoque verbum auditura, pauperioribus se foeminis semper intermiscuit, non ignorans, coeleste semen in humili cordis gleba uberius exsurgere.

§ 10. Exorta fame per universam Alemaniam anno a natali Christiano millesimo ducentesimo vicesimoquinto, cum in Apuliam princeps ad Imperatorem profectus esset, Elisabeth explendae pietatis occasionem nacta, frumentum omne suae ditionis collectum, pauperibus erogare manu largissima coepit, pluribus eorum etiam integri victus annonam quotidie praebens: quorum nulli unquam divino munere cibus defuit, etiamsi minus, quam, quod in diem sufficeret, accepisset. Sed cum adverteret plurimos egenorum prae adversa valetudine, aut membrorum incommodis, eleemosynae communis manere expertes, quod ascensu montis, in cujus vertice arx sita erat, praepedirentur, insigne xenodochium loco humillimo sub arce quamprimum construere aggressa est. Cui per expensas non mediocres, ut voluerat, perfecto, eos potissimum pauperes intulit, quos vel morborum vexabat iniquitas, vel membrorum debilitas insigni dehonestamento notabat. Quos ipsa, etsi ardui montis perdifficili descensu, non immerito

deterreri potuit, quotidie tamen saepius invisebat. Tum illi mos erat sciscitari a singulis, quonam modo sese haberent, cujusve escae desiderio tenerentur: compertoque quod vestigabat, ea, quae secum attulerat, tanta comitate partiri per singulos, ut matrem crederes ministrare filiis, non reginam pauperibus. Ipsa defectos viribus per se pascere, e stratu tollere, gestare brachiis, eorum lectos excutere, et inter haec omnia foetorem teterrimum et virus singulorum, etiam sub aestivo caumate, quo graviter discruciabantur ancillae, sereno vultu perferre, quodque aliis visu quoque abominabile fuit, defluentem ore salivam, ac propendentes narium mucos calantica tergere sua. Inter hos pusilli quoque pauperum liberi erant, quos materno semper affectu ita curavit educandos, ut et matrem singuli nominarent, et ingressam veluti quaedam examina certatim omnes vallarent. Ex quorum numero eos ampliore humanitatis obsequio dignari adnotata est, quos vel squalor nativus deformes, vel languor debiles, vel scabies abominationi obnoxios reddiderat: non dedignata sanctis contingere manibus atque in gremio declinare suo, quos pedisequae prae horrore ne videre quidem aequo animo valebant.

§ **11**. Huic aliquando dedita operi, cum fragmentis ciborum distributis, potus quoque residuum perquam modici singulis impertivisset, nihilo ferme postea minus in poculo remansisse comperit. Duodetriginta pauperes ita in xenodochio disposuerat, ut quopiam e vivis excedente, mox alius suggereretur, defuncti lecto potiturus. Ubi etiam pro quodam debitis obligato pecuniam ipsa dissolvit. Nongenti quotidie mendici sub oculis ejus alebantur, exceptis quos per latissimam ditionis suae provinciam pascebat absens: apud quos omnes tanta beneficia indefessae humanitatis posuit, ut redditus frugesque locupletissimi principatus vehementer exantlaverit, distractis nonnunquam et corporis sui ornamentis, atque in pretia collectis, ne Christi membra fame tabescerent. Horum causâ, quae mundus amplectitur, detestata est; quae mundus detestatur, amplexa: ut etiam cuidam egeno lac expetenti morem gestura, intra praesepe olidum non refugerit emulgendi lactis gratia, sumpto in manus mulctrali, ad pecudis usque papillas regina curvari. Acceptos hoc modo pauperes usque ad messem, a se tandem dimisit: prius tamen vegetis, atque ad laborem idoneis subuculas, calceos et falciculas coëmit; languidis vero alia quaedam indumenta, largitis insuper nummis singulatim; quibus deficientibus, in pauperculas foemellas pro xeniolis calanticas ac sericos panniculos distribuit, praecipiens ne talibus uterentur, sed venditis atque in nummos redactis, ita demum necessitati suae consulerent, manuumque labori, quaecumque ipsarum possent, consuescerent. Quarum una pretium accepti muneris secum reputans, cum prae gaudio exclamasset, se una in universo orbe laetiorem esse neminem, veluti exanimis

prolabitur: ut Elisabeth extinctam autumans, non parum sit verita, pretiosius justo munus accipienti mortis se causam praestitisse. Pauperibus, qui vitam posuerant, non modo vestes, quas manu sua ad id operis paraverat, involvendi gratia dedit, lotis ac varie attrectatis sine fastidio cadaveribus: verum etiam exequias fecit, ad sepulcrum usque funus cujuslibet prosecuta. Adeoque ad hoc pietatis officium incumbebat, ut justissimae telae pannum lineum tali dispensatione consumpserit, nolueritque, quantum in ipsa fuit, divitum mortuorum corpora linteis novis contegi, sed magis veteribus ac laceris, quo pauperibus nova melioraque subsiderent.

§ 12. Reversum post aliquot menses ex Apulia principem, edeatrarum oeconomorumque excipiunt querelae, profusionis accusantium Elisabeth, ob eleemosynarum in pauperes exhibitam largitatem. Quibus ille respondit: « Sinite sororem meam, ut coepit, benefacere, modo arces mihi incolumes supersint. Non deerit (scio) victus, quandiu illam permiserimus egenis subvenire. » Dignum profecto principe responsum, cui plus cordi erat uxoris pietas, quam omnes divitiae, quas et amplas, et exquisitas habebat: malens has liberali manu dissipari, quae nec viventi, nec morienti sunt fidae, quam illam non exerceri, quae et viventem locupletat, et morientem non relinquit. Dignus plane et ipse sapientis eulogio, quo ait: *Mulier is bonae beatus vir.* Et paulo post: *Mulier bona in parte bona timentium Deum, dabitur viro pro factis bonis* (*Eccli.* XXVI). De quo (licet digressio videatur fieri) pauca sunt perstringenda, quibus liquido demonstretur, eum et tali conjuge, et citato praeconio dignum fuisse. Ex editiore loco ducentes choream despicienti, muliercula quaedam caeteris et forma et ornatu praestantior, a nebulone, qui tum proxime spectabat, ostenditur cum hisce verbis. « Istius ego, princeps optime, ut amplexu fruaris (si libet) procurabo. » Tum ille torvis scelestum suasorem intuens luminibus: « Tace, inquit, perdite, et hac suggestione supersede, si gaudere nostro cupis favore. » Peregre quoque apud quendam consanguineum sibi Comitem constitutus, cum noctu quiescenti nuda se meretrix adjecisset, Gualtero, qui a secretis erat propius cubanti surgere jubet, et amotam lenam nummis aliquot donare: testatus postea, se, etiam si adulterium ob Dei timorem minime abhorreret, nolle tamen suam Elisabeth tanto contristare dedecore. Familiarium ac domesticorum nullus erat, qui principe in praesentiarum constituto, impudicum vel gestum effingere, vel verbum expromere auderet: quod neutrum scelus, si forte commissum fuisset, impune transiret. Rei divinae quotidie interesse voluit, quam et solemni et magnifico apparatu celebrari fecit. Sermo illius verax et constans, grati et honesti mores, misericordia in pauperes munifica, ad foeminas omnes verecundia singularis, et optimo digna principe.

Exequi justitiam, facere judicium, tueri pacem, ita erat illi familiare, ut principibus aliis non minus viam monstraret pro fama, quam lumen praeferret pro exemplo.

§ 13. Tertius jam annus erat, ex quo in Apuliam princeps concesserat, cum ecce decreto summi Pontificis Crux praedicari coepit adversus Ecclesiae hostes, qui Jerosolymae et circumjacentium regionum sacra tenebant loca *. Quae fama cum multos Christiani nomini principes, et templorum antistites, tum hunc Turingiae nobilissimum principem, ad transmarinam profectionem excivit. Qui susceptam ab Episcopo Hildesemensium Crucem non statim vesti, ut moris est, assuit, sed aliquandiu clam uxore servavit, ne illam priusquam iter esset ingressurus, acerbitate praevii moeroris diutius afficeret. Nec tamen latère diu potuit Crux recondita, casu ab Elisabeth, dum pro consuetudine marsupium principis evolvit, reperta. Quam exinde (quia rem, ut erat, animadverterat) animo consternatam pius princeps, allegatâ periclitantis Ecclesiae causâ, blandissime consolatus est. Iter tandem ingresso, Elisabeth sociam se dies aliquot praebuit, haud dubium quin amore, quo unice principem diligebat, incitata. Sed cum ad postremum utrinque discedendum esset, divinae charitatis instinctu, ad id etiam Rodolpho pincerna, viro spectatae fidei, adhortante, videre licuit, quanto lacrymarum imbre, quam lugubri vultu sinceritatem mutui amoris uterque conjugum palam ostenderet. Elisabeth domum reversa, velut altera Judith, depositis gloriae vestibus, ac viduitatis amictu resumpto, totam se Deo commendavit, ejusque cultui addixit. Princeps vero post confectam prospero successu viam, ad Imperatorem Fridericum in Siciliam pervenit. Abs quo honorifice susceptus, cum aliquot urbes cum eodem perlustrasset, febribus repente laborare coepit. Quibus in dies magis ac magis exardescentibus, ad extrema vitae perductus, cum ab patriarcha Jerosolymitano Eucharistiae et Unctionis sacramenta Christiano more suscepisset, ad tertium Idus Septembris decessit **. Vere pius princeps, et dignus qui non peregre, sed domi suae diem supremum obire meruisset, nisi parvi referret, ubi terrarum mortales naturae concedant, qui mori semel habent. Nunciis qui rem tristem perferebant, Turingiam ingressis prudenti amicorum consilio provisum est, ne ab aliquo mortalium, praeterquam Sophia defuncti matre, Elisabeth viri mortem audiret. Timebatur enim teneritudini muliebri, ne forte ad praecipitem cujuspiam narrationem, animus ejus graviori vulnere sauciaretur, ut sunt omnia subita ad repentinam animorum mutationem efficacia. Sophia nil morata, ubi agentem in arce invenit Elisabeth, post familiaria salutationis verba, sic eam convenit: « Ne gravatim accipias, o filia, si quae principi

* Anno 1227. Huic Crucesignatorum bello praefuit Fridericus II, Imperator.

** Quum vigesimum septimum annum ageret, Hydrunti (*Otranto*) vero morte perculsus est.

filio meo acciderint, tibi declaravero. » Quibus Elisabeth auditis, captum esse suspicata, respondit: « Si captus atque in vincula conjectus est frater meus, quamprimum per Dei gratiam et amicorum munificentiam liberabitur. » Tunc Sophia; « Diem, inquit, suum obivit. » Perculsa mox gravi moestitudine ad tam infaustae rei nuncium Elisabeth, consertis invicem manibus, amarissime flere coepit, dicens: « Si mortem frater meus obiit, et mihi quoque posthac mundo ejusque vanitatibus defunctae, morietur mundus ipse. » Videre tum erat, ut dolorem de morte principis conceptum, augeret desolatio illustris viduae, cunctisque in praesentiarum consistentibus lacrymas exciret uberrimas.

§ 11. Non defuit in tempore desolatae mulieri divina consolatio, quae dejectum moerore animum ita refecit confirmavitque, ut et praesentibus malis minime succumberet, et multo gravioribus, quae illi postea supervenerunt, sustinendis par esset. Si quidem parvo post tempore magnates quidam, qui Henrico, defuncti principis fratri, per aetatem ad regendum principatum necdum idoneo auctores erant, posthabito Dei timore, ac publica honestate contempta, afflictam Dei famulam gravius afflicturi, fortunis omnibus exutam, ceu ignobilem aliquam, arce coëgerunt excedere. Amplexa est hanc pro Deo ignominiam Apostolorum imitatrix, et martyrum digna purpuris. Nulla in corde libido vindictae, nullum in ore murmur, nulla in gestibus indecentia. Laetabatur quidem tacitae virtutis conscientia et fiducia in Deum subrecta, etiam foris pro indignitate saevissimae ejectionis, verecunda lacrymis affatim ora rigantibus. Exacta igitur propriis aedibus *, ad inferius oppidum ** profecta, in cauponulam, quae misellae primum offerebatur, una cum ancillis divertit, mansitque ibi tantisper, dum noctis medio significari campanae pulsu divinas laudes in coenobio Fratrum Minorum audiret. Quo cum venisset, rogavit obnixe fratres, ut hymnum, quem *Te Deum laudamus*, vocant, decantarent: quo semet, non modo patienti, sed et laeto animo praesentem calamitatem ferre declararet, Apostoli vocem pariter et exemplum secuta, qui gloriari in tribulationibus, ac Deo gratias agere, et alios docuit, et ipse in primis non omisit. Cum autem propter saevitiam eorum qui arci praesidebant, vix unus aut alter ejectam recipere auderet hospitio, fanum ingressa desolata mulier, magnam inibi partem diei consumpsit. Quo cum et liberi ejus novo inhumanitatis genere ex arce fuissent allati, pari cum matre infortunio constringendi, credi potest dolori additum esse dolorem accessione gravissima, tum quod hiems erat, tum quod ipsa et domicilii et rerum omnium inops, ne tantillum quidem habebat, quo se, ancillas; liberosque vel unum diem sustentaret. Necessitate ergo quae legem non habet, coacta, sacerdotis cujusdam hospitium precario, aut mendicabulo potius

* Anno 1228 ineunte. ** Scilicet *Eisenach*.

onsequitur. Ubi cum non tantum incommode, sed et misere de-
eret, in aemuli cujusdam sui aedes, quo pro spatio commodiores
idebantur, jussa immigravit. Sed nec ibi agenti potuit ulla vel
ommoditas vel quies contingere, quando et hanc domesticorum
etulans ad inferendas injurias libido perturbaret, et illam dene-
atum jussae mansionis spatium interciperet. Inde ergo migrans,
ic parietibus, qui se qualicumque sepimento, a pluvia frigoreque
lefenderant, valefaciens, ad prius hospitium (quandoquidem toto
ppido aliud adire minime dabatur) remeavit, dicens: « Parieti-
bus quidem gratias ago, easdem hominibus etiam actura libenter,
si causa, cur id facerem, subesset. » Sic filia Regis ab altissimo
divitiarum culmine dejecta, eousque paupertatis devènit, ut, ab-
latis vitae necessariis etiam angustias ergastuli magis, quam di-
versorii, non sine mendicitate adspiceretur; et quae pauperum
liberos materna pietate tollere solebat, suos ipsa cogeretur alendi
gratia ad alios transmittere. In hac tamen rerum difficultate po-
sita, nihilo ergo pauperes minus afficiebatur, subtrahens saepius
genio suo, quod illis erogaret.

§ 15. Mirandis plus mira succedunt, dum ex omni parte insi-
gnis patientiae clarissima documenta se produnt. Anus quaedam
erat, cui Elisabeth languore pariter et inopia pressae multa pie-
tatis beneficia praestiterat. Forte iis duabus, e diverso obviam sibi
medio itinere factis, qua transituris munita erat extantibus via
silicibus, ob profundioris coeni volutabrum, anicula cedere be-
nefatrici suae dedignata, eam rigido protervoque impactam oc-
cursu in coenum deturbat, jacentemque risu et conviciis incessens
abit. Elisabeth, pèrlitis plurimo luto vestibus, adeo miti animo
illatam tulit injuriam, ut exundante laetioris conscientiae gaudio
vultum serenitate perfusa, subriserit. Verum Is, qui juxta esse tri-
bulatis consuevit, famulam suam, ne graviore adversitatis mole
pressa deficeret, hoc modo dignatus est consolari. Quadragesimae
dies advenerant, et illa consueto pietatis studio rem divinam
audiens, genibus nitebatur. Ubi expendens divini sacrificii inae-
stimabile pretium, incalescentibus paulatim praecordiis, adeo
vehementi cogitatu supra mentis arcem evecta est, ut attonitae
similis, inconniventibus notabili mora luminibus aram intueri,
ab Isintrude pedisequarum una sit adnotata. Abs qua cum pro
fiducia familiaritatis Elisabeth multis perurgeretur precibus, ut
quidnam caelestium rerum sub attoniti prospectus hora vidisset,
candide patefaceret, ad postremum ait: « Non est mihi integrum,
o filia, quae viderim, cuiquam revelare mortalium. Id tamen
scias velim, me summo refertam gaudio fuisse, utpote mentis
oculo arcana caelestia contemplantem. » Paulo post ad hospitio-
lum reversa, cibo perquam modice sumpto, quod languidiore
corpusculo esset, caeteris paulisper exire jussis, cum in sudorem
iret, veluti quiescendi gratiâ, in gremium Isintrudis reclinato

capite, ad objectum parietem oculos cogitabunda defigit. Exiguum temporis medium, cum ecce serenato vultu festiviter admodum cernitur subridère; rursumque facto parvi temporis intervallo, abacta serenitate, clausis genis, fletu madescere; iterumque non multo post tempore risu sereniore perfundi: quo demum cessante, denuo lacrymis profusioribus oppleri: eaque vicissitudine diem in vesperum deducere: prolixius tamen ac saepius serenitati, quam fletui dedita, denique haec verba facere: « Ita, mi Domine, ut tu esse mecum digneris, ita et ego nunquam abs te separata, tecum manere perseverabo. » Isintrudi, quae haec omnia diligenter adnotaverat, instantius postulanti, ut, quid rei contemplata fuisset, aperiret, quamvis invita, aliquando tamen precibus devicta, respondit: « Vidi, inquiens, aperto caelo consolatorem meum Christum Jesum ad me usque inclinatum: qui animum meum gravi tribulationem fasce degravatum, benigna consolatione levavit, refovit, confirmavit. Cujus ut praesentia serenitatem vultus placidumque risum prae me ferebam, ita aversione discessuque solvebar in fletum. Quem ille protinus miseratus, cum redire maturasset, dicens: « Tibine mecum esse libet, ut ipse tecum volo? » respondit: « Ita, mi Domine, ut tu mecum esse digneris, ita et ego nunquam abs te separata, tecum manere perseverabo. »

§ **16**. Erat sanctae mulieri matertera, sanctimonialium praefecta * coenobio: quae, audita neptis suae calamitate, miseram ad se quamprimum acciri advehique, advectam ad Babenbergensis ** Ecclesiae Episcopum avunculum ipsius, transmitti honorifice procuravit. A quo humanissime suscepta, cum aliquandiu ibidem egisset, coepit vir prudens, juxta consilium Apostoli, adolescentiorem adhuc viduam matrimonio velle devincire, sollicitoque animo expendere, cuinam potissimum ex principibus eam despondèret: ob idque ipsam una cum pedisequis tantisper ad aliam transmisit arcem ***, dum maturius, qui rem melius conficeret ex sententia, deliberaret. At vero pedisequae, pari cum domina castitatis voto jampridem obstrictae, animadversa praesulis voluntate, queri cum lacrymis coeperunt, magnopere timentes, se antistitis decreto contraire non posse. Quas confestim Elisabeth, precibus ad Deum fusis, totaque fiducia in Christum erecta, his verbis confirmavit: « Non vos, o filiae, timor iste sollicitas habeat, quem castitatis amore patimini. Confido ego divinae protectioni, ut, quod viro superstite vovi, defuncto non amittam, quantumvis etiam vel auctoritas premat, vel potentia terreat, vel amicitia blandiatur. Non mihi patiar auferri ab homine, quod hominis gratia non assumpsi. Sed neque vim mihi ullam inferri timeo, quandoquidem taliter adactae semper liberum erit et voluntate dissentire, et ad dehonestandam faciem nasum

* Mathildes nominabatur, coenobii Kitzingen abbatissa, Gertrudis soror.
** *Bamberg*, in Bavariae regno. *** Arx scilicet *Bolenstein*.

praeputare.» Erectis per haec verba pedisequarum animis, Episcopus quoque divino tactus instinctu est, persuasusque ut proposito supersedèret, missis actutum nunciis, qui alio concedere jussas reducerent. Interea temporis defuncti principis levatur e sepulcro cadaver, nudataque elixantium studio putrescentibus ossa carnibus, ac scriniolo clausa, in Turingiam advehuntur, amicis ac familiaribus ad eo reverenter insecutis, ut ubicumque nox illos inter viam subsistere coëgisset, ossibus in templo collocatis, et vigilias agi, et divinas laudes celebrari procuraverint, singulisque fanis principalibus pretiosum peristroma pro defuncti requie donaverint. Illatis tandem ossibus Franconiae, ac Babenbergo appropinquantibus, Episcopus adjuncto sibi clero, obviam solemni pompa prodiens, nobilibus aliquot ad se vocatis, jubet Dei famulam pariter occurrentem utrimque stipent, ac ne animis deficiat, consolentur. Jamque sub oculis collocato, patefactoque scriniolo, Elisabeth, conspectis mariti reliquiis, licet pro affectu dolori concedens, lacrymas tenere minime potuerit, immortales tamen Deo gratias egit, quod quem superstitem pro voto diutius habere nequiverit, saltem peregre, et in Dei opere defuncti, valeat ossa contueri, tangere atque complecti. Mox, deinde, captato secretiore colloquio, nobilibus viris, qui a Sicilia una cum ossibus advenerant, miserandam suae calamitatis tragoediam exposuit, animosque eorum pro indignitate tam insignis injuriae ita incendit, ut post acceptam publica fide injunctionem antistitis de recuperanda dote, post humata * Christiano ritu principis ossa, et exequias funebri pompa celebratas, non distulerint, commendatam fidei suae illustrem viduam, ab acceptis injuriis in pristinam dignitatem asserturi, Henricum adolescentiorem principem, qui tum rerum potiebatur, convenire.

§ 17. Fuere autem ex his viri praestantiores Rodolphus, Ludolphus, Hartungus et Gualterus. Quorum Rodolphus, vir multa fide et constantia praeditus, ita exorsus est dicere: « Quaenam est fama de te, princeps inclyte, tam sinistra, quae tristi nuncio aures nostras implevit? Tene hanc fratri gratiam retulisse, ut defuncti et uxorem et liberos fortunis omnibus exui, aedibus propriis exigi, mendicitati denique publicae exponi vel jusseris, vel permiseris? O te miserum, ac totius generis tui lacrymis deplorandum, qui vel furore proprio, vel instinctu alieno tantum admiseris facinus, quod tibi, quoad vives, scrupulo sit futurum. Itane jam honoris, famae, pietatis rationem adolescens habere incipis, ut senio tuo timendum magis, quam confidendum esse videatur? Quid enim per immortalem Deum peccare in te potuit mulier, pacis ac pietatis plena, cujus tibi preces multo quam Croesi opes, plus sunt collatutae salutis, ut contra omnem aequitatem, contraque totius jura naturae, immeritam domo pelleres,

* In loco qui dicitur *Reinhardsbrunn*.

capite, ad objectum parietem oculos cogitabunda defigit. Exiguum temporis medium, cum ecce serenato vultu festiviter admodum cernitur subridère; rursumque facto parvi temporis intervallo, abacta serenitate, clausis genis, fletu madescere; iterumque non multo post tempore risu sereniore perfundi: quo demum cessante, denuo lacrymis profusioribus oppleri: eaque vicissitudine diem in vesperum deducere: prolixius tamen ac saepius serenitati, quam fletui dedita, denique haec verba facere: « Ita, mi Domine, ut tu esse mecum digneris, ita et ego nunquam abs te separata, tecum manere perseverabo. » Isintrudi, quae haec omnia diligenter adnotaverat, instantius postulanti, ut, quid rei contemplata fuisset, aperiret, quamvis invita, aliquando tamen precibus devicta, respondit: « Vidi, inquiens, aperto caelo consolatorem meum Christum Jesum ad me usque inclinatum: qui animum meum gravi tribulationem fasce degravatum, benigna consolatione levavit, refovit, confirmavit. Cujus ut praesentia serenitatem vultus placidumque risum prae me ferebam, ita aversione discessuque solvebar in fletum. Quem ille protinus miseratus, cum redire maturasset, dicens: « Tibine mecum esse libet, ut ipse tecum volo? » respondit: « Ita, mi Domine, ut tu mecum esse digneris, ita et ego nunquam abs te separata, tecum manere perseverabo. »

§ **16**. Erat sanctae mulieri matertera, sanctimonialium praefecta * coenobio: quae, audita neptis suae calamitate, miseram ad se quamprimum acciri advehique, advectam ad Babenbergensis ** Ecclesiae Episcopum avunculum ipsius, transmitti honorifice procuravit. A quo humanissime suscepta, cum aliquandiu ibidem egisset, coepit vir prudens, juxta consilium Apostoli, adolescentiorem adhuc viduam matrimonio velle devincire, sollicitoque animo expendere, cuinam potissimum ex principibus eam despondèret: ob idque ipsam una cum pedisequis tantisper ad aliam transmisit arcem ***, dum maturius, qui rem melius conficeret ex sententia, deliberaret. At vero pedisequae, pari cum domina castitatis voto jampridem obstrictae, animadversa praesulis voluntate, queri cum lacrymis coeperunt, magnopere timentes, se antistitis decreto contraire non posse. Quas confestim Elisabeth, precibus ad Deum fusis, totaque fiducia in Christum erecta, his verbis confirmavit: « Non vos, o filiae, timor iste sollicitas habeat, quem castitatis amore patimini. Confido ego divinae protectioni, ut, quod viro superstite vovi, defuncto non amittam, quantumvis etiam vel auctoritas premat, vel potentia terreat, vel amicitia blandiatur. Non mihi patiar auferri ab homine, quod hominis gratia non assumpsi. Sed neque vim mihi ullam inferri timeo, quandoquidem taliter adactae semper liberum erit et voluntate dissentire, et ad dehonestandam faciem nasum

* Mathildes nominabatur, coenobii Kitzingen abbatissa, Gertrudis soror.
** *Bamberg*, in Bavariae regno. *** Arx scilicet *Botenstein*.

raeputare.» Erectis per haec verba pedisequarum animis, Episcoius quoque divino tactus instinctu est, persuasusque ut proposito upersedèret, missis actutum nunciis, qui alio concedere jussas educerent. Interea temporis defuncti principis levatur e sepulcro adaver, nudataque elixantium studio putrescentibus ossa carniius, ac scriniolo clausa, in Turingiam advehuntur, amicis ac imiliaribus ad eo reverenter insecutis, ut ubicumque nox illos ıter viam subsistere coëgisset, ossibus in templo collocatis, et igilias agi, et divinas laudes celebrari procuraverint, singulisque ınis principalibus pretiosum peristroma pro defuncti requie doiaverint. Illatis tandem ossibus Franconiae, ac Babenbergo apıropinquantibus, Episcopus adjuncto sibi clero, obviam solemni ›ompa prodiens, nobilibus aliquot ad se vocatis, jubet Dei famuam pariter occurrentem utrimque stipent, ac ne animis deficiat, onsolentur. Jamque sub oculis collocato, patefactoque scriniolo, :lisabeth, conspectis mariti reliquiis, licet pro affectu dolori conedens, lacrymas tenere minime potuerit, immortales tamen Deo ;ratias egit, quod quem superstitem pro voto diutius habere neuiverit, saltem peregre, et in Dei opere defuncti, valeat ossa :ontueri, tangere atque complecti. Mox. deinde, captato secretiore :olloquio, nobilibus viris, qui a Sicilia una cum ossibus advenerant, miserandam suae calamitatis tragoediam exposuit, animosque eorum pro indignitate tam insignis injuriae ita incendit, ıt post acceptam publica fide injunctionem antistitis de recupe'anda dote, post humata * Christiano ritu principis ossa, et exeuias funebri pompa celebratas, non distulerint, commendatam idei suae illustrem viduam, ab acceptis injuriis in pristinam di;nitatem asserturi, Henricum adolescentiorem principem, qui tum 'erum potiebatur, convenire.

§ 17. Fuere autem ex his viri praestantiores Rodolphus, Lulolphus, Hartungus et Gualterus. Quorum Rodolphus, vir multa ìde et constantia praeditus, ita exorsus est dicere: « Quaenam :st fama de te, princeps inclyte, tam sinistra, quae tristi nuncio ıures nostras implevit? Tene hanc fratri gratiam retulisse, ut de'uncti et uxorem et liberos fortunis omnibus exui, aedibus pro›riis exigi, mendicitati denique publicae exponi vel jusseris, vel ›ermiseris? O te miserum, ac totius generis tui lacrymis deplo'andum, qui vel furore proprio, vel instinctu alieno tantum adniseris facinus, quod tibi, quoad vives, scrupulo sit futurum. tane jam honoris, famae, pietatis rationem adolescens habere ncipis, ut senio tuo timendum magis, quam confidendum esse 'ideatur? Quid enim per immortalem Deum peccare in te potuit nulier, pacis ac pietatis plena, cujus tibi preces multo quam Croesi opes, plus sunt collatutae salutis, ut contra omnem aequitatem, contraque totius jura naturae, immeritam domo pelleres,

* In loco qui dicitur *Reinhardsbrunn*.

fortunisque privares: neque his contentus, etiam liberos ejus pari miseriae exponeres: quorum etsi minus sanguinem, quo te attingunt, miserabaris, vel aetatem teneram ac imparem ferendis injuriis debuisti. Verum scio ego tantum scelus non tam tibi, cujus clementiae exploratam habeo indolem, quam qui te circumstant, consiliariis tuis adscribi debere: qui, ut te adigerent a sanguine tuo denegerare, ipsi humanitatem omnem prius exuerunt. Dabis veniam mihi, princeps maxime, si vehementior justo sum in orando; qui ut principibus assentari nescio, ita eorum vitia pro tempore coarguere non reformido. Impositum est tibi venenatis malevolorum persuasionibus; utere nunc consilio Rodolphi tui; Elisabeth de integro dignitati suae restituta, me auctore, tibi reconciliabitur, facesset invidia, in oblivionem ibunt offensae, denique, facta pace, ea ferientur amicitiae foedera, quae tam tibi, quam tuis omnibus sint et honori futura, et commodo. » His a Rodolpho peroratis, ingens omnium, qui aderant, admiratio propter eximiam orandi libertatem est consecuta, et princeps ipse totus in lacrymas resolutus, nihil minus velle, tum verbis, tum vultu est adnotatus, quam tanto viro morem non gerere, asserens se tam perperam gestae rei vehementer poenitere, facturumque omnia quae ipse facienda suaderet.

§ **18**. Quibus Elisabeth acceptis, respondit nolle se arces et oppida possidere, curisque terreni regiminis denuo immergi: petere ea sibi non gravate concedi, quae ad se dotis jure pertinebant; iis se libere usuram esse, et ad suam, et ad principis defuncti salutem. Quae res cum per Rodolphum et caeteros amicos fuisset, ut effectui mancipanda, bona fide suscepta, mansit Dei famula aliquantum temporis in arce *, humanitatem plurimam reconciliati principis experta: qui eam et pro dignitate honorifice tractari, et pro commoditate splendide ali vestirique procuravit. At illa vèrita, ne ad votum fluentibus vitae necessariis, quae nonnunquam vel de rapina viantium, vel de oppressione pauperum animadvertebat provenire, et conscientiae suae mordacem inquietudinem conscisceret, et divinâ se gratiâ indignam redderet, ex dote, quam recuperare habebat, securius victitatura, iterum populari se vitae ac pristinae paupertati sua sponte addicit. Quod ubi magnates illi viderunt, quos antea Rodolphus invectione merita notaverat, tantâ sunt excandescentiâ permoti, ut ne videre quidem aequis illam animis deinceps possent: *insanam*, *fatuam*, ac *superstitiosam* clamitantes, quod post defunctum principem alteras detrectando nuptias gauderet, quod divitias, honores, voluptates rejiceret, quod religionem caeteris nobilibus inaequalem praeferret. At vero Christi ancilla testimonio bonae conscientiae praedita, contumelias, convicia, subsannationes, scommata, et caetera id genus alia, adeo constanter humiliterque perpetiebatur.

* *Wartburg* scilicet, anno probabil. 1229 ineunte.

ut etiam gauderet dignam se esse talia pro Deo, et amore continentiae frugalitatisque sustinere. Erat itaque impiis ostentui: piis vero plurimae venerationi, intantum, ut et Pontifex maximus Gregorius IX, auditâ famâ virtutum ejus, tamquam filiam sub Apostolicae Sedis protectionem assumpserit, assumptam Christi sacerdoti Conrado Marpurgensi commendaverit, commendatae solatium pariter et adhortationem adhibuerit, docueritque eam, propositis sanctorum exemplis, patientiam, castitatem, perseverantiam servare, ac animo saepius agitare, non esse aliud ad beatitudinem consequendam iter, quam quod Christus sanctique omnes indefesso labore, vigilantique studio praetriverunt; se non deserturum eam, quoad viveret, sed ut filiam cum omnibus quae possideret, suae defensioni vindicatam habiturum; tantummodo pergeret ire quo coepisset.

§ **19**. His Elisabeth scriptis mirum in modum confirmata, atque ad uberiorem virtutum frugem incensa, magistrum adit, petitque legitimam sacri profectus viam edoceri. Ille nihil moratus, contemptum ei seculi, castigationem carnis, et parsimoniam rerum caducarum, ratione, scripturis, et gestis sanctorum rebus ita persuasit, ut confestim ad divinum illa subsidium recurrens, quod nonnullam in se difficultatem obeundae ejusce perfectionis experiretur, supplici precatu impetraverit, ut quicquid mundus amat, amplectitur, magnipendit, ea deinceps omnia quasi stercora execraretur, rejiceret ac omnino nihili putaret; voce etiam apud ancillas testata, nunquam sibi antehac tantum cordi fuisse divitias possidere, quantum modo liberet easdem omni coeno viliores judicare; liberosque suos jam pari se cum caeteris mortalibus affectione diligere, ut quos Deo plane commisisset. Obtrectationes denique malevolorum, et superborum convicia, subsannationes, despectum ita pro Deo libenter amplecti, ut iis etiam oblectari gloriarique et velit, et sciat. Totis igitur animis ad profectum animata virtutum, posteaquam varia bene viventium expendisset instituta, postremo ut verae perfectionis avida, cunctis praeferre decrevit paupertatem, cui appendix publicae mendicitatis cohaereret. Quam persuasionem cum magistro impetrandi consensus gratiâ proposuisset, renuit ille, ut vir prudens, devotioni, quae nobilem ac teneram mulierem minus deceret, assentiri. Perseverantem deinde in proposito, precibusque lacrymas jungentem, indignabunda severitate compescuit. At illa videns rem destinatam, qua voluit via, minime successisse, aliam est non minus difficilem aggressa. Advenerat dies sacratissimae Parasceves, cum pro Christiano ritu sacris nudae tegminibus visuntur arae. Elisabeth assumpta occasione et temporis et loci (erat enim in coenobio Fratrum Minorum) sacellum quoddam una cum magistro ac nonnullis ex Fratribus ingressa, positis super altare manibus, solemni ac magnanima professione renunciat parentibus,

liberis, consanguineis, pompis ac vanitatibus mundi; denique voluntati propriae, adnexura etiam e vestigio cessionem terrenae possessionis, nisi magister sagacis vir ingenii, interfatus profitentis verba, ne ulterius iretur, effecisset. Secuta est paulo post magistrum ad Hassiae insigne oppidum, quod Marpurgum * vocant, proficiscentem. Ubi cum aemulorum quorumdam adhuc recens vigeret invidia, et domicilium illi novum exaedificandum esset, rus paulisper secessit, atrium quoddam collapsi prae vetustate aedificii, ne cuiquam rusticorum oneri esset, ingressa, ibidem aliquot dies exegit, coacta ad restantis infumibuli parietes frondibus in umbraculi speciem subrectis dispositisque, velut quoddam tugurium parare. Ubi manenti fumus, aestus, venti et imbres non mediocrem molestiam afferebant: quam illa placide sustinens, Deo nihilo segnius gratias agebat.

§ **20**. Exaedificato interea temporis intra urbem expedito magis, quam sumptuoso domicilio, reversa ibidem famulari Deo in omni sanctitate coepit, constructumque a se quondam xenodochium crebro invisere, ac Christi membra quibus poterat fovere solatiis. Quamquam autem in commune pauperibus, prout facultas suppetebat, eleemosynas largiebatur, delectum tamen eorum, quos xenodochii domicilio donaret, perquam diligentem agebat: iis potissimum assumptis, qui vel Christianae religionis studio caeteris excellèrent, vel magis valetudinarii essent. E quibus despicatissimos quosque mensae propriae crebro adhibentem cum magister rusticitatis argueret, illa respondit: Orare plurimum, id aequo ferret animo. Se quidem reminisci deliciarum, quas fuisset aliquandiu sectata: decere jam strictiorem praeferre vitam. Scire, contrariis solere curari contraria, et splendorem veterum conviviorum, praesenti pauperum squalore emendari sustollique. Sibi talium convivarum praesentia et fastidium nullum generari, et gratiam numinis augeri. Cernens igitur prudens magister, toto illam nisu per pietatis opera ad celsitudinem sanctae perfectionis contendere, curandum magnopere putavit, ne quid huic intentioni vel abesset utile, vel adesset inutile. Proinde expendens, quanto sit impedimento spirituali vitae, privata erga familiares et amicos affectio, duas illi comites Isintrudem et Gutam, quarum praeter caeteras singulari tenebantur amore, quamprimum ademit. Testes sunt lacrymae utrinque profusae, quid et charitatis habuerint junctae, et doloris senserint separatae. Exercebatur hoc tam lugubri divortio virtus obedientiae, quae illi ad sublimitatem divinae contemplationis acquirendam, gradum esset factura certissimum. Ergo geminae familiaritatis destituta solatio, et quidem gratissimo, velut aggeris objectu praepeditum undique flumen, altius excrescit, discitque superne deposcere, quicquid minus infra consequi permittebatur. Convictus illi posthac cum ancillis

* Hodieque *Marpurg*, vel *Marburg* vocatur, in Moguntina dioecesi.

uit in multa humilitate et paupertate. Cibus, olera et legumina, aepenumero ob egestatem aqua dumtaxat, sine alio gulae irritamento, percocta, ac interdum, cum ipsa coquinariam exerceret, per egligentiam semiustulata. Ob quod ab ancillis etiam castigari veris austeriusculis minime gravabatur. Nacta vero lautius aliquod dulium, defraudato proprio genio, id pauperibus apud se domi etentis erogabat. Vestem ab magistro accepit colore nativo, textu ustico, valore admodum vili, abjectoque. Pallium, quia brevius, uam ut decenter ab ea deferretur, erat, assuto alterius coloris anno productum habebat. Laceras diruptasque vestium partes esarciri ferebat discoloribus vilium panniculorum recisamentis, uibus et ipsa frequenter parietum vitia redintegrabat, aut potius ppilabat. Rupta manicarum vel aliarum partium per se si quando eficeret, quod ejusce artis foret imperita, non tam refecisse, uam obstruxisse, dici recte poterat.

§ 21. Lanicio filando, quia lino nesciebat, operam dabat. Inde ictum quaestuaria procurabat, cunctis Regum deliciis longe ratiorem. Cui operi adeo diligenter incumbebat, ut etiam infirma ectoque decumbens, adhibita colo neret. Qua per ancillarum aliquam e manibus rapta, quo infirmiori corpusculo parceret, ne penitus otiaretur, ope futuro prospiciens, lanam vel carptim pectebat, vel floccis hincinde collectis, scobem sordiusculam evellebat ejectabatque, remisso interdum iis, quorum operi vacabat, pretio, quod vel necdum meruerat, vel mereri quamprimum posse diffidebat, ne quid plus justo possideret. Hac in paupertate degentem, missus ex Hungaria Comes quidam non sine vehementi stupore invenit, tentavitque reducere ad opes natalis soli, affirmans eo se nomine illinc missum a patre. Illum, audito quam nfeliciter filia, mariti viduata solatio, ageret, nequivisse diutius egationem differre. Flagitare proinde, paterna vota in pectus admittat, seque honorifice, unde sit oriunda, reduci permittat. Non decere filiam Regis lanicio deditam, amictu squalidam, facie deformem, intra argillosos fumosarum aedium parietes inveniri. Aliam esse conditionem nobilium, aliam popularium. Singula pro sui dignitate locis suis constitui, decorum esse, ac minime a virtute abhorrere. Cum his verbis nihil omnino moveretur Elisabeth, diceretque se ita ut erat permansuram, ac Deo famulaturam, Comes, infecto negotio, in Hungariam est reversus. Caeterum magna illi comitas, ac multa benevolentia erat domi cum ancillis agenti, intantum ut parem se ipsis, licet ignobilibus et egenis, faceret ac reputari vellet: depositaque dominae appellatione, nollet nisi proprio nomine, adinstar popularis foeminae, vocari: denique coquinariam cum iis factitaret, cibosque una ex paropside sumeret, jussis pariter accumbere.

§ 22. Caeterum magistri et amicorum industria ac sollicitudine receptam a principe dotis nomine pecuniam, neque terrae

infodit, ut timida: neque arcis inclusit, ut avara: sed magis apud Christum divini spe foenoris collocatura, missis circumquaque nunciis, jubet pauperes quoscumque ad diem constitutum adesse, assignato pariter loco, ne quis ejus ignoratione comparère non posset. Congregata igitur ad diem est incredibilis multitudo utriusque sexus, ut nunquam majore numero per Hassiam et Turingiam conventus inopum visus esse credatur. Videre tum erat varia genera pauperum et incommodorum, ac veluti quemdam devictis hostibus exercitum, accipiendi stipendii gratia ad imperatorem convenisse. Praefecerat autem Elisabeth universo coetui viros quosdam ac mulieres, qui singulis ordine desidère jussis, tumultuantes et quietis impatientes compescerent, adjecta publicae confusionis poena, id est, dehonestamento detondendi capilli, si quispiam (ut est aviditas inconditae plebis) deserto, quem occupandum accepisset, loco, vel aliis negotium exhibere, vel secundo stipem percipere adnotaretur. Aderat etiamnum huic spectaculo aliorum hominum ingens turba, quos rei novitas ad videndum exciverat. Ibat ergo pientissima pauperum consolatrix in medio tantae multitudinis, laeto placidoque vultu per singulos pecuniam distribuens, ut ejus justitia, tam insigni dissipata praeconio, in memoriam duraret sempiternam. Ita paucis horis erogavit circiter quingentas argenti minas. Quo tempore puella quaedam capillamento pulcherrimo passoque, ut praevaricatrix supradictae legis, praesentatur accusaturque. Cui ut quamprimum detonderetur capillus, Elisabeth praecepit. Quo statim effecto, cum in lacrymas puella prorumperet uberrimas, aderant qui dicerent, nihil praevaricatam esse juvenculam: proinde immerito affectam injuria; venisse illam sororis invisendae, non stipis accipiendae, gratia. Ad quos Dei famula: « Bene habet, inquit; nihil damni puella fecit: at magis detrimento capillorum lucrum animae factura, deinceps nequaquam choreis se immiscebit. » Moxque accitam interrogavit, an unquam sanctioris vitae, Deoque serviendi habuerit voluntatem. Cui puella: « Olim, ait, votum suscepissem ad emendatioris formam instituti, si me capillamenti venustas non retraxisset. » — « Et ego (inquit Elisabeth) hoc magis gratulor tuorum detonsioni capillorum, quo liquidius pervideo me tibi magnum salutis ademisse dispendium, non plus gratulatura filio meo, si illum ad Romani fasces imperii provehi contigisset. » Statimque assumptam puellam, dato humiliori habitu, intulit xenodochio, illataeque ministrandi munus, quoad viveret, exequendum commisit. Caeterum remeantibus unde venerant, pauperibus, Deumque magnifice collaudantibus, contigit non paucos languoribus et defectu virium praepeditos, remanere noctem unam, passimque per xenodochii angulos jacere. Quos miserata Dei famula, praecepit actutum, calis et titionibus longo ordine concinnatis focum succendi, pauperibusque commode adhibitis,

nes singulatim et senos nummos distribui, quorundam etiam edes lavari, ungique. Tum repletis ingenti laetitia pectoribus, mnis ille coetus sublimi cantu personare coepit: cui sancta nulier et animi et vultus hilaritate non minimum est gratulata.

§ 23. Cum autem residuum pecuniae, unde semet sustentare abebat, simili pauperibus largitate distribuere pergeret, quod or ipsius vehementer ad inopes dilatatum esset; Magister futurae ecessitati prospiciens inhibuit, associatis ei foeminis severiusculis, uae et facta illius morosius observarent, et dictis non audientem, oc est, egenis ultra, quam licebat, aliquid erogasse compertam, leferrent. Delata vero, confestim comparère jubebatur, et verbis et lagis castiganda, ita ut etiam alapis eam vapulare aliquoties ontigerit: quas illa ob recordationem Dominicae passionis peret i admodum gaudebat. Jussa dehinc singulos dumtaxat nummos ingulis dare pauperibus, ita paruit magistro, ut nihilo remissius nisericordi obsequeretur animo, dum inter plurimos singulatim rogabat, quod non licebat in pauciores. Quo comperto, magister d votum minus parenti, nummorum erogationem prorsus inerdicit, panum vero permittit: quos et ipsos profusius distribui oeptos, ad minutiora frusta restrinxit, cum prius integri largirentur. Ita mira vicissitudine, et exercebatur obedientia, et misericordia provocabatur. Si quando eleemosynis erogandis penitus supersedere, lepraque contactos, aut alio morbo foedatos vel non recipere, vel receptos missos facere jubebatur, videre mirum fuit, ut singulari miserationis affectu discruciata, etiam foris languidiorem corporis habitum praeferret. Timebat nimirum prudens magister teneritudini foemineae, ne forte attactu et deosculatione putidissimorum ulcerum (ad quod opus miro ac stupendo desiderio ferebatur) in morbum aliquem incideret. Quibus vero misericordiae operibus interdictum ei nihil esset, ita iis diligentissimam navabat operam, ut cum in xenodochio, adjuvantibus ancillis, infirmiores lavaret, mundatis lectos excuteret, atque in is reclinatos, lodicibus ac stratis operiret, frequentissime diceret: « Quam bene feliciterque nobiscum agitur, quibus Dominum avare, detergere, reclinare atque contegere permissum est. » Cui aliquando ex pedisequis una: « Tibi, ait, cum hujuscemodi squaoribus bene est: at nobis et aliis non ita. » Hortabatur matres crero, ne post enixos liberos, baptisma sacrum aut negligerent, ut differrent; illud esse dicens stolidi, hoc imprudentis animi; utrumque periculi plenum. Infirmis quoque, cum morti propinquarent, adeo sollicite suadebat, et expiandae conscientiae vacare, Eucharistiaeque et Unctionis ultimae sacramenta percipere, ut mulierculam quandam, delicta confiteri diutius detrectantem, etiam virgis castigaverit, excussoque verberibus negligentiae somno, consiliis audientem effecerit.

§ 24. Tandem vero cum post deductam vitam annis multis

religiosissime, tempus advenisset, quo sanctissima Dei famula ex hac luce migraret, Christus Jesus illi jucundissime apparuit, dicens: « Veni, electa mea, et coelesti thalamo quem tibi ab aeterno destinavi, potire. » Hoc visu mirifice laetata, magistrum gravi tunc temporis infirmitate laborantem invisit, interrogantique quonam modo vitam deducere proponeret, si mori sibi contingeret, confestim quid divinitus didicisset, revelat. Quarto post die adversa valetudine corripi coepit, paulatimque invalescente virium defectione, lecto decubuit, animo tamen semper coelestibus bonis intento, atque in amore Christi ardente. Assidebat aliquando jacenti ancilla una, cum ecce praeter infirmantium morem, audit illam dulcissimo cantu personare, atque ad numeros musicos veluti cygneam vocem artifici modulatione inflectere: tum post aliquantulum morae, aversam dicere: « Ubi es, dilecta filia? » Et ancilla: « En, inquit, ego adsum. » Subjunxitque: « O quam dulci concentu aures meas demulsisti, domina pientissima. » Mox Elisabeth: « Tune, ait, cantum meum audisti? » Statim ancilla: « Etiam, inquit, audivi, et quidem laetissima. » Cui Dei famula: « Avicula, ait, coelitus demissa, inter me et parietem desederat, tanta mihi suavitate per varia cantilenarum discrimina divinum praecinens melos, ut quamvis infirmo corpusculo, non potuerim me continere, quin et ipsa concinerem pro viribus. » Ante diem tertium obitus, vindicatura sibimet secretum, jubet omnes cubiculo excedere, qui ad ipsam visendi gratiâ convenerant, arcerique foribus quoscumque admitti petentes. Interrogata cur id faceret, « Volo, inquit, tumultus externi vacua, meminisse Judicis mei, terribilisque censurae, quam perbrevi habeo subire. » Pridie, quam decederet, magistro, qui paulo ante convaluerat, culpas integerrime confessa, Christum in pauperibus testamento reliquit haeredem, vilem dumtaxat tunicam excipiens, in qua sepeliri postulavit: ut jam tunc nihil minus, quam de funeris cura et exequiarum pompa cogitasse credatur. Paucis post horis Eucharistiae sacramento refecta, oleoque sacro peruncta, reliquum diei ac noctis medium tanto fervore spiritus exegit, ut indubiis argumentis proderet Christum hospitem et pro desiderio excepisse, et pro amore exceptum tenere. Colloquebatur cum assidentibus de sanctissimis rebus, quas vel in concionibus audierat, vel instinctu divino didicerat; ad postremum subtexens, ut Christus Mariam et Martham super obitu fratris moerentes, inviserit, ut fuerit benigne consolatus, ut iis animum firma pollicitatione fecerit, ut pariter ad sepulcrum ierit, ut denique lacrymas intimae verissimaeque compassionis indices profuderit. Hoc loco veluti profundam rei pulcherrimae disputationem ingressa, cum stupore et admiratione praesentium, de iis Christi lacrymis tam viva, tam aculeata, tam flammea, tamque ad imum spiritum penetrantia verba fecit, ut omnibus penitissime compunctis, lacrymas exciverit, utpote

dolentes disparari se ab ea, quam intimo diligebant affectu. Ad quos Elisabeth conversa: « Nolite, ait, o Christigenae, super me flere: magis autem super vosmet fletu madescite. » Nec aliud locuta, melos suavissimum sine labiorum motu aliquo proferre auditur. Sciscitantibusque qui aderant, quid ea cantilena sibi vellet, respondit: « Praecinentibus mihi, qua potui facultate, concinendi vicarium munus adjunxi, quos mirum si non audistis. » Quibus verbis, creditum fuit, Angelos, qui paulo mox egressuram carnis ergastulo animam opperiebantur, coelesti personuisse harmonia, eaque infirmam, ut concineret, excitasse.

§ 25. Appetente jam noctis medio, circumsedentem intuita: « Quid, inquit, facturi essemus, si semet nobis humani generis inimicus repraesentaret? » Nec mora: fidentissima voce veluti abigendo conspectum horribili simulacro diabolum, exclamat: « Fuge, miser, fuge, infelix. » Imminente morte: « Haec est, ait, hora virginei et immaculati partus, admonens nos commentari debere aliquid de Jesu puello candidissimo, quemadmodum hieme, noctu, atque alienis in aedibus sit natus, pannis involutus, collocatus in praesepio, a pastoribus inventus, stella proditus, denique a Chaldaeis adoratus. Haec enim sunt nostrae salutis veneranda mysteria, locupletissima beneficia, ornamenta pulcherrima. In his tota spei nostrae ratio viget, fides proficit, charitas ardet. De his (rogo) disputemus, ac dulciter conferamus. » Inter haec verba, veluti quiete placida obdormiret, sanctissima Dei famula capite paululum labante, decessit. Dissipato in vulgus obitu, mirum est, quanta ad exequias ejus monachorum, clericorum, ac pauperum multitudo confluxerit. E quibus inopes adeo lugubri squalore clamosoque ejulatu praesentium oculos et aures impleverunt, ut omnibus fere lacrymas excusserint: testati matrem se pientissimam, unicumque ac singulare paupertatis suae in terris perfugium amisisse; nihil jam sibi residuum spei esse, nescientibus ad quem eant, solatium egestatis inventuri. Porro ad quartum usque diem sacratissimi corpusculi prorogata humatio est, id exigente frequentissimo devotae plebis concursu. Nec erant horrori visentibus caput, ora, manus, omnino retecta: cum in iis, praeter pallorem, nihil prorsus neque triste, neque squalidum apparèret. Pristina carnis teneritudo, et ad lenissimum quemque contactum facile cedens perseverabat. Videre tum erat, ut certatim advolantes, pro se quisque reliquiarum aliquid, vel de capillamento nudi verticis, vel de unguium praesegminibus, vel de mamillarum papillis, vel de auricularum summitatibus, vel de laciniis abjectae vilisque tunicae decerpere, et (quod audacius erat) praesecare festinarent; adeptasque portiunculas maximi putarent, saepiusque deosculatas reverenter asservarent. Praeterea gratissimus odor nares omnium imbuebat, nihilque omnino vel minimi foetoris

sub tanti spatio temporis a quoquam percipiebatur: veluti si pro hominis cadavere (cujus est proprium, mephitim exhalare) omnium thesaurus aromatum, ac suavissime spirantia adessent myrothecia. Quarto demum die, peracta solemnissimo ritu celebratione rei divinae, praesentibus coenobitarum praestantissimis patribus, clerique ac populi ingenti caterva, in sacello xenodochii vicino, pretiosum corpusculum perquam honorifice sepultum est. Decessit * anno religionis nostrae millesimo, ducentesimo tricesimo primo, tertio decimo Calendas Decembris.

§ 26. Coepit autem mox thesaurus ille quamplurimis coruscare miraculis, et rebus ipsis declarare, quam mirabilis sit Deus in sanctis suis: adeo ut sedecim mortuos ad vitam excitasse, leprosis munditiem, surdis auditum, mutis loquendi facultatem, claudis gressum, caecis visum, miseris et calamitosis solatium contulisse famatissime praedicetur. Quae omnia Siffridus Moguntinus antistes, probatissimis documentis confirmata, Pontifici Maximo Gregorio IX transmisit. Qui communicato cum patribus consilio, post diligentissimam tantae rei discussionem, praesentibus Jerosolymae et Antiochiae Patriarchis, multisque Episcoporum, Perusiae in coenobio Fratrum Praedicatorum sexto Calendas Junias, qui dies reverendissimae Pentecostes erat, post lustrationem solemni more apparatuque magnifico peractam, inter caeremonias sacrorum, beatissimam Elisabeth quarto, postquam decesserat, anno in sanctarum retulit numerum: exaedificatamque ibidem aram, ejus honori dedicavit, dedicatam ornavit, ornatam Pontificio more dotavit. Quibus honorifice tractatis, ac fama rei per Alemaniam celeberrime divulgata, Siffridus antistes, cum ingenti populorum gaudio, levandis e sepulcro sanctissimis ossibus diem constituit, citatis simul aliarum Ecclesiarum praefectis**. Quo die incredibile dictu est, quanta Marpurgum multitudo convenerit utriusque sexus, ordinum et statuum diversissimorum. Praesentibus igitur Imperatore Frederico, auream coronam sanctis reliquiis dicante, cum honorificentissimo inferiorum principum coetu, Moguntino, Coloniensi ac Bremensi Episcopis, necnon aliis plurimis templorum coenobiorumque praesidibus, effosso tumulo, sanctissima levantur ossa. Neque vero continuo, caeterorum cadaverum more, horrendi foetoris exhalatio, sed tamquam reclusa pretiosissimorum aromatum theca, gratissimus odor egressus, omnium, qui aderant, et nares imbuit, et animos ingenti gaudio perfudit. Imposita mox capsae plumbeae, sigillis Episcoporum obsignatae, per medium populi, inenarrabili desiderio praestolantis, magnificentissima pompa circumferuntur. Postridie patefacta jussu antistitum capsa, comperiuntur (visu

* Viginti quatuor annos nata.
** Die prima maji, anno 1236.

nirabile) benignissimae miseratricis ossa praeter naturam non arum olei exsudasse, guttatimque sub oculis omni ex parte jectare: quo perlitis quorumvis infirmorum artubus, optata pro oto sanitas tam velociter, quam feliciter conferebatur *.....

VITA

S. BERWARDI EPISC. HILDESIENSIS

AUCT. TANGMARO ** PRESB., EJUS PRAECEPTORE.

Natus medio seculo X; mortuus anno 1023 — Nat. Saxo.

§ 1. Sanctus Berwardus puer egregiae indolis, claro Saxonum anguine ortus ***, ex filia Adelberonis Palatini Comitis, traditur omino Osdago Hildesemensi Episcopo a suo avunculo religioso liacono Folckmaro, post quoque Trajectensi **** Episcopo: et amorum diligentiâ meae parvitati, scilicet Tangmaro presbytero qui et haec scripsi, qui primicerius scholae praeeram puerorum), itteris imbuendus, moribusque instruendus commendatur. Quem mni devotione cum suscepissem, intellectus illius capacitatem rimo divinae paginae leviori lacte tentandam aestimavi. Mox taque, ut de S. Daniele legitur, inveni in illo decuplum in omni iligentia super coaevos suos. Mirum nempe in modum tenera etas coelesti irradiata lumine, subtili meditatione interiora diinae sapientiae jugi studio rimabatur: nunc communi studio um aliis, nunc quos diligentiores in sancta exercitatione cerebat, familiarius seorsum assumens, propositis quaestionibus, crupulosa quaeque ad medullam eventilabat: more prudentissimae pis singulas lectiones, quas in scholis diversis in libris expoebam, remotiori loco sedens, intento auditu captabat, quas tanen, pueris confidens, felici furto perfecte docebat, et illorum cientiae imprimebat.

* Anno 1539, sacrae S. Elisabeth reliquiae, a Philippo Hassiae Landgravio, in Catholicam religionem infensissimo, in quoddam vulgare et ignotum sepulcrum projectae fuere. Templum huic anctae, in urbe Marpurgensi dicatum, summâ elegantiâ constructum, Protestantium cultui ex nno superius memorato, inservit.— Vitam S. Elisabeth quamplures, egregie sane, explicavere; ecenter eam contexuit Comes a Montalembert.

** Tangmarus, in Saxonia, nobilissimis parentibus exortus, canonicus et bibliothecarius Ecclesiae ildesiensis (*Hildesheim*), maxima virtute et doctrina praeditus fuit. Is a primaeva aetate usque ad enectutem, enutriendis atque docendis pueris operam dedit. Prae caeteris suis discipulis, S. Berardus (vel Bernwardus), et S. Benno, Misniae (*Meissen*) antistes (cujus memoria die 16 julii recoitur), claruêre: quorum tamen primum singulari benevolentia Tangmarus prosecutus est, ut ex ac Vita patet. Hanc porro Vitam, vel ob narrationis gravitatem, vel ob styli facilitatem et perpicuitatem, laudibus effert Pertz, qui eam in *Mon. Script. III et IV* integram edidit, quum Surius contra, plura, quae magis ad historiam illustrandam, quam ad lectorum pietatem alendam onferunt, omisisset.

*** In loco, qui *Sommerschenburg* nuncupatur. **** *Utrecht.*

§ 2. Venerabilis igitur dominus Osdagus Episcopus, magnum quid futurum in illo praevidens, Exorcistam eum ordinavit, diligentius me exhortans, etiam atque etiam curam illius ut agerem. Quamobrem illum, interdum in servitium domini Episcopi extra monasterium excedens, mecum ducebam, ut illius ingenium, quod in multitudine epheborum discernere, atque ad votum meum discutere non potui, illis remotis, singulari studio subtilius diligentiusque eventilarem: mirumque in modum variis virtutum pigmentis ornata ex illo responsa tuli. Nam saepe totum diem inter equitandum studiis detrivimus: nunc legendo, sed brevius quam soliti essemus in scholis: nunc poësi nos exercendo, per viam metro lusimus: inde ad prosaicam palaestram exercitium alternantes, interdum simplici contextu rationem contulimus, saepe syllogisticis sophismatis insudavimus. Ille quoque crebro me, etsi verecunde, acutis tamen et ex intimo aditu philosophiae prolatis quaestionibus, sollicitabat. Pene autem nulla hora, ne refectionis quidem, desidiae illum arguebat. Et quamquam vivacissimo igne animi in omni liberali scientia flagraret, nihilo minus tamen et levioribus artibus, quas mechanicas vocant, studium impertivit. In scribendo vero apprime enituit, picturam etiam limate exercuit: fabrili quoque scientia et arte clusoria, omnique structura mirifice excelluit, ut in plerisque aedificiis, quae pompatico decore composuit, post quoque claruit. In negotiis vero domesticis, et ad usum familiaris rei pertinentibus, vivacissimus executor, acsi his a puero innutritus, calluit.

§ 3. Avus autem ejus Adelbero Palatinus Comes, hunc praeclarum adolescentem in affectum filii sibi adoptavit, quia in eo salutaris consilii stationem saluberrimam reperit. Adeptus vero a Willegiso venerabili Archiepiscopo * Subdiaconatus gradum, aliquandiu cum illo conversatus est; et cum propter morum honestatem ac vitae probitatem, religionis in illo profectum sentiret, Archiepiscopus Diaconum illum ordinavit, interjectoque non longo spatio, presbyterii eum honore sublimavit. Reversus inde ad praefatum Comitem, amantissime ab illo susceptus est: cui tanta ille humilitate ac instantia inserviebat, ut caeteris refrigerandi causâ interdum remotis, ipse dies noctesque continuas indefessus ei adhaereret, et aegri senis imbecillitatem patientissime toleraret, inter ipsum et familiam medius incederet, salutaribus monitis illos informans, et curam illorum apud Comitem vigilanti benignitate frequentans. Pro paterno quoque affectu ad filios Comitis totum se profudit, magnamque inter illos gratiam conciliabat. Et quamvis in hujusmodi familiaritate invidia facile subrèpat, hanc ille tamen maximâ cautelâ in plerisque declinabat. Inter patrem quoque et filium, dominum videlicet Episcopum, internuncius saepe discurrebat, magnamque inter illos familiaritatis

* *Moguntiae.*

gratiam conflabat. Ipsi quoque Episcopo tantum complacuit, ut Daventrensi * coenobio sua vice illum praeponere vellet: sed ipse imbecillis avi infirmitatem sustentare, quam Episcopales delicias appetere, malebat.

§ 4. Quo defuncto, ad palatium se contulit, serviturus Othoni ejus nominis tertio Imperatori, qui septennis adhuc puer, cum venerabili matre domina Theophania Augusta rebus praeerat. A qua benigne suscipitur, atque in brevi summae familiaritatis locum apud illam obtinuit, adeo ut dominum regem fidei illius, litteris imbuendum, moribusque instituendum, consensu cunctorum Procerum, commendarit. Interea domina Imperatrix, maximo dolore totius regni, rebus humanis excessit. Unde dominus utroque parente orbatus, totum se regendum in stationem fidissimi magistri contulit: quem familiaritate complectebatur praecipua, nec ab ullo inferius tractari patiebatur, quem universo virtutum decore respersum venerabatur. Per idem tempus venerabili Episcopo Osdago decedente, hic religiosus vir Berwardus, votis omnium ad pontificatum eligitur. Anno igitur Dominicae incarnationis nongentesimo nonagesimotertio, Indictione sexta, a Willegiso Archiepiscopo Episcopus Hildesemensi Ecclesiae ordinatur octavo decimo Calendas Februarii.

§ 5. Adeptus itaque pontificatum, quanta continentia juvenile corpus ad virtutum culmen coëgerit, dici non potest: modum in cunctis agendis praecipue amplectens, juxta illud sapientis, *Ne quid nimis*. Morum quoque gravitate mirifice senes ipsos superabat, adeo ut subditos severitatis censura ad agenda in plerisque instituerit. Frugalitatem vero in appetendis ciborum deliciis, in eo laudare vix ullus sufficit. Tempore vero nocturnae quietis, stratis compositus, lectioni interdum intendebat: saepe somnum interrumpens, furtivae orationi, donec clerici ad matutinos hymnos consurgerent, vacabat; hymnisque expletis, multoties psalmodiam in diurnum usque crepusculum extendebat. Deinde aliquantulum pausans, corpusculum recreabat, donec item diluculo canonicum cursum Primae horae in ecclesia persolvebat. Quo expleto, quasi regulariter sub disciplina constitutus, capitulum cum fratribus adiit, feriam quoque et lunationem, nominaque fratrum, quorum annualis memoria instabat, quotidie recitari jubebat. Oratione vero peracta, circa Tertiam horam ad Missarum solemnia festiva celebratione processit, et magna animi contritione seipsum totum Domino profudit. Inde in publicum progressus, forenses causas et oppressorum negotia breviter examinabat, quia ingenio ac facundia apprime pollebat: habuitque clericum dispensatorem, qui eleemosynae ac pauperibus praeerat: quorum multitudinem, centenos videlicet, vel eo amplius dietim abundantissime victu refecit. Plerosque etiam vel argento, aut caeteris subsidiis, prout

* *Deventer*, in Hollandia.

facultas concessit, sublevabat. Inde officinas, ubi diversi usus metalla fiebant, circumiens, singulorum opera librabat, donec circa Nonam rite omnibus peractis, cum timore ac Domini benedictione ad mensam, fratrum populique stipatus frequentia, consedit, non pompatice quidem, sed religioso silentio cunctis ad lectionem intentis, quae inter coenandum non brevis legebatur. Infirmis quidem fratribus et senio confectis benedictionem de manu sua hilariter dirigebat, cum tamen nullum egenum in urbe vel suburbio, quem scire posset, hujusmodi pietate privaret. Ita quippe, juxta Apostolum, omnia omnibus esse desiderabat, ut omnes Christo lucrifaceret.

§ 6. Arduum et difficile est, quotidianum ejus studium verbis perstringere, quia omni nisu inter diem noctemque in divinis perstabat. Nihilominus quoque cunctos sibi adhaerentes, ad hujusmodi negotium impellebat: nec aliquid artis erat, quod non attentaret, etiamsi ad unguem pertingere non valeret. Scriptoriae namque arti non in monasterio tantum, sed in diversis locis studebat. Unde et copiosam bibliothecam tam divinorum, quam philosophicorum codicum comparavit. Ingeniosos etiam pueros secum vel ad chortem ducebat: quos quicquid dignius in ulla arte occurrebat, ad exercitium impellebat. Et cum in Christi gazophylacio quaecumque idonea scivit, fidei devotione congereret, non minus tamen Caesari, juxta Evangelium, sua persolvebat. Nam tertio Othoni Imperatori, benevolentissimo atque amicissimo animo, pro scire ac posse, obsequebatur. Saxonia quippe magna ex parte piratarum caeterorumque barbarorum feritate depopulata, continuis latrocinantium incursibus sine intermissione patebat. Quam pestem depellere magno suo suorumque periculo instabat, et nunc cum aliis, interdumque cum suis solis super eos irruens, fortiter illos attrivit. Demum divino instinctu munitiunculam admodum munitam extruxit: in eaque copiis militum dispositis, barbarorum impetum repulit, populumque Dei ab hostili feritate liberavit. Hac autem industria sacerdotis Christi barbarico tumultu in illis locis eliminato, acrius in circumsita loca debacchati sunt. Quibus vigilantissimus Dominici gregis pastor, ut fortis gigas se opposuit, et in rure Wirinholt nuncupato, ubi tutissima illorum statio fuerat, praesidium munitissimum instituit, copias quoque militum cum necessariis rebus abundantissime collocavit. Divinâ itaque gratiâ periculosissimum locum populo Dei fecit tranquillum, ita ut omni spurcitia diabolicae ac barbaricae fraudis eliminata, locum hostilis incursionis, faceret locum orationis, et in oratorium Deo consecraret in honorem sancti Lamberti pontificis ac martyris.

§ 7. In praediis autem Ecclesiae suae tanta congessit, ut triginta vel plures praecipuas chortes cum litorum ac colonorum familiis, clarissimis aedificiis praenitentes compararit, cum in

aliis innumerabilibus locis decem mansos vel octo, aut minus, aut plus, prout causa acciderat, conferret. Antiqua namque loca, ab antecessoribus suis possessa, quae ille inculta reperit, optimis aedificiis collustravit. Ecclesiam quoque suam miro studio decorare ardenter instabat. Unde exquisita tam lucida pictura tam parietes, quam laquearia exornabat, ut ex veteri novam factam putares. Fecit et ad solemnem processionem in praecipuis festis Evangelia, auro et gemmis clarissima: thymiamateria quoque pretii et magnifici ponderis. Calices nihilominus plures, unum ex onyche, alterum vero crystallinum mira industria composuit. Coronam quoque auro argentoque radiantem mirae magnitudinis in facie templi suspendit: civitatemque muro ac turribus munire inchoavit. Parvam etiam ecclesiam valde splendidam extra murum in honore vivificae Crucis extruxit, cujus etiam aliquam partem, largiente domino tertio Othone Augusto Imperatore, ibidem clarissimis gemmis auroque purissimo inclusam condidit: ubi etiam divina pietas plurima signorum miracula per virtutem S. Crucis ostendit. Et cum venerabilis pontifex Berwardus thecam auro gemmisque lautissimam, in qua vivificum lignum includeret, pararet, ac cum tribus particulis sancti ligni quartam, si fieri posset, excidere tentaret, ut per singulas apsides portiones conderet, nec gracilitas, nec parvitas quacumque ex causa sectionem admitteret, ecce subito inter manus ejus quarta particula ejusdem sacratissimi ligni, Angelico, ut creditur, ministerio delata apparuit. Mox igitur laetus praesul, lignum sanctum per quatuor apsides paravit. O quanti inde potantes, ardorem vehementissimae febris saepius virtute sanctae Crucis restinxerunt! Multoties quoque obortam aëris inaequalitate pestilentiam fideles hoc vivifico ligno se suaque lustrantes sedaverunt: multaque virtute hujus sanctissimi triumphi fiunt quotidiana remedia.

§ 8. Monasterium quoque in septentrionali parte civitatis Hildesemensis, in loco quodam squalido, ac feris et brutis animantibus coaptato, tota devotione et apparatu decenti instituit: quod praediis sufficientibus dotatum, coenobitis Deo famulantibus ibi collectis delegavit. In cujus crypta ecclesiae sexaginta sex corpora reliquiarum, digna veneratione ab eo condita sunt. Et cum jam transitus sui diem, quem semper optaverat, imminere praevideret, cappellam inter sacellum S. Crucis et monasterium suum constructam, in honorem S. Martini dedicari fecit, ibidemque pro augmento religionis ipso die habitum priorem mutans, monasticae professionis jugum suscepit. Tactus deinde infirmitate ultima, ad eamdem cappellam se ferri praecepit, justum esse asserens ibidem vitae terminum sortiri, ubi secularis abrenunciationis habitu se contigisset insigniri. Sic itaque vir Dei beatissimus, diutina corporis molestia tritus, bonum certamen certans, cursum consummans, fidem servans, ingressus viam universae

carnis, coelestibus admixtus est spiritibus. Qui enim quousque vixit, Domino se sacrificium justitiae sacrificavit, sic plurimis magnificatus insigniis, duodecimo Calendas Decembris coelesti pace quievit. Sedit autem in cathedra Episcopali triginta annis.

§ **9**. Mox vero tanti patris excessu tota civitas permota congemuit, et tam clerus, quam omnis populus medullitus indoluit. Mirum enim in modum vir iste omnibus omnia factus est. Inter divites et pauperes, inter elatos et humiles, auctorabili quadam modestia medius incedebat, et utrobique juste providus, nec mitibus intractabilis, nec protervis apparebat despicabilis. Praeceperat autem adhuc vivens, ut feretrum, quo ad tumulandum corpus ejus efferebatur, non pallio, ut moris est, sed cilicio tantum operiretur. Ex quo cunctis patet, quanta vir iste a Domino etiam temporali honore sublimatus, semetipsum humilitate depresserit, cujus viventis spiritus devotio tam humile obsequium defunctae quoque carni providerit. More itaque Ecclesiastico exequiis rite celebratis, corpus Deo dilecti praesulis in crypta coenobii, quod ipse fundaverat, ante altare S. Mariae maxima cum fidelium Christi devotione sepelitur *.

§ **10**. Quantis autem post haec Dominus miraculorum insigniis confessorem suum fidelem glorificaverit, non est nostrae parvitatis explanare. Sed ne cuncta praeterisse videamur, pauca de pluribus explicamus. Quaedam enim puella miserabilem in modum tota contracta, et diversis aegritudinibus diu vexata, admonita per somnum, ad ejus tumulum venit, et intra biduum sanata fuit. Quaedam alia puella a dolore oculorum est curata. Abbas coenobii sancti Michaëlis a dolore tibiae, ejus meritis est curatus. Plures quoque devoti homines utriusque sexus, nocturno tempore ad sepulcrum viri Dei psalmodiae cantus se audisse, ac luminaria divinitus accensa vidisse, et miri odoris fragrantiam se sensisse testati sunt.

CERTAMEN GLORIOSI MART. AGAPII

EX EUSEBII CAESAREENSIS ECCLESIASTICAE HISTORIAE, LIB. VIII, CAP. XVI, INTERPRETE JOANNE CHRISTOPHORSONO ANGLO.

Anno 305 martyrii meruit palmam.

§ **1**. Quarto anno persecutionis in nos grassantis, ad duodecimum Calend. Decembris, hoc est, vigesimo die mensis qui Dius vocatur, die Veneris, in eadem urbe Caesarea, tale facinus,

* Eum porro Coelitibus adjunxit, ejusque corpus de terra erigendum et inter Sanctorum reliquias collocandum praecepit Coelestinus Pp. III, die octava Januarii 1193.

ignum revera quod litterarum monumentis commendetur, ipso yranno Maximino praesente (qui eodem die, qui natalis suus ies erat, spectacula populo, magno cum apparatu ac sumptu debat) patratum fuit. Et quia consuetudo inveterarat, ut varia, pectacula, si etiam unquam alias, praesentibus ipsis Imperato- ibus summa cum magnificentia ac splendore, proponerentur pectatoribus, ad eorum animos oblectandos, eaque novis ac pe- egrinis formis, praeter communem et usitatum morem variaren- ur, sic ut interdum animalia ex India et Aethiopia, aut aliunde ıcta in amphitheatrum introducerentur: interdum viri mimicis :orporis gestibus, permira animorum oblectamenta spectantibus)stenderent: ob eam causam cum jam Imperator ipse ludos fa- :eret, eximium quoddam spectaculum, et quod multum haberet ıdmirationis, in magnifico eorum apparatu omnino elucere opor- ebat. Quod nam igitur erat istud quidem? Martyr et testis no- strae in Christo religionis, adducitur in medium, strenue pro sola et vera pietate decertaturus, Agapius nomine : quem una cum Thecla sociatum, bestiisque traditum ad devorandum, paulo ante demonstravimus. Iste alias e custodia eductus, simulque cum malèficis ad spectacula populo edenda conjunctus, cum palam egregie suas partes in stadio egisset, idque ter ac saepius, pro- pterea quod judex post minas illi variis temporibus oppositas, sive illum commiseratus, sive spe propositi et sententiae ejus commu- tandae inductus, ad alia semper nova certamina distulerat; tan- dem, ipso praesente Imperatore, denuo producitur, velut oppor- tune et commode in illud tempus reservatus; ut hoc dictum salutare, quod Dominus discipulis suis, divina praescientia prae- dixisset (nimirum quod coram Regibus adducerentur propter te- stimonium ejus), vere in eo compleretur.

§ 2. Primum igitur in medium stadium, cum quodam malè- fico et scelesto homine, quem caedis domini sui reum fuisse fe- runt, una rapitur. Deinde hic domini sui interfector, qui bestiis objici debuisset, misericordiâ et clementiâ Imperatoris (prope ad similitudinem Barrabae latronis, quem Servatoris loco Judaei mortis periculo eripiebant) nece liberatus est; et propterea stre- pitu et acclamationibus totum ideo personabat theatrum, quod homicida Imperatoris beneficentiâ, non solum servatus esset, ve- rum etiam honore et libertate donatus. Caeterum hic verae et di- vinae pietatis athleta, primum a tyranno accersitur; deinde infi- ciationem suae voluntatis et instituti rogatus est: promittitur ei libertas. At ille magna voce palam testatur, non turpis et nefarii criminis causâ, sed pietatis in Deum omnium rerum opificem, libenter et cum voluptate omnia supplicia, quaecumque sibi im- ponerentur, se pacato et tranquillo animo subiturum. Atque hoc elocutus, dicto citius factum exequitur: et urso in illum dimisso, ex adverso veluti curriculo factus obviam, seipsum libentissime

vorandum dat. Post adhuc superstes spiritum ducens, in carcerem mittitur; ubi una die in vita commoratus, postridie lapidibus ad pedes ejus appensis, in medium mare demergitur. Tale Agapii martyrium fuisse constat.

VITA S. COLUMBANI ABBATIS

AB EJUS AEQUALI JONA ABBATE, QUEM QUIDAM VOCAT DISCIPULORUM EJUS DISCIPULUM, CONSCRIPTA: CUJUS TAMEN STYLUM NONNIHIL EXPOLIVIT LAUR. SURIUS *.

In coelum migravit anno 615 — Hibernus.

§ 1. Columbanus, qui etiam Columba vocatur, in Hibernia ortus est **, insula in extremo sita Oceano. Eam Scotorum gens incolit: gens quamquam caeterarum gentium legibus carens, at tamen Christianae religionis dogmate florens, ita ut omnium vicinarum gentium fidem excellat. In ea natus est Columbanus inter ipsa fidei illic nascentis primordia, ut fides, quam partim infoecundam gens illa habebat, ejus et sociorum illius exhortationibus culturaque uberi foecundaretur. Postquam mater eum edidit, tanta cura servavit, ut illis etiam, quorum habebat mores cognitos et exploratos, vix eum credere aut committere vellet, donec pubescens, Christo duce, sine quo nihil boni agitur, bonis excolendis operibus animum applicaret.

§ 2. Exactis infantiae annis, cum in pueritiae aetate pubesceret, liberalium litterarum studiis et Grammaticorum litteris capaci ingenio operam navare coepit: in eaque per omne pueritiae et adolescentiae tempus perseverans, usque in virilem aetatem eam magna animi contentione prosecutus est. Sed cum eum formae elegantia, corporis candor et nobilis pubertas omnibus gratum redderet, coepit antiquus hostis in eum lethifera sua intorquere tela; ut quem tanto cernebat pollere ingenio, suis, si posset, nexibus implicaret. Aggreditur igitur lascivas puellas, ejus amore illas inflammat, maxime quas formae corporis perfunctorius decor horrendo desiderio in miserorum animos insinuare et immergere solet. Sed cum egregius miles tot undique telis appeti et urgeri se conspiceret, micantemque versuti hostis sicam in se vibrari cerneret, humanae fragilitatis non ignarus, quam cito labendo mergatur; sciens etiam, quemadmodum Livius ait, nihil

* Nos vero quaedam, vel quia fabulam redoleant, vel quia prorsus inutilia nobis videantur, praetermittemus.
** Anno 550, circiter.

esse tam sanctum religione, tamque custodia clausum, quo penetrare libido nequeat; Evangelicum clypeum laeva tenens, ensemque ancipitem dextera ferens, contra immanes hostium cuneos ad pugnam se accingit, ne frustrato labore, quem non mediocri ingenio in Grammatica, Rhetorica, Geometria et ipsis quoque scripturis divinis consumpserat, seculi illecebris occuparetur. Accessit autem ad hanc rem etiam alius quidam stimulus, urgens eum. Cum enim haec animo secum volveret, ad cujusdam religiosae ac Deo dicatae foeminae cellulam venit. Cumque eam prius submissa voce salutasset, postea juvenili quodam fervore eam acrioribus verbis castigare coepit. Videns illa gliscentem in adolescente animi vigorem: « ego, ait, utcumque potui, ad bellum processi. En quindecim volvuntur anni, ex quo et domo carui, et hunc peregrinationis locum expetivi, nec unquam deinceps, Christo adjuvante, manu stivam tenens, retro respexi. Et nisi fragilis sexus obstitisset, mari transmisso, longioris peregrinationis locum petiissem. Tu vero, adolescentiae flammis etiamnum aestuans, natale solum incolis, et ad fragiles voces, velis nolis, fragilitate attrahente, aurem accommodas, atque foemineum visitare sexum tuto te posse arbitraris? Non reminisceris suasu Evae Adam prolapsum, Samsonem a Dalila seductum, David a pristina justitia, captum Bethsabee pulcritudine, excidisse, sapientissimum Salomonem mulierum amore deceptum? Perge igitur, o juvenis, perge, evade ruinam, qua comperis multos corruisse: declina viam, quae ducit ad portas inferorum. » His dictis stimulatus adolescens, et ultra, quam adolescentem crederes, territus, gratias increpanti agit; sodalibusque valedicens, iter arripit. Mater autem dolore perurgente orat, ne se relinquat. At ille: « Non audisti, inquit, *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus?* (*Matth.* x). » Obsistente vero matre, et limini inhaerente, postulat ut se ire sinat. Ejulat illa, et in pavimentum prostrata, negat se id permissuram. Tum ille et limen et matrem transiliens, orat eam ut bono sit animo. Me quidem, inquit, in hac vita deinceps non videbis, ego enim, quocumque me ducet salutis iter, eo jam progressurus sum. Atque ita relicto natali solo, quod Lagenorum * terram incolae nuncupant, ad virum venerabilem, qui Senilis dicebatur, se contulit: qui eo tempore singulari religione et scripturarum sacrarum eruditione inter suos pollebat. Qui cum eum sagacis ingenii esse videret, omnium divinarum scripturarum studiis eum imbuit: sed ita tamen, ut quemadmodum magistri e discipulis sciscitantur, cum eorum volunt explorare ingenia, et utrum magnos jam in studiis progressus fecerint, vel desidia et inertia torpeant, cognoscere: sic difficiles quasdam ei proponeret quaestiones, e quarum solutione de ejus doctrina conjecturam caperet. At ille, quamvis

* Vulgo *Leinster*.

pavido, at sagaci tamen pectore, ne immorigerus magistro videretur, non vanae gloriae actus vitio, sed magistro parère volens, quaestiones objectas luculenter dissolvit, memor illius, quod Psalmographus habet: *Aperi os tuum, et ego implebo illud* (*Ps.* 80). Usqueadeo vero in ejus pectore divinarum thesauri scripturarum conditi tenebantur, ut intra adolescentiae metas constitutus, Psalmorum librum elimato sermone exposuerit; multaque alia, quae vel cantari sint digna, vel ad docendum utilia, conscripserit.

§ **8**. Deinde vero operam dedit, ut monachorum adjungeretur societati. Itaque monasterium Benchor * petiit, cui tum praeerat virtutum ubertate clarus beatus Commogellus, egregius inter suos monachorum pater, quique religionis studio, et regularis disciplinae cultu praecipuus habebatur. Ibi solis orationibus et jejuniis vacare coepit, et leve jugum Christi in suos humeros recipere, semetipsumque sibi abnegando, et crucem suam tollendo, Christum sequi: ut qui aliorum doctor futurus erat, ipse quod doctrinâ didicerat, in suo corpore mortificationem ferendo, copiosius exemplo monstraret, quid alii ab ipso docti facere deberent. Cum autem multos in eo monasterio annos egisset, peregrinandi coepit urgeri desiderio, memor illius Dominicae sententiae, qua dictum est Abrahae: *Exi de terra tua, et de cognatione tua, et de domo patris tui, et veni in terram, quam monstravero tibi* (*Gen.* XII). Itaque venerabili patri Commogello cordis sui patefecit ardorem, ignitumque igne Domini desiderium: sed non ea patris responsa tulit, quae ipse maxime voluisset. Erat enim venerabili Commogello permolestum, tanta consolatione destitui. Tandem tamen sibi ipsi indixit, ne plus suae necessitati studeret, quam aliorum utilitati opportune parèret. Nec sine omnipotentis arbitrio fiebat, qui tyronem suum ad bella futura erudiebat, ut de ejus victoria gloriosos referret triumphos, lautamque supellectilem ex caesorum hostium copiis reportaret. Itaque accito eo, tristem licet sibi, tamen aliis utilem sententiam depromit, se et pacis symbolum, et solatia atque comites itineris, quos religio claros reddidisset, suppeditaturum. Collecto autem fratrum coetu, omnes admonuit suarum precum suffragiis impetrare a Domino itineri, quod Columbanus erat cum suis suscepturus, solatia necessaria. Deinde Columbanus, vicesimum aetatis agens annum, cum duodecim comitibus iter ingreditur, et Christo duce, ad littus maris accedit, ibi misericordiam omnipotentis praestolaturus ut si illi visum sit, quod animo constituerant, ad effectum perducatur. Sentiunt interim clementis judicis secum facere voluntatem: sicque carinam ingressi, dubias per fretum persequuntur vias; et prosperantibus zephyrorum flabris, pernici cursu in Britannicos perveniunt sinus. Ubi paulisper morantes, vires resumunt ancipitique animo anxia inter se consilia agitant. Placet tandem arva

* Vel *Banchor*, in Hiberniae regione, quae *Ulster* vulgo nuncupatur.

Gallica expetere, et mores hominum accurate indagare: et, si spes affulgeat salutis illi afferendae, aliquantisper apud illos commorari: sin obduratas arrogantiae caligine illorum mentes reperiant, ad vicinas nationes commigrare.

§ 4. A Britannicis ergo finibus progressi, ad Gallias tendunt: ubi tunc vel ob frequentes hostiles incursus, vel praesulum negligentiam, religionis virtus pene abolita videbatur. Tantum Christiana fides permanebat: poenitentiae medicamenta et mortificationis studium vix paucis in locis reperiebantur. Agebat itaque venerandus vir, ut ad quaecumque progrederetur loca, verbum Evangelicum annunciaret. Idque sane gratum omnibus erat, quippe et facundiâ instructus erat, et ea, quae pro concione dicebat, virtutum exemplis confirmabat. Tanta autem in illis humilitatis gratia inerat, ut quemadmodum homines mundo dediti, ad honores et dignitates adspirant, sic illi inter se humilitatis cultu et exercitatione alii alios antevertere niterentur, memores sententiae illius: *Qui se humiliat, exaltabitur (Matth.* XXIII); et quod Isaias ait: *Ad quem respiciam, nisi ad humilem, et quietum, et trementem sermones meos (Isa.* 66)? Tanta pietas, tanta charitas erat in omnibus, ut unum illis esset et velle et nolle. Modestia et sobrietas, mansuetudo et lenitas in cunctis cernebantur. Desidiam et discordiam pariter execrabantur; arrogantiae et elationis supercilium duris castigationum ictibus feriebatur. Ira atque livor sagaci intentione pellebantur. Tanta patientiae virtus, charitatis studium, lenitatis cultus eis aderat, ut mitem Dominum Jesum in medio illorum habitare ambigi non posset. Quod si quis in vitia contraria prolapsus esset, simul omnes pari jure negligentem corrigere studebantur. Communia omnibus omnia erant. Si quispiam proprium aliquid usurpare tentasset, a caeterorum consortio segregatus, poenitentiâ id expiare cogebatur. Nemo ausus fuit, si laesus esset a proximo, par pari referre, nemo asperum proferre sermonem; ita ut inter homines illos plane Angelicam agi vitam cerneres. Denique tam ad omnes gratiosus erat beatus Columbanus, ut in quorumcumque domibus aliquantisper commoraretur, omnium animos ad religionis studium inflammaret.

§ 5. Pervenit inter haec fama beati viri in aulam Sigeberti * Regis, qui illo tempore duobus regnis Austrasianorum et Burgundionum inclytus, apud Francos rerum potiebatur, quorum prae caeteris Galliarum populis eximium nomen habetur. Ad quem cum vir sanctus cum suis accessisset, gratus Regi et aulicis effectus est ob egregiae doctrinae copiam. Tandem Rex ab eo petiit, ut intra Galliarum terminos resideret, nec se suosque ad alios commigrando relinqueret; quicquid voluntas ipsius exposceret, id se praestiturum affirmans. Ille vero ait ad Regem non se alienas consectari opes, sed Evangelicae doctrinae, quantum carnis

* Hujus nominis secundus. Anno 535 in vitam ingressus est; decessit anno 575.

admitteret fragilitas, velle exhibere sectatorem: « Qui vult, inquit Christus, post me venire, abneget semetipsum sibi, et tollat crucem suam, et sequatur me (*Luc.* IX). » Respondit Rex: « si Christi Crucem tollere, et eum sequi desideras, potius erèmi sectare quietem; tantum ne nostrae ditionis relicto solo, ad vicinas abeas nationes, ut et tibi augmenta praemiorum còmpares, et nostrae saluti opportune provideas. » Id ubi audivit Columbanus, obtemperavit Regis persuasioni, eremumque petiit, quae Vosagus * dicebatur, vastam sane, in qua castrum erat, olim dirutum, quod antiquitus Anagratas ** nuncupabant. Ad quod cum vir sanctus per aspera vastae solitudinis scopulosaque pervenisset loca, ibi cum suis resedit, exiguo alimento contentus, animo commemorans illud Scripturae divinae, non in solo pane vivere hominem, sed verbo vitae satiatos, multis abundare dapibus: quas qui gustarit, nunquam possit esurire.

§ 6. Cum jam multi se in ejus contubernium et societatem monachi adjunxissent, de commodiori in ea eremo inquirendo loco cogitare coepit, ubi monasterium construeret. Invenit autem castrum quoddam, quod olim munitissimum fuisset, à supradicto loco distans plus minus octo milliaribus, priscis temporibus Luxovium *** nuncupatum: ubi etiam thermae sive aquae calidae eximio opere exstructae habebantur. Multae illic statuae lapideae erant, quas cultu miserabili rituque profano pagani quondam coluerant, execrabilibus eas caeremoniis prosequentes. At nunc solae illic ferae belluae, ursi, bubali, lupi frequentes visebantur. Ibi ergo vir egregius monasterium construere coepit. Cujus rei fama cum percrebuisset, multi undique eo advolare, et religionis studio sese dicare coeperunt: ita ut in eum numerum monachorum frequentia excresceret, ut unius monasterii collegio vix contineri posse viderentur. Accurrebant undique etiam nobilium filii, ut spretis mundi hujus oblectamentis, divitiisque calcatis, aeterna praemia capesserent. Cernens autem beatus Columbanus ultro citroque homines ad poenitentiae remedia advolare, nec unius coenobii limitibus tantam multitudinem absque multa difficultate comprehendi posse (quamvis enim animus unus et cor esset omnium, non tamen id tantae multitudinis conversationi congruum videbatur); alium inquirit locum, quem aquarum copia ornaret. Quo reperto, aliud illic monasterium aedificavit, quod Fontanas **** voluit appellari; eique Praepositos dedit et gubernatores, de quorum religione nemo dubitaret. His ergo in locis cum monachos instituisset, ipse vicissim illis aderat, canonemque sive regulam, quam sequerentur Spiritu Sancto plenus

* *Vosges* vulgo dicuntur. Probabilius tamen S. Columbanus in hanc solitudinem se recessit anno 589 vel 590, regnante scilicet Childeberto II (575-596), Sigeberti II filio.

** Deinde *Anegray* vocatum fuit.

*** Hodie *Luxeuil*.

**** Vulgo *Fontaines*.

condidit: ex cujus lectione prudens lector vel auditor facile potest animadvertere, quanta viri sancti fuerit disciplina.

§ 7. Morabatur alio rursus tempore in eo scopuli sinu, ubi diu oratione et jejunio corpus afflixerat. Cognovit autem per revelationem fratres, qui Luxovii erant diversis morborum generibus vexari: nec plures superesse incolumes, quam qui aegrotis ministrarent. Egressus itaque de specu, Luxovium venit; cumque omnes afflictos cerneret, jubet omnes surgere, et messem in area virgis caedere. Surrexerunt ergo, quorum conscientiam obedientiae fervor incendebat, ad areamque venientes, virgis fruges caedere ardenti fide aggressi sunt. Videns autem pater fidem in filiis et obedientiae gratiam abundare: « Sinite, inquit, fessa aegritudine membra a labore recreari. » Mirantur obedientes fratres, nullo doloris vestigio remanente, integra se sospitate frui. Jubet pater apparari mensas, ut uberi gaudio omnes reficerentur. Increpat deinde inobedientes, arguit fidem ignavam, aegritudinis longam moram denunciat. Mira ultio. Supra anni tempus immorigeros morbi dolor tam vehementer attrivit, ut vix mortem evaderent; impleveruntque mensuram poenitentiae pro admissae inobedientiae ratione.

§ 8. Aderat quandoque tempus, quo segetum copia in horrea conderetur, nec tamen vis ventorum nubes cogere cessabat. Urgebat vero necessitas, ne matura messis spicae in stipula misso germine deperirent. Erat tum vir Dei apud Fontanense monasterium, ubi messium copiam novus ager locupletem attulerat. Irruebant interim ventorum flabra cum multa vi imbrium, nec omnino atrae nubes terris pluviam fundere intermittebant. Quid inter haec ageret vir Dei, anxio pectore pensitabat. Armavit vero mentem fides, docuit a Deo impetrare opportuna: accersit vir Dei fratres omnes, segetem praecidi jubet. Mirantur illi patris imperium, nec tamen quisquam ei dicit, quid sentiat. Veniunt omnes, inter diffusos imbres falcibus secant fruges, observant quid pater facturus sit. Ille quatuor insigni religione viros per quatuor messis angulos disponit, puta Comininum, Eunocum, atque Atquonanum ex Scotorum genere, quartum Gurganum natione Britonem: ipse cum reliquis medius praecidit segetes. Mira virtus! Fugiebat imber a segete, et cum undique funderetur pluvia, medios tantum messores solis torrebat ardor, aestusque vehemens, donec messem conderent, afflavit. Sic fides et oratio promeruit, ut pulsâ pluviâ, aestum inter imbres haberent.

§ 9. Creverat jam passim sancti viri fama in universis Galliae atque Germaniae provinciis, eratque omnium sermone celebris, omnium cultu venerabilis, idque adeo, ut etiam Theodoricus * Rex, qui eo tempore regnabat, ad eum saepe veniret, et orationum ejus suffragia omni cum humilitate expeteret. Sigebertus enim,

* Vulgo *Thierry* II, junior, Childeberti II filius (n. 587, m. 613).

cujus jam ante fecimus mentionem, apud Victoriacum * villam publicam, quae in suburbio Atrebatensis ** urbis sita est, Chilperici germani sui dolo, qui apud Tornacum *** tunc erat, quem Sigebertus usque ad internecionem persequebatur, interfectus est. Interfecto autem Sigeberto, Childebertus filius ejus, regni sceptra suscepit, annuente matre Brunechilde. Mortuo deinde Childeberto intra adolescentiae annos, regnaverunt duo filii Childeberti, Theodebertus **** et Theodoricus cum avia Brunechilde. Et regnum quidem Burgundionum administravit Theodoricus; Austrasiorum vero Theodebertus regendum suscepit. Theodoricus ergo gratulabatur sibi, quod intra limites suos haberet beatum Columbanum; cumque ad eum saepissime veniret, coepit vir Dei increpare illum, quod concubinas potius, quam legitimum matrimonium consectaretur, unde posset regia proles suscipi, quae de justa conjuge, non ex lupanaribus, orta videretur. Cumque viri Dei sermonibus flexus Rex, se ab omnibus illicitis abstinere velle responderet, mentem Brunechildis aviae, alterius Jezabelis. antiquus serpens invasit, eamque in virum Dei superbiae stimulis agitatam incitavit, effecitque ut doleret, Theodoricum Regem viro Dei obedire. Verebatur enim, ne; si ille, abjectis concubinis, Reginam aulae praeficeret, ipsa honoris et dignitatis suae faceret jacturam.

§ **10**. Accidit inde, ut vir Dei ad Brunechildem veniret, quae tum apud Brocariacum ***** villam erat. Cumque illa eum in aulam venisse cerneret, filios Theodorici e concubinis susceptos, ad illum adduxit. Quos ut vidit, sciscitatur quid sibi velint. Et Brunechildis: « Regis, inquit, filii sunt: tu eis bene preceris. » At ille: « Noveris, ait, hos ad regni sceptra nequaquam perventuros, qui de scortis nati sunt. » Illa furens, parvulos abire jubet. Exiit vero etiam vir Dei extra aulam regiam; sed cum limen transiliret, tota domus fragore concussa, omnibus terrorem incussit: nec tamen miserae foeminae furorem compescuit, quin ad comparandas viro Dei insidias animum intenderet. Vicinis monasterii per nuncios mandat, ut nullum e monasterio ègredi patiantur, et neque domo monachum ullum recipiant, neque ulla subsidia conferant. Cernens ergo beatus Columbanus regios in se animos concitatos, ad Regem properat, ut admonitionibus suis miserae pertinaciae frangat intentionem. Erat tum Rex apud Spissiam ****** villam publicam. Eo, cum, jam sole occumbente, venisset, Regi nunciatur adesse virum Dei, nec tamen in aedibus regiis velle hospitio uti. Ait ergo Rex, satius esse virum opportunis subsidiis honorare, quam Dominum, servos ejus offendendo,

* Sigebertus apud *Vitry* a Fredegunda, Chilperici I, fratris ejus, interemptus fuerat (Vide *Hist. Franc.* Greg. Tur.).

** Scilicet *Arras*.

*** Vulgo *Tournay*.

**** Theodebertus II (n. 586, m. 613).

***** Dicta vulgo *Bourcheresse*, apud Autun.

****** Vulgo *Espoisse* in Burgundia.

ad iracundiam provocare. Jubet ergo regio cultu opportuna praeparari, eaque viro Dei dirigi. Veniunt ministri, et a Rege missa ei offerunt. Ille ut vidit dapes et pocula regio apparatu instructa, perquirit quid iis sibi velint. Ajunt illi, esse ad ipsum missa a Rege. At vir Dei abominatus ea: « Scriptum est, inquit, *Munera impiorum reprobat Altissimus* (*Eccli.* XXXIV). Indignum est enim, ut servorum Dei ora, ejus cibis polluantur, qui non solum a suis, sed etiam ab aliorum habitaculis arcet Dei famulos. » His dictis, vascula omnia dirupta sunt, vinum et sicera in humum diffusa, caeteraque hinc inde disjecta. Pavefacti ea re ministri, nunciant Regi quid gestum sit. Ille terrore perculsus, diluculo ad virum Dei cum avia Brunechilde properat; precantur pariter veniam, promittunt se deinceps emendaturos. Quibus promissionibus vir Dei placatus, ad monasterium redit: sed illi non diu stant promissis, redit Rex ad solita stupra, cumulatque infelicitatem suam. Quod ubi percepit beatus Columbanus, litteras verberibus plenas scribit ad Regem, minatur ei excommunicationem, ni concubinas a se repellat. Sed iis rursum inflammata Brunechildis, Regis animum adversus beatum Columbanum incitat, omnique conatu perturbare contendit: orat etiam proceres aulicos et optimates omnes, ut Regis animum in virum Dei commoveant. Episcopos quoque sollicitat, ut ejus instituto et religioni detrahant, canonemque, quem suis monachis praescripserat, rodant dente canino. Obtemperant aulici miserae Reginae voluntati, Regis animum in virum Dei inflammant, atque eousque adducunt, ut eum adire, et institutum ejus monasticum explorare constituat.

§ **11**. Coactus igitur Rex, Luxovium venit ad virum Dei, coepitque expostulare cum illo, cur a provincialium moribus discreparet, nec Christianis omnibus intra monasterii septa secretiora aditus pateret. Beatus Columbanus, ut erat imperterritus et animo virili, Regi talia objicienti respondit, se consuetudinem non habere, ut secularibus hominibus et a religione monastica alienis, liberum esse sinat in servorum Dei habitacula ingredi: loca alia apta et opportuna instituta, ubi hospites omnes excipiantur. Tum Rex: « Si, inquit, largitatis nostrae beneficiis potiri vis, in loca omnia patebit omnibus accessus. » Vir Dei respondit: « Si tu id, quod hactenus regularis disciplinae habenis adstrictum fuit, luxare et violare conatus fueris, equidem nullis tuis muneribus vel beneficiis sustentari velim. Et, si eâ causâ hunc in locum advenisti, ut servorum Dei coenobia destruas, et regularem disciplinam contamines atque convellas, noveris regnum tuum funditus ruiturum, et cum omni regia propagine interiturum. » Id quod postea rei probavit eventus. Jam enim temerario conatu Rex in refectorium ingressus fuerat. Territus autem hisce verbis, celeriter egressus est; sed eum vir Dei acerrime objurgavit. Ait vero illi Rex: « Fortassis martyrii coronam te percepturum speras:

sed non eâ ego dementiâ sum, ut tantum velim patrare scelus. Saniori ego consilio utar. Itaque si tibi sic visum est, ab omnium secularium moribus desciscere, qua venisti via, ea tibi redeundum noris. Eadem quoque aulicorum vox est et sententia, nolle se iis in locis habere quemquam qui non omnibus sese adjungat.» Respondet beatus Columbanus, se de coenobii septis non egressurum, nisi vi extrahatur. Discessit ergo Rex, et virum Procerem Baudulphum illic reliquit, qui virum Dei a monasterio expulit, et juxta Vesontionense * oppidum in exsilium abegit, donec Regis sententia, quod visum esset, decerneret.

§ 12. Commorans ergo illic vir Dei, audit eo in loco carcerem esse plenum damnatorum hominum, ultima supplicia exspectantium. Ad eum propere accedit, et nullo obstante, ostium ingressus, verbum Dei damnatis illis depromit. Illi, si possint liberari, promittunt se vitam emendaturos, et ob admissa facinora poenitentiam acturos. Tum beatus Columbanus ministro Domoali, cujus superius mentio facta est, imperat, ut manu ferrum, quo compedes irretitae atque innexae erant, ad se trahat. Ille apprehensum ferrum trahit, idque mox instar putrefacti fruticis particulatim comminuitur. Solutis compedibus, vir Dei jubet damnatos e carcere egredi: peractoque Evangelico ministerio pedes eorum lavit, linteoque extersit. Deinde praecipit, ut ecclesiam petant, et perpetrata scelera poenitentia et lacrymis expient. Properantes illis, ecclesiae fores inveniunt obseratas. Porro tribunus militum ut vidit divina virtute per beatum Columbanum damnatorum compedes fractas, et vacuum sibi relictum ergastulum, tamquam a somno excitatus, damnatorum vestigia persequi cum militibus coepit. Illi a tergo appropinquare milites videntes, foresque ecclesiae obseratas, gemina vallati angustia, virum Dei compellant, ut eruantur. Anxio ille pectore sursum caput attollit, precaturque Dominum, ut ipsius virtute a vinculis ereptos, non sinat denuo a militibus vinciri. Non cunctatur bonitas divina: fores firmis obseratas claustris reserat, in angustiis positum aditum pandit. Illi pernici cursu involant in ecclesiam: fores, cernentibus militibus, absque humana opera rursus obserantur, acsi custos templi clavibus celerrime et patefecisset et clausisset eas. Veniens ergo beatus Columbanus cum suis simulque tribunus cum militibus ad obseratas fores, custodem quaerunt, ut claves praebeat. Qui cum venisset, et clavibus ostia aperire vellet, ait se nunquam diligentius obserata invenisse. Nec quisquam postea ausus fuit damnatis illis inferre injuriam, quos divina virtus eruisset.

§ 13. Post haec cernens vir Dei nullos sibi custodes adhiberi, nullam exhiberi molestiam (videbant enim omnes in illo virtutem fervère divinam, atque eâ causâ ab ejus injuriis se separabant, ne socii culparum forent), Dominica die ascendit in verticem ardui

* Vulgo *Besançon*.

montis (ita enim situs urbis est: cum domorum densa aedificia in diffuso proclivi montis latere extructa sint, in ardua cacumina sese porrigunt, ipsum montem undique cingente abrupti fluminis Dovae * alveo, et commeantibus aditum praecludente). Ibi vero usque in medium diem exspectat, num quis prohibiturus sit, ne ad monasterium revertatur. Cum autem nullus appareret, per mediam urbem cum suis ad monasterium regreditur. Id ubi percepit Theodoricus Rex et Brunechildis, eum scilicet ab exsilio revertisse, atrocioribus irae aculeis stimulantur, jubentque militum cohortem rursum eum vi inde abstrahere, et ad pristinum exsilium revocare. Veniunt milites, cum tribuno pervagantur per monasterium, virum Dei perquirunt. Residebat tum ille in atrio ecclesiae, et in codice quodam legebat. Et illi quidem crebro eo veniunt, prope eum transeunt, ita ut in ejus pedes nonnunquam impingerent, et vestimentis suis eum attingerent, nec tamen occaecatis luminibus vident eum. Erat id sane spectaculum pulcherrimum. Ille laetabundus cernebat se quaerentes, nec tamen ab illis cernebatur. Videbantur illi ab eo coram ipsis posito, nec videbant tamen. Porro tribunus per fenestram respiciens, vidit virum Dei coram ipsis laetum residère et legere. Itaque exclamavit: « Quid tam curiose per atria ecclesiae discurritis, nec tamen quicquam reperitis? Non jam vos diutius insaniae error occupet. Non poteritis invenire eum, quem virtus divina tegit. Cessate jam, et Regi ocyus renunciemus, vos eum minime reperisse. » Unde satis potest intelligi, tribunum illum non sua sponte venisse ad irrogandam viro Dei injuriam, et idcirco potuisse eum videre illum. Ubi autem haec renunciata sunt Regi, ille infaustae intentionis aucto furore, Bertarium Comitem cum militari praesidio, unaque Baudulphum, quo jam ante usus ea in re fuerat, ad eum studiose perquirendum misit. Qui cum venissent, beatum Columbanum in ecclesia cum omni fratrum congregatione psalmis et orationi deditum reperiunt, sicque eum alloquuntur: « Vir Dei, precamur, ut tam regiis, quam etiam nostris pareas praeceptis, hincque ea excedas via, qua huc primum advenisti. » Ait ille: « Non puto, inquit, id placere Conditori, ut ad semel ob Christi timorem relictum natale solum revertar. » Videns Bertarius virum Dei sibi non obtemperare, quibusdam ferocioribus illic relictis, abscessit. Illi autem, qui remanserant, virum Dei hortantur, ut ipsorum misereatur, qui ejusmodi rei exequendae infeliciter essent destinati, ipsorumque periculo consulat: qui, nisi eum vi extrahant, sine dubio in mortis discrimen venturi sint. Illo vero dicente, se jam saepius testatum esse, non se inde, nisi vi compellente, recessurum; illi gemino implicati periculo, utrinque urgente formidine, pallium, quo indutus erat, apprehendunt; alii ad genua ejus advoluti, cum lacrymis precantur, ut tanti

* Videtur Doubs esse.

sceleris culpam ipsis remittat, qui non suae libidini, sed regiae obtemperent voluntati. Videns itaque vir Dei aliis creari periculum, si permaneat in suo proposito obstinatus, cunctis ejulantibus atque moerentibus, egreditur, adjunctis ei custodibus, qui, donec extra Regis ditionem excessisset, eum non relinquerent. Iique eum Nannetes * deduxerunt (erat autem primus inter illos Ragamundus) universis fratribus eum ceu funus prosequentibus. Omnium enim corda moeror oppleverat. Interim anxius pater ob tot filiorum incommoda, in coelum suspiciens: « Aeterne, inquit, rerum Conditor, tu nobis locum opportunum praèpara, ubi tibi perpetim serviant famuli tui. » Deinde consolatur gregem universum, uti spem ne abjiciant, sed omnipotenti Deo gratias immensas agant. Non enim isthuc aliquo suo, aut suorum dispendio accidere, sed multiplicandis monachorum coetibus offerri occasionem. Si qui ergo ipsum sequi velint, promptissimis animis ad tolerandas secum injurias id faciant. Si qui vero in Luxoviensi monasterio permanere velint, securi illic resideant: cito enim Dominum, eorum dolorem vindicaturum. Sed cum aequis animis a tanti pastoris custodia avelli non sustinerent, qui a Rege missi erant, dicebant se nequaquam passuros quemquam abire cum illo, nisi qui commune cum eo natale solum haberent, vel qui ex Britannia illum secuti essent. Caeteros, qui in Galliis nati essent, ex Regis voluntate illic permanere debere. Cernens igitur egregius pater membra sua a se vi avelli, et suum et membrorum suorum sensit augeri dolorem. Pro tanti autem criminis immanitate, Dominum omnium consolatorem deprecans, rogavit eum, ut quos regia pertinacia a se abstraheret, ipse suâ custodiâ tueretur. In iis autem venerabilis vir, qui postea ejusdem monasterii pater extitit, Eustachius discipulus et minister sancti viri, violenter ab eo avulsus est, intendente illi avunculo ejus, qui Lingoniensis ** Ecclesiae pontifex erat. Egressus ergo vir sanctus cum suis vicesimo anno post incolatum eremi illius, per urbem Vesontionensem Augustodunumque ad Avellonense *** castrum pervenit: sed priusquam eo perveniret, in via ei custos equorum Theodorici occurrit, lanceaque illum confodere voluit. Sed malevolum animum digna mox ultio antevertit. Dextera enim, quam in virum Dei extenderat, torpente, lanceam ante suos pedes humo defixit. Ipse vero a daemone arreptus, ad viri Dei vestigia corruit. Cernens vir sanctus illum divina animadversione percussum, illo die et nocte apud se retinuit. Altero die illucescente, eum ad se accersitum, Deo favente, curavit, illeque in sua reversus est. Deinde vir Dei ad Caram fluvium properans, in aedes nobilis et religiosae foeminae Theudemannae pervenit. Eodem die ad vicum, quem Coram vocant, pervenerunt, ubi quinque phrenetici ei obviam venientes, illico sanati sunt. Inde Antissiodorum ****

* Vulgo *Nantes*. ** *Langres*. *** *Avalon*. **** *Auxerre*.

properavit, ubi Ragamundum, qui ei custos et deductor per iter adhibitus erat, appellans: « Memento, inquit, o Ragamunde, Clotarium, quem nunc contemnitis, intra triennium vos dominum habituros. » At ille: « Cur, inquit, domine mi, talia loqueris? » Et vir Dei: « Prorsus, ait, videbis quae dixi, si tunc superstes eris. »

§ 14. Egressus inde ab Antissiodoro, videt juvenem a daemone correptum, celerrime ex adverso ad se accurrere, qui jam viginti milliaria totis viribus currendo confecerat. Eo viso, substitit, donec homo daemonis arte infestatus adveniret: ubi ad virum Dei venit, coram illo corruit, sese discerpens. Eum itaque orationibus curatum, patri sospitem reddidit. Inde ad Nivernense * oppidum venit, custodibus antecedentibus et subsequentibus, ut in Ligeri ** scapha exceptus, in sinum Britannicum reduceretur. Cumque eo venissent, et tarde in scapham insilirent, quidam e custodibus arrepto remo, unum eorum, qui Lua dicebatur, percussit, virum sanctissimum et religioni deditissimum. Cernens autem vir Dei sua coram se membra caedi: « Cur, inquit, homo crudelis, moerori addis moerorem? An non sufficit vobis ad ruinam admissum facinus? Cur fessa Christi membra caedis? Noveris hoc ipso loco divinâ te ultione plectendum, quo ausus es furibundus Christi membrum caedere. » Probavit viri Dei sermonem mox subsecuta ultio. Ut enim ad portum illum transiturus rediit, divinitus percussus, eodem loco submersus est. Cur autem justus Judex eam ultionem distulerit, ignoratur, nisi fortassis, ne beati viri oculi eâ vindictâ macularentur. Inde ad Aurelianensem *** urbem venerunt. Ubi cum ex Regis edicto etiam in ecclesias ingredi non permitteretur, cum grandi moerore ad ripam Ligeris sub tentoriis paulisper quievit. Cumque necessario sumptu indigerent, duos in urbem direxit, ut res necessarias quaererent. E quibus unus erat Potentinus, qui adhuc superest, et in Armoricanis locis in Constantiae urbis suburbanis monachorum coetum collegit. Cum autem peragrantes urbem nihil accepissent, quod Regis timore omnium animi perculsi essent, viâ, qua ingressi erant, reversi sunt. In ipso autem itinere obviam eis venit mulier quaedam, Syra natione. Ea ut vidit illos, sciscitata est quinam essent. Illi respondent se res necessarias quaesiisse, nec recepisse quicquam. Tum illa: « Venite, inquit, domini mei, ad aedes meas, et necessaria vobiscum absportate. Nam et ego advena sum ex longinqua Orientis regione. » Illi gratulabundi eam praecedentem sequuntur; et postquam ad domum ejus venerunt, sellâ posita quieverunt, donec adferret ea res necessarias. Assidebat autem eis maritus ejus, jam olim luminibus orbatus, de quo perquirebant illi, quis esset. Respondente ea, virum suum esse ex eadem gente Syrorum, quem ipsa multis annis lumine privatum

* *Nevers.* ** *Loire.* *** *Orléans.*

traheret, ajunt illi: « Si Christi famulo Columbano praesentaretur, illius precibus posse eum lumen recipere. » Ille promissi muneris fide munitus, surgens, eorum cum duce uxore vestigia sequitur. Ubi ad sanctum Columbanum ventum est, Potentinus indicavit ei exhibitam ipsis hospitalitatem a peregrinis. Necdum verba finierat, cum caecus orat virum Dei, ut suis precibus lumen sibi restituat. Videns ille hominis fidem, omnes rogat, ut orent pro caeco, primusque diu humi prostratus jacuit. Inde surgens, manu oculos àttigit, impressoque signo Crucis, lumen rediit. Laetus ille domum remeat, ut qui in hospites interius lumen intenderat, exteriori non careret. Deinde turba obsessorum, quos daemones horrendo furore torquebant, ad virum Dei curationis gratiâ properant, et Domino salutem largiente, omnes a viro Dei curantur. His virtutibus urbis populus permotus, viro Dei clam meritum impendebat honorem. Non enim palam propter custodes quicquam ei praebere audebant, ne Regis iram incurrerent. Postea illi arrepto pergunt itinere.

§ 15. Navigantes autem per Ligerim. ad Turonensem perveniunt urbem, ubi vir sanctus custodes precabatur, ut, scaphâ in portum appulsâ, sinerent ipsum ire ad beati Martini confessoris sepulcrum. Abnuunt custodes, urgent remiges, ut celeri cursu portum praeternavigent: imperant gubernatori, ut scapham medio flumine dirigat. Videns id beatus Columbanus, moestum vultum ad coelum erigit, queritur tanto se moerore àffici, ut nec sanctorum sepulcra invisere permittatur. At cunctis illis urgentibus, mox ut contra portum ventum est, velut quibusdam defixis ancoris, scapha stare coepit, et ad portum proram dirigere. Cumque custodes obstare non valerent, inviti scapham, quo velit ire, sinunt. Miro igitur modo e medio fluminis tractu ad portum volatu pennigero defertur, portumque recepta, vir Dei pandit iter. Ille gratias agit aeterno Regi, qui servis suis obtemperare non dedignetur. Egressus autem e scapha, ad sepulcrum beati Martini accedit, totaque nocte illic in oratione excubat. Illucescente vero die, a Leopario urbis Episcopo invitatus ad prandium, ire non abnuit, praesertim ob fratrum suorum requiem: moratusque eo die est cum illo pontifice. Qui cum hora refectionis ad mensam cum eo resideret, sciscitabatur, cur ad patriam repedaret. At ille: « Canis, inquit, Theodoricus me a fratribus meis abegit. » Tum unus e convivis, Chrodoaldus nomine, cujus etsi conjux erat amita Teodeberti Regis, at tamen Theodorico Regi ipse fidelis erat, viro Dei humili voce respondit, satius illi esse lac potare, quam absynthium. Et vir Dei: « Sentio, inquit, te Regi Theodorico foederis fidem servare velle. » Respondit ille, se, quandiu possit, datam fidem observaturum. Rursus vir Dei: « Si ergo, inquit, Regi Theodorico devinctus es foedere, amico et domino tuo laetum ex me nuncium apportabis, dicesque ei, et illum et

liberos ejus intra triennii spatium Dominum radicitus extirpaturum. » At Chrodoaldus: « Quid ita loqueris, ait, serve Dei? » Et ille: « Non enim possum, inquit, silere, quae Dominus jussit ut loquerer. » Vera autem dixisse virum Dei, omnes Galliae nationes postea senserunt: confirmavitque his verbis ea, quae superius ad Ragamundum dixerat. Peracto prandio, vir Dei ad scapham rediit, ubi tum reperit suos multo moerore oppressos. Causam inquirens, cognovit eos nocte praeterita, quae in scapha habuissent, furto perdidisse: simulque aureos, quos in pauperes non erogaverat, ablatos esse. Mox ergo ad sepulcrum beati Martini repedat, queritur se non idcirco ad ejus excubasse reliquias, ut ille sua et suorum fratrum damna negligeret. Nec mora: is qui sacculum cum aureis furatus erat, coepit inter flagella corporis poenasque clamare, locumque indicare, ubi aurei occultati essent. Socii id audientes, omnes eo currunt, furto erepta omnia restituunt, virum Dei precantur, ut tanto sceleri ignoscat. Id miraculum omnibus terrorem incussit, ut deinceps qui haec audirent, omnia quae viri Dei erant, tamquam sacrata attingere non auderent. Porro Leoparius Episcopus, cum viro Dei necessaria praebuisset, ei valedixit. Ille navali itinere laetus ad Nannetense oppidum pervenit, atque ibi aliquantisper moratus est.

§ **16**. Paululum vero illic moratus vir Dei, ad Clotarium * Chilperici Regis filium, qui in Austrasiis Francis, extremâ Galliâ ad Oceanum sitis, regnabat, profectus est. Porro Clotarius jam audierat, quantis et qualibus injuriis virum Dei Brunechildis ac Theodoricus affecissent. Cum ergo videret eum, tamquam caeleste munus excipit eum; precaturque gratulabundus, ut si velit, intra sui regni fines resideat; se ei pro ipsius arbitratu inserviturum. At ille se ait iis in locis consistere nolle, vel ut sibi majorem peregrinationem indicat, vel ipsi Clotario nullam inimicitiarum occasionem praebeat. Detinuit interim illum apud se Clotarius quot potuit diebus; castigatusque verbis ab eo ob quaedam errata, quibus aula regia vix caret, spondet se pro ejus voluntate omnia emendaturum. Erat enim Clotarius solers, studiosusque sapientiae. Itaque tanto sibi oblato munere, gratulabatur. Dum autem apud Clotarium moratur, lis oritur inter Theodebertum et Theodoricum, utroque de regni finibus cum altero disceptante. Mittit uterque ad Clotarium legatos, qui ejus auxilium contra alterum postularet. Quod cum Clotarius beato Columbano indicasset, consuleretque eum, num opem alteri adversus alterum ferre deberet: ille prophetico plenus spiritu, « Neutrius, inquit, precibus obtemperabis. Porro intra hoc triennium utriusque regnum sub tuam ditionem cadet. » Videns Clotarius beatum virum talia prophetico ore dicentem, neutri parère voluit; sed promissum sibi tempus fideliter exspectans, post victoriae triumpho potitus est.

* Hujus nominis secundus, Junior et Magnus cognominatus (n. 584. m. 628).

§ 17. Egit deinde vir Dei apud Clotarium, ut adjumento ipsi esset, quo per Theodeberti regnum, si liceret, in Italiam per Alpium juga pervenire posset. Datis ergo comitibus, qui eum ad Theodebertum adducerent, ille itinere arrepto, Parisios venit. Inde ad Meldense * oppidum properat: ubi erat vir nobilis Chagnericus, Theodeberti Regis conviva, vir sapiens et consiliis regiis gratus. Is virum Dei summo gaudio excepit, seque curaturum ait, ut ad Theodeberti aulam perveniat: nec opus esse aliis a Regis latere comitibus. Volebat autem alios ab eo removeri, ut virum Dei quoad posset secum retineret, ipsiusque domus, illius doctrina nobilitaretur. Benedixit autem vir Dei domui ejus; filiae quoque illius Burgundophorae adhuc infanti bene precatus, eam Domino vovit: de qua re in sequentibus dicemus. Progressus vero inde venit ad Vulciacum villam supra Màtronam ** fluvium sitam: ubi ab Authario exceptus est, cujus conjux Aiga dicebatur. Erantque illis filii etiamnum infantes, quos mater ad benedicendum viro Dei obtulit. Videns ille matris fidem, infantulos sua benedictione sacravit. Ii postea pubescentes, Clotario Regi primum, deinde Dagoberto gratissimi fuere. At posteaquam seculari gloria illustres evasere, in eam curam et cogitationem incubuerunt, ne mundi gloriâ perderent sempiternam. Itaque major natu Ado, voluptatibus se àbdicans, postea in saltu Jurano monasterium instituti sancti Columbani construxit. Porro Dado junior intra Biennensem saltum ad Resbacem fluviolum, ejusdem, instituti monasterium condidit. Tanta fuit in viro Dei gratia, ut quibuscumque bene precatus esset, in bonis operis perseverantia supremum vitae clauderent diem. Illud oppido jure dici potest, quoscumque de industria monuit, eos gavisos esse, se postea impunitatem meruisse. Nec immerito tanti viri fultus adminiculis, perceptae gratiae potitus est ope, qui ejus doctrinis innixus, a vitae rectae et integrae noluit tramite deviare.

§ 18. Deinde vir Dei ad Theodebertum venit: qui cum vidisset eum, hilariter in suas eum recepit aedes. Jam vero multi fratrum ex Luxovio secuti erant, quos ille, tamquam ex hostibus ereptam praedam, excipiebat. Pollicebatur autem ei Theodebertus, se reperturum intra ditionis suae terminos loca amoena, et ipsi famulo Dei ad omnem opportunitatem accommoda. Ait etiam undique vicinas gentes ejusmodi esse, qui verbi Dei praedicatione opus habeant. Respondit ad haec vir Dei: « Si feceris quod pollicèris, nec fidem datam fefelleris, aliquantisper hic haerebo, experiarque num in vicinarum gentium cordibus fidem serere possim. » Dedit ergo ei Rex optionem, ut quemcumque vellet sibi locum deligeret, qui et ipsi et fratribus gratus esset. Inquisitus igitur locus est, atque etiam inventus, quem favor omnium redderet commendabilem, et quidem intra Germaniae terminos, sed

* Vulgo *Metz*. ** Vulgo *Marne*.

tamen Rheno vicinum oppidum, olim dirutum, quod Brigantium * nuncupabant. Sed quid interim, dum vir Dei per Rheni alveum navigat, actum sit, silendum non est. Navigante illo aliquando Rhenum, ad urbem, quam veteres Moguntiacum appellarunt, perveniunt, ajuntque ad virum Dei remiges, quos Rex ei comites adjunxerat, se habere amicos in urbe, qui necessarios sumptus sint praebituri. Jam enim longo itinere defecerant impensae. Jubet autem vir Dei, ut eant. Veniunt illi in urbem, sed nihil inveniunt. Reversi ad virum Dei, ajunt se nihil quicquam ab amicis impetrare potuisse. Tum ille: « Sinite me, inquit, paululum ad meum abire amicum. » Mirantibus illis, unde ei amicus esset in loco, ubi nunquam antea fuerat, ad Ecclesiam se confert, ibique humi prostratus, prolixe rogat Dominum suum pietatis auctorem. Mox vero Episcopus urbis illius ad Ecclesiam venit, repertoque beato Columbano, sciscitatur, ex eo quisnam sit. Ille se peregrinum esse respondet. Et Episcopus: « Si rebus, inquit, necessariis indiges, propera ad aedes meas, et quantum opus est, tecum absporta. » Illo gratias agente tum Deo, qui id Episcopo inspiraverat, tum ipsi antistiti, optata subsidia offerenti, Episcopus attentius cogitat, ut omnia, quae ei opportuna sint, accipiat. Itaque pueros festinos mittit ad navim, qui omnes adesse jubeant, praeter custodem unum, qui navim servet, secumque auferre, quaecumque velint. Quod ne quis casu evenisse putet, solebat postea crebro testari is Episcopus, nunquam se antea adeo attentum ad tribuendas res necessarias fuisse; seque absque alia ratione vel opportunitate, ob beati Columbani meritum, divina admonitione, instigatum venisse ad Ecclesiam. Deinde ad destinatum perveniunt locum, quem peragrans vir Dei, ait suo animo illum minime sedère: sed tamen ob fidem in gentibus ferendam, inibi paulisper se moraturum pollicetur. Sunt enim illic vicinae Svevorum gentes. Cumque inter loci ejus habitatores versaretur, comperit eos profanum velle litare sacrificium, vasque magnum, quod vulgo *cupam* vocant, viginti plus minus capiens modios, cervisiâ plenum, in medio positum. De quo cum sciscitaretur, quid illo facere vellent, responderentque se deo suo Wodano (sic Mercurium, ut quidam ajunt, illi vocant), litare velle; ille sacrilegum opus non ferens, in vas insufflat, idque miro modo cum fragore quodam frustatim dissipatur, et rabida vis cum cervisiae liquore inde prorumpit, ut manifeste liceret intelligi, diabolum in eo vase latuisse, qui per profanum liquorem caperet animas sacrificantium. Id autem videntes barbari, stupefacti ajunt virum Dei magnum habere spiritum, qui sic posset vas ligaminibus munitum dissipare. At ille castigatos dictis Evangelicis admonitosque ut ab hujusmodi abstinerent sacrificiis, domum redire jubet. Multique eorum beati viri adhortatione et doctrinâ ad Christi

* *Bregenz*, ad Constantiae lacum, qui ideo et *Brigantinus* vocatur.

fidem traducti, baptizati sunt. Porro alios, quos jam lavacro ablutos profanus detinebat error, ad Evangelicae doctrinae cultum monitis suis revocatos, vir Dei, ut pastor bonus, in Ecclesiae sinum reducebat. Per id tempus Theodoricus et Brunechildis non solum adversus Columbanum insaniebant, sed etiam sanctissimo Viennensis * urbis Episcopo Desiderio adversabantur: quem primum exsilio damnatum, multis affligere injuriis nitebantur: ad postremum vero glorioso martyrio coronarunt. Cujus gesta scripta habentur, quibus et quantis adversitatibus gloriosos apud Dominum promeruerit triumphos. Versante autem beato Columbano cum suis apud urbem Brigantinam, durae aegestatis tempus incidit. Sed quamvis alimonia deesset, manebat intemerata atque inconcussa fides, quae necessarias res a Domino impetraret. Cumque jam triduanâ inediâ laborarent, tanta avium copia eis oblata est, quanta Israëlitarum castra coturnicibus advolantibus operuit, ita ut omnem locum illum aves implerent. Intellexit autem vir Dei ob suam suorumque necessitatem has dapes exhiberi, quippe quae non nisi illo, quo ipse degebat, loco invenirentur. Jubet ergo primum suos laudes et gratias agere Conditori, ac deinde dapes capere. Erat profecto mirum illud et stupendum miraculum. Capiebantur aves, ut jusserat pater; nec ille pennigero instructae volatu se subducebant, sed triduo permansit illud manna avium. Quarto deinde die quidam ex vicinis urbibus frumenti copiam divino instinctu beato Columbano transmisit. Mox igitur, ut advenit frumentum, aves illae, Deo jubente, omnes avolarunt. Porro Eustasio, qui id temporis sub viri Dei obedientia cum aliis erat, referente cognovimus, neminem tum inter ipsos fuisse, qui se ante illud tempus ejusmodi aves vidisse meminisset. Earum autem talis erat sapor, ut dapes regias vinceret. Eodem tempore cum vir Dei sub quodam scopulo in vasta erèmo corpus jejunio afficeret, et nihil praeter ruris poma, quorum superius mentionem fecimus, in cibum caperet, venit ursus, voracitati addicta fera, coepitque necessarios devorare cibos, passimque poma ore detrahere. Cumque hora refectionis adesset, Chagnoaldum ministrum vir Dei ire jussit, et consuetam pomorum mensuram afferre. Abit ille, videtque ursum inter frutices rubosque pervagari, pomaque lambendo carpere. Itaque festinus redit, patrique indicat. Ille imperat ut eat, partemque fruticum relinquat ferae, aliam partem sibi jubeat reservari. Redit Chagnoaldus, jussa patris exequitur, dividit virgâ frutices rubosque poma ferentes, jubetque ut fera parte sua contenta, reliquam sinat cedere in usus viri Dei. Mira in fera obedientia! Nequaquam ausa est ex prohibita sibi parte cibos carpere, sed in ea sola, quae permissa ei erat, escam captavit, quandiu eo in loco vir Dei commoratus est. Interea animo

* Viennam Allobrogum intellige. Praesul Desiderius in exsilium pulsus est anno 603 (Vide Chronicon Fredegarii).

llius ea incidit cogitatio, ut Veneticorum, qui et Sclavi * dicuntur, litionem invisat, caecasque mentes illustret luce Evangelica, et ab origine per avia aberrantibus, veritatis pandat viam. Quod cum illi summopere in votis esset, Angelus Domini per visum ei apparens, parvo ambitu, ut solent in pagina orbem describentes, mundi totius machinam ei ostendit, aitque: « Cernis ne totum orbem manere desertum? Perge igitur dextrâ laevaque, quocumque visum est, ut laboris tui fructum comedas. » Intellexit igitur vir Dei, illius gentis nondum in promptu esse fidei profectum: quievitque in loco, donec in Italiam patèret accessus.

§ 19. Interea temporis inter Theodoricum et Theodebertum suborta contentio increscit, et uterque adversus fratrem usque ad internecionem saevit atrociter, utroque exercitus robore superbiente. Porro vir Dei ad Theodebertum accedens, hortatur eum, ut animi tumore et arrogantiâ compressâ, in Clerum se adscribendum curet, manensque in ecclesia, sacrae se religioni subdat, ne simul cum praesentis regni detrimento, etiam aeternae vitae faciat jacturam. Sed id tum Regi ipsi, tum cunctis circumstantibus ridiculum visum est, dixeruntque nunquam se audivisse, Merovingum in Regem sublimatum, sponte sua Clericum fuisse. Cunctis ergo id detestantibus, beatus Columbanus ait: « Si sponte tua clerici honorem capere non vis, brevi id facies vel invitus. » His dictis, vir Dei ad cellulam remeat, moxque prophetici dicti eventum res non diu dilata confirmat. Quamprimum enim a Theodorico bellum Theodeberto denunciatur, et apud Tullum ** victus Theodebertus, in fugam compellitur. Postea rursus collecto exercitu, fugientem Theodoricus persequitur. Porro Theodebertus multis instauratis copiis, ad Tulpiacense *** castrum pugnaturus occurrit: consertoque illic proelio, utrinque plurimi ceciderunt. Victus tandem Theodebertus, fugit. Eo tempore vir Dei in erèmo commorabatur, unius tantum Chagnoaldi ministerio contentus. Eâ autem hora, qua apud Tulpiacum pugna commissa est, quercus putrefactae trunco vir Dei, librum legens, insidebat. Subito vero correptus somno, spiritu cognovit, quid inter duos Reges ageretur; moxque excitatus, ministrum vocat, cruentam Regum pugnam indicat, multum humanum fundi sanguinem gemebundus refert. Dicente autem temere ministro: « Pater mi, Theodeberto tuis precibus praesta suffragium, ut communem debellet hostem Theodoricum; » ita respondet: « stultum et a religione alienum praebes consilium. Non enim sic Dominus voluit, qui nos pro inimicis nostris orare jussit. In arbitrio jam est justi Judicis, quid de eis fieri velit. » Inquisivit postea minister diem et horam proelii,

* Qui et *Slavi* vel *Sclaveni* vel *Sclavones* olim vocabantur; italice porro *Schiavoni* dicuntur Regnante imperatore Justiniano (527-565), Dalmatiâ aliisque regionibus circumstantibus potiti sunt. Nunc Austriae imperatoribus obediunt.

** Gall. *Toul*. Anno 612.

*** Gall. *Tolbiac*. Ibi, anno 496, Chlodoveus Alemannorum copias, praeclarâ, memoranda que victoriâ, superaverat.

reperitque ita fuisse, sicut viro Dei fuerat revelatum. Persecutus est autem Theodoricus Theodebertum, et suorum proditione captum, ad aviam Brunechildem remisit: quae cum faveret partibus Theodorici, furibunda Theodebertum clericum fieri voluit, et post dies non multos, cum jam esset Clericus, nimis impie perimendum curavit.

§ 20. Porro Theodoricus apud Metense oppidum moratus, divinitus percussus, inter flagrantis ignis incendia mortuus est. Brunechildis autem filium ejus Sigebertum ei suffecit in regno. Itaque Clotarius memor prophetiae viri Dei, collecto exercitu, fines regni, qui ejus ditionis erant, recuperare conatur. Contra eum Sigebertus pugnaturus venit: sed eum Clotarius captum peremit, fratresque ejus quinque, Theodorici filios, cum proavia Brunechilde cepit; pueros separatim peremit; Brunechildem vero primo ignominiose camelo impositam, hostibus circumducendam spectandam exhibuit: post indomitorum equorum caudis religatam, miserabiliter vitâ privavit. Atque ita funditus radicitusque deleta Theodorici stirpe, Clotarius solus potitus est * trium regnorum monarchia, et beati Columbani prophetia completa est in omnibus, Theodorico intra triennium cum omni stirpe penitus extincto, Theodeberto in Clerum adscito, Clotario duorum regnorum accessione aucto et dilatato.

§ 21. Beatus ergo Columbanus ut vidit Theodebertum a Theodorico devictum, relictâ Galliâ atque Germaniâ, in Italiam ingreditur **, ubi ab Agilulpho Longobardorum Rege honorifice exceptus est, qui etiam optionem ei dedit, ut quocumque Italiae loco vellet, habitationem sibi deligeret. Itaque dum apud Mediolanum moratur, et haeresum fraudes, atque Arrianae perfidiae machinas scripturarum cauterio discerpere ac dissecare conatur, èdito adversum illos florentissimae scientiae libello, vir quidam Jucundus nomine, ad Regem venit, indicat se in solitudine ruribus Apenninis beati Petri Apostolorum principis basilicam scire, in qua experimento didicerit virtutes et miracula fieri; locum ipsum esse ubertate foecundum, aquis irriguum, piscium copiâ abundantem; veterum traditione eum Bobium *** appellari a rivo quodam sic dicto, illic manante: cui adjunctus sit amnis Trebia, ad quem olim Annibal hiemans, hominum, equorum, elephantorum gravissima sensit damna. Eo cum vir Dei magna animi intentione pervenisset, basilicam illic semirutam rèperit, eamque instaurans prisco decori restituit. In ejus autem instauratione mira Domini virtus declarata est. Nam cum per praeruptos saxorum scopulos, trabes ex abietibus inter densa saltus locis inaccessis caederentur, vel alibi caesae, inibi casu prolapsae aspero, aditum omnem

* Anno scilicet 613.
** S. Columbanus in Italiam venit anno 612.
*** Situm est Bobium in valle profundissima, haud procul a flumine Trebia. Crevit in urbem, quae anno 1014. episcopali sede donata fuit.

claustris negarent, miro modo trabem, quam vix viginti aut triginta homines plano terrae solo ferre valerent, vir Dei cum duobus vel tribus, prout ardui itineris meatus patebat, eo accedens, suis ac suorum humeris immane imponebat pondus, et ubi alioqui pro viae asperitate libero vix possent gradu incedere, simul atque trabium essent mole onusti, festini ingrediebantur: ita ut qui onera ferrent, perinde ac si ab aliis ipsi portarentur, firmis vestigiis, tamquam otiosi, laetabundi incederent. Videns itaque vir Dei tantam sibi divinitus adesse opem, suos hortatur, ut arreptum opus laeti perficiant, animoque roborati, ea in eremo consistere studeant, divinae id esse voluntatis affirmans. Tectis templi culminibus, murorum instaurat ruinas, caeteraque monasterio necessaria aedificia construere pergit. Interea Clotarius Rex, viri Dei prophetiam in se completam cernens, venerabilem Eustasium, qui monasterium Luxoviense regebat, ad se venire jubet, venientem blande et comiter orat, ut adjunctis sibi, quos velit, itineris sociis nobilibus viris, legationem publicis impensis suscipiat ad beatum Columbanum, et quocumque loco repertum, accurata persuasione eo adducat, ut ad se venire non recuset. Facit ita venerabilis discipulus, magistri vestigia persequens. Postquam ad eum venit, Clotarii verba ei depromit. Viso Eustasio beatus Columbanus laetatur, aditum ad suum monasterium patère gratulatur; retentumque aliquantisper apud se, hortatur ut sui laboris memor, fratrum collegium disciplinae habenis contineat et erudiat, multorumque accessione illud augeat, eosque omnes suis institutis imbuat. Deinde jubet eum redire ad Clotarium, eique comiter haec referre responsa, sibi id haudquaquam rationi consentaneum videri, ut retro revertatur; illud tantummodo rogare se, ut sodales suos, qui Luxovii degant, regio favore ac praesidio prosequatur. Addidit etiam litteras ad Regem, castigatione plenas. Porro Rex gratissimum munus, ceu pignus quoddam foederis viri Dei exultabundus accepit, nec precum ejus voluit oblivisci. Omni enim praesidio Luxoviense monasterium communire studuit, annuis censibus ditavit, fines ejus undique pro venerabilis Eustasii voluntate auxit et protulit, omnique conatu ad adjuvandos ejus habitatores, ob amorem viri Dei, animum intendit. Porro beatus Columbanus cum annum unum egisset in monasterio Bobiensi, vita beata functus, animam corpore solutam coelo reddidit undecimo Calendas Decembris *. Cujus strenuitatem si quis nosse velit, in ejus dictis reperiet **. Reliquiae ejus eo in loco conditae habentur, ubi etiam miraculis pollent, praesule Christo: Cui est gloria per omnia secula seculorum, Amen.

* Anno 615.

** S. Columbani Opera, quae adhuc extant, sunt: 1. *De vitiis principalibus*; 2. *Poenitentiale*; 3. *Instructiones de Officiis Christianis*; 4. Quaedam Epistolae et Carmina.

VITA ET MARTYRIUM S. CAECILIAE

ET QUI CUM IPSA ERANT

SANCTORUM VALERIANI, TIBURTII ET MAXIMI

AUCT. SIM. METAPHRASTE. HABETUR TOMO V ALOYSII *.

Martyrii coronam promeruit seculo II — Romana.

§ 1. Servatoris nostri et Dei e coelis descensus, conciliavit magna bona generi hominum. Nam cum esset Deus ex Deo, et esset in forma Dei, qui ipsum genuit impatibiliter, non rapinam arbitratus est se esse Deo aequalem : sed seipsum exinanivit, servi formam accipiens, in similitudine hominum factus, et habitu inventus ut homo : *Humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (*Philip*. II), ut eum deleret, qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum ; et omnem manuducens humanitatem, eveheret ad coelos per pretiosam et divinam suam doctrinam. Primi itaque omnium, eum secuti sunt sancti Apostoli ; post Apostolos, Martyres ; post Martyres, Confessores ; post Confessores, sacerdotes ; post sacerdotes, virgines ; post virgines, viduae ; post viduas, misericordes. Et ut semel dicam, omnibus accedentibus aperta fuit Christi medicinae officina. Propterea quotidie clamat per sanctos suos Evangelistas : *Venite ad me omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth*. XI).

§ 2. Hujus venerandam et suavissimam vocem cum audiisset etiam Caecilia ** clarissima virgo et gloriosa, et in eum credidisset, absconsum Christi Evangelium semper circumferebat in pectore, et nec noctu, nec interdiu intermittebat divina legere eloquia, et Deum orare. Haec ergo beata Caecilia Valerianum quemdam habebat juvenem sponsum : qui quidem juvenis accensus amore virginis, diem statuerat nuptiarum. Caecilia autem in carne induta cilicio, extrinsecus aureis induta erat vestibus. Nam cum parentes et sponsus ejus haec vellent, ipsa corpore

* Acta haec S. Caeciliae martyrii seculo quinto composita videntur. Ea Metaphrastes e latino in graecum idioma transtulit; et rursus Lippomanus latinitati reddidit. Quamvis autem a quibusdam Historicis falsitatis et mendacii arguantur, penitus non sunt rejicienda; quin etiam, saltem quoad eorumdem praecipuas partes, a recentioribus explorationibus, quas in Callisti coemeterio vir sane percelebris, Joannes Baptista De Rossi, perfecit, praeclarâ veritatis notâ obsignantur. (Videsis *Romam subterr.*, Tom II). Nos, integra, ut in Surio habentur, hic ea exhibemus.

** Caecilia, e progenie Caeciliorum Maximorum Faustorum, qui Senatorum Ordini ascripti erant, exorta est. Matrem ejus christianam religionem professam fuisse censet De-Rossi, quum alioquin certum sit, seculo secundo exeunte, Romae, nonnullas familias nobilissimas senatoriasque Christi fidem suscepisse.

adeo erat eliquata, ut non posset celare cordis sui desiderium, et quod solius Christi Servatoris capta erat amore, significabat proprie aenigmatibus. Non multo post autem venit dies, in quo paratus erat thalamus: et cum esset symphonia instrumentorum, illa in corde suo soli Deo psallebat; dicens: *Fiat, Domine, cor meum et corpus meum immaculatum in tuis justificationibus, ut non pudore afficiar* (*Ps.* 118). Manens autem jejuna, duos aut tres dies a cibo abstinuit: jejunans autem et orans, seipsam commendabat Domino, precibus Angelos Domini invocabat, lacrymis precabatur Apostolos, et orabat omnes sanctas Christi ancillas, ut eam confirmarent suis supplicationibus, castitatem suam commendans Domino.

§ 3. Postquam autem haec facta sunt, nox venit: in qua cum suo sponso in separato cubiculo quietem nacta et silentium, sic eum est allocuta: « Dulcissime et carissime adolescens, est mihi arcanum, quod tibi aperiam, si tu jurejurando mihi affirmaveris, te omnia celaturum. » Ei autem juravit ejus sponsus Valerianus, sed id quod dicebatur, nullis omnino insidiis proditurum, neque id esse aperturum, quacumque cogeretur necessitate. Tunc illa respondit, dicens: « Volo te scire, me Angelum Dei habere amicum, qui summo zelo corpus meum custodit. Is si vel minimum fuerit suspicatus, quod tu incesto me amore polluas, iram suam protinus in te accendet, et elegantis tuae juventutis florem perdet. Sin autem cognoverit, quod tu simplici et immaculato mei amore tenearis, et virginitatem meam integram et impollutam custodias, te sicut me diliget, et ostendet tibi suam gratiam. » Tunc Valerianus, Dei nutu, timore affectus, dicit: « Si vis, o carissima, ut credam iis quae dicis, ostende mihi ipsum Angelum; et si intellexero eum esse verum Angelum, faciam quae hortaris: sin autem alium virum amas, et te et illum ense occidam. » Tunc dicit ei beata Caecilia: « Si vis meis parère consiliis, o carissime adolescens, et polliceris te esse expiaturum aeterno lavacro regenerationis, et credis in unum verum Deum, qui vivit in coelis, potes eum contemplari. » Dicit ei Valerianus: « Et quis est, qui me expiabit, ut ego videam Angelum? » Respondit Caecilia, et dixit: « Est senex in quodam loco, qui pulcre sit purgare homines, ut efficiantur digni qui intueantur Angelos. » Dixit ei Valerianus: « Et ubi quaeram ego eum senem? » Respondit Caecilia: « Vade ad tertium lapidem a civitate via quae dicitur Appia; ibi invenies pauperes qui victum petunt a transeuntibus: ab iis enim sum curata, qui quidem sunt hujus mei arcani participes. Eos tu quando videris, dabis eis meam benedictionem, dicens: Caecilia me misit ad vos, ut ostendatis mihi sanctum senem Urbanum *:

* Non Urbanum Pp I, qui tempore Alexandri Severi imperatoris floruit, verum quemdam Urbanum Episcopum, qui apud Romam, in Callisti sepulcris, latebat. Horum Antistitum nomina simul confusa fuisse videntur. Ita doctissimus De Rossi, in *Roma subterr.*, Tom. II.

quoniam ad ipsum habeo secreta ab ea responsa, quae ei reddam. Eum quando videris, narra quaecumque tibi dixi : et quando te lustraverit, induet te indumentis novis et splendidis : cum quibus illico veniens in hoc cubiculum, videbis sanctum Angelum, qui tuus evadet amicus, et quaecumque petes ab ipso, invenies. »

§ 4. Tunc profectus est Valerianus, et convenienter signis, quae accepit ab ipsa sancta Caecilia, invenit sanctum Urbanum Episcopum : qui, cum secundo fuisset confessor, latebat occultus in sanctorum Martyrum monimentis*. Cui quidem postquam dixit omnia quae dixerat Caecilia, magno gaudio est affectus : et genibus humi flexis, et manibus in coelum extensis, dixit cum lacrymis : « Domine Jesu Christe, pastor sancte et bone, Caecilia tua ancilla, tamquam multis laboribus exercita agna, tibi est dedicata : quandoquidem sponsum suum, qui perinde ac leo cohiberi non poterat, accepit, et erga te tamquam agnum reddidit mansuetissimum. Is enim nisi credidisset, ad nos non venisset. Aperi, Domine, ostium cordis ejus verbis tuis : ut cum te cognoverit esse ejus effectorem et Dominum, renunciet diabolo et operibus ejus, et dolis ejus. » Haec et his similia orante sancto Urbano Episcopo, senex ante eum repente apparuit, indutus candidis vestimentis sicut nix, tenens in manibus tabellam, aureis inscriptam litteris. Quem cum vidisset Valerianus, stupefactus et cadens in terram, factus est tamquam mortuus. Tunc senex eum erexit dicens : « Lege, o fili, contextum hujus libri, ut dignus habearis, qui purgeris et videas Angelum, cujus conspectum tibi virgo Caecilia cum prompto animi studio est pollicita. » Tunc Valerianus, defixis oculis, coepit in eo legere. Erat autem haec Scriptura, quae erat in tabella : *Unus Deus, una fides, unum baptisma : Unus Deus et pater omnium, qui est super omnia, et in omnibus. Amen* (*Ephes.* IV).

§ 5. Postquam ergo haec apud se legit, dixit ei Sacerdos : « Credis, fili, haec ita esse, an adhuc dubitas ? » Tunc Valerianus clamavit magna voce : « Non est revera aliud sub coelo, cui verius credi possit. » Postquam ergo haec dixit Valerianus, ille senex ex ejus oculis evanuit. Tunc sanctus Urbanus, cum eum admonuisset, et catechismo instituisset, baptizavit eum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti : et cum eum docuisset omnem regulam fidei, dimisit ad Caeciliam, ei jactis optime fundamentis. Cum autem venisset Valerianus in indumentis candidis, invenit Caeciliam orantem in cubiculo, et Angelum Domini stantem prope eam, fulgentem pennis flammeis, et scintillanti specie, duas coronas habentem in manibus refulgentes, rosisque et liliis splendentes. Quarum unam quidem dedit Caeciliae, alteram vero Valeriano, dicens : Has coronas corde immaculato et puro corpore

* Scilicet, in Callisti coemeterio, quod in Caeciliorum Christianorum praediis erat, et ubi Summorum Pontificum corpora sepeliebantur, ut censet idem De-Rossi.

ustodite : eas enim ex paradiso Dei ad vos attuli. Hoc autem erit obis signum : nunquam marcescent a vobis, neque unquam amitent suavitatem odoris, neque unquam poterunt ab aliis adspici, isi ab illis, quibus sic placebit castitas, quomodo probatum est am vobis placere. Et quoniam tu, o Valeriane, assensus es conilio castitatis, me ad te misit Dominus Jesus Christus, ut eam ccipias quam voles, petitionem. » Ille autem cum audiisset, adoavit et dixit : « Nihil mihi est in hac vita dulcius, quam carisimi et unici fratris praesentia. Quamobrem merito arguar imietatis, si me liberato ab errore simulacrorum, fratrem meum najorem despexero in periculo interitus. Hanc unam ex omnibus ropono petitionem, et supplex contendo, ut fratrem meum Tiurtium, sicut me, dignetur liberare ; et faciat nos ambos perectos in confessione ejus nominis » Cum haec autem audiisset ingelus, laeto vultu ei dixit : « Quandoquidem a Christo peiisti, quod est honestius, is Deum, sicut tu, colet. Quomodo nim te per ancillam Caeciliam lucrifecit Dominus, ita per te ratrem quoque tuum lucrifaciet : et cum ipso venies ad certamen nartyrii. »

§ 6. His ergo finitis sermonibus, forma visionis Angelicae assumpta est in coelos : illisque in Christo laetantibus, et in aedificatione sancta loquentibus, accessit Tiburtius frater Valeriani; et ingressus, tamquam suam sponsam, osculatus est caput S. Caeciliae, et dixit : « Valde miror, hoc tempore hic rosas et lilia olfaciens. Nam si ipsas rosas et lilia tenerem in manibus, ne sic quidem mihi possent praebere tam suavem odorem. Fateor vobis, o carissimi, ita ego ad me redii, ut putem me totum repente esse renovatum. » Dicit ei Valerianus : « Bonum odorem accepisti, o frater, cum ego rogarim Deum, ut acciperes. Te autem jam credente, accipies etiam amaranthinam coronam incorruptionis, et laetari in ipsa rosea specie, et mente eum percipere, cujus in rosis sanguis floret, et in liliis cujus corpus dealbat et anima. Habemus enim coronas, quas tui oculi non possunt percipere, igneo rosae rubore et nivis candore refulgentes. » Dicit ei Tiburtius : « In somnisne haec audio, an veritate haec dicis, o frater Valeriane? » Respondit Valerianus: « In somnis hucusque viximus, o frater carissime. Nam jam Dei gratia et voluntate, sumus in omni veritate, et non est in nobis mendacium. Dii enim, quos hucusque coluimus, revera sunt mali daemones, et immundi. » Dicit ei Tiburtius : « Quomodo hoc cognovisti, o frater? » Respondit Valerianus : « Angelus Dei me docuit : quem tu quoque poteris intueri, si fueris mundus ab omnibus sordibus idolorum. » Dicit ei Tiburtius : « Si fieri potest, ut ego quoque Angelum Dei intuear, quaenam est mora purificationis? » Respondit Valerianus : « Nulla : hoc autem solum mihi pollicere, quod omnia execranda et abominanda simulacra abnegans,

credis unum esse Deum in coelis. » Dicit Tiburtius: « Non intelligo, quonam scopo haec mihi proponis. »

§ 7. Dicit S. Caecilia: « Ut intelligas esse formas testaceas, et gypseas, et ligneas, et aeneas, et cujusvis metalli; et non dicas eos esse deos, in quibus vivunt araneae, et volucres stercora egerunt; in quorum capitibus solent nidificare ciconiae, quos faciunt condemnati, quando damnati propter maleficia mittuntur in metallum. Cum ergo initium accipiant ex condemnatis, quomodo existimari possunt aut credi dii? Inter mortuos enim et simulacra nulla est differentia. Quomodo enim mortuus habet quidem omnia membra; spiritum autem et vocem non potest habere, nec sensum: ita etiam haec vana simulacra, deorum quidem habent nomina, cognoscuntur autem esse infelicia, malaque et terrestria. Quae quidem ostenduntur esse homines mortui, quoniam sunt eis etiam membra, sicut hominum. Quamdiu enim vixerunt, oculis adspexerunt, et auribus audiverunt, et pedibus ambularunt, et ore locuti sunt, et manibus palpaverunt, et naribus olfecerunt: coeperunt tamen a morte, et in mortem aeternam permanent, quod ostendantur nunquam vixisse, vel potuisse vivere. » Tunc dixit Tiburtius cum omni compunctione: « Qui sic non credit, est brutum, et non venit in judicium. Quamobrem ego quoque dico cum omni veritate, non esse alium Deum, nisi Deum Christianorum, et me deinceps eum solum colere et adorare. » Haec cum diceret Tiburtius, sancta Caecilia deosculata est ejus pectus, et dixit: « Revera hodie confiteor te esse plane meum fratrem. Quomodo enim Dei amor tuum fratrem fecit esse meum conjugem; ita etiam simulacrorum contemptio fecit te meum esse fratrem. Quamobrem quoniam es paratus credere in Dominum nostrum Jesum Christum, vade cito cum tuo fratre, ut ipsam accipias purificationem per sanctum baptismum: per quem etiam dignus habeberis angelicas personas intueri, et omnium delictorum tuorum veniam invenire. »

§ 8. Tunc dicit fratri suo Tiburtius: « Rogo te, frater, ut mihi dicas, ad quem me es deducturus. » Valerianus respondit: « Ad virum perfectum, nomine Urbanum, in quo est species angelica, ornata canities, verus sermo, et insignis prudentia. » Dicit ei Tiburtius: « Tu illum dicis Urbanum, quem Christiani dicunt esse suum Papam? Eum audio bis jam fuisse condemnatum, et rursus propter eam ipsam actionem, propter quam fuit condemnatus, suam religionem cum metu latenter praedicare. Eum si contigerit inveniri, citra dubitationem ullam igni mandabitur, et nos quoque cum eo puniemur, si inventi fuerimus ad eum ambulantes: et dum divinitatem quaerimus, quae latet in coelis, incidemus in iram, quae accenditur in terra. » Dicit ei S. Caecilia: « Si haec vita esset sola, et non esset alia, jure quae hic sunt, timeremus perdere. Cum autem sit alia vita, quae est hac multo melior et

oblimior, et nunquam potest finiri, cur timemus hanc perdere, uando per hujus amissionem ad illam accedimus?» Respondit iburtius: « Nunquam antea audivi esse aliam vitam, praeter anc.» Dicit ei Caecilia: « Nunc hoc certo scias, o carissime, quod uandiu in hoc mundo vivimus, vitam laboriosam et dolore pleam agimus, in angustiis et afflictionibus: quandoquidem inflamant humores, minuunt labores, valde exsiccant febres, rheuma ssidue inducit aër, cibi inflant, molesta sunt jejunia, ludi disolvunt, curae contrahunt, perdit negligentia, divitiae abjiciunt, epellit paupertas, elatos reddit juventus, incurvat senectus, dèrimit imbecillitas, perturbat ira: et inter haec omnia mors escindit cum minis, et sic imponit finem omnibus corporeis laetiis, ut ab eo, quod est esse, recedens, ne fuisse quidem putur. Pro nihilo enim de caetero habetur, quicquid non est. Illa item vita aeterna, hanc vitam caducam miseramque et brevem ccipiens, cum aeternis afflictionibus et tormentis datur malis et justis: laetitia vero aeterna et exultatio praebetur justis. »

§ **9**. Ad haec respondit Tiburtius, et dixit: « Et quis est, qui lic fuit, et illinc huc veniens, haec potuit nobis annuntiare, ut aec possimus vera esse credere?» Tunc surgens beata Caecilia, onstitit, et cum magna sic dixit audacia: « Coeli et terrae et aris et omnium volucrum, quae volant in aëre, quadrupedumue et reptilium Creator, ex se, priusquam omnia faceret, geuit Filium, et produxit ex sua potentia Spiritum Sanctum: Fium, ut faceret omnia; Spiritum Sanctum, ut vivificaret unirsa. Omnia autem quae facta sunt, construxit Filius ex Patre enitus; et omnia quae fuerant constructa, ex Patre procedens piritus Sanctus animavit. » Dicit ei Tiburtius: « Hucusque di-um est, credi oportere unum Deum esse in coelis. Quomodo utem nunc tres testaris esse deos? » Respondit S. Caecilia, et ixit: « Unus est Deus in sua virtute, quem sic in sancta Triitate partimur, quomodo in uno homine inesse dicimus artem, emoriam et intelligentiam: quoniam arte invenimus id, quod on didicimus; memoriâ tenemus, quod docemur; intelligentiâ omprehendimus, si quid nos unquam contemplari contigerit aut udire. Quidnam ergo faciemus? Num haec tria in homine una ossidet intelligentia? Si ergo homo in una intelligentia possidet omen trium significatorum: quomodo non Deus omnipotens, in na et eadem divinitate vim obtinet Trinitatis? » Tunc Tiburtius, um in terram cecidisset, coepit clamare et dicere: « Revera, o arissima, non mihi videtur lingua humana dare responsum: ed conjicio Dei Angelum per os tuum esse locutum; » et magnas git gratias, quod cito unum esse Deum in tribus personis, ei perte probaverit.

§ **10**. Conversus itaque ad fratrem suum, dixit: « De uno Deo nihi fuisse satisfactum confiteor: sed meam quaestionem, sicut

prius inceperam, vellem scire. » Dixit S. Caecilia : « De ea mecum loquere, quoniam brevitas temporis est fratri tuo impedimento, quo minus reddat responsum. Me autem, quam Christi sapientia docuit a teneris unguiculis, de quacumque re me volueris inter- rogare, non poteris invenire imparatam. » Dicit ei Tiburtius: « Hoc nuper quaesivi, et nunc quoque quaero. Quisnam ex i qui illic sunt, huc veniens, ostendit nobis aliam vitam quam v praedicatis? » Sancta dixit Caecilia : « Unigenitum suum Fili Pater per sanctam Virginem Mariam misit in terram : qui s in sancto monte, magna voce clamavit, dicens : Venite ad omnes populi, et ego dabo vobis vitam aeternam. Concurrit au ad eum omnis caro, omnis aetas, omne genus hominum. T dixit omnibus : *Poenitentiam agite propter vestram ignorantia quoniam appropinquavit regnum Dei quod tollet regnum homin* (*Matth.* IV). Suum autem regnum vult Deus dividere iis qui c dunt : in quo ille existit sublimior. Illic ergo peccatores quid consummabuntur aeternis doloribus et igne, qui nunquam t minabitur ; Justi autem accipient lucem aeternae gloriae et g dii, quae nullum unquam finem accipit. De caetero nolite, o hominum, hujus vitae fugientem quaerere laetitiam, ut laetiti illius vitae aeternam possideatis quae hanc vitam excipit. In h enim vita breve tempus vivitis ; in illa vero, in omne aevum.

§ 11. « Cum haec autem audiissent omnes populi infideles, u voce dixerunt : Et quis illic fuit, et cum illinc huc venisset, p tuit docere vera esse, quae dicis? Tunc Dei Filius dixit eis : ostendero vobis surrexisse mortuos, non creditis veritati? Ut a tem dubitationis et suspicionis nullum remaneret vestigium, c populis profectus est ad sepulcra, et triduanis, et quatriduanis, jam foetentibus mortuis, quam amiserant vitam, ut Deus red dit. Transmisit mare, super fluctus ambulans non madefac pedibus. Imperabat ventis, castigabat fluctus, et quae excitaban tempestates et tumultus, sedabat. Caecis visum reddebat, ari manus reddebat sanas, claudis ingressum, mutis vocem reddeb et surdis auditum. Paralyticos verbo curabat, leprosos dicto m dabat, infirmis medebatur, lunaticos restituebat, et daemo fugabat. Sed cum mente capti et impii Pharisaei et Pontifices invidissent, propterea quod populi, eis relictis, ejus sequeban vestigia, sternentes vestes suas ante pedes ejus, et clamantes *Benedictus qui venit in nomine Domini :* in eum ira perciti Phari- saei, cuidam Pilato Praesidi eum tradiderunt, vocantes eum ma- gum et impium : et seditionem excitarunt in populo, ut eum cruci affigerent. Hoc autem ille praesciens, pro mundi salute permisit se apprehendi et illudi, injuriis àffici, flagris caedi et occidi. Sciebat enim ut Deus, quod non aliter nisi per pretiosam et in- temeratam suam passionem, esset captivum redditurus diabolum, malisque et immundis spiritibus malas inferret poenas.

§ 12. « Propterea ergo ille fuit comprehensus, qui peccatum on fecit, ut liberaretur genus humanum, quod detinebatur vinum vinculo peccati. Qui est benedictus, fuit sub maledicto, ut s a maledicto eximeret; sustinuit illusiones, ut nos liberaret ab lusione daemonum, qui versantur in hoc mundo. Spineam conam accepit in capite, ut capitalem tolleret sententiam quae : spinis peccatorum in nos lata fuerat. Fel in cibo accepit, ut ılcem primi hominis gustum, unde mors in mundum fuit inessa, commutaret. Potatus est aceto, ut acrimoniam, qua noster nguis ebulliit, in se susciperet; et hunc bibit calicem passionis, ıi nostris debebatur vitiis. Nudatus est, ut nostrorum parentum ıditatem, quam passi sunt consilio serpentis, niveis tegeret inımentis. In ligno fuit suspensus, ut ligni transgressionem, per ıssionem ligni Crucis suae abolèret. Mortem ad se venire admi-, ut secum luctantem sauciaret, et regnum, quod invenit per rpentem, amitteret, et cum ipso serpente sauciata, per Christum ret captiva. Quamobrem omnia elementa cum vidissent suum fectorem sublime actum in crucem, magno metu contremueınt. Nam ex una parte mota est terra, et ex altera fracta sunt mpla et petrae, fugit dies, sol fuit conterritus, et obscuratus xit tenebris universum mundum; luna suae lucis splendorem ube cruenta operuit; astra coeli luce resplendentia, omnia siıul sunt mutata. Stridet terra, et veluti pariens, coepit multos nctos reddere ex sepulcris: qui quidem hoc dabant testimoium, quod Servatoris descensus ad inferos, dissolvit regnum diaoli, et mortuus mortem affecit ignominia, et percussam vinxit, subjecit pedibus servorum suorum. Illinc clarum est, quod pro omine ejus puniti gaudemus, et gloriamur in persecutionibus; ıod hanc nostram vitam, quae ad tempus, et in quam cadit iteritus, aeterna et quae nunquam desinit vita excipit; quam Dei ilius, cum surrexisset a mortuis, suis ostendit Apostolis, quibus dspicientibus, assumptus fuit in coelos.

§ 13. « Hoc ergo si in trium conventu ostendisset, intelligenum cogitationes non possent dubitare. Quanto autem magis, uod non solum duodecim discipulis, sed plus quam quingentis imul seipsum dignatus est ostendere, ne vestigium quidem renquens ullius dubitationis? Illi autem, qui in his rebus erant nitiati, et in omnem mundum missi ad praedicandum, signis et ıagnis prodigiis confirmabant suam praedicationem. Nam et mnes infirmitates curarunt in ejus nomine, fugarunt daemones, t vitam reddiderunt mortuis. Nullam tibi arbitror remanere quaetionem, nisi ut hanc vitam animo et corpore despicias, et illam ehementer et constanter inquiras. Nam qui credit in Dei Filium, t ejus adhaeret praeceptis, quando morietur, ejus corpus a morte ıulla afficietur injuria: sed a sanctis Angelis in ulnis excipietur, t in locum paradisi abducetur. Hinc mors cum diabolo efficit,

et laetabantur, coeperunt eos, qui laborabant, ludificari et dicere: miseri et miserabiles, hunc qui vos affligit laborem deponite, et nobiscum laetantes, vos deliciis explete et libidinibus, et cur tamquam insipientes duro labore dissolvimini, et vestrae vitae tempora negotiis quae vos affligunt, consumitis? Haec dicentes solvebantur in risum, et dabant plausum manibus, magnoque sono eos cachinnantes irridebant. Haec autem illis facientibus, pluvios hiemis menses tranquillissima tempora exceperunt: et ecce pulcrorum et variorum florum flagrantibus omne genus odoribus prata exornabantur, et molles botrorum series producebant: palmites, et vario genere arborum rami stillantes melle fructus producebant: in quibus animadvertimus usque in hodiernum diem abundare simul et gratiam, fructum et decorem. Tunc cum laetarentur illi qui existimabantur esse insipientes, coeperunt lugere ii qui existimabantur esse cives; et qui erant gloriosi in sua intelligentia, perierunt in acri ratiocinatione; et tandem ducti poenitentia inter se murmurantes et gementes dicebant: hi sunt quos habuimus ludibrio; eorum laborem probrum existimabamus; eorum vitam nihili faciebamus, tamquam miserabilem: eorum figuram judicabamus esse indignam, et intelligentiam eorum sine honore. Ii autem inventi sunt intelligentes; et nos quidem probamur tunc fuisse miserabiles, insipientes et stulti, quando neque nobis ipsis operabamur: neque iis qui operabantur, dedimus in opere auxilium: qui quidem cum essemus in deliciis, eos valde irrisimus, et ipsos credidimus esse insipientes, quos quidem nunc resplendentes animadvertimus et florentes. »

§ **18**. Ad haec dixit Praefectus: « Te quidem video esse sapienter haec persecutum: sed ad meum responsum non videris respondere. » Valerianus dixit: « Dixisti nos esse stultos et insipientes, quod facultates nostras damus egentibus, proselytos excipimus, viduis suppeditamus quae sunt necessaria, orphanis subvenimus, corpora insepulta tegimus, et cum maximo honore celebramus martyrum depositiones. Nos autem insipientes judicasti et delirantes, quod cum iis qui laetantur, non laetamur, nec in deliciis vivimus, nec nostras explemus libidines, nec illiberaliter sumus lascivis et impudicis oculis, ostendentes nos esse liberos et ingenuos. Veniet tempus quo accipiemus millecuplos fructus nostrae afflictionis, et nobis laetantibus flebunt illi qui nunc efferuntur laetitiis: est enim nunc tempus seminandi. Qui ergo in hac vita seminant, quae sunt ad tempus, lacrymas, in illa beata et aeterna vita metent gaudium sempiternum. » Dixit Praefectus: « Ergo et nos, et invicti Imperatores luctum aeternum habebimus: vos autem aeternum gaudium possidebitis? » Respondit Valerianus: « Quid enim estis vos, aut vestri Imperatores? Impleto enim vestro tempore morientes, eo majorem Deo estis reddituri rationem, quo vobis ab eo major data fuit potestas. » Dixit Praefectus

Almachius: « Quid in verbis volvendis immoramur? Aut diis thus offerte et illaesi recedite: aut male estis et acerbe morituri. » Ambo responderunt et dixerunt: « Nos non diis, sed Deo quotidie offerimus sacrificia. » Dixit Praefectus: « Quis est Deus, cui dicitis vos vestrum offerre sacrificium? » Sancti responderunt et dixerunt: « Et quis est alius Deus praeter ipsum? Cur de Deo nos interrogas? Est enim alius Deus, praeter unum? » Dixit Praefectus: « Quem unum esse dicitis, ejus nomen requiro. » Dixit Valerianus: « Dei nomen non inveneris, etiamsi possis volare pennis. » Dixit Praefectus: « Jovis ergo nomen non est Deus? » Dixit Valerianus: « Est nomen corruptoris et adulteri, quem fuisse occisorem vestri auctores memorant, et accusatorem * nostrae ostendunt Scripturae. Hunc tu Deum miror quanam impudentia nominasti, cum Deus dici non possit, nisi qui est ab omni peccato alienus, qui est etiam plenus omnipotentia. » Dixit Praefectus: « Ergo errat omnis mundus, et tu cum tuo fratre Deum verum cognovisti? » Dixit Valerianus: « Innumerabilis multitudo Christianismi accepit sanctitatem. Immo vero vos pauci estis, qui remansistis tamquam scissae e naufragio tabulae, ad nihil aliud proficientes, nisi ut in ignem jaciamini. »

§ 19. Tunc iratus Praefectus, jussit eum caedi virgis. Ille autem confestim, dum verberaretur, laetus coepit dicere: « Ecce hora quam valde desiderabam, et ecce dies omni festo mihi jucundior. » Dum beatus verberaretur, praeco magna voce clamabat: « Deos et deas noli maledictis incessere. » Ille autem ad populum clamabat dicens: « Viri cives Romanorum, videte, ne haec plaga vos a veritate avertat, sed state fortiter, et deos lapideos et ligneos, quos colit Almachius Praefectus, in calcem convertite. Nam omnes qui eos colunt, erunt in afflictione et supplicio aeterno. » Tunc qui cum Praefecto considebat Tarquinius, qui etiam dictus est Laccas, Praefecto dicit in secreto: « Invenisti occasionem, domine mi; tolle eos quamprimum a terra. Nam si tardaveris, et de die in diem traxeris, omnes suas facultates distribuent pauperibus, et eis supplicio affectis, tu nihil invenies. » Tunc Praefectus cum ei placuisset illius consilium, jussit lictoribus, ut eos abducerent, ubi erat Jovis statua, et jussit, ut nisi ambo vellent imagini Jovis sacrificare, simul subirent supplicium capitis. Tunc venerandi et gloriosi Christi Martyres, Valerianus et Tiburtius, abducti sunt a Maximo Praefecti cubiculario in locum, qui dicitur Pagus. Qui quidem Maximus coepit eos deflere, et dicere: « O pretiosa et florens juventus! O vinculum magnae fraternitatis! O par pulcherrimum et generosum! Cur vos in malum et impium finem volentes vos ipsos projicere, et ad maximum tendere exitium, ita festinatis tamquam qui ad laetitiam, et magnificam et lautam coenam vocemini? » Tunc dixit Tiburtius: « Nos si non vere

* Criminorum, habent Latini.

et laetabantur, coeperunt eos, qui laborabant, ludificari et dicere: miseri et miserabiles, hunc qui vos affligit laborem deponite, et nobiscum laetantes, vos deliciis explete et libidinibus, et cur tamquam insipientes duro labore dissolvimini, et vestrae vitae tempora negotiis quae vos affligunt, consumitis? Haec dicentes, solvebantur in risum, et dabant plausum manibus, magnoque sono eos cachinnantes irridebant. Haec autem illis facientibus, pluvios hiemis menses tranquillissima tempora exceperunt: et ecce pulcrorum et variorum florum flagrantibus omne genus odoribus prata exornabantur, et molles botrorum series producebant: palmites, et vario genere arborum rami stillantes melle fructus producebant: in quibus animadvertimus usque in hodiernum diem abundare simul et gratiam, fructum et decorem. Tunc cum laetarentur illi qui existimabantur esse insipientes, coeperunt lugere ii qui existimabantur esse cives; et qui erant gloriosi in sua intelligentia, perierunt in acri ratiocinatione; et tandem ducti poenitentia inter se murmurantes et gementes dicebant: hi sunt quos habuimus ludibrio; eorum laborem probrum existimabamus; eorum vitam nihili faciebamus, tamquam miserabilem: eorum figuram judicabamus esse indignam, et intelligentiam eorum sine honore. Ii autem inventi sunt intelligentes; et nos quidem probamur tunc fuisse miserabiles, insipientes et stulti, quando neque nobis ipsis operabamur: neque iis qui operabantur, dedimus in opere auxilium: qui quidem cum essemus in deliciis, eos valde irrisimus, et ipsos credidimus esse insipientes, quos quidem nunc resplendentes animadvertimus et florentes. »

§ **18**. Ad haec dixit Praefectus: « Te quidem video esse sapienter haec persecutum: sed ad meum responsum non videris respondere. » Valerianus dixit: « Dixisti nos esse stultos et insipientes, quod facultates nostras damus egentibus, proselytos excipimus, viduis suppeditamus quae sunt necessaria, orphanis subvenimus, corpora insepulta tegimus, et cum maximo honore celebramus martyrum depositiones. Nos autem insipientes judicasti et delirantes, quod cum iis qui laetantur, non laetamur, nec in deliciis vivimus, nec nostras explemus libidines, nec illiberaliter sumus lascivis et impudicis oculis, ostendentes nos esse liberos et ingenuos. Veniet tempus quo accipiemus millecuplos fructus nostrae afflictionis, et nobis laetantibus flebunt illi qui nunc efferuntur laetitiis: est enim nunc tempus seminandi. Qui ergo in hac vita seminant, quae sunt ad tempus, lacrymas, in illa beata et aeterna vita metent gaudium sempiternum. » Dixit Praefectus: « Ergo et nos, et invicti Imperatores luctum aeternum habebimus: vos autem aeternum gaudium possidebitis? » Respondit Valerianus: « Quid enim estis vos, aut vestri Imperatores? Impleto enim vestro tempore morientes, eo majorem Deo estis reddituri rationem, quo vobis ab eo major data fuit potestas. » Dixit Praefectus

Almachius: « Quid in verbis volvendis immoramur? Aut diis thus offerte et illaesi recedite: aut male estis et acerbe morituri. » Ambo responderunt et dixerunt: « Nos non diis, sed Deo quotidie offerimus sacrificia. » Dixit Praefectus: « Quis est Deus, cui dicitis vos vestrum offerre sacrificium? » Sancti responderunt et dixerunt: « Et quis est alius Deus praeter ipsum? Cur de Deo nos interrogas? Est enim alius Deus, praeter unum? » Dixit Praefectus: « Quem unum esse dicitis, ejus nomen requiro. » Dixit Valerianus: « Dei nomen non inveneris, etiamsi possis volare pennis. » Dixit Praefectus: « Jovis ergo nomen non est Deus? » Dixit Valerianus: « Est nomen corruptoris et adulteri, quem fuisse occisorem vestri auctores memorant, et accusatorem * nostrae ostendunt Scripturae. Hunc tu Deum miror quanam impudentia nominasti, cum Deus dici non possit, nisi qui est ab omni peccato alienus, qui est etiam plenus omnipotentia. » Dixit Praefectus: « Ergo errat omnis mundus, et tu cum tuo fratre Deum verum cognovisti? » Dixit Valerianus: « Innumerabilis multitudo Christianismi accepit sanctitatem. Immo vero vos pauci estis, qui remansistis tamquam scissae e naufragio tabulae, ad nihil aliud proficientes, nisi ut in ignem jaciamini. »

§ 19. Tunc iratus Praefectus, jussit eum caedi virgis. Ille autem confestim, dum verberaretur, laetus coepit dicere: « Ecce hora quam valde desiderabam, et ecce dies omni festo mihi jucundior. » Dum beatus verberaretur, praeco magna voce clamabat: « Deos et deas noli maledictis incessere. » Ille autem ad populum clamabat dicens: « Viri cives Romanorum, videte, ne haec plaga vos a veritate avertat, sed state fortiter, et deos lapideos et ligneos, quos colit Almachius Praefectus, in calcem convertite. Nam omnes qui eos colunt, erunt in afflictione et supplicio aeterno. » Tunc qui cum Praefecto considebat Tarquinius, qui etiam dictus est Laccas, Praefecto dicit in secreto: « Invenisti occasionem, domine mi; tolle eos quamprimum a terra. Nam si tardaveris, et de die in diem traxeris, omnes suas facultates distribuent pauperibus, et eis supplicio affectis, tu nihil invenies. » Tunc Praefectus cum ei placuisset illius consilium, jussit lictoribus, ut eos abducerent, ubi erat Jovis statua, et jussit, ut nisi ambo vellent imagini Jovis sacrificare, simul subirent supplicium capitis. Tunc venerandi et gloriosi Christi Martyres, Valerianus et Tiburtius, abducti sunt a Maximo Praefecti cubiculario in locum, qui dicitur Pagus. Qui quidem Maximus coepit eos deflere, et dicere: « O pretiosa et florens juventus! O vinculum magnae fraternitatis! O par pulcherrimum et generosum! Cur vos in malum et impium finem volentes vos ipsos projicere, et ad maximum tendere exitium, ita festinatis tamquam qui ad laetitiam, et magnificam et lautam coenam vocemini? » Tunc dixit Tiburtius: « Nos si non vere

* *Cr minorum*, habent Latini.

et laetabantur, coeperunt eos, qui laborabant, ludificari et dicere: miseri et miserabiles, hunc qui vos affligit laborem deponite, et nobiscum laetantes, vos deliciis explete et libidinibus, et cur tamquam insipientes duro labore dissolvimini, et vestrae vitae tempora negotiis quae vos affligunt, consumitis? Haec dicentes, solvebantur in risum, et dabant plausum manibus, magnoque sono eos cachinnantes irridebant. Haec autem illis facientibus, pluvios hiemis menses tranquillissima tempora exceperunt: et ecce pulcrorum et variorum florum flagrantibus omne genus odoribus prata exornabantur, et molles botrorum series producebant: palmites, et vario genere arborum rami stillantes melle fructus producebant: in quibus animadvertimus usque in hodiernum diem abundare simul et gratiam, fructum et decorem. Tunc cum laetarentur illi qui existimabantur esse insipientes, coeperunt lugere ii qui existimabantur esse cives; et qui erant gloriosi in sua intelligentia, perierunt in acri ratiocinatione; et tandem ducti poenitentia inter se murmurantes et gementes dicebant: hi sunt quos habuimus ludibrio; eorum laborem probrum existimabamus; eorum vitam nihili faciebamus, tamquam miserabilem: eorum figuram judicabamus esse indignam, et intelligentiam eorum sine honore. Ii autem inventi sunt intelligentes; et nos quidem probamur tunc fuisse miserabiles, insipientes et stulti, quando neque nobis ipsis operabamur: neque iis qui operabantur, dedimus in opere auxilium: qui quidem cum essemus in deliciis, eos valde irrisimus et ipsos credidimus esse insipientes, quos quidem nunc resplendentes animadvertimus et florentes. »

§ **18**. Ad haec dixit Praefectus: « Te quidem video esse sapienter haec persecutum: sed ad meum responsum non videris respondere. » Valerianus dixit: « Dixisti nos esse stultos et insipientes, quod facultates nostras damus egentibus, proselytos excipimus, viduis suppeditamus quae sunt necessaria, orphanis subvenimus, corpora insepulta tegimus, et cum maximo honore celebramus martyrum depositiones. Nos autem insipientes judicasti et delirantes, quod cum iis qui laetantur, non laetamur, nec in deliciis vivimus, nec nostras explemus libidines, nec illiberaliter sumus lascivis et impudicis oculis, ostendentes nos esse liberos et ingenuos. Veniet tempus quo accipiemus millecuplos fructus nostrae afflictionis, et nobis laetantibus flebunt illi qui nunc efferuntur laetitiis: est enim nunc tempus seminandi. Qui ergo in hac vita seminant, quae sunt ad tempus, lacrymas, in illa beata et aeterna vita metent gaudium sempiternum. » Dixit Praefectus: « Ergo et nos, et invicti Imperatores luctum aeternum habebimus: vos autem aeternum gaudium possidebitis? » Respondit Valerianus: « Quid enim estis vos, aut vestri Imperatores? Impleto enim vestro tempore morientes, eo majorem Deo estis reddituri rationem, quo vobis ab eo major data fuit potestas. » Dixit Praefectus

Almachius: « Quid in verbis volvendis immoramur? Aut diis thus offerte et illaesi recedite: aut male estis et acerbe morituri. » Ambo responderunt et dixerunt: « Nos non diis, sed Deo quotidie offerimus sacrificia. » Dixit Praefectus: « Quis est Deus, cui dicitis vos vestrum offerre sacrificium? » Sancti responderunt et dixerunt: « Et quis est alius Deus praeter ipsum? Cur de Deo nos interrogas? Est enim alius Deus, praeter unum? » Dixit Praefectus: « Quem unum esse dicitis, ejus nomen requiro. » Dixit Valerianus: « Dei nomen non inveneris, etiamsi possis volare pennis. » Dixit Praefectus: « Jovis ergo nomen non est Deus? » Dixit Valerianus: « Est nomen corruptoris et adulteri, quem fuisse occisorem vestri auctores memorant, et accusatorem * nostrae ostendunt Scripturae. Hunc tu Deum miror quanam impudentia nominasti, cum Deus dici non possit, nisi qui est ab omni peccato alienus, qui est etiam plenus omnipotentia. » Dixit Praefectus: « Ergo errat omnis mundus, et tu cum tuo fratre Deum verum cognovisti? » Dixit Valerianus: « Innumerabilis multitudo Christianismi accepit sanctitatem. Immo vero vos pauci estis, qui remansistis tamquam scissae e naufragio tabulae, ad nihil aliud proficientes, nisi ut in ignem jaciamini. »

§ 19. Tunc iratus Praefectus, jussit eum caedi virgis. Ille autem confestim, dum verberaretur, laetus coepit dicere: « Ecce hora quam valde desiderabam, et ecce dies omni festo mihi jucundior. » Dum beatus verberaretur, praeco magna voce clamabat: « Deos et deas noli maledictis incessere. » Ille autem ad populum clamabat dicens: « Viri cives Romanorum, videte, ne haec plaga vos a veritate avertat, sed state fortiter, et deos lapideos et ligneos, quos colit Almachius Praefectus, in calcem convertite. Nam omnes qui eos colunt, erunt in afflictione et supplicio aeterno. » Tunc qui cum Praefecto considebat Tarquinius, qui etiam dictus est Laccas, Praefecto dicit in secreto: « Invenisti occasionem, domine mi; tolle eos quamprimum a terra. Nam si tardaveris, et de die in diem traxeris, omnes suas facultates distribuent pauperibus, et eis supplicio affectis, tu nihil invenies. » Tunc Praefectus cum ei placuisset illius consilium, jussit lictoribus, ut eos abducerent, ubi erat Jovis statua, et jussit, ut nisi ambo vellent imagini Jovis sacrificare, simul subirent supplicium capitis. Tunc venerandi et gloriosi Christi Martyres, Valerianus et Tiburtius, abducti sunt a Maximo Praefecti cubiculario in locum, qui dicitur Pagus. Qui quidem Maximus coepit eos deflere, et dicere: « O pretiosa et florens juventus! O vinculum magnae fraternitatis! O par pulcherrimum et generosum! Cur vos in malum et impium finem volentes vos ipsos projicere, et ad maximum tendere exitium, ita festinatis tamquam qui ad laetitiam, et magnificam et lautam coenam vocemini? » Tunc dixit Tiburtius: « Nos si non vere

* *Criminorum*, habent Latini.

didicissemus aliam esse vitam aeternam, quae vitam praesentem sequitur, non gauderemus eam amittere. » Dicit eis Maximus : « Et quaenam potest esse alia vita? » Respondit Tiburtius, et dixit : « Quomodo corpus induitur indumentis, ita etiam anima induitur corpore. Et corpus quidem tamquam semen terrestre, per libidinem in terrenam matricem immittitur: genitum autem et nutritum, et lapsum in mortis interitum, et in pulverem conversum, tamquam Phoenix futurae lucis specie excitabitur. Anima vero, si sit sancta, feretur in paradisi delicias, ut florens in deliciis, exspectet tempus suae resurrectionis. » Dicit eis Maximus : « Vellem ego quoque hanc vitam respuere, si de iis quae dicis, possem fieri certior. » Dicit ei Valerianus : « Quoniam dicis tibi nihil superesse, nisi ut probes vera esse, quae tibi diximus; eâ horâ, qua faciet Dominus nos corporis tunicam exuere in gloriosa nominis ejus confessione, aperiet Dominus oculos tuos, et faciet te adspicere, cum quanta gloria illa vita redditur, si tamen promittas nobis, quod ex toto animo venies ad tui erroris poenitentiam. »

§ 20. Tunc Maximus anathemate seipsum devovit, dicens « Flammis ignis consumar, nisi ab hac hora illum solum Deum confitebor, qui facit, ut post hanc vitam alia vita sequatur : hoc mihi solum ostendite quod estis polliciti. » Et dicunt sancti Martyres Tiburtius et Valerianus : « Jube lictoribus ut nos in domum tuam abducant, et faciemus, ut illuc ad te veniat purificator; qui hac nocte, postquam fueris purificatus, faciet ut videas id quod tibi promisimus. » Cum autem Maximus jussisset lictoribus, abduxerunt eos in domum ejus. Quorum praedicatione ipse Maximus cum tota sua familia et ipsis lictoribus crediderunt in Dominum nostrum Jesum Christum. Tunc sancta Caecilia venit ad ipsos noctu cum sacerdotibus, et fuerunt omnes baptizati in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Cum autem exoriens matutinum, nocti finem dedisset, magno silentio facto, dixit sancta Caecilia : « Estote forti et magno animo, o Dei milites ; abjicite opera tenebrarum, et induimini arma lucis. Pulcrum certamen certavistis, cursum peregistis, fidem conservavistis. De caetero proficiscimini ad coronam justitiae, quam reddet vobis justus Judex : non solum autem vobis, sed etiam omnibus qui diligunt adventum ejus. Locus autem qui dicitur Pagus, erat situs quarto lapide ab urbe Roma : ad quem erat transeundum prope portam templi, ut quicumque illac transibat, nisi Jovis simulacro thus offerret, puniretur. » Cum in eum autem locum venissent sancti Tiburtius et Valerianus, pretiosum thus obtulerunt, Deo offerentes suos accusatores : et sic flexis genibus, fuere caesi gladio : et amisso hoc caduco et mortali corpore, aeternam et quae non potest marcescere, martyrii coronam accepere *.

* Latini sic : *Venientibus sanctis, offeruntur thura, et recusant. Recusantes ponunt genua, feriuntur gladio.*

§ 21. Tunc Maximus jurans dicebat: « Vidi Angelos Dei tamquam soles resplendentes, ea hora qua gladio sunt percussi, et exeuntes eorum animas e corporibus, tamquam virgines e thalamo. Quas cum ulnis excepissent Angeli, strepentibus alis ferebantur in caelum. » Haec Maximo narrante cum lacrymis, multi crediderunt in Dominum nostrum Jesum Christum, et conversi ab errore simulacrorum, seipsos tradiderunt sancto Urbano suo magistro. Cum autem ad Almachium Urbis Praefectum venisset fama, quod Maximus cubicularius cum omnibus suis factus esset Christianus, jussit eum tamdiu verberari globis plumbeis, donec spiritum emitteret. Quem sancta Christi Martyr Caecilia cum posuisset proxime sanctos Dei Martyres Tiburtium et Valerianum, deposuit in arca, et jussit ut in arca ejus insculperetur Phoenix, ad ostendendam ejus fidem, qui se inventurum esse resurrectionem Phoenicis exemplo admiserat. Facta est autem post haec inquisitio. Coepit enim Almachius Praefectus amborum fratrum quaerere facultates, propter quas volebat etiam quaerere sanctam Caeciliam, ut Valeriani conjugem; et jussit eam apud se sisti. Quae quidem postquam omnia quae superfuerant ex eorum facultatibus, fideliter distribuisset pauperibus, coepit ille urgere, ut ea thus offerret. Tunc dixit ministris, qui eam urgebant, ut hoc faceret:

§ 22. « Audite me, cives et fratres. Vos estis ministri vestri Praesidis, et videtur vobis, quod desideratis esse alieni ab ejus impietate. Mihi autem est gloriosum et valde desiderandum, omnia pati gravia pro Christi confessione. Nam cum hac vita nunquam statui ullam habere amicitiam. Sed ne sitis de nostra solliciti juventute, quam omnis curae estis expertem reddituri. Facite ergo, quod ab iniquo Praeside est vobis imperatum. » Tunc illi coeperunt lamentari et conqueri, quod tam electa puella, et tam intelligens et nobilis, cuperet interfici; et eam rogabant, dicentes, ne talem decorem amitteret, neque talem speciem converteret ad mortem. Quibus flentibus et dolore vexatis sic sancta respondit Caecilia: « Hoc, o fratres, non est perdere juventutem, sed commutare; dare lutum, et aurum accipere; dare tabernaculum breve et miserabile, et magnam spatiosamque et amplam domum accipere, ex lapidibus pretiosis et auro aedificatam; dare angulum tenebrosum, et locum accipere lucidum, margaritis resplendentem caelestibus; dare possessionem, quae perit, et accipere possessionem, quae non cognoscit finem, et ignorat mortem; dare lapidem miserabilem, quem pedibus conculcatis; et accipere lapidem pretiosum, qui formâ resplendet in regio diademate. Hodie si quis sic offerat auros, ut minimam nummorum quantitatem ex iis alacri animo proventum accipiat: num vos quoque lubenter curreretis ad talem negotiationem, et omnes parentes, et notos, et cognatos, dilectosque, et propinquos, et amicos vobiscum faceretis currere? Si quis autèm vos currentes averteret,

dicendo vos inutiliter omnes vestros nummos esse daturos, num eos essetis irrisuri ut ignorantes, et qui nihil cognoscerent; vos autem laeti curreretis, quod cum pretioso auro essetis permutaturi aes miserabile, et non magni pretii? et vos quidem pondus pro pondere gaudetis accipere: Deus autem non dat pondus pro pondere; sed accipit simplum et reddit centuplum: praeterea vero vitam quoque aeternam. »

§ **23**. Cum haec autem dicta essent a beata Caecilia, ascendit supra petram, quae erat prope pedes ejus, et dicit omnibus: « Creditis ea, quae dixi vobis? » Illi autem una voce dixerunt omnes: « Certe credimus in Christum Filium Dei, eum esse verum Deum, qui te talem habet ancillam. » Dicit eis sancta Caecilia: « Ite de caetero, et dicite infelicissimo Almachio, quod ego unum donum peto, ne nimis acceleret is meam decertationem. Ego autem faciam. ut in domum meam veniat sanctissimus Papa Urbanus, ut faciat vos omnes vitae aeternae participes, et sic Dei providentiâ ego quoque consummabor. » Tunc cum in ejus domum venisset sanctissimus Papa Urbanus, baptizavit plusquam quandringentos, diversi sexus, fortunae et aetatis. Inter quos erat vir clarissimus, nomine Gordianus. Is cum Papae precibus domum sanctae Caeciliae vocavit ex suo nomine, ut in occulto ex illo die, ex quo illic Christi peractum est baptisma, fieret Ecclesia Dominica , adeo, ut sanctissimus quoque Papa Urbanus illic occulte habitaret; in dies autem Christi redemptionis lucra illic crescerent, et diaboli essent damna innumerabilia.

§ **24**. Cum haec autem fierent, Almachius Urbis Praefectus jubet coram se sisti Caeciliam: quam interrogans, ei dicit: « Quod est nomen tuum, o puella? « Respondit sancta: « Caecilia. » Dixit Praefectus Almachius: « Cujus es conditionis? » Dixit Caecilia: « Ingenua ex clarissimis. » Dixit Praefectus: « Ego te rogo de religione, non autem de genere. » Sancta dixit Caecilia: « Interrogatio tua stultum coepit principium, quae duo responsa videtur elicere ex una quaestione. » Dixit Praefectus: « Undenam est tibi haec fiducia? » Respondit sancta: « Ex bona conscientia, et fide non simulata. » Dixit Praefectus: « Ignoras quaenam sit mihi potestas? » Dixit sancta Caecilia: « Ignoras tu quaenam sit tibi potestas. Nam si tu me rogaveris de tua potestate, veris verbis tibi aperiam. » Dicit ei Praefectus: « Dic, si quid nosti. » Sancta dixit Caecilia: « Omnis hominis potestas est perinde, ac uter vento plenus: quem si una acu pupugeris, omnis tumor ejus colli flaccescit. Quinetiam si invenitur in ipso aliquid portare, inflectitur. » Dixit Praefectus: « Coepisti a contumelia, et perseveras in contumeliis. » Dixit sancta Caecilia: « Non dicitur contumelia, nisi in eos qui pauca peccant, non teneatur moderatio. Quare vel doce contumeliam, si falsum sum locuta; vel teipsum castiga, subeuntem judicium. » Dixit Almachius Práefectus: « Ignoras quod domini invicti

Imperatores jusserunt, ut qui non negaverint se esse Christianos, puniantur; qui autem negaverint, dimittantur? » Dixit sancta Caecilia: « Sic vestri semper errant Imperatores, sicut etiam vestra celsitudo. Nam quae ab ipsis processit sententia, vos quidem testata est esse impios, nos autem esse ostendit innocentes. Si enim malum esset hoc nomen, nos quidem negavissemus. Vos autem, ut nos confiteremur, omnino coëgissetis. » Dixit Praefectus: « Pro pietate sua hoc voluerunt statuere, ut sua benignitate vitam donando, vobis gratificentur. » Dixit sancta Caecilia: « Nihil est aeque impium, nihil vero tam innocentiae inimicum, quam reis omnia inferre supplicia ad hoc, ut suam iniquam testentur qualitatem; et de eorum in mysterio sociis gravissimam habere quaestionem. Nos autem, quos innocentes cognoscitis, nominis solum accusatis. Sed nos, qui sanctum nomen Christi cognoscimus, id omnino negare non possumus. Est enim melius mori feliciter, quam vivere infeliciter. Nos enim vera dicentes, vos punimus, quibus est persuasum ut falsum audiatis. »

§ 25. Dixit Almachius Praefectus: « Elige tu unum ex duobus: aut sacrifica, aut nega te esse Christianam, ut delicti tibi detur venia. » Tunc dixit ridens sancta Caecilia: « O Judicem pudore necessario affectum! Vult me negare, et esse me innocentem, ut ipse me faciat crimini obnoxiam. Si vis accusare, cur me adhortaris, ut negem? Sin autem vis absolvere, cur non vis inquirere? » Dixit Praefectus Almachius: « Adsunt accusatores, qui testantur te esse Christianam. Si ergo quamprimum negaveris, impones finem eorum accusationibus. Sin autem nolueris negare, hoc tuae imputabis amentiae, quando in te lata fuerit sententia. » Dixit sancta Caecilia: « Eorum accusatio est mihi desideranda, et punitio tua est victoria. Noli me ergo corrigere tamquam errantem; sed teipsum increpa, qui existimas fore, ut Christum negem. » Dixit Praefectus: « Misera, nescis vitae et necis potestatem mihi datam esse ab Imperatoribus? Cur loqueris cum tanta superbia? » Dixit sancta: « Alio modo licet dicere superbum, et alio confidentem. Ego confidenter, non autem superbe, sum locuta. Nam nos quoque valde rejicimus superbiam. Tu autem si non times audire veritatem, rursus docebo te nunc falsa esse locutum. » Dixit Almachius Praefectus: « Quidnam falsi es in nobis assecuta? » Dixit sancta Caecilia: « Hoc, quod affirmas tuos Imperatores tibi dedisse vitae et necis potestatem. » Dixit Praefectus: « Ego sum mentitus? » Sancta dixit Caecilia: « Revera, si jubeas, falsum te dixisse ostendam. » Dixit Praefectus: « Dic. » Sancta dixit Caecilia: « Dixisti tuos Imperatores tibi dedisse potestatem vitae et necis. Cognosce itaque, tibi solum esse datam mortis potestatem. Nam vitam quidem potes a vivis tollere; mortuis autem non potes dare vitam. Dic ergo, quod Imperatores te voluerunt esse ministrum mortis. Nam si tu amplius dixeris,

deprehenderis falsa dicere, et quae non possunt consistere. » Dixit Praefectus Almachius: « Ne sis verbosa, o mulier, sed de caetero tuam depone audaciam, et veni, et diis sacrifica. » Dixit sancta Caecilia: « Nescio, ubinam tuos oculos amiseris. Nam quos tu dicis deos, ego et omnes qui sunt sanis oculis, videmus esse lapides, et aes, et plumbum. » Dixit Praefectus: « Meas injurias philosophando contempsi; non possum autem ferre deorum contumelias. » Dixit sancta Caecilia: « Ex quo os aperuisti, nullum verbum fecisti quod non te ostenderet injustum, insipientem et stultum. Sed enim quidnam hoc est, quod externis oculis te esse caecum ostendis, quando quod omnes lapidem esse adspicimus, et lapidem inutilem, tu deum esse testaris? Do tibi, si jubes, consilium: et eum tangens, disce esse lapidem: si non nosti, id adspiciens: est enim dedecus, a toto te rideri populo. Omnes enim sciunt Deum esse in coelis: haec autem, ut quae sint formae lapideae, per ignem posse melius mutari in calcem; quoniam jam suo otio pereunt, et neque tibi, si simul pereas, neque si in ignem conjectae fuerint, sibi poterunt subvenire. »

§ 26. Tunc valde iratus Almachius, jussit eam reduci in domum suam, et illic balnei flamma torreri. Cum autem esset in aere balnei sui inclusa, et subtus toto die et nocte magna vis ardentis ligni adhiberetur, tamquam in loco refrigerato illaesa permansit et salva, Domini gratiâ: adeo, ut nulla pars omnino ex ejus membris vel minimo sudoris signo fuerit humectata. Quod cum audisset Almachius Praefectus, illuc misit ad ipsam, ut in ipsis balneis ei caput amputaretur. Quam spiculator tribus percussit ictibus, et non potuit ei caput amputare. Sic autem eam semiputato capite ferus et crudelis ille lictor reliquit: adeo ut omnes turbae, quae per illam crediderant, sanguinem linteis tamquam spongiis hauserint. Tribus autem, quibus supervixit diebus, non cessavit omnes, quos aluit et quos docuit, confirmare et corroborare in fide Domini. Quibus etiam distribuit omnia quae habebat, et sanctissimo Papae Urbano commendavit. Cui etiam dixit: « Trium dierum mihi jam petivi terminum, ut tradam haec tuae sanctitati, et hanc domum meam in seculum ecclesiae nomine consecres. » Impletis autem tribus diebus, et Deum precante beata Caecilia, cum essent adhuc preces in ore ejus, tradidit pretiosam et sanctam suam animam in manus Dei viventis, mensis Novembris XXII *. Tunc sanctissimus Papa Urbanus, cum gloriosum ejus corpus sustulisset noctu cum Diaconis, sepeliit ipsum inter alios collegas suos Episcopos, ubi sunt omnes Confessores et Martyres depositi. Ejus autem domum in aeternum consecravit nomine sanctae ecclesiae, et illic perpetuo

* S. Caeciliam martyrium subiisse, seculo secundo, Marco Aurelio imperante, censet, contra Baronium, clarissimus De-Rossi. Qui praeterea ipsam, die 16 septembris necatam fuisse; diem vero 22 novembris sacram fuisse antiquitus dedicationi, ejus domus in ecclesiam, luculenter ostendit.

peraguntur sancta Domini mysteria usque in hodiernum diem: in memoriam quidem Martyris, gloriam autem et laudem magni Dei et Servatoris nostri Jesu Christi: Cui gloria et potentia nunc et semper, et in secula seculorum, Amen *.

VITA S. CLEMENTIS MART.

EPISCOPI ROMANI, DISCIPULI SANCTI PETRI APOSTOLI

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE, TOMO V ALOYSII.

Passus est anno 100 — Romanus.

§ 1. Trajani Imperatoris tempore, Torcutianus Comes officiorum, cum innumerabilem multitudinem Christo vidisset credere, accersiit Praefectos regionum, et datis eis pecuniis, persuasit, ut turbam moverent adversus nomen Christianum. Urbis autem Praefecturam obtinente Mamertino, excitata est populi Romani seditio nomine Clementis; et exorta inter se invicem confusione, alius aliud in ipsum dicebat. Aliqui autem contra dicebant: « Quid enim mali fecit? Aut quid non boni recte gessit? Nam quemcumque aegrotorum visitavit, is sanitatem ab eo est consecutus. Quicumque ad eum abiit affectus tristitia, is laetus est reversus. Nullum unquam laesit, omnibus vero profuit. » Alii autem diabolico spiritu accensi, clamabant: « Magicis artibus haec faciens, deorum nostrorum cultum evertit. Jovem dicit non esse Deum; Herculem autem nostrum, custodem esse dicit immundorum spirituum; sanctam Venerem refert fuisse meretricem; Vestam

* Sacri et pretiosi S. Caeciliae corporis inventionem ac in Basilicam transtiberinam translationem, quas Paschalis Pp. I, anno 821, peregit, praetereuntes, operae pretium ducimus gratumque fore legentibus, hic exscribere a Baronio, quae ipsemet, in celeberrima recognitione, anno 1599, regnante Clemente Pp. VIII, peracta, conspexit. " Vidi, quae in marmoreo monumento posita erat, arcam cupressinam, qua sacra membra Caeciliae claudebantur, operculo ductili clausam, eamdemque modice laesam: ut vehementer fuerim admiratus, quomodo post 878 annos potuerit arca lignea, humectante illam marmoreo, sui natura, sepulcro, subtus terram absque ulla aëris participatione locata, ita integra et illaesa servari... Cum nos ista de lignea arca non sine magna admiratione vidissemus; ad id quod intus detinebatur, sacrum Martyris corpus, intuendum devenimus. Ac plane, secundum illud Davidicum: *Sicut audivimus, ita et vidimus in civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri.* Etenim ut a Paschali Papa inventum et reconditum fuisse legimus, venerandum Caeciliae corpus, ita invenimus, nempe ad pedes ejus, quae fuerant, madida sanguine vela; et serica fila auro obducta, quae visebantur, jam vetustate solutae vestis illis auro textae, cujus idem Paschalis meminit, indices erant. Alia vero supra Martyris corpus serica, levia tamen velamina posita, ipsaque depressa situm ipsum et habitudinem corporis ostendebant. Visebaturque (quod admiratione dignum erat), non ut assolet, in sepulcro resupinum positum corpus sed ut in lecto jacens honestissima virgo supra dextrum cubare latus, contractis nonnihil ad modestiam genibus, ut dormientis imaginem redderet potius, quam defunctae, ipso ita ad insinuandam in omnibus virginalem verecundiam composito situ corporis; adeo ut (quod aeque mirandum) nemo quamvis curiosus inspector, ausus omnino fuerit virgineum illud detegere corpus, reverentiâ quadam inenarrabili repercussus, perinde ac si coelestis Sponsus assisteret vigilans custos dormientis sponsae, monens et minans: *Ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam, donec ipsa velit* (*Cant.* III). Vidimus, cognovimus et adoravimus . (Ex Annal. Tomo II, pag. [illegible].

autem magnam deam, igne fuisse consumptam, impie asserit. Similiter sanctissimam quoque Minervam, Dianamque et Mercurium, Saturnumque et Martem calumniatur. Omnia nostrorum deorum nomina et templa probris insectatur et contumeliis. Aut diis nostris sacrificabit, aut ipse delebitur. »

§ 2. Tunc Mamertinus, Urbis Praefectus, non ferens populi seditionem, Beatissimum Clementem jussit ad se adduci. Quem cum vidisset, coepit dicere: « Ex generosa quidem radice processisti, ut tibi testimonium fert Romanus populus: sed errorem suscepisti, et ideo non possunt in animum inducere, ut taceant. Nam nescio quemnam Christum colis, et contra deos admittis. Quamobrem oportet te deponere omnem superfluam superstitionem, et colere deos quos de more colimus. » Tunc dixit B. Clemens: « Optarem excellentiae tuae prudentiam attendere meam defensionem et non propter imperitorum seditionem, sed propter meam doctrinam, me accusare. Nam etiamsi multi canes nos allatraverint et conciderint, non possunt nobis auferre, quin simus homines rationis participes: illi autem, canes latrantes. Semper enim, constat, seditionem proficisci ab imperitis, ut nihil habeat tutum, nec verum. Quamobrem quaeratur ratio silentii, in quo pro sua salute homo particeps rationis, et per se incipiat consultare et disserere, ut verum Deum inveniat, cui suam fidem honorifice commendet. » Tunc Mamertinus, Urbis Praefectus, mittens ad Trajanum Imperatorem, detulit nomen B. Clementis, dicens: « Hunc Clementem seditiosis clamoribus populus non cessat quaerere, et non potest in eum inveniri fide digna probatio. » Tunc rescripsit Trajanus Imperator, oportere eum vel consentire sacrificantem, aut ultra mare et Pontum in desertam civitatem, sitam prope Chersonem relegari.

§ 3. Quando autem Trajani jussus fuit confirmatus, cogitabat apud se Mamertinus, quonam modo Clemens voluntarium non peteret exsilium, sed diis potius offerret libamina. Sed beatus Clemens contendebat ipsius quoque judicis animum ad fidem Christi traducere, et ostendere se potius eligere exsilium, quam id timere. Dominus autem Clementi praebuit tantam gratiam, ut Mamertinus Urbis Praefectus defleret, et diceret: « Deus, quem tu sincere colis, ipse tibi opem feret in hoc, quo fuisti damnatus, exsilio; » navemque ei constituit; et cum omnia in eam immisisset quae erant ad usum necessaria, dimisit. Porro autem multi quoque ex populo viri pii eum sunt secuti. Cum autem pervenit ad locum in quem erat relegatus, ad opus fodiendi et caedendi marmoris, illic invenit plusquam duo millia Christianorum, qui ad longissimum tempus erant condemnati. Qui quidem cum vidissent sanctum et egregium Clementem, omnes unanimes cum gemitibus et lacrymis accedentes, dicebant: « Ora pro nobis, sancte Pontifex, ut efficiamus digni Christi promissione. » Quos cum cognovisset

ianctus Clemens propter Christum fuisse relegatos, dixit: « Non ib re me huc misit Dominus: sed ut, cum fuissem particeps veitrarum perpessionum, praeberem etiam exemplum consolationis t tolerantiae. »

§ 4. Ab eis autem accepit, quod a sex milliaribus portabant iquam suis humeris. Statim itaque Clemens rogavit eos, dicens: Precemur Dominum nostrum Jesum Christum, ut fidei suae onfessoribus aquae fontem aperiat; et qui percussit petram in erra deserta Sina, et abunde fluxerunt aquae, ipse copiosum iobis praebeat fluentum, ut laetemur ejus suppeditatione. » Imileta autem precatione, in eo loco ad quem adspexerat, vidit igpum stantem: qui dexterum pedem levavit, veluti sancto Cleuenti locum indicans. Tum sanctus Clemens cogitans esse)ominum, quem ipse solus adspexit, et nullus alius, profectus st ad locum, et dixit: « In nomine Patris et Filii et Spiritus ancti pulsate in hoc loco; » et cum omnes circumcirca fodissent igonibus, et non ipsum locum, in quo stetit agnus, parvo ligone ccepto, parvo ictu Sanctus pulsavit locum, qui erat sub pede agni: inde repente emersit fons pulcherrimus aquis scaturientibus, qui nagno impetu effusus fecit fluvium. Tunc sanctus Clemens dixit mnibus exultantibus: « Fluminis impetus laetificat civitatem)ei. » Propter hanc ergo famam accurrit omnis provincia, et mnes, qui venerant ad doctrinam sancti Clementis, conversi sunt id Dominum: adeo, ut quotidie quingenti et plures baptizati reederent. Intra unum autem annum factae sunt illic a fidelibus eptuaginta quinque ecclesiae; et confracta sunt omnia simulacra, mnia templa regionis, quae erat circumcirca, sunt dìruta; omnes uci, qui erant ad trecenta milliaria, omnino in orbem sunt conisi et constrati.

§ 5. Tunc ergo odiosa narratio pervenit ad Trajanum Imperaorem, quod illic ad multitudinem innumerabilem auctus esset opulus Christianorum; et ab eo missus fuit Praeses Ausidianus, jui plurimos Christianos diversis tormentis sustulit. Videns autem mnes ad martyrium cum gaudio accedentes, cessit multitudini; olum autem sanctum Clementem cogens sacrificare; et videns um sic esse firmum et stabilem in Domino, et nolle omnino a ua dimoveri sententia, dicit lictoribus: « Accipite eum et ducite n medium maris, et projicite eum in profundum, ne possint hristiani tollere ejus corpus, et pro deo eum colere. » Cum hoc rgo factum esset, universa multitudo Christianorum adstans lebat in littore.

§ 6. Post haec autem dixerunt Cornelius et Phoebus ejus disipuli: « Omnes oremus unanimes, ut ostendat nobis Dominus Martyris sui reliquias. » Orante ergo populo, retrocessit mare in uum sinum ad tria fere millia: per siccum autem ingressi populi, nvenerunt in figura templi marmorei paratum a Deo habitaculum,

et illic situm corpus sancti Clementis, et ancoram, cum qua fuit projectus, prope ipsum jacentem. Revelatum ergo fuit ejus discipulis, ne reliquias e loco ejicerent: quibus etiam hoc fuit responsum, quod singulis annis in die suae decertationis, cessurum sit mare venientibus, septem dies siccum iter eis praebens. Quod quidem Deo placuit fieri ad laudem ejus nominis usque in hodiernum diem. Hoc autem facto, quod erat praeter opinionem, miraculo, omnes gentes circumcirca credidere Christo. Quo in loco nullus invenitur Gentilis, nullus Hebraeus, nullus omnino haereticus. Illic enim plurima fiunt beneficia. In ejus festo caeci illuminantur, daemones expelluntur, febrientes sani fiunt; nephretici, et qui calculo laborant, solo contactu ejus reliquiarum, et aquae sanctificatae adspersione et potu, a morbo liberantur: et qui quovis morbo affecti, confugientes ad sacri Martyris auxilium, fruuntur curatione; et permanet gloria ejus et laus in aeternum, per Dominum nostrum Jesum Christum: per quem et cum quo, Patri gloria cum sanctissimo et vivifico ejus Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen *.

VITA S. JOANNIS A CRUCE CONFESS.

EX CANONIZ. BULLA A BENEDICTO PP. XIII, ANNO MDCCXXVI, PROMULGATA.

Quievit in Domino anno 1591 — Hispanus.

Pia mater Ecclesia praecipuis universalis honorificentiae praeconiis illos ordinari decernit, qui olim sanctissimis disciplinis et moribus eam illustrantes divini nominis gloriam et Deo famulantium numerum dictis et factis augere, perque viam salutis ducere summâ curâ studuerunt. Hujusmodi virum christianis virtutibus, coelesti doctrinâ, jugi poenitentiâ, multisque signis

* Nostrum non est hanc de martyrio miraculisque S. Clementis Papae Historiam, in qua ardui scopuli, gravesque difficultates occurrunt, perpendere atque veritatis trutinâ examinare. Sufficere nobis videtur meminisse Metaphrastem, ut Baronius asserit, ex antiquioribus monumentis Historiam hanc confecisse. Nec porro supervacaneum erit S. Clementis Vitam, quam Anastasius Bibliothecarius edidit, hoc loco subjicere.

" Clemens, natione Romanus, de regione Coeliomonte, ex patre Faustino, sedit annos 9, menses 11 (alii *menses 2*), dies 10. Fuit autem temporibus Galbae et Vespasiani, a Consulatu Trajani et Italici usque Vespasianum IX (alii, usque ad *Vespasiani secundi*) et Titum. Hic dum multos libros zelo fidei Christianae religionis adscriberet, martyrio coronatur. Hic fecit 7 regiones dividi Notariis fidelibus Ecclesiae, qui gesta martyrum sollicite, et curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquirerent. Hic fecit duas epistolas, quae catholicae nominantur. Hic ex praecepto Beati Petri suscepit Ecclesiam (alii, *Ecclesiae Pontificatum gubernandi*), et Pontificatum gubernandum, sicut ei fuerat a Domino Jesu Christo cathedra tradita, vel commissa. Tamen in epistolam, quae ad Jacobum scripta est, qualiter ei a Beato Petro commissa est Ecclesia, reperies. Ideo Linus et Cletus ante eum conscribuntur, eo quod ab ipso principe Apostolorum ad ministerium sacerdotale exhibendum sunt Episcopi ordinati. Hic fecit ordinationes duas per mensem decembrem, Presbyteros 10, Diaconos 11 (alii 2), Episcopos per diversa loca 15. Obiit martyr anno Trajani tertio, qui etiam sepultus est in Graecia, 8 Calendas decembris, et cessavit episcopatus dies 22. "

probatum Ecclesiae catholicae dedit ea pars Hispaniae Tarraconensis, cui Castellaeveteris * nomen est, nosque illum hac die, in honorem B. Joannis apostoli et evangelistae Deo sacrâ, sanctorum Confessorum non pontificum canoni solemni S. R. E. caeremoniâ adnumerare decrevimus.

§ 1. Is est B. Joannes a Cruce Ordinis Fratrum B. Mariae Virginis a Monte Carmelo, qui Excalceati appellantur, primus professor et parens, qui anno Christi Domini MDXLII ex perhonestâ Lepesiâ familiâ ortus est in oppido quod dicitur Fons Tiberii ** in episcopatu Abulensi. A primis annis egregiae animi dotes in eo, pie christianeque educato, plurimum emicuerunt; quamque dilectus et carus esset Deiparae Virgini, in cujus patrocinium confugerat, inde patuit, quod aquam e puteo hausturus, in illum prolapsus, Patronae manu sublatus incolumis prodiit. Adolescens eximiae pietatis ducto Metymnaecampi *** hospitalem domum ingressus, aegrotantium et pauperum famulatui se addixit, maximâ charitate diu noctuque languentibus assidens, nec modo spiritualia, sed ne vilissima quidem officia in iis juvandis obire detrectans; unde factum ut ceteri in nosocomio, christiana Joannis acta demirati, aegrotorum corporibus animisque curandis certatim ejus exemplo alacrem et sollicitam operam darent. Quidquid interim tam pio ministerio supererat, praeclarus juvenis assiduis precibus, vigiliis, lacrymis et dominicae Passioni religiosissimo animo recolendae, impendebat. Quae tandem ipsi ad fratrum Ordinis B. Mariae Virginis a Monte Carmelo institutum ineundum jucundissimam viam aperuerunt. Hoc ita amplexus est ut vota emissa purioris disciplinae studio accurate observaret, ad primitivi Ordinis normam se omnino conformans, nec nisi cum timore et tremore ac jussu majorum, ob summam rei divinae praestantiam, ad sacratissimum presbyteratus gradum evectus.

§ 2. Quum vero Dei virgo Teresia, quae postea, excelsis ejus virtutibus signisque flagitantibus, per felicis memoriae antecessorem nostrum Gregorium Papam XV in sanctarum virginum canonem relata est, inter Sorores jam dicti Ordinis B. Mariae Virginis a Monte Carmelo primaevi instituti regulam felici exitu restituisset, idemque pro Fratribus ejusdem familiae animo volutaret, Dei ancillae magni operis comes Joannes a Cruce, strictioris disciplinae promovendae ardore vehementer accensus, plane coelitus datus est. Quare tantae rei negotio inter sacram virginem et Dei famulum agitato, Ordo fratrum Carmelitarum **** communi

* Italice *Vecchia Castiglia*; hisp. *Castilla-la-Vieja*, cujus urbes illustriores sunt Burgos, Segovia, Avila, Palencia et Santander.

** Scilicet Ontivéros.

*** Scilicet *Medina del Campo*. Vigesimum primum annum aetatis suae agebat tunc S. Joannes a Cruce.

**** Cujus Ordinis, ita instaurati, ipse S. Joannes Prior fuit electus.

omnium bonorum plausu, licet fremente humani generis hoste, mirifice instauratus et per universam Europam non sine ingenti Dei gloriâ diffusus est, plurimis Teresiae virginis curâ per totam Hispaniam erectis atque optime institutis coenobiis, quae ipse, nullis vitae incommodis et periculis territus, singula perlustravit.

§ 3. Ubi vero admirandâ innocentiâ, assiduâ rerum divinarum contemplatione, asperrimo vitae rigore summisque virtutibus inclytus suorum corda in perfecto Dei cultu undequaque firmaverat, diro morbo et in crure quinque plagis sanie manantibus patientissime toleratis, totus in Deo, quem semper in corde atque ore habuerat, fixus, sanctissimis Ecclesiae sacramentis summâ fide et religione susceptis, inter sodalium collacrymantium amplexus, Davidici psalmi versiculo, *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, piissime pronunciato, die et horâ a se praedictis, in Ubedae coenobio, XXIX Calendas Januarias, anni Salutis MDXCI, aetatis XLIX, vitae coenobiticae XXIX, purissimam efflavit animam vir Deo percarus, daemoni formidatus, animi lenitate, constantiâ in adversis, miraculorum ac prophetiae dono per totam Hispaniam illustris, inque mysticae theologiae arcanis scripto explicandis *, aeque ac Teresia, divinitus instructus, quam, decreto S. R. E. nondum beatis adnumeratam, ipse sodalis suo inter sanctas Dei virgines, eo superstite, referendam pronunciavit.

§ 4. Ad servi Dei exuvias, suavi odore perfusas, et postea corruptionis expertes, eumdem veluti placido somno sopitum referentes, populi eas osculantis multitudo copiosa turmatim confluxit, vestium et ipsius etiam corpusculi particulas, venerationis instinctu, auferre conata. Tanti viri, quem Teresia ut sanctum suspexerat sanctique elogio compluries ornaverat, virtutum et prodigiorum famâ in dies percrebescente, gesta ejus maturo judicio venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium, sedente piae recordationis decessore nostro Alexandro Papa VII, ad canonicos ritus discussa et probata fuerunt, unde per similis memoriae Clementis Papae X apostolicas litteras inter beatos relatus est.

§ 5. Novis deinde miraculis, post solemnem beatificationem ob ejus merita a Deo patratis, jussu Innocentii Papae XI undique conquisitis, et coram nobis ipsis per venerabiles Fratres nostros in examen adductis, ac veteri disciplinae et majorum constitutionibus respondere per omnia compertis, inque tribus consistoriis et plenario conventu eorumdem venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum nobiscum in Urbe praesentium conventu rite perpensis, unanimi eorumdem sententiâ per Sedis

* Mysticae theologiae opera, quae S. Joannes a Cruce edidit, illis S. Teresiae a quibusdam anteponuntur. Ea in gallicum sermonem, anno 1694, versa fuere.

Apostolicae notarios coram nobis exceptâ, Regumque ac Principum Christianorum atque ipsius Ordinis Fratrum Excalceatorum B. Mariae Virginis a Monte Carmelo enixis precibus pro B. Joanne a Cruce in sanctorum Confessorum non pontificum canonem referendo Apostolicae Sedi porrectis, post tantae rei perficiendae solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia et eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum universis, quae ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus et S. R. E. disciplinâ agenda erant, omni religione peractis, hac ipsâ die in honorem B. Joannis apostoli et evangelistae Deo sacrâ, unâ cum iisdem venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis ac utriusque Cleri et populi frequentiâ in sacrosanctam basilicam principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus *...

VITA S. PORTIANI ** ABBATIS

AUCTORE GREGORIO TURONENSI *** *De Vita Patrum, Cap. 5.*

Probab. e vita decessit anno 540 — Nat. Gallus.

§ 1. Multa omnipotens Deus suo dicatis nomine indulget, multamque eisdem pro fideli servitio benignitatis opem compensat, magna quidem se pollicens redditurum in coelo, sed quae accepturi sunt, plerumque declarans in seculo. Nam saepius de servis liberos, de liberis efficit gloriosos, juxta illud Psalmographi dictum: *Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui* (*Ps.* 112). Illicit ergo amore suo divina misericordia inopem ut de parvis magnos statuat, ac de infirmis Unigeniti sui faciat cohaeredes. Praefecit enim de hac mundana egestate in coelo, quo scandere non potuit terrenum Imperium, ut accedat illuc rusticus, quo accedere non meruit purpuratus. Sic nunc dicendum de beato Portiano Abbate, quem non modo de onere mundani servitii eruit, verumetiam magnis virtutibus sublimavit, atque post motum et pressuras seculi, in requie aeterna constituit, locavitque eum inter Angelorum choros, de quibus expulsus est dominus ille terrenus.

§ 2. Beatissimus igitur Portianus ab ineunte aetate Deum quaerere coeli semper etiam inter terrena servitia conabatur. Hic enim servus fertur fuisse cujusdam barbari ****. Is cum plerumque ad

* Declarationes, quae in Canonizationibus fieri solent, nunc sequuntur, quas nos libenter omittimus.

** Gallice, *Pourçain*.

*** S. Gregorius Turon. 50 vel 60 annos dumtaxat post S. Portiani obitum floruit.

**** Idest, *Franci*.

omnium bonorum plausu, licet fremente hu
mirifice instauratus et per universam Euro
Dei gloriâ diffusus est, plurimis Teresiae
Hispaniam erectis atque optime institu
nullis vitae incommodis et periculis
stravit.

§ 3. Ubi vero admirandâ innocen
contemplatione, asperrimo vitae
inclytus suorum corda in perfe
verat, diro morbo et in crure
patientissime toleratis, totus
ore habuerat, fixus, sanct
fide et religione susceptis
plexus, Davidici psalmi
mendo spiritum meum. ... accederet.
praedictis, in Ubedae
Salutis MDXCI, aetatis ... oris sui cuncta
efflavit animam vir ... ora potu ciboque era
lenitate, constanti ... perditum omnem ab ore
per totam Hispa ... inasse. Ex quo iterum assumpto
scripto explicar ... parumper reficere quaerens, quamqu
quam, decreto ... nectaret, tamen majus tormentum ad
suo inter sar ... abat. Sal enim, ut nulli occulitur, magis
ciavit. ... itat, quam extinguat. Sed hic, tribuente Domi

§ 4. Ad ... eo.
ruptionis ... ingressus Arvernum ter
rentes, ... is diebus Theodoricus * ingressus Arvernum ter
fluxit, ... nia exterminabat, cuncta devastabat. Cumque in Ar
instir ... vici pratis castrametasset, antedictus senex ad occurs
susr ... properat, quasi pro populo rogaturus. Ingressusque ca
pr ... re, Rege adhuc in tentoriis dormiente, Siginaldi papilione
d ... tunc primus cum eo habebatur, aggressus est: et dum
... captivitate conqueritur, Siginaldus, ut, ablutis aqua manibu
... rum dignaretur accipere deprecatur, dicens: « Magnum mi
hodie gaudium commodumque divina pietas praestat, si int
tentorii mei septa, facta oratione, potum dignaris accipere.
Audierat enim famam sanctitatis ejus: idcirco et honorem ei pr
Dei reverentia impendebat. Qui se diversis modis excusans, as
serebat hoc non posse fieri, quia nec hora debita esset, nec Regi
dignum praebuisset occursum, et quod his omnibus potius erat,
necdum ipse Domino psalmorum decantationem debitam exsol-
visset. Sed his sepositis, vi eum compulit, allatumque vasculum,
quo potio tenebatur, rogat ut sanctus, imposita prius manu, san-
ctificaret. Qui elevata dextera cum signum Crucis imposuisset.

* Anno 525.

'ur medium, ac vinum, quod intra tenebatur,
nente terrae diffunditur. Quod cernentes qui
iti, ad pedes beati Viri decidunt, lambunt
plantas: mirantur omnes virtutem senis,
nguis viru divinitus fuisse salvatos. Ad
mnis exercitus, vallat multitudo omnis
s fimbrias manu tangere, si osculo
xilit de stratu suo, accurritque ad
ue tacente, cunctos, quos repe-
s deinceps, ut voluit, sic tra-
o cooperante, largitum est:
o captivitatis exemit.
diabolus diversis ma-
ihil ei posse nocere,
. nocte quadam dum
idit cellulam suam quasi
perterritus ostium petiit. Quod
ne prosternitur, signum salutare
ens, ac protinus phantasia flamma-
. evanuit, cognovitque hoc diaboli fuisse
. revelatum est beato Prothasio, qui tunc apud
onasterium habebatur reclusus. Qui cum summa
monachum ex cellula sua ad fratrem dirigens, hor-
. dicens: « Oportet te, dilectissime frater, insidiis dia-
resistere viriliter, et nihil de ejus dolositate pavescere: sed
omnia quae intulerit, oratione assidua, ac signo Crucis e contra
apposito evincere, quia talibus semper tentationibus servos Dei
nititur expugnare. »

§ 6. Senuit autem vir beatus, et impleto boni operis cursu, migravit ad Dominum. Cujus nunc tumulus * saepius divinis glorificatur virtutibus. Haec tantum de sancto viro cognovimus, non dijudicantes alios, qui majora de eo cognoverunt, si voluerint aliqua in ejus laudem conscribere.

* S. Portianus in suo monasterio fuit tumulatus. Ejus sacrum corpus, seculo x labente, e terra levatum est: exinde caput et aliquot alia ossa a Normannis quibusdam furtim ablata, ac in eorum patriam translata, recondita sunt in ecclesia S. Martini apud oppidum, quod vulgo *l'Aigle* appellatur. Haeretici vero caput ossaque illa seculis posterioribus impie confregêre. — Circa vero S. Portiani monasterium paullatim oppidum extructum est, quod Saint-Pourçain appellatur.

monasterium confugeret, ut eum domino suo Abbas redderet excusatum, ad extremum fugientem aliquando dominus eum de vestigio sequitur, et Abbatem calumniari coepit, imputans quod ipse eum seduceret, ne sibi suus famulus deserviret. Cumque de consuetudine, ut eum redderet, calumniando Abbatem insisteret, dicit Abbas Portiano: « Quid vis, ut faciam? » Et ille: « Redde, inquit, me excusatum. » Cumque excusatus redditus fuisset, et dominus ejus reducere eum domum vellet, ita caecatus est, ut nihil penitus posset cognoscere. Cernens autem se gravibus doloribus affici, Abbatem vocat, dicens: « Supplica, quaeso, pro me Dominum, et accipe hunc servum ad ejus cultum; forsitan promerebor recipere lumen amissum. » Tunc Abbas, vocato beato, ait: « Impone, quaeso, manus tuas super oculos ejus. » Cumque ille refutaret, tandem Abbatis devictus precibus, super oculos domini sui signum beatae Crucis imposuit; statimque, disrupta caligine, et sedato dolore, pristinae redditus est sanitati.

§ 3. At vero exin beatus Portianus clericus factus, tanto virtutis cumulo est praelatus, ut decedente Abbate, ipse succederet. Qui fertur, aestivo tempore, cum ardor solis vi caloris sui cuncta consumeret, et etiam corpora, quae robustiora potu ciboque erant, aestu defatigaret, in jejuniis post perditum omnem ab ore humorem, salem aestuans ruminasse. Ex quo iterum assumpto liquore, arentes gingivas parumper reficere quaerens, quamquam palatum aridum humectaret, tamen majus tormentum addita corpori siti praestabat. Sal enim, ut nulli occulitur, magis ardorem sitis concitat, quam extinguat. Sed hic, tribuente Domino, arcebatur ab eo.

§ 4. His diebus Theodoricus * ingressus Arvernum terminum, omnia exterminabat, cuncta devastabat. Cumque in Artonensis vici pratis castrametasset, antedictus senex ad occursum ejus properat, quasi pro populo rogaturus. Ingressusque castra mane, Rege adhuc in tentoriis dormiente, Siginaldi papilionem, qui tunc primus cum eo habebatur, aggressus est: et dum de hac captivitate conqueritur, Siginaldus, ut, ablutis aqua manibus, merum dignaretur accipere deprecatur, dicens: « Magnum mihi hodie gaudium commodumque divina pietas praestat, si intra tentorii mei septa, facta oratione, potum dignaris accipere. » Audierat enim famam sanctitatis ejus: idcirco et honorem ei pro Dei reverentia impendebat. Qui se diversis modis excusans, asserebat hoc non posse fieri, quia nec hora debita esset, nec Regi dignum praebuisset occursum, et quod his omnibus potius erat, necdum ipse Domino psalmorum decantationem debitam exsolvisset. Sed his sepositis, vi eum compulit, allatumque vasculum, quo potio tenebatur, rogat ut sanctus, imposita prius manu, sanctificaret. Qui elevata dextera cum signum Crucis imposuisset,

* Anno 525.

vasculum scinditur medium, ac vinum, quod intra tenebatur, cum immenso serpente terrae diffunditur. Quod cernentes qui aderant, metu exterriti, ad pedes beati Viri decidunt, lambunt vestigia, osculantur et plantas: mirantur omnes virtutem senis, mirantur et se ab iniqui anguis viru divinitus fuisse salvatos. Ad istud miraculum concurrit omnis exercitus, vallat multitudo omnis beatum Virum, cupiens ejus fimbrias manu tangere, si osculo honorare non poterat. Et Rex èxilit de stratu suo, accurritque ad beati Confessoris adventum, illoque tacente, cunctos, quos repetebat, captivos absolvit, et reliquos deinceps, ut voluit, sic tractavit. Duplex ibi beneficium, Domino cooperante, largitum est: nam et illos a morte eruit, et hos a jugo captivitatis exemit.

§ 5. Nec praeterire volui, quod eum diabolus diversis machinis conatus illudere, cum videret se nihil ei posse nocere, visibilibus eum proeliis est aggressus. Nam nocte quadam dum se sopori dedisset, subito expergefactus, vidit cellulam suam quasi incendio concremare, exsurgensque perterritus ostium petiit. Quod cum reserare nequiret, in oratione prosternitur, signum salutare coram se, et circum se faciens, ac protinus phantasia flammarum, quae apparuerat, evanuit, cognovitque hoc diaboli fuisse fallaciam. Id statim revelatum est beato Prothasio, qui tunc apud Candidobrense monasterium habebatur reclusus. Qui cum summa festinatione monachum ex cellula sua ad fratrem dirigens, hortatus est, dicens: « Oportet te, dilectissime frater, insidiis diaboli resistere viriliter, et nihil de ejus dolositate pavescere: sed omnia quae intulerit, oratione assidua, ac signo Crucis e contra apposito evincere, quia talibus semper tentationibus servos Dei nititur expugnare. »

§ 6. Senuit autem vir beatus, et impleto boni operis cursu, migravit ad Dominum. Cujus nunc tumulus * saepius divinis glorificatur virtutibus. Haec tantum de sancto viro cognovimus, non dijudicantes alios, qui majora de eo cognoverunt, si voluerint aliqua in ejus laudem conscribere.

* S. Portianus in suo monasterio fuit tumulatus. Ejus sacrum corpus, seculo x labente, e terra levatum est: exinde caput et aliquot alia ossa a Normannis quibusdam furtim ablata, ac in eorum patriam translata, recondita sunt in ecclesia S. Martini apud oppidum, quod vulgo *l'Aigle* appellatur. Haeretici vero caput ossaque illa seculis posterioribus impie confregêre. — Circa vero S. Portiani monasterium paullatim oppidum extructum est, quod Saint-Pourçain appellatur.

DE S. ROMANO BURDEGALENSI PRESBYT.

EX S. GREGORII TURONENSIS ARCHIEP. *De Gloria Confessorum, Cap.* 46.

Obiit anno 382 — Nat. Gallus.

Habetur in hoc territorio et sanctus Romanus Presbyter, quem, ut scripta vitae ejus edocent, Martinus noster * sepulturae locavit. Est autem sepulcrum ejus contiguum Blaviensi ** castello, super littus amnis Garonnae, in quo saepius naufragio periturі, virtute ejus salvati sunt, proclamantes inter fluctus torrentis undosi : « Miserere nostri, sancte Romane, Confessor Dei. » Mox enim, sedata tempestate, optato littore potiti sunt. Nec enim fas est, ullum perire naufragio, qui ejus basilicam amnis de medio contemplari meruerit. Quod et nos in grandi necessitate experti sumus. Nam cum imber creberrimus per multos defluens dies, amnem Garonnam extra littora ejecisset, atque impellente vento validis fluctibus exundaret, elevarenturque fluctuum montes validi, qui non parvum intuentibus ingererent metum, exoratus beatus Confessor obtinuit, sicut credimus, virtutis suae suffragio, ut, compressis fragoribus, planum praeberet flumen alveum. Et sic ingressi navem, ad ripam alteram sine periculo sumus devecti.

MARTYRIUM S. CATHARINAE ***

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE. HABETUR IN QUINTO TOMO ALOYSII.

Sanguinem profudit anno probab. 307 — Alexandrina.

§ 1. Imperante impio Maxentio, universum imperium Romanorum amplectebatur impium cultum Daemonum. Is enim Alexandriae praesidens in excelso et sublimi tribunali, emisit hoc impium edictum, ut omnes simul, qui erant in ejus potestate ac ditione, simulacris sacrificarent. Unde etiam per universum Romanum imperium manifesta fuerunt, quae decreta fuerant, litteris ita se habentibus : « Imperator Maxentius, qui sunt in mea

* Sanctus, scilicet, Martinus, Turon. Antistes.
** Vulgo *Blaye*, infra confluentes Garumnae (gall. *Garonne*) et Duranii (gall. *Dordogne*), in dioecesi Burdegalensi (*Bordeaux*). Ecclesia S. Romani etiam nunc visitur.
*** Quae et Aecatharina vocatur. Graeci *Hecaterіam* (seu, *semper puram*), eam appellant.

ditione, salutem. Magnum consecuti beneficium a deorum benignitate, veluti quandam hujus munificentiae remunerationem, censuimus nos oportere offerre sacrificia. Omnes ergo, si fieri potest, ad nos venientes, ostendite vestram in magnos deos benevolentiam: scientes quod qui hoc nostrum edictum contempserit, et ad aliam a nobis prohibitam adspexerit religionem, et èxcidet ab ipsa magna deorum benevolentia, et subjicietur a nobis malis extremis. »

§ 2. Cum hae litterae in omnem partem pervasissent, licebat videre confluentem ad ipsum multitudinem metu minarum: quorum alii quidem adducebant oves et boves; alii autem varia genera avium. Neque erat ullus immunis, sed erant omnes intenti in apparatu sacrificii. Nam qui erant valde divites, constitutum erat, ut magna animalia adducerent ad sacrificium: parva autem pauperes, prout unicuique suppetebant facultates, et erat uniuscujusque in deos benevolentia. Ad magnificentiam autem eos maxime incitabat Imperator, afferens ad sacrificandum centum et triginta tauros. Cum omnes ergo ad ipsum convenissent Alexandriam, valde laetatus est, videns multitudinem populi et sacrificiorum: adeo ut nec alterum quidem tempus exspectarit, sed protinus surrexerit, et citissime ad templum processerit, et ipsum peregerit sacrificium. Cum eo autem currebat omne genus et omnis aetas, et universus senatus, et omnes magistratus, plebsque et vulgus hominum, quae ad sacrificium pertinebant, unusquisque afferens: adeo ut propter multitudinem eorum qui confluebant, angusta esset ipsa civitas, angustum templum; clamore vero brutorum animantium circumsonaret tota regio circumcirca; nidore autem sacrificiorum ipse quoque aër inficeretur.

§ 3. Cum haec sic fierent, mulier quaedam pia, nomine Aecaterina, aetate juvenis, pulcra specie, quae genus ducebat ex sanguine regio, omnem autem et externam et nostram Scripturam perlegerat, multis ancillis comitata degebat Alexandriae, et sic asservabatur in aedibus regiis, et solum Christum norat sponsum, et ei animae servabat pulcritudinem: et in eum solum erat cor ejus amore inflammatum. Haec sic videns homines gravissimum subire naufragium, et venire in extremum interitus periculum, animo graviter affecta, et pro Domino aemulatione ac zelo incitata, tunc maxime statuit suum ostendere desiderium, et ardentem pro fide zelum: et cum nonnullos secum accepisset famulos, protinus profecta est in templum, in quo erat multitudo cum Rege sacrificans; et stans in limine, aliorum quidem vultus ad se attrahebat, ut quae insigni esset pulcritudine, et internam speciem ostendebat per externam. Sensim autem sua munda labra aperiens, dixit se habere necessarium aliquid, quod diceret Imperatori. Qui itaque nunciis referendis praeerant, Imperatori de virgine annunciant. Cumque ille jussisset, statim introducitur. Quae cum

stetisset coram impudenti Tyranno, cum ille adhuc vacaret sacrificio, constanter et libere sic ei est locuta :

§ 4. « Oportebat quidem, o Imperator, te ex teipso tuam videre deceptionem, quod hominum, in quos cadit interitus, simulacris, tamquam diis, offers sacrificia : et gentilêm hanc stultitiam et dedecus abjicere. Quoniam autem sinistro parens daemoni, adeo manifestam caecùtis veritatem, oporteret omnino sapienti saltem, qui est apud vos, Diodoro credentem, cognoscere quidnam sint vestri dii; et non tam inconsiderate, quae non decent, velle facere ; et non deos putare simulacra hominum, qui vitam misere finierunt. Ille enim dicit et deos fuisse homines, et propter aliqua beneficia nominatos fuisse immortales. Scribit autem ipsos quoque habuisse proprias nominum appellationes, et imperasse quibusdam regionibus et civitatibus. Dicit vero homines deceptos ignoratione, eos vocasse deos, et retulisse in numerum immortalium. Porro autem alius quoque sapiens apud vos ex iis qui conscripserunt historias, dixit illum Sarrum invenisse primum res gentilium. Eos enim, qui priscis temporibus, aut fortitudinis, aut amicitiae, aut alicujus alterius virtutis opus, dignum quod memoriae mandetur, aut in quod studium conferatur, ostenderunt, dicitur honorasse statuis ac simulacris. Qui autem majorum mentem ignorarunt posteri, quod eos solum memoriae gratia, ut qui rem aliquam laudabilem fecerant, honorassent, eisque imagines et statuas posuissent, ad homines interitui et omnino similibus obnoxios affectionibus accesserunt : et ut eis fierent sacrificia, honoresque haberentur, et dies festi celebrarentur, providerunt. Eos vester quoque sapiens Plutarchus Cheronaeus arguit, dicens eos inducere errorem imaginum ; quibus oportet te quoque credere, o Imperator. Non enim alienis omnino, sed tuis credes ; et non tam multas animas inducere in extremum barathrum interitus. Pro quibus ipse misere lues poenas, et aeternum subibis supplicium, gehennam, inquam, ignis, quae nunquam desinit, sed majorem semper flammam accendit. His ergo persuadearis, o Imperator, et persuasus agnosce verum Deum solum, qui dedit tibi hoc imperium, et praeterea ipsam quoque vitam praebuit. Qui cum esset Deus aeternus et immortalis, propter nos homo quoque factus est, crucemque et mortem elegit, nos faciens surgere a morte inobedientiae, et ut ipse scit, nostram procurans salutem. Is et eorum qui errant, est servator, et eos quos poenitet, benigne et clementer excipit. »

§ 5. Ad haec ira impletur Maxentius, et cum fervens sanguis ad cor ejus modicum affluxisset, vox quoque ei fuit extincta, et nec potuit quidem omnino respondere. Cum autem ad se vix tandem rediisset, et quae a Martyre dicta fuerant, vidisset esse validiora, quam ut contra ea dici posset : « Nunc quidem, inquit, o mulier, sine peragere sacrificium ; paulo post autem de iis quae dicis, audiemus apertius. » Peracto ergo sacrificio, et festo per

iaec soluto, in regiam reversus, accersit beatam. Postquam autem a adstitit: « Dic nobis, inquit, quaenam es, aut quaenam sunt a verba quae es nobis locuta? » Illa autem: « Nescis, inquit, o mperator, quaenam ego sim? Sum filia Imperatoris, qui te praeessit; vocor autem Aecaterina. Sum vero exercitata in omni diciplina rhetoricae et philosophiae, geometriae et aliarum scieniarum. Sed illa omnia nihili ducens, veni ut desponderer imnortali sponso Christo, qui locutus est per Prophetam: *Perdam saientiam sapientum, et prudentiam prudentum reprobabo*(*Isa.* XXIX). »

§ 6. Cum autem Imperator admiratus esset quae dicta fuerant, et in eam intentius defixisset oculos, et existimasset eam ion esse unam ex iis quae natae sunt e terra; sed se deorum liquam videre visionem, loquentem in habitu humano; cum sic outasset. et eam perperam esset allocutus, beata sermonem excipiens, dicit ei: « Vere dixisti, o Imperator. Daemones enim, quos deos nominas. revera vos spectris decipiunt daemoniacis, et vos provocant ad libidinem et intemperantim, et ad nefarias impellunt cupiditates. Ego autem cujusmodicumque sum, sum pulvis et lutum, efficta in hanc formam, et ejus honorata imagine. Quamobrem hinc magis convenit admirari sapientiam opificis, quod in luto et in materia tam vili potuerit tantam extruere pulcritudinem. » Quae quidem aegre ferens Imperator: « Noli, inquit, diis maledicere, qui et ipsi sunt immortales, et gloriam habent immortalem. » Martyr autem: « Invenies, inquit, tu quoque, o Imperator, quidnam sunt dii tui, si velis solum tuam abjicere parumper deceptionem: verum quoque Deum agnosces, qui est aeternus et immortalis; cujus vel solum nomen pronunciatum, vel crux etiam figurata in aëre, tuos deos vertit in fugam. Si velis autem, vel ex ipsa veritate apertam faciamus demonstrationem. »

§ 7. Cum itaque Imperatori suspecta fuisset libertas Martyris, timeretque ne se undique circumsisteret, et implicaret demonstrationibus, ipse autem non posset respondere et resistere, seque et suos deos aperto dedecore afficeret, ipse quidem nec eam tantum audire sustinet, prae se ferens non decere, ut cum foemina dissereret: « Ad te autem, inquit, a me adducentur oratores, qui omnes tuas rationes et propositiones abunde confutabunt: ut cum tu quoque abunde didiceris tuorum dogmatum imbecillitatem, adspicias ad id quod est utile, et nostro pareas dogmati. » Haec dixit, et Sanctam quidem jubet servari in custodia; ipse autem statim emittit epistolam in haec verba: « Imperator Maxentius omnibus qui sunt meae ditionis, salutem. Quicumque deorum sapientissimi Mercurii curam geritis, invocatis Musis, quae sunt causae cognitionis, venite ad nos usque, sapientissimae mulierculae, quae nobis veluti ex quadam machina apparuit, os obstructuri, ne magnos deos irrideat, neque fabulas esse putet, quae sub falso

et illic situm corpus sancti Clementis, et ancoram, cum qua fuit projectus, prope ipsum jacentem. Revelatum ergo fuit ejus discipulis, ne reliquias e loco ejicerent : quibus etiam hoc fuit responsum, quod singulis annis in die suae decertationis, cessurum sit mare venientibus, septem dies siccum iter eis praebens. Quod quidem Deo placuit fieri ad laudem ejus nominis usque in hodiernum diem. Hoc autem facto, quod erat praeter opinionem, miraculo, omnes gentes circumcirca credidere Christo. Quo in loco nullus invenitur Gentilis, nullus Hebraeus, nullus omnino haereticus. Illic enim plurima fiunt beneficia. In ejus festo caeci illuminantur, daemones expelluntur, febrientes sani fiunt; nephretici, et qui calculo laborant, solo contactu ejus reliquiarum, et aquae sanctificatae adspersione et potu, a morbo liberantur: et qui quovis morbo affecti, confugientes ad sacri Martyris auxilium, fruuntur curatione; et permanet gloria ejus et laus in aeternum, per Dominum nostrum Jesum Christum : per quem et cum quo, Patri gloria cum sanctissimo et vivifico ejus Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen *.

VITA S. JOANNIS A CRUCE CONFESS.

EX CANONIZ. BULLA A BENEDICTO PP. XIII, ANNO MDCCXXVI, PROMULGATA.

Quievit in Domino anno 1591 — Hispanus.

Pia mater Ecclesia praecipuis universalis honorificentiae praeconiis illos ordinari decernit, qui olim sanctissimis disciplinis et moribus eam illustrantes divini nominis gloriam et Deo famulantium numerum dictis et factis augere, perque viam salutis ducere summâ curâ studuerunt. Hujusmodi virum christianis virtutibus, coelesti doctrinâ, jugi poenitentiâ, multisque signis

* Nostrum non est hanc de martyrio miraculisque S. Clementis Papae Historiam, in qua ardui scopuli, gravesque difficultates occurrunt, perpendere atque veritatis trutinâ examinare. Sufficere nobis videtur meminisse Metaphrastem, ut Baronius asserit, ex antiquioribus monumentis Historiam hanc confecisse. Nec porro supervacaneum erit S. Clementis Vitam, quam Anastasius Bibliothecarius edidit, hoc loco subjicere.

« Clemens, natione Romanus, de regione Coeliomonte, ex patre Faustino, sedit annos 9. menses 11 (alii *menses 2*), dies 10. Fuit autem temporibus Galbae et Vespasiani, a Consulatu Trajani et Italici usque Vespasianum IX (alii, usque ad *Vespasiani secundi*) et Titum. Hic dum multos libros ... fidei Christianae religionis adscriberet, martyrio coronatur. Hic fecit 7 regiones dividi Notariis fidelibus Ecclesiae, qui gesta martyrum sollicite, et curiose unusquisque per regionem suam diligenter perquirerent. Hic fecit duas epistolas, quae catholicae nominantur. Hic ex praecepto Beati Petri suscepit Ecclesiam (alii, *Ecclesiae Pontificatum gubernandi*), et Pontificatum gubernandum sicut ei fuerat a Domino Jesu Christo cathedra tradita, vel commissa. Tamen in epistolam, quae ad Jacobum scripta est, qualiter ei a Beato Petro commissa est Ecclesia, reperies. Ideo Linus et Cletus ante eum conscribuntur, eo quod ab ipso principe Apostolorum ad ministerium sacerdotale exhibendum sunt Episcopi ordinati. Hic fecit ordinationes duas per mensem decembrem, Presbyteros 10, Diaconos 11 (alii 2), Episcopos per diversa loca 15. Obiit martyr anno Trajani tertio, qui etiam sepultus est in Graecia, 8 Calendas decembris, et cessavit episcopatus dies 22. »

probatum Ecclesiae catholicae dedit ea pars Hispaniae Tarraconensis, cui Castellaeveteris * nomen est, nosque illum hac die, in honorem B. Joannis apostoli et evangelistae Deo sacrâ, sanctorum Confessorum non pontificum canoni solemni S. R. E. caeremoniâ adnumerare decrevimus.

§ 1. Is est B. Joannes a Cruce Ordinis Fratrum B. Mariae Virginis a Monte Carmelo, qui Excalceati appellantur, primus professor et parens, qui anno Christi Domini MDXLII ex perhonestâ Lebesiâ familiâ ortus est in oppido quod dicitur Fons Tiberii ** in episcopatu Abulensi. A primis annis egregiae animi dotes in eo, pie christianeque educato, plurimum emicuerunt; quamque dilectus et carus esset Deiparae Virgini, in cujus patrocinium confugerat, inde patuit, quod aquam e puteo hausturus, in illum prolapsus, Patronae manu sublatus incolumis prodiit. Adolescens eximiae pietatis ducto Metymnaecampi *** hospitalem domum ingressus, aegrotantium et pauperum famulatui se addixit, maximâ charitate diu noctuque languentibus assidens, nec modo spiritualia, sed ne vilissima quidem officia in iis juvandis obire detrectans; unde factum ut ceteri in nosocomio, christiana Joannis acta demirati, aegrotorum corporibus animisque curandis certatim ejus exemplo alacrem et sollicitam operam darent. Quidquid interim tam pio ministerio supererat, praeclarus juvenis assiduis precibus, vigiliis, lacrymis et dominicae Passioni religiosissimo animo recolendae, impendebat. Quae tandem ipsi ad fratrum Ordinis B. Mariae Virginis a Monte Carmelo institutum ineundum jucundissimam viam aperuerunt. Hoc ita amplexus est ut vota emissa purioris disciplinae studio accurate observaret, ad primitivi Ordinis normam se omnino conformans, nec nisi cum timore et tremore ac jussu majorum, ob summam rei divinae praestantiam, ad sacratissimum presbyteratus gradum evectus.

§ 2. Quum vero Dei virgo Teresia, quae postea, excelsis ejus virtutibus signisque flagitantibus, per felicis memoriae antecessorem nostrum Gregorium Papam XV in sanctarum virginum canonem relata est, inter Sorores jam dicti Ordinis B. Mariae Virginis a Monte Carmelo primaevi instituti regulam felici exitu restituisset, idemque pro Fratribus ejusdem familiae animo volutaret, Dei ancillae magni operis comes Joannes a Cruce, strictioris disciplinae promovendae ardore vehementer accensus, plane coelitus datus est. Quare tantae rei negotio inter sacram virginem et Dei famulum agitato, Ordo fratrum Carmelitarum **** communi

* Italice *Vecchia Castiglia*; hisp. *Castilla-la-Vieja*, cujus urbes illustriores sunt Burgos, Segovia, Avila, Palencia et Santander.
** Scilicet Ontivéros.
*** Scilicet *Medina del Campo*. Vigesimum primum annum aetatis suae agebat tunc S. Joannes a Cruce.
**** Cujus Ordinis, ita instaurati, ipse S. Joannes Prior fuit electus.

omnium bonorum plausu, licet fremente humani generis hoste, mirifice instauratus et per universam Europam non sine ingenti Dei gloriâ diffusus est, plurimis Teresiae virginis curâ per totam Hispaniam erectis atque optime institutis coenobiis, quae ipse, nullis vitae incommodis et periculis territus, singula perlustravit.

§ 3. Ubi vero admirandâ innocentiâ, assiduâ rerum divinarum contemplatione, asperrimo vitae rigore summisque virtutibus inclytus suorum corda in perfecto Dei cultu undequaque firmaverat, diro morbo et in crure quinque plagis sanie manantibus patientissime toleratis, totus in Deo, quem semper in corde atque ore habuerat, fixus, sanctissimis Ecclesiae sacramentis summâ fide et religione susceptis, inter sodalium collacrymantium amplexus, Davidici psalmi versiculo, *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum*, piissime pronunciato, die et horâ a se praedictis, in Ubedae coenobio, XXIX Calendas Januarias, anno Salutis MDXCI, aetatis XLIX, vitae coenobiticae XXIX, purissimam efflavit animam vir Deo percarus, daemoni formidatus, animi lenitate, constantiâ in adversis, miraculorum ac prophetiae dono per totam Hispaniam illustris, inque mysticae theologiae arcanis scripto explicandis *, aeque ac Teresia, divinitus instructus: quam, decreto S. R. E. nondum beatis adnumeratam, ipse sodalis suo inter sanctas Dei virgines, eo superstite, referendam pronunciavit.

§ 4. Ad servi Dei exuvias, suavi odore perfusas, et postea corruptionis expertes, eumdem veluti placido somno sopitum referentes, populi eas osculantis multitudo copiosa turmatim confluxit, vestium et ipsius etiam corpusculi particulas, venerationis instinctu, auferre conata. Tanti viri, quem Teresia ut sanctum suspexerat sanctique elogio compluries ornaverat, virtutum et prodigiorum famâ in dies percrebescente, gesta ejus maturo judicio venerabilium Fratrum S. R. E. Cardinalium, sedente piae recordationis decessore nostro Alexandro Papa VII, ad canonicos ritus discussa et probata fuerunt, unde per similis memoriae Clementis Papae X apostolicas litteras inter beatos relatus est.

§ 5. Novis deinde miraculis, post solemnem beatificationem ob ejus merita a Deo patratis, jussu Innocentii Papae XI undique conquisitis, et coram nobis ipsis per venerabiles Fratres nostros in examen adductis, ac veteri disciplinae et majorum constitutionibus respondere per omnia compertis, inque tribus consistoriis et plenario conventu eorumdem venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum et Episcoporum nobiscum in Urbe praesentium conventu rite perpensis, unanimi eorumdem sententiâ per Sedis

* Mysticae theologiae opera, quae S. Joannes a Cruce edidit, illis S. Teresiae a quibusdam anteponuntur. Ea in gallicum sermonem, anno 1694, versa fuere.

Apostolicae notarios coram nobis exceptâ, Regumque ac Principum Christianorum atque ipsius Ordinis Fratrum Excalceatorum B. Mariae Virginis a Monte Carmelo enixis precibus pro B. Joanne a Cruce in sanctorum Confessorum non pontificum canonem referendo Apostolicae Sedi porrectis, post tantae rei perficiendae solemnem diem indictam, perque orationes, jejunia et eleemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploratam, demum universis, quae ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutionibus et S. R. E. disciplinâ agenda erant, omni religione peractis, hac ipsâ die in honorem B. Joannis apostoli et evangelistae Deo sacrâ, unâ cum iisdem venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis ac utriusque Cleri et populi frequentiâ in sacrosanctam basilicam principis Apostolorum Deo supplicantes convenimus *...

VITA S. PORTIANI ** ABBATIS

AUCTORE GREGORIO TURONENSI *** *De Vita Patrum. Cap. 5.*

Probab. e vita decessit anno 540 — Nat. Gallus.

§ 1. Multa omnipotens Deus suo dicatis nomine indulget, multamque eisdem pro fideli servitio benignitatis opem compensat, magna quidem se pollicens redditurum in coelo, sed quae accepturi sunt, plerumque declarans in seculo. Nam saepius de servis liberos, de liberis efficit gloriosos, juxta illud Psalmographi dictum : *Suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus populi sui* (*Ps.* 112). Illicit ergo amore suo divina misericordia inopem ut de parvis magnos statuat, ac de infirmis Unigeniti sui faciat cohaeredes. Praefecit enim de hac mundana egestate in coelo, quo scandere non potuit terrenum Imperium, ut accedat illuc rusticus, quo accedere non meruit purpuratus. Sic nunc dicendum de beato Portiano Abbate, quem non modo de onere mundani servitii eruit, verumetiam magnis virtutibus sublimavit, atque post motum et pressuras seculi, in requie aeterna constituit, locavitque eum inter Angelorum choros, de quibus expulsus est dominus ille terrenus.

§ 2. Beatissimus igitur Portianus ab ineunte aetate Deum quaerere coeli semper etiam inter terrena servitia conabatur. Hic enim servus fertur fuisse cujusdam barbari ****. Is cum plerumque ad

* Declarationes, quae in Canonizationibus fieri solent, nunc sequuntur, quas nos libenter omittimus.

** Gallice, *Pourçain*.

*** S. Gregorius Turon. 50 vel 60 annos dumtaxat post S. Portiani obitum floruit.

**** Idest, *Franci*.

monasterium confugeret, ut eum domino suo Abbas redderet excusatum, ad extremum fugientem aliquando dominus eum de vestigio sequitur, et Abbatem calumniari coepit, imputans quod ipse eum seduceret, ne sibi suus famulus deserviret. Cumque de consuetudine, ut eum redderet, calumniando Abbatem insisteret, dicit Abbas Portiano: « Quid vis, ut faciam? » Et ille: « Redde, inquit, me excusatum. » Cumque excusatus redditus fuisset, et dominus ejus reducere eum domum vellet, ita caecatus est, ut nihil penitus posset cognoscere. Cernens autem se gravibus doloribus affici, Abbatem vocat, dicens: « Supplica, quaeso, pro me Dominum, et accipe hunc servum ad ejus cultum; forsitan promerebor recipere lumen amissum. » Tunc Abbas, vocato beato, ait: « Impone, quaeso, manus tuas super oculos ejus. » Cumque ille refutaret, tandem Abbatis devictus precibus, super oculos domini sui signum beatae Crucis imposuit; statimque, disrupta caligine, et sedato dolore, pristinae redditus est sanitati.

§ 3. At vero exin beatus Portianus clericus factus, tanto virtutis cumulo est praelatus, ut decedente Abbate, ipse succederet. Qui fertur, aestivo tempore, cum ardor solis vi caloris sui cuncta consumeret, et etiam corpora, quae robustiora potu ciboque erant, aestu defatigaret, in jejuniis post perditum omnem ab ore humorem, salem aestuans ruminasse. Ex quo iterum assumpto liquore, arentes gingivas parumper reficere quaerens, quamquam palatum aridum humectaret, tamen majus tormentum addita corpori siti praestabat. Sal enim, ut nulli occulitur, magis ardorem sitis concitat, quam extinguat. Sed hic, tribuente Domino, arcebatur ab eo.

§ 4. His diebus Theodoricus * ingressus Arvernum terminum, omnia exterminabat, cuncta devastabat. Cumque in Artonensis vici pratis castrametasset, antedictus senex ad occursum ejus properat, quasi pro populo rogaturus. Ingressusque castra mane, Rege adhuc in tentoriis dormiente, Siginaldi papilionem, qui tunc primus cum eo habebatur, aggressus est: et dum de hac captivitate conqueritur, Siginaldus, ut, ablutis aqua manibus, merum dignaretur accipere deprecatur, dicens: « Magnum mihi hodie gaudium commodumque divina pietas praestat, si intra tentorii mei septa, facta oratione, potum dignaris accipere. » Audierat enim famam sanctitatis ejus: idcirco et honorem ei pro Dei reverentia impendebat. Qui se diversis modis excusans, asserebat hoc non posse fieri, quia nec hora debita esset, nec Regi dignum praebuisset occursum, et quod his omnibus potius erat, necdum ipse Domino psalmorum decantationem debitam exsolvisset. Sed his sepositis, vi eum compulit, allatumque vasculum, quo potio tenebatur, rogat ut sanctus, imposita prius manu, sanctificaret. Qui elevata dextera cum signum Crucis imposuisset,

* Anno 525.

vasculum scinditur medium, ac vinum, quod intra tenebatur, cum immenso serpente terrae diffunditur. Quod cernentes qui sederant, *metu exterriti, ad pedes beati Viri decidunt, lambunt vestigia, osculantur et plantas: mirantur omnes virtutem senis, mirantur et se ab iniqui anguis viru divinitus fuisse salvatos. Ad istud miraculum concurrit omnis exercitus, vallat multitudo omnis beatum Virum, cupiens ejus fimbrias manu tangere, si osculo honorare non poterat. Et Rex èxilit de stratu suo, accurritque ad beati Confessoris adventum, illoque tacente, cunctos, quos repetebat, captivos absolvit, et reliquos deinceps, ut voluit, sic tractavit. Duplex ibi beneficium, Domino cooperante, largitum est: nam et illos a morte eruit, et hos a jugo captivitatis exemit.

§ 5. Nec praeterire volui, quod eum diabolus diversis machinis conatus illudere, cum videret se nihil ei posse nocere, visibilibus eum proeliis est aggressus. Nam nocte quadam dum se sopori dedisset, subito expergefactus, vidit cellulam suam quasi incendio concremare, exsurgensque perterritus ostium petiit. Quod cum reserare nequiret, in oratione prosternitur, signum salutare coram se, et circum se faciens, ac protinus phantasia flammarum, quae apparuerat, evanuit, cognovitque hoc diaboli fuisse fallaciam. Id statim revelatum est beato Prothasio, qui tunc apud Candidobrense monasterium habebatur reclusus. Qui cum summa festinatione monachum ex cellula sua ad fratrem dirigens, hortatus est, dicens: « Oportet te, dilectissime frater, insidiis diaboli resistere viriliter, et nihil de ejus dolositate pavescere: sed omnia quae intulerit, oratione assidua, ac signo Crucis e contra apposito evincere, quia talibus semper tentationibus servos Dei nititur expugnare. »

§ 6. Senuit autem vir beatus, et impleto boni operis cursu, migravit ad Dominum. Cujus nunc tumulus * saepius divinis glorificatur virtutibus. Haec tantum de sancto viro cognovimus, non dijudicantes alios, qui majora de eo cognoverunt, si voluerint aliqua in ejus laudem conscribere.

* S. Portianus in suo monasterio fuit tumulatus. Ejus sacrum corpus, seculo x labente, e terra levatum est: exinde caput et aliquot alia ossa a Normannis quibusdam furtim ablata, ac in eorum patriam translata, recondita sunt in ecclesia S. Martini apud oppidum, quod vulgo *l'Aigle* appellatur. Haeretici vero caput ossaque illa seculis posterioribus impie confregêre. — Circa vero S. Portiani monasterium paullatim oppidum extructum est, quod Saint-Pourçain appellatur.

DE S. ROMANO BURDEGALENSI PRESBYT.

EX S. GREGORII TURONENSIS ARCHIEP. *De Gloria Confessorum*, *Cap.* 46.

Obiit anno 382 — Nat. Gallus.

Habetur in hoc territorio et sanctus Romanus Presbyter, quem, ut scripta vitae ejus edocent, Martinus noster * sepulturae locavit. Est autem sepulcrum ejus contiguum Blaviensi ** castello, super littus amnis Garonnae, in quo saepius naufragio periturі virtute ejus salvati sunt, proclamantes inter fluctus torrentis undosi: « Miserere nostri, sancte Romane, Confessor Dei. » Mox enim, sedata tempestate, optato littore potiti sunt. Nec enim fas est, ullum perire naufragio, qui ejus basilicam amnis de medio contemplari meruerit. Quod et nos in grandi necessitate experti sumus. Nam cum imber creberrimus per multos defluens dies amnem Garonnam extra littora ejecisset, atque impellente vento validis fluctibus exundaret, elevarenturque fluctuum montes validi, qui non parvum intuentibus ingererent metum, exoratus beatus Confessor obtinuit, sicut credimus, virtutis suae suffragio, ut, compressis fragoribus, planum praeberet flumen alveum. Et sic ingressi navem, ad ripam alteram sine periculo sumus devecti.

MARTYRIUM S. CATHARINAE ***

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE. HABETUR IN QUINTO TOMO ALOYSII.

Sanguinem profudit anno probab. 307 — Alexandrina.

§ 1. Imperante impio Maxentio, universum imperium Romanorum amplectebatur impium cultum Daemonum. Is enim Alexandriae praesidens in excelso et sublimi tribunali, emisit hoc impium edictum, ut omnes simul, qui erant in ejus potestate ac ditione, simulacris sacrificarent. Unde etiam per universum Romanum imperium manifesta fuerunt, quae decreta fuerant, litteris ita se habentibus: « Imperator Maxentius, qui sunt in mea

* Sanctus, scilicet, Martinus, Turon. Antistes.
** Vulgo *Blaye*, infra confluentes Garumnae (gall. *Garonne*) et Duranii (gall. *Dordogne*), in dioecesi Burdegalensi (*Bordeaux*). Ecclesia S. Romani etiam nunc visitur.
*** Quae et Aecatharina vocatur. Graeci *Hecateriam* (seu, *semper puram*), eam appellant.

ditione, salutem. Magnum consecuti beneficium a deorum benignitate, veluti quandam hujus munificentiae remunerationem, censuimus nos oportere offerre sacrificia. Omnes ergo, si fieri potest, ad nos venientes, ostendite vestram in magnos deos benevolentiam: scientes quod qui hoc nostrum edictum contempserit, et ad aliam a nobis prohibitam adspexerit religionem, et èxcidet ab ipsa magna deorum benevolentia, et subjicietur a nobis malis extremis. »

§ 2. Cum hae litterae in omnem partem pervasissent, licebat videre confluentem ad ipsum multitudinem metu minarum: quorum alii quidem adducebant oves et boves; alii autem varia genera avium. Neque erat ullus immunis, sed erant omnes intenti in apparatu sacrificii. Nam qui erant valde divites, constitutum erat, ut magna animalia adducerent ad sacrificium: parva autem pauperes, prout unicuique suppetebant facultates, et erat uniuscujusque in deos benevolentia. Ad magnificentiam autem eos maxime incitabat Imperator, afferens ad sacrificandum centum et triginta tauros. Cum omnes ergo ad ipsum convenissent Alexandriam, valde laetatus est, videns multitudinem populi et sacrificiorum: adeo ut nec alterum quidem tempus exspectarit, sed protinus surrexerit, et citissime ad templum processerit, et ipsum peregerit sacrificium. Cum eo autem currebat omne genus et omnis aetas, et universus senatus, et omnes magistratus, plebsque et vulgus hominum, quae ad sacrificium pertinebant, unusquisque afferens: adeo ut propter multitudinem eorum qui confluebant, angusta esset ipsa civitas, angustum templum; clamore vero brutorum animantium circumsonaret tota regio circumcirca; nidore autem sacrificiorum ipse quoque aër inficeretur.

§ 3. Cum haec sic fierent, mulier quaedam pia, nomine Aecaterina, aetate juvenis, pulcra specie, quae genus ducebat ex sanguine regio, omnem autem et externam et nostram Scripturam perlegerat, multis ancillis comitata degebat Alexandriae, et sic asservabatur in aedibus regiis, et solum Christum norat sponsum, et ei animae servabat pulcritudinem: et in eum solum erat cor ejus amore inflammatum. Haec sic videns homines gravissimum subire naufragium, et venire in extremum interitus periculum, animo graviter affecta, et pro Domino aemulatione ac zelo incitata, tunc maxime statuit suum ostendere desiderium, et ardentem pro fide zelum: et cum nonnullos secum accepisset famulos, protinus profecta est in templum, in quo erat multitudo cum Rege sacrificans; et stans in limine, aliorum quidem vultus ad se attrahebat, ut quae insigni esset pulcritudine, et internam speciem ostendebat per externam. Sensim autem sua munda labra aperiens, dixit se habere necessarium aliquid, quod diceret Imperatori. Qui itaque nunciis referendis praeerant, Imperatori de virgine annunciant. Cumque ille jussisset, statim introducitur. Quae cum

stetisset coram impudenti Tyranno, cum ille adhuc vacaret sacrificio, constanter et libere sic ei est locuta :

§ 4. « Oportebat quidem, o Imperator, te ex teipso tuam videre deceptionem, quod hominum, in quos cadit interitus, simulacris, tamquam diis, offers sacrificia : et gentilèm hanc stultitiam et dedecus abjicere. Quoniam autem sinistro parens daemoni, adeo manifestam caecùtis veritatem, oporteret omnino sapienti saltem, qui est apud vos, Diodoro credentem, cognoscere quidnam sint vestri dii; et non tam inconsiderate, quae non decent, velle facere ; et non deos putare simulacra hominum, qui vitam misere finierunt. Ille enim dicit et deos fuisse homines, et propter aliqua beneficia nominatos fuisse immortales. Scribit autem ipsos quoque habuisse proprias nominum appellationes, et imperasse quibusdam regionibus et civitatibus. Dicit vero homines deceptos ignoratione, eos vocasse deos, et retulisse in numerum immortalium. Porro autem alius quoque sapiens apud vos ex iis qui conscripserunt historias, dixit illum Sarrum invenisse primum res gentilium. Eos enim, qui priscis temporibus, aut fortitudinis, aut amicitiae, aut alicujus alterius virtutis opus, dignum quod memoriae mandetur, aut in quod studium conferatur, ostenderunt, dicitur honorasse statuis ac simulacris. Qui autem majorum mentem ignorarunt posteri, quod eos solum memoriae gratia, ut qui rem aliquam laudabilem fecerant, honorassent, eisque imagines et statuas posuissent, ad homines interitui et omnino similibus obnoxios affectionibus accesserunt : et ut eis fierent sacrificia, honoresque haberentur, et dies festi celebrarentur, providerunt. Eos vester quoque sapiens Plutarchus Cheronaeus arguit, dicens eos inducere errorem imaginum ; quibus oportet te quoque credere, o Imperator. Non enim alienis omnino, sed tuis credes ; et non tam multas animas inducere in extremum barathrum interitus. Pro quibus ipse misere lues poenas, et aeternum subibis supplicium, gehennam, inquam, ignis, quae nunquam desinit, sed majorem semper flammam accendit. His ergo persuadearis, o Imperator, et persuasus agnosce verum Deum solum, qui dedit tibi hoc imperium, et praeterea ipsam quoque vitam praebuit. Qui cum esset Deus aeternus et immortalis, propter nos homo quoque factus est, crucemque et mortem elegit, nos faciens surgere a morte inobedientiae, et ut ipse scit, nostram procurans salutem. Is et eorum qui errant, est servator, et eos quos poenitet, benigne et clementer excipit. »

§ 5. Ad haec ira impletur Maxentius, et cum fervens sanguis ad cor ejus modicum affluxisset, vox quoque ei fuit extincta, et nec potuit quidem omnino respondere. Cum autem ad se vix tandem rediisset, et quae a Martyre dicta fuerant, vidisset esse validiora, quam ut contra ea dici posset : « Nunc quidem, inquit, o mulier, sine peragere sacrificium ; paulo post autem de iis quae dicis, audiemus apertius. » Peracto ergo sacrificio, et festo per

haec soluto, in regiam reversus, accersit beatam. Postquam autem ea adstitit: « Dic nobis, inquit, quaenam es, aut quaenam sunt ea verba quae es nobis locuta? » Illa autem: « Nescis, inquit, o Imperator, quaenam ego sim? Sum filia Imperatoris, qui te praecessit; vocor autem Aecaterina. Sum vero exercitata in omni disciplina rhetoricae et philosophiae, geometriae et aliarum scientiarum. Sed illa omnia nihili ducens, veni ut desponderer immortali sponso Christo, qui locutus est per Prophetam: *Perdam sapientiam sapientum, et prudentiam prudentum reprobabo*(*Isa.* XXIX). »

§ 6. Cum autem Imperator admiratus esset quae dicta fuerant, et in eam intentius defixisset oculos, et existimasset eam non esse unam ex iis quae natae sunt e terra; sed se deorum aliquam videre visionem, loquentem in habitu humano; cum sic putasset, et eam perperam esset allocutus, beata sermonem excipiens, dicit ei: « Vere dixisti, o Imperator. Daemones enim, quos deos nominas, revera vos spectris decipiunt daemoniacis, et vos provocant ad libidinem et intemperantim, et ad nefarias impellunt cupiditates. Ego autem cujusmodicumque sum, sum pulvis et lutum, efficta in hanc formam, et ejus honorata imagine. Quamobrem hinc magis cònvenit admirari sapientiam opificis, quod in luto et in materia tam vili potuerit tantam extruere pulcritudinem. » Quae quidem aegre ferens Imperator: « Noli, inquit, diis maledicere, qui et ipsi sunt immortales, et gloriam habent immortalem. » Martyr autem: « Invenies, inquit, tu quoque, o Imperator, quidnam sunt dii tui, si velis solum tuam abjicere parumper deceptionem: verum quoque Deum agnosces, qui est aeternus et immortalis; cujus vel solum nomen pronunciatum, vel crux etiam figurata in aëre, tuos deos vertit in fugam. Si velis autem, vel ex ipsa veritate apertam faciamus demonstrationem. »

§ 7. Cum itaque Imperatori suspecta fuisset libertas Martyris, timeretque ne se undique circumsisteret, et implicaret demonstrationibus, ipse autem non posset respondere et resistere, seque et suos deos aperto dedecore afficeret, ipse quidem nec eam tantum audire sustinet, prae se ferens non decere, ut cum foemina dissereret: « Ad te autem, inquit, a me adducentur oratores, qui omnes tuas rationes et propositiones abunde confutabunt: ut cum tu quoque abunde didiceris tuorum dogmatum imbecillitatem, adspicias ad id quod est utile, et nostro pareas dogmati. » Haec dixit, et Sanctam quidem jubet servari in custodia; ipse autem statim emittit epistolam in haec verba: « Imperator Maxentius omnibus qui sunt meae ditionis, salutem. Quicumque deorum sapientissimi Mercurii curam geritis, invocatis Musis, quae sunt causae cognitionis, venite ad nos usque, sapientissimae mulierculae, quae nobis veluti ex quadam machina apparuit, os obstructuri, ne magnos deos irrideat, neque fabulas esse putet, quae sub falso

teguntur probabili. Sic enim et patriam sapientiam omnes admirabuntur, et nos vestram dicendi facultatem et artem laudantes, et acceptam habentes, vos magnis donis remunerabimus. » Cum eae ergo litterae brevi per totum suum pervasissent imperium, convenerunt ad ipsum electi numero quinquaginta oratores, qui erant acres ad inveniendum, et multum valebant in dicendo. Quos cum proxime sistendos curasset Maxentius, ut familiaritate eos magis acueret et incitaret: « Quae, inquit, a nobis ad vos missae sunt litterae, significarunt causam vestri huc adventus. Vos ergo pulcre vos ipsos paretis et instruatis. Neque quod sit adversaria foemina, segnius aut negligentius veniatis ad certamen ; sed tamquam contra fortissimum adversarium, generoso et excelso animo, et cum omni apparatu in eam insurgatis. Nam si viceritis quidem, non videbimini multis parvum erexisse trophaeum. Sin autem, quod absit, vos vinci contigerit, magnum dedecus vobis conciliabitis, et ridebimini ab omnibus. Adspicientes enim ad sexum, quod sit mulier, eam esse existimant in dicendo imbecillam, et ejus eloquentiae nullas esse vires arbitrantur, eamque nihil generosum ac forte posse aut facere, aut dicere. Ego autem, ut qui ejus accuratam habeam experientiam, opinor ab ea secundum futurum Platonem, qui tulit primas partes sapientiae. Vosque sic velim esse paratos, perinde ac si adversus illum ipsum essetis decertaturi. Est enim melius, magna exspectantes invenire minora, quam parva sperantes, incidere in fortiora. »

§ 8. Ad haec dixit unus ex oratoribus, qui erat eximius inter omnes qui erant cum ipsis: « Consentaneum est, o Imperator, haec ita se habere, et intelligentem esse mulierem, et acuti ingenii. Sed non videtur mihi fore, ut sustineat venire in conspectum oratoris, nedum ut cum eo ineat certamen disputationis, et aut aliquid proponat, aut opponat. Quid est enim mulier ad artem rhetoricam? Veniat tamen solum, te jubente, et videbis quae deinceps consequuntur. » Cum ergo oratorem adeo tumidum vidisset Maxentius, ad voluptatem et laetitiam statim fuit conversus, sperans stultus linguam adeo intemperantem et audacem persuasuram linguae moderatae et plenae sapientia. Jubet ergo ante se sisti Martyrem. Collecta quoque fuerat frequens multitudo, concurrens ad spectaculum certaminis, ut scirent, ex utra parte staret victoria. Nondum pervenerant ad custodiam ii qui jussi fuerant eam adducere, cum Angelus Domini ei apparens: « Noli timere, ait, Dei puella. Ecce enim praeter tuam sapientiam tibi dabitur a Deo sapientia, et persuadebis quinquaginta oratoribus. Neque solum persuadebis, sed et ipsos, et multos alios qui sunt cum eis, ad Deum adduces. Deinde tu quoque eris redimita coronâ martyrii. » Haec ille quidem cum dixisset, abiit.

§ 9. Cum eam autem accepissent ii qui missi fuerant, adducunt ad tribunal Imperatoris. Et statim egregius ille orator

quem prius diximus, torve intuens, et superbe loquens: « Tu es, inquit, quae deos nostros tam impudenter et adeo insolenter injuria afficis? » Martyr autem valde leniter et placide respondit: « Ego sum; sed non impudenter et insolenter, ut dixisti, sed moderate potius et vere sum locuta. » Dixit vero orator: « Cum magni poëtae deos altos illos nominent, quomodo tu in eos linguam moves, et tam insolenter audes in eos insultare? Etsi, ut fertur, tu quoque eorum gustasti sapientiam, et fuisti particeps dulcedinis. » Illa autem prudenter respondens: « Habeo quidem, inquit, sapientiam, sicut mei Dei donum, qui est sapientia et vita, et quem timere et ejus mandata servare, est initium sapientiae perfectioris et majoris. Res autem vestrorum deorum cum sint ridiculae, et plenae multa deceptione, nondum ullam pro meritis assecutae sunt vituperationem. Verumenimvero dic nobis, quisnam ex tuis magnis, ut dicis, poëtis, et quomodo deos ipsos nominavit? » Orator autem: « Primum quidem, inquit, sapiens poëta Homerus Jovem precans, sic dicit: Jupiter gloriosissime, maxime, et alii dii immortales. Deinde insignis quoque Orpheus in sua Theogonia, sic gratias agens Deo Apollini, dicit: O Rex filius Latonis, eminus feriens, potens Phoebe. Qui omnia intueris, et imperas mortalibus et immortalibus. Sol, qui in altum pennis aureis extolleris. Atque sic quidem praestantissimi et primi ex poëtis, ipsos honorabant, et deos aperte vocabant. Neque tu ergo decepta Crucifixum attendas tamquam Deum, quem nullus ex veteribus sapiens invenitur nominasse, neque scire, an esset Deus. »

§ **10**. Martyr autem dicit: « Res deorum fateor ita se habere; neque contradixerim. Sed illa adjiciemus. Nam Homerus quidem, quem dixisti praestantissimum poëtarum, ille ipse rursus maximum omnium deorum Jovem, innumerabilibus subjicit absurditatibus, alicubi quidem mendacem et perversum, vafrumque vocans et deceptorem; alicubi autem a Junone, Neptuno et Minerva praeter rationem conjectum in vincula. Nisi enim a Thetide ei significatae fuissent insidiae, et Aegeum praefecisset custodiae suae salutis, deorum et hominum pater forte tibi jacuisset supinus, vinctus a mulieribus et Neptuno illusus. Rursus Orpheus musicus vos, qui eos colitis, magnae amentiae damnavit et stuporis, et maxime in libro, quem, ut dicis, scripsit de ortu deorum et creatione mundi, sic vestram vanitatem significans et ignorantiam, dicit: Neque adventans malum homines intelligunt, neque cum advenerit malum possunt avertere. Cui etiam adstipulatur sapiens vester Sophocles, dicens: Est Deus, qui coelum fabricatus est et longam terram, et ponti glaucos fluctus, et ventorum violentias. Mortales autem corde valde errantes, bellariorum statuimus solatia, et deorum imagines, ex lignis et lapidibus auro structis figuras. His autem sacrificantes, et dies festos novos celebrantes, propterea nos pios esse ducimus.

§ 11. « Quod autem Crucifixum ne solum quidem nomen dixisti habere apud veteres, oportet quidem non esse nimis curiosum, neque de eo humanas scrutari rationes, quod sit Deus verus, opifex coeli, et terrae, et maris, et solis, et lunae, et astrorum, et universi hominum generis, incomprehensibilis, inscrutabilis, interminatus, ineffabilis. Ut vero res ejus ex vestris quoque confirmem (sic enim fuerit omnino a suspicione alienum testimonium), audi sapientissimam inter mulieres Sibyllam, generationem ejus secundum carnem, et ejus in nos providentiam et curam ineffabilem aperte significantem. Si vis autem, ipsa quoque verba audiemus: Vix tandem autem veniet quidam in hanc multifidam terram, et absque lapsu fiet caro. Indefessis autem terminis divinitatis solvet corruptionum affectionum immedicabilium. Et ei erit invidia in incredulo populo, et in alto suspendetur, tamquam reus mortis. Haec autem omnia leniter patietur. Vide quoque vatem a mendacio alienum Apollinem, oblitum solitae suae obscuritatis et obliquitatis, et nudam, etiamsi nolit, edentem veritatem: Unus, inquit, me cogit coelestis, qui est lux tripliciter refulgens. Qui vero passus est Deus, non passa est autem ipsa divinitas. Ambo est enim, et mortali corpore, et alienus corruptione. Ipse jam Deus est vir, omnia ferens in mortalibus, crucem, contumeliam, sepulturam. Qui etiam ex superciliis calidas aliquando fudit lacrymas. Qui quinque millia implevit frumento. Velle enim est divina potentia. Christus est meus Deus, qui in ligno fuit extensus, qui mortuus, qui ex sepultura in coelum est sublatus.

§ 12. « Haec refert Apollo deus tuus, etenim cum sit, est expers principii, et coaeternus cum Deo, qui genuit, principium, radix et fons bonorum universorum; et cum quaecumque sunt, ex nihilo produxisset, eaque ornaret ac regeret, et sua manu contineret, nostrum genus est fabricatus: et nobis multas vias muniit ad salutem. Cum eos autem vidisset supplantatos transgressione, et amisisse ipsum caput salutis, nempe obedientiam, ipse rursus facit id, quod est caput salutis: et qui est ejusdem naturae, cujus pater, fit propter nos id, quod ego, et versatur simul cum hominibus, et obit terram, castigans, admonens, docens, omnia faciens et procurans. Deinde etiam subit mortem pro ingratis famulis, eamque ignominiosissimam, conspuiturque et colaphis caeditur, et sustinet creator omnia quae condemnati: et facta sunt haec omnia propter nos, ut solveretur prima condemnatio, et de medio tolleretur tyrannis diaboli, et coeli portae nobis rursus aperirentur, quas male nobis clausimus. Et nec hucusque quidem stetit: sed cum etiam tertio die surrexisset, et in coelos ascendisset, unde venit, ineffabilem sancti Spiritus nobis donavit gratiam, et misit discipulos, illius mandata praedicantes: qui ipsi quoque omne periculum subibant, et mortem quotidie sustinebant, ut animae

mortem a nobis depellerent, et omnem errorem a nobis abducerent, et universum orbem terrae ad eum adducerent. Propterea oportet nos quoque omnia pervadere, et esse participes ejus perpessionum, complantatos similitudini mortis ejus, ut resurrectionis et regni simus cum eo participes. Oportet ergo te quoque his persuaderi, et ipsum verum Deum agnoscere, et ei familiarem effici, qui dicit: *Venite omnes qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* (*Matth.* XI). Quod si non his, at iis saltem, quae dicta sunt a diis tuis et poëtis. Omnino enim tibi et sapiens Plato, et musicus Orpheus, qui sua lyra, ut fertur, movebat etiam inanimata: praeterea autem egregius quoque ille purus Apollo eum tibi vel inviti confitentur, et veritatis aliquid ab eis est ostensum, ut omnis impiis tolleretur occasio, etiamsi ipsi sunt infatuati, et videntes non viderunt, et audientes non intellexerunt *. »

§ **13**. His obstupuisse oratorem, et ejus linguam plane obmutuisse cum vidisset Imperator, ad oratorium reliquum coetum conversus, hortatus est, ut ipsi quoque aggrederentur Martyrem. Illi autem statim detrectant certamen, dicentes: « Non possumus, o Imperator, aliquid opponere contra ea quae dicit; et maxime, quod eum, qui est inter nos praestantissimus, tam graviter videmus ab ea superatum. » Tunc Maxentius non potens ferre furorem, jubet statim rogum accendi in media civitate, et in eum injici quinquaginta oratores. Illi autem, hac auditâ sententiâ procidunt ad illius Beatae pedes, et eam vehementer obsecrant et supplicant, ut ab illius Deo eis ignosceretur, si quid ab eis peccatum sit ignorantia: et ut divino dignarentur baptismo et dono Sancti Spiritus, et quoad ejus fieri posset, illi conjungerentur. Ad haec Martyr divinâ repleta laetitiâ: « Estis, inquit, vere beati, quod relictis tenebris, secuti estis lucem veritatis; et relicto Rege, qui in terris interit, accessistis ad eum, qui est in coelis ab interitu alienus et immortalis. Ignis enim, quem impii illi vobis sunt minati, erit quodammodo vobis baptisma et scalae ad coelum, si qua sit macula, si qua sordes, eam expurgans, et tamquam lucidas quasdam stellas, vos ad illum ipsum Regem sursum ducens, et efficiens jucundos et amabiles. » Et ipsa quidem cum eis hac spe et sermone animum addidisset, et unicuique arma inexpugnabilia, nempe Christi signaculum, immisisset, cum gratiarum actione et laetitia dimittit ad martyrium. Spem autem consecutus est eventus; et cum eos accepissent milites, laetos quidem jaciunt in flammam ignis septimodecimo mensis Novembris. Vespere autem quidam ex piis egressi ad colligendas reliquias, inveniunt eas sanas et salvas, adeo ut nec pilus quidem earum a flamma omnino sit consumptus: hoc primum signum illorum cum Deo conjunctionis, praebente providentiâ.

* Scientiam, qua procul dubio S. Catharina imbuta erat, haud mirabitur, qui, exempli gratiâ, alteram foeminam, itidem Alexandrinam, Hypatiam nomine, insignem eruditione, perspectam habuerit. Claruit Hypatia sub Theodosio Juniore.

§ 14. Cum ergo, ut par erat, Deo egissent gratias, et inopinato miraculo multos attraxissent ad agnitionem veritatis, eas praeclare et sancte deponunt in quodam loco. Imperator autem Maxentius totam cogitationem defigebat in Martyrem, et de illa erat perpetuo sollicitus; ut eam lucraretur, vel ipsam curam imperii postponebat. Cum itaque vi dicendi et disputationibus desperasset se eam posse inducere, eam blanditiis aggreditur illicere, et apud egregiam Martyrem verbis est usus ejusmodi: « Crede mihi, pulcra filia, qui tibi consulo, tamquam tibi bene volens pater. Magnis diis sacrifica, maxime autem Musarum praesidi Mercurio, a quo profecta est haec tua magna cognitio, et qui te exornat tanta dicendi gratia; et meum tecum dividam imperium; sciant dii omnes; et mecum habitabis in regia.» Illa vero, ut quae esset magno et excelso animo ad excipiendam amicorum dicendi libertatem. et rursus acerrimi ingenii ad deprehendendam adulationem. etiamsi maxime contexeretur vafris et variis labyrinthis: « Depone, inquit, o Imperator, fictionem; neque referas et imiteris dolum vulpis. Ego enim semel dixi tibi, me esse Christianam, et veni ut essem sponsa Christi; et eum habeo solum sponsum et consiliarium, et ornamentum virginitatis, stolamque martyrii longe praefero cuivis purpurae regiae.» Imperator autem adhuc prae se ferens, se ejus curam gerere: « Ne cogas me, inquit, vel invitum hanc tuam praeclaram purpuram injuriâ afficere. » Illa autem: « Fac, inquit, quod velis. Nam per hanc, quae est ad tempus et cito dissolvitur, conciliabis mihi veram et immortalem gloriam; et magna quoque alia, ut arbitror, multitudo, et maxime tui palatii, per me Christo credent, et ipsi quoque me prosequentur, ad sacros illius thalamos magnifice transeuntem. »

§ 15. Haec illa quidem dixit: « Deus autem desuper annuit, et deduxit ad effectum ea quae dicta fuerant. » Maxentius autem his valde iratus, jubet Martyrem exui regali illâ purpurâ, et bovum nervis caedi crudelissime. Cum hoc autem factum esset, ut jusserat, et Martyris corpus vel nive cadente crebrioribus flagris intolerabilibus duas horas valde caeditur; et cum venter simul verberaretur, lavabatur virginale quidem illius corpus sanguine, et multis ex iis qui aderant, aperte ciebat lacrymas: ipsa autem tam constanter et fortiter resistebat intolerabili illi et vehementi vi Tyranni, ut propemodum videretur ejus corpus esse lapideum, nisi ejus naturam fluvii sanguinis arguissent. Vix tandem autem fera illa immanis, caligans ad plagarum spectaculum, Martyrem includit in custodia, jubens ut ea tuto asservaretur usque ad diem duodecimum, ut consideret, quomodo et quibusnam generibus suppliciorum eam consumat. Haec quidem ita se habuerunt; Martyr vero conjecta in carcerem, rursus reservabatur secundo tribunali.

§ 16. Augusta autem uxor Imperatoris cum audiisset de Martyre, et esset animo in eam bene affecta, desiderabat videre ejus faciem, et eam audire loquentem, de qua talia narrari audiverat. Desiderans autem, id minime assequebatur: et non assequi, quod desiderabat, erat ei gravissima calamitas. Cum ad eam autem aliquando ingressus fuisset Porphyrio (is vero erat Dux exercitus, et manu fortissimus, et in bello optime exercitatus, et in eo primas partes obtinens) * Cum ergo Imperatrix aliquando eum solum invenisset, tamquam ei arcanam aliquam narratura actionem, prius Porphyrionem adstringit jurejurando, et fidem ab illo accipit, fore ut nullus ab eo resciret arcanum. Deinde illa ei exponit suum desiderium, et quemadmodum desiderabat, inscientibus omnibus, convenire Martyrem. Cum beatam autem illam vocem audivisset, respondet Porphyrio: « Ego, inquit, o domina, faciam tibi quod desideras, esto solum parata.» Cum vero adesset vespera, et Augustam accepisset Porphyrio cum ducentis militibus, pecuniâ corruptis custodibus, cum ipsa ingreditur ad beatam. Augusta autem cum vidisset illum optatum vultum Martyris, admirata divinam, quae in ea florebat, gratiam, et splendidum qui illinc emittebatur, radium, procidit cito ad pedes ejus, et ei effundit lacrymas laetitiae, et haec locuta est cum lacrymis: « Nunc ego sum revera beata et Imperatrix, quod sum tali dignata spectaculo, et video meum desiderium consecutum esse effectum: ego enim jamdiu tui magno teneor desiderio, ut tuo, inquam, fruerer adspectu et sermone, o serva Dei: et vel ipsam animam lubenter amittens cum imperio, nunc sum potita desiderio. Si deinceps ergo vel mors accesserit, non me amplius dolore afficiet, ut quae sim assecuta id quod desiderabam, et amori meo satisfecerim. Laetor ergo corde, et animo sum optime affecta, tam jucundum splendorem ex tuo vultu accipiens. Es itaque beata et felix merito existimanda, quod Christo adhaeseris, a quo tam multa dona et gratiae tibi suppeditantur. »

§ 17. Ad haec dixit Martyr: « Tu quoque es beata, o Imperatrix, quod in Angelorum manibus video coronam tui capitis in altum elatam, qua post tertium diem per id, quod te manet, supplicium redimita, proficiscèris ad verum Regem, regnans perpetuo. » — « Sed sum timida, dicit beatae Imperatrix, et timeo tormenta: maxime autem Imperatorem, quod sit saevus et immanis, et insultet hominibus. » Martyr autem dicit ei: « Sis bono animo; habebis enim Christum in corde tuo habitantem, et te non attinget tormentum: hic enim parumper castigabitur tuum corpus, et immortaliter illic rursus quiescet. » Haec cum Sancta diceret, excipiens Porphyrio: « Rogo te dic mihi, inquit, Quid mihi dabit Christus, si in illum credam? Ei enim ipse quoque jam volo militare. » Martyr autem: « Nondum, inquit, legisti aut audivisti

* Sic legitur.

Scripturam Christianorum? » — « Nunquam, inquit Porphyrio, qui ab ineunte aetate semper fuerim in bello occupatus, et nunquam curam converti ad alia. » Illa vero: « Et quaenam, inquit, lingua narrarit bona illa quibus frueris? Fieri enim non potest, ut complectatur oratio, quae ab illa benigna dextera sunt parata iis qui ipsum diligunt. » Propter haec gaudio repletus Porphyrio, ipse quoque credit Christo cum ducentis militibus: et cum Imperatrix et ipsi vale dixissent Martyri, et cavissent sibi a custodibus secreta futura ea quae ab ipsis facta fuerant, media nocte illinc egrediuntur. Christi autem Martyr Aecaterina, habens Dominum patre magis benevolum, magnam ab eo curam sui est consecuta. Totis enim illis duodecim diebus, in quibus eam habebat custodia, per columbam alimentum accipiebat a superis. Deinde ipse quoque egregius Agonotheta Christus cum iis quae circa ipsum erant, copiis et gloria sua apparens, magis confirmavit ejus fortitudinem, et implevit audaciâ, dicens: « Ne extimescas: ego enim sum tecum; nec te attinget tormentum; sed cum per tuam tolerantiam ad nomen meum multos adduxeris, multas quoque consequèris remunerationes. »

§ **18**. Cum haec ultima nocte ei Christus mandasset, mane Maxentius praesedit in tribunali, et Beatam jussit adduci; et assistens Martyr cum gratiis spiritualibus, et dulci illa alacritate, adeo ut ii quoque, qui aderant, nitido splendore refulgerent, graviter admodum terret Imperatorem. Ipse autem ei dicit malitiose et fallaciter: « Te, inquit, decet imperium, o filia. Age ergo, cum diis sacrificaveris, impera nobiscum. Neque velis, rogo, videre interire tormentis tantam pulcritudinem. » Illa autem: « Est, inquit, solum terra et cinis; et id tibi rursus dico, o Imperator: tempus vero facit eam efflorescere, et morbus tabefacit, ut quae nihil firmum habeat, nec stabile. » Interim autem dum Martyr haec ei diceret, quidam Praefectus nomine Chursasadem, acris quidem ad iram, promptus autem et ingeniosus ad puniendum, cum haec audiret, partim dolens vicem Maxentii, partim autem suae benevolentiae dans experientiam, cum se parvo tempore sustinuisset tamquam apud se meditans et inquirens, dixit: « Ego tibi, o Imperator, non parvâ curâ adhibitâ, inveni, quomodo possis vel ei cito persuadere vel eam perdere. Modus autem est ejusmodi: Jube sub una fibula fieri quatuor rotas, et unicuique rotae infigi serras et claves acutos. Deinde machinam funibus et parvis rotis trahi ante ejus oculos. Et si, cum eam quidem viderit ferri maximo impetu ac strepitu, persuasa fuerit, et nobiscum diis sacrificaverit, consequetur promissa: sin minus in rotas injectae miserabiliter per vim ei erumpet anima. »

§ **19**. Atque haec quidem dixit Praefectus: cum autem ejus sermonem arripuisset Imperator, dat quidem Martyrem custodiendam, et rursus jubet machinam fieri in tertium diem. Cum hoc

autem factum esset, Martyr rursus adducitur; et: « Pare mihi, dicit ei Imperator, et diis sacrifica: sin minus, ego te huic tormento subjiciam, » jubens novam illam machinam trahi ante ejus oculos. Quae quidem cum magno impetu et strepitu moveretur, rursus ei dicit imperator: « Vides? inquit: ea te, si non pareas, excipiet. » Illa autem: « Saepe, inquit, meum animum tibi dixi, o Imperator, et eum tibi aperui. Ne ergo cuncteris, sed facias quae tuo sedent animo. » Imperatorem autem spes quaedam adhuc decipiebat, futurum fortasse, ut persuaderetur et mutaretur, et multis apud eam rursus usus est adulationibus. Cum autem cognovisset se frustra laborare, jubet quidem alligari rotis generosam Martyrem, ipsas vero moveri celerrime, ut motus vehementiâ mortem subiret graviorem. Sed iis, quae meditabatur, contrarius divinae erat gratiae eventus. Martyr enim simul omnino soluta fuit a ferro, et rotis, et illis vinculis, quod Angelus desuper ad eam advolasset; rotae autem sua sponte volutatae, interemerunt multos ex infidelibus, adeo ut exclamarent quidam ex circumstantibus propter inopinatum, et quod erat contra opinionem, spectaculum: « Magnus est Deus Christianorum. » Propter haec magnâ irâ fuit rursus accensus Maxentius, et furore qui minime poterat cohiberi; et graviora rursus supplicia parabantur Martyri. Sed conjux Augusta repente apparens ex cubiculo Imperatoris, et eum ad se àttrahens, dissolvit consilium; immo vero sustulit insidias. Alicunde enim venit tamquam spiritus: « Absolve, dicens, famulam magni Dei, quam non attingit tormentum: revera enim desipis, decertans adversus Deum vivum. » Quamobrem majore irâ fervens, Imperator, maxime quod nec familiarissimos haberet secum consentientes, interim praeterita Martyre, universum furorem immittit in conjugem.

§ **20**. Cum ergo arcam maximam curasset afferendam, et plumbo eam humi affixisset, ita ut stabilis esset et immobilis, mamillas proh dolor! suae conjugis configit aculeo subjecto operculo tabulae. Deinde jubet operculum deorsum ferri vehementius, et non prius sisti, quam ipsas mamillas omnino abscidisset, diuturnitate supplicii graviorem sensum ei doloris afferens. Cum hoc autem factum esset, ubi vidit illas miserabiliter abscissas, immitis ille et vel ipsis feris immanior, veluti rem levem arbitratus, quod spectat ad dolorem, infert adhuc graviorem, et pronunciat sententiam, ut ejus caput amputetur gladio. Augusta ergo, lubenter acceptâ sententiâ, laeta dixit Martyri: « Ora pro me. » Illa vero; « Vade, inquit, in pace; in aeternum enim regnabis cum Christo. » Atque illi quidem jussu Imperatoris amputatur caput extra civitatem vicesimo tertio Novembris. Sed neque Dux exercitus Porphyrio et qui cum eo erant, hoc beatum iter deseruerunt. Sed quomodo illic Augustae duces fuerunt ad Martyrem, ita etiam pie secuti sunt eam abeuntem ad communem Dominum.

Nam cum ipsi quoque se stitissent pro tribunali, « Ego quoque sum Christianus, dixit Porphyrio. Sed hi quoque, qui sunt mecum, sunt insignis ad Deum adductus exercitus. » Hoc non sustinuit audire Maxentius: sed cum ex profundo corde ejulasset; « Perii, inquit, cum perdiderim admirabilem virum Porphyrionem. » Deinde etiam conversus ad suos milites: « Vos autem, inquit, quanam de causa deos patrios habuistis contemptui? » Cum illi vero nihil respondissent, Porphyrio: « Cur dimisso, inquit, capite, o Imperator, pedes interrogas? Est tibi mecum loquendum. » Ille autem: « Malum, inquit, caput, tu es eorum caput? » Et cum plura loqui non permisisset pudor, eos quoque statim morte condemnat: et ipsi quoque consummantur vicesimo quarto Novembris, effectumque assecuta est praedictio, quam Martyr praedixerat Imperatori, cum dixit: « Multi ex tuo palatio Deo per me credent. »

§ **21**. Ille autem cum rursus beatam sistendam curasset Aecaterinam, et in eam omnem movisset improbitatem, et nihil non esset machinatus, ubi nec promissis, nec minis eam omnino vidit posse expugnari, jubet ipsam quoque duci ad mortem. Cum ergo eam accipientes milites eduxissent e civitate, et duxissent ad locum martyrii, circumsistens magna multitudo, maxime autem mulierum, quae erant clarae et insignes, acerbe plangebant et lamentabantur, et lugebant ultimum illum decessum. Illa autem vultu constanti et nequaquam perterrito, petit tempus ad orationem. Quod ei concedunt milites. Illa vero cum et manus et animum ad coelum sustulisset, dixit: « Domine Jesu Christe Deus meus, ago tibi gratias, quod statuisti supra petram pedes meos, et direxisti gressus meos; et nunc extende palmas, quae pro me in cruce fuerunt sauciatae, et suscipe animam, quam sacrifican pro te et tua confessione. Memento, Domine, quod sumus caro et sanguis, et ne permittas, ut, quae a me facta sunt per ignorantiam, in apertum proferant acres rerum nostrarum examinatores ante tuum terribile et incorruptum tribunal: sed quem pro te effudi sanguinem, eo maculas meas ablue. Da autem ut hoc meum corpus, quod pro te fuit conscissum, non possit adspici ab iis qui quaerunt: et qua providentia finxisti corda nostra, adspice ex alto sancto tuo, Domine, ad hunc populum, qui te circumsistit, et deduc eos lumine tuae agnitionis. Da autem iis quoque, qui per me invocant sanctum tuum nomen, petitiones quae sunt eis conducibiles, ut per omnia laudentur tua magnalia nunc et in secula. » Cum sic precata esset, jussit milites facere, quod fuerat imperatum. Unus autem ex eis, stricto gladio, beatum ejus caput amputat vicesimoquinto mensis Novembris.

§ **22**. Porro autem hic quoque facit Deus aliquod miraculum, honorans suam Martyrem, et ad effectum deducens illius preces. Nam qui aderant, viderunt lac fluens pro sanguine; et Angeli cum venerandum illius corpus composuissent, in ipso tempore

consummationis, visi sunt deducere in montem Sina * ad gloriam Patris et Filii et Spiritus Sancti, Qui sunt una divinitas et regnum : Cui convenit honor et potentia in secula seculorum, Amen.

CERTAMEN S. MARTYRIS MERCURII.

AUCTORE SIMEONE METAPHRASTE, UT HABETUR QUINTO TOMO ALOYSII.

Pro Christi fide, Caesareae in Cappadocia, anno probab. 253, necatus.

§ 1. Imperante illo tempore Decio et Valeriano in magna urbe Roma ii communi decreto statuerunt, ut omnes sacrificarent et diis libarent. Convocato ergo toto Senatu, ei exposuerunt quae communi consensu a se decreta fuerant; et cum eos invenissent suae assentiri sententiae, magna affecti sunt laetitiâ. Statim ergo litteris imperatoriis cum subscriptione Senatus, jusserunt ea exponi, quae communiter eis visa fuerant, et proponi in Capitolio, quarum hoc est exemplum : « Imperatores triumphatores, victores, Augusti, pii, Decius et Valerianus simul cum Senatu haec communi consilio: cum deorum beneficia et munera didicerimus, et simul etiam fruamur victoriâ, quae nobis ab ipsis data est adversus inimicos; quinetiam aëris temperatione, et omne genus fructuum abundantiâ. Cum eos ergo didicerimus esse benefactores, et ea suppeditare, quae sunt in commune utilia; ea de causa uno decreto decernimus, ut omnis conditio liberorum et servorum, militum et privatorum, diis expiantia offerant sacrificia, procidentes et supplicantes. Si quis autem voluerit divinum nostrum jussum violare, qui communi sententia est a nobis expositus, eum jubemus cònjici in vincula; deinde variis tormentis subjici; et si sic quidem fuerit persuasus, non leves a nobis honores consequetur. Sin autem contradixerit, post multa tormenta, ense subibit supplicium; aut in maris profundum jacietur; aut avibus et canibus dabitur devorandus; praecipue vero, si fuerint inventi aliqui ex religione Christianorum. Qui autem divinis nostris decretis obedierint, maximos honores et dona consequentur. Valete felicissime. »

* Ubi scilicet, ut constans traditio est, ipsa, dum vitam agebat, fido Christianorum comitatu, aliquamdiu latuerat. Sacrae ejus exuviae, circa seculum nonum, a Christianis detectae fuere; ibique summo cum honore reconditae, etiam nunc adservantur (vide Pococke, *Voyages*). — Magnum apud omnes, tam Graecos, quam Latinos, est hujus nobilissimae Martyris nomen. Studiorum Universitas, quae Lutetiae est, ut Patronam olim sibi elegerat, atque quotannis festum ejus magna cum solemnitate celebrabat. — Acta vero S. Catharinae deperdita dolemus. Haec, quae Metaphrastes edidit, ab incerto auctore conscripta sunt " quo fusius, ait Baronius in *Annalibus*, eo minus fideliter quam par erat. Praestat namque in rebus gestis Martyrum aliorumque Sanctorum multa desiderari, quam omni ex parte nutantia plurima cumulari. „

§ 2. Proposito ergo edicto imperatorio, conturbata fuit tota civitas, quod in tota civitate fuisset propositum impium hoc edictum. Accidit autem, ut cum illo tempore bellum fuisset a barbaris * motum adversus Romanos, pararent Imperatores suum exercitum, ut acie cum eis confligerent, jubentes numeris militum, qui erant in omnibus civitatibus, ut venirent in auxilium. Ex iis autem, qui ab unaquaque civitate et regione veniebant ad hunc belli apparatum, venit etiam legio eorum, qui dicebantur Martenses, qui sunt sub prima Armenia, sub tribuno nomine Saturnino. Egrediente autem ad bellum Decio, degebat Romae Valerianus. Commisso vero inter Romanos et barbaros proelio, duravit conflictus longo tempore. Permanentibus autem iis in illa congressione, apparuit visio cuidam ex legione Martensium, qui sunt sub prima Armenia, nomine Mercurio: apparuit, inquam, vir quidam ingentis magnitudinis, indutus albis vestibus, in dextera manu tenens rhompheam, et ei dicens: « Ne timeas, nec formides; sum enim missus, ut tibi opem feram, et te reddam victorem. Accipe ergo hanc rompheam, et irrue in barbaros; et cum viceris, ne obliviscaris Domini Dei tui. » Ille autem, ut qui a se discessisset, existimabat esse unum ex principibus Imperatoris. Quam cum accepisset, et se incitasset, impetum fecit in barbaros; iisque fractis, eorum Regem occìdit, et multos alios, adeo ut defessum esset ei brachium, et ex sanguine ejus manui adhaereret romphea. Sicque fusi et fugati sunt barbari a Romanis.

§ 3. Tunc Decius cum rescivisset singulare ejus certamen, eum accersìtum donavit dignitate ductoris exercitus, constituens ut praeesset castris; et arbitratus Decius se deorum providentia a bello fuisse superiorem, valde laetabatur; et cum militibus multum erogasset pecuniae, unumquemque misit in locum suum: ipse autem ingrediens unamquamque civitatem, magna faciebat convivia, Romam proficiscens. Una autem nocte cum dormiret dux exercitus, ad eum accedit Angelus in prima, in qua apparuerat, figura; et puncto ejus latere, eum excitavit. Ille vero cum eum vidisset, timore affectus, mansit mutus. Dicit ei Angelus: « Mercuri, memento quid tibi dixerim in conflictu proelii: vide ne obliviscaris Domini Dei tui. Oportet enim te pro ipso certare legitime, et coronam victoriae accipere in glorioso regno cum sanctis omnibus. » Haec cum dixisset, evanuit Angelus. Ille autem cum ad se rediisset, et esset recordatus, Deo egit gratias. Sciebat enim a majoribus fidem Christianorum. Nam pater ejus Gordianus, cum esset primicerius ejus legionis, saepe dicebat: « Beatus est, qui Regi coelesti militat: ei enim donat regnum coelorum. Ille enim Rex verbo omnia est fabricatus; et ille est, qui est vivos et mortuos judicaturus, et unicuique redditurus secundum sua opera. » Cum ad se ergo rediisset, et patris verborum meminisset,

* A Persis scilicet.

et considerasset visionem, quae sibi apparuerat, compunctus a Sancto Spiritu, coepit cum lacrymis confiteri et dicere: « Hei mihi peccatori, quod cum essem ramus germinantis arboris, exarui non habens radicem Dei cognitionis. »

§ 4. Dum ipse autem haec diceret, missus est ab Imperatore silentiarius cum plurimis aliis, ut eum vocarent ad Imperatorem. Cum is vero se excusasset, Imperator distulit concilium. Die autem sequenti eum rursus accersit Imperator, ut veniret cum eo, quo par est, honore. Cum is autem accessisset, dimisso jam concilio, dicit ei Imperator: « Eamus simul in templum Dianae, et offeramus ei sacrificium. » Sanctus vero se reprimens, ivit in suum Praetorium. Quidam autem ex proceribus eum accusat apud Imperatorem, dicens: « Pie triumphator et victor, a diis probate, ut administres in imperium, dignare placide me audire. Qui a vestra imperatoria est honoratus dextera, et cui gloria fuit tributa a vestro imperio, quod res Romanorum placide et tranquille administrat, is non fuit nobiscum in templo magnae Dianae, sacrificium oblaturus pro vestra potentia. » Dixit Imperator: « Quis hic est? » Dixit Catulus consularis: « Mercurius, quem magni fecistis et ornastis diversis dignitatibus. Is alios quoque evertit, ne deos colant; exitum autem vobis ostendet ejus ad vos responsio. » Dixit Decius: « Aliquâ fortasse in eum motus invidiâ, haec in eum locutus es: sed te non audiam, nisi eo praesente vera cognovero. Fide autem digniores judicabo testimonii oculos, quam aures. Tace ergo, et cum eo nullum verbum loquere; et si calumniandi quidem animo usus in eum haec dixeris, non leve dabis supplicium. Sin autem vera apparuerint ea, quae a te dicta sunt, a me honores et dona consequeris, ut qui benevolum in deos et in nos animum ostenderis. » Imperator autem jussit eum venire cum eo, quo par erat honore.

§ 5. Cum is autem accessisset, dixit ei Decius: « Nonne ego te hac ornavi dignitate, te exercitus ductorem constituens coram omnibus meis principibus, propterea quod Dei voluntate a te victum fuerit proelium? Quomodo autem meum honorem nihili ducens, accepisti modum quemdam malignitatis, et vis meos honores nihili pendere, deos non adorans, sicut jam audivi ab aliquibus? » Generosus autem Christi miles, cum convenienter ei, quod dicit Apostolus, veterem exuisset hominem cum suis actionibus, induit novum, qui est creatus secundum Deum per baptismum, et confidenter ei dixit: « A me tolle hunc tuum honorem. Ego enim non, ut arbitror, ad id veni ex debito, qui barbaros in bello vicerim per Dominum meum Jesum Christum. Sed accipe quae a te, ut dixisti, mihi data sunt. Nudus enim egressus sum ex utero matris meae, nudus etiam revertar in illum mundum. »

§ 6. Cum itaque exuisset lenam, et solvisset zonam, jecit ad

pedes Imperatoris, clamans et dicens: « Sum Christianus: audite omnes, sum Christianus. » Decius autem simul et irâ valde percitus, et dicendi libertatem admiratus, ejusque pulcritudine et magnitudine obstupefactus, jussit eum conjici in custodiam, dicens: « Hic homo non consideravit nec intellexit honorem. Sed si senserit probrum et ignominiam, puto fore, ut eum ad piam traducam cogitationem. » Cum is autem abduceretur in custodiam, laetabatur Martyr et exultabat, Deum laudans et gloriam ei tribuens. Nocte autem illa Angelus Domini ei apparet, dicens: « Confide, Mercuri, et ne timeas. Crede in Dominum, quem es confessus. Ipse enim potest te redimere ex omni afflictione. » Visione autem Angeli valde fuit confirmatus.

§ 7. Die vero sequenti cum praesedisset Imperator in tribunali, jussit eum sisti, et dicit ei: « Hic honor te decet propter tuum pessimum animum. » Dixit Martyr: « Me decet hic honor: accepisti enim ea, quae praetereunt; pro iis autem accipiam quae permanent in aeternum. » Dixit Imperator: « Dic mihi genus tuum et patriam. » Dixit Mercurius: « Si vis scire genus meum et patriam, dicam tibi: pater meus vocabatur Gordianus, Scytha genere; militabat vero in legione Martensium. Patria autem mea, ad quam propero, est coelestis Jerusalem, quae est civitas Regis coelestis. » Dixit autem Decius: « Hoc ne nomine vocatus es a parentibus, an in exercitu appellatus fuisti Mercurius? » Dixit Martyr: « Militiae a tribuno vocatus sum Mercurius. » Dixit Imperator: « Cur non facis sicut jussum fuit omnibus hominibus, et deos adoras, priorem tuum honorem recipiens? mavis ne mori in tormentis? Dic cito, sciens te esse vocatum propterea. » Dixit Mercurius: « Ego, ut dixisti, ideo veni, ut te vincerem, et diabolum omnis vitii inventorem: et coronam victoriae accipiam ab agonotheta Jesu Christo Domino meo. Noli ergo tardare nec differre: sed in me imple quae tibi veniunt in mentem. Habeo enim loricam fidei et clypeum, per quae vincam omnem tentationem, quae adversus me excogitata et mota fuerit. »

§ 8. Tunc dixit Imperator ira plenus: « Quoniam dicis te habere loricam fidei et clypeum, jubeo te nudum extendi ad quatuor palos, et sublimem tolli a terra. » Cum hoc autem factum esset, dicit Imperator: « Ubi sunt arma tua bellica? Per Jovem maximum deorum valde fuisti extensus. » Sanctus autem Mercurius in coelum adspiciens, dixit: « Domine Jesu Christe, fer opem servo tuo. » Rursus jussit Imperator acuto gladio scindi ejus corpus, et postea ignem substerni, ut ipse paulatim ureretur. Sanguinis autem multitudine rogus fuit extinctus. Sanctus vero forti et generoso animo ferebat hoc tormentum. Decius autem jussit eum solvi, ne citius moreretur, et in quadam obscura domo tuto includi. Eum itaque portantes, projecerunt in domunculam, quae parvam habebat respirationem, existimantes fore ut paulo post

moreretur. Illa autem nocte ei apparet Angelus Domini, dicens: « Pax tibi, generose athleta: » et eum reddidit sanum, curans vulnera ejus corporis, adeo ut surgeret, et gloriam redderet Deo, qui ei apparuerat.

§ 9. Rursus ergo Decius jussit eum sisti: et cum eum vidisset, dixit: « Qui mortuus fuit a nobis ablatus, quomodo nunc per se ambulat? forte nec vibicem quidem habet in suo corpore. » Jussit autem satellitibus, ut viderent. Illi vero ei dicunt: « Per divinissimam tuam pietatem, corpus habet adeo delicatum, et omni macula vacuum, perinde acsi ne fuisset quidem tactum. » Dixit Decius: « Est omnino dicturus, Christus meus me curavit. Neminem introduxistis, qui eum curaret in custodia? » Illi autem ei dixerunt: « Per vestram potentiam, quae regit universum orbem terrae, nemo eum ne adspexit quidem: putabamus enim eum esse moriturum. Quomodo autem sanus et valens nunc assistat, nescimus. » Dixit Imperator: « Videte artem magicam Christianorum. Qui heri quidem putabatur esse mortuus, hodie adstat sanus. » Iratus itaque dixit ei: « Quis te curavit? dic cum veritate. Nam sine praestigiis et arte magica non puto te fuisse curatum. » Dixit sanctus Mercurius: « Sicut prius dixisti nolens, Dominus noster Jesus Christus, verus medicus animarum et corporum, ipse me curavit. Veneficos autem, et incantatores, et sortibus divinantes simul cum iis qui adorant simulacra, abdicat, eosque vinculis ligatos, tradit igni gehennae, propterea quod non agnoverunt verum Deum qui fecit ipsos. » Dixit Imperator: « Corpus tuum rursus consumam suppliciis. Videamus autem, an te curet Christus tuus, quem confiteris. » Dixit Mercurius: « Credo in Dominum meum Jesum Christum, quod quaecumque mihi intuleris supplicia, non potes me injuria afficere. » Ipse enim dixit: « Nolite timere eos qui corpus occidunt; animam autem non possunt occidere: sed eum timete potius, qui potest animam et corpus perdere in gehenna: qui post mortem me rursus suscitabit in terribili die justi judicii (*Matth.* x). »

§ 10. Cum autem torqueretur et ureretur generosus Martyr, pro nidore suavis quidam odor aromatum manabat ex ejus corpore. Cum is vero fuisset cruciatus, et ne ingemuisset quidem, dixit Decius: « Ubi est tuus medicus? Nunc veniat, et te curet. Dixisti enim, quod etiam post mortem potest te suscitare. » Dixit sanctus Mercurius: « Fac quod velis. Habes potestatem corporis mei, animae autem Deus. Nam etsi corpus meum interierit, pèrmanet anima mea, in quam non cadit interitus. » Rursus jubet Imperator eum suspendi praecipitem, et ejus collo alligari gravissimum lapidem: ut a lapide suffocatus, cito moreretur. In gratia autem Domini confirmatus Martyr, longo tempore mansit in tormento. Cum vidisset vero Decius eum forti et magno animo resistere tormentis, et nihil grave eum tangere, jussit quidem lapidem

devolvi ab ejus collo: afferri autem flagellum aeri alligatum, et eum tamdiu flagellari, donec ejus sanguis solum impleret. Ille autem plane adamas, perstitit se fortiter gerens, et dicens: « Ago tibi gratias, Domine, quod me pro tuo nomine dignatus sis flagris caedi. »

§ **11**. Cum autem cognovisset Imperator eum esse plane immobilem, et persuaderi non posse, ut a sua dimoveretur sententia, convocato concilio (properabat enim ire Romam), tulit in eum sententiam, dicens: « Mercurium, qui deos nihilifecit, et venerandum decretum nostrae mansuetudinis nihili putavit, jubet pia nostra potentia duci in regionem Cappadocum, et ei caput amputari ad exemplum multorum. Nam quicumque resistit Imperatori, post multa tormenta subjicietur gladii supplicio. » Cum itaque eum accepissent ii quibus fuerat mandatum, duxerunt animal, et portantes eum, imposuerunt vinctum utrinque valide: erat enim corpus Martyris admodum dissolutum. Et venientes in diversorium, eum sensim deponentes, faciebant quiescere. Sicque cum paucis diebus longum iter confecissent, venerunt Caesaream. Ad eum autem accedens Dominus, dixit: « Mercuri, adesdum et quiesce. Cursum consummasti, fidem servasti, accipe coronam tuae decertationis. Constitutum enim est, ut tu hic consummeris. » Martyr autem Servatoris visione corroboratus, dicit iis qui erant cum ipso: « Facite quod vobis fuit imperatum, nihil cunctantes. Dominus autem, qui vocat omnes ad poenitentiam, vos quoque suâ gratiâ dignabitur. Nam cum sit dives, affatim donat bona sua iis qui accedunt. » Haec cum dixisset, caput fuit ei amputatum, consummatusque fuit in confessione Servatoris nostri Dei.

§ **12**. Factum est autem, quod praeter opinionem est, Dei miraculum mensis Novembris vigesimoquinto. Post ejus consummationem factum est corpus Martyris album sicut nix, emittens suavem odorem unguentorum et suffituum; et propter hoc signum multi facti sunt Christiani. Deposuerunt autem sanctum in loco insigni, ubi fiunt multae curationes ad gloriam Dei Patris, et Domini nostri Jesu Christi, simul cum Sancto Spiritu in secula seculorum, Amen *.

* S. Mercurius, ait Baronius in *Annalibus*, sequenti seculo, quo ostenderetur sanctos Martyres in coelis vivere, et in necessitatibus eos invocantibus praesto esse, pro Christiana religione adversus Apostatam Julianum pugnasse repertus est. — S. Mercurii festum, apud Graecos, olim celebratissimum erat.

MARTYRIUM

S. PETRI EPISC. ALEXANDRINI

UT HABETUR IN MSS. CODICIBUS, INTERPRETE, NISI FALLOR, ANASTASIO BIBLIOTHECARIO, QUI ALICUBI TESTATUR SE TRANSTULISSE PASSIONEM PRAECIPUI DOCTORIS ET MARTYRIS PETRI, ALEXANDRIAE URBIS PATRIARCHAE.

Pro Christi fide occubuit anno 311 vel 312 — Alexandrinus *.

§ 1. Ad corroboranda corda credentium, et mentes fidelium confirmandas, omnipotens Deus dignum pastorem beatum Petrum plebis suae Episcopum ordinavit **. Hic per doctrinam suam multos ab idolorum cultura separans, Christi Ecclesiae sociabat. Audiens igitur Maximinus, quod multi per eum a daemonum simulacris segregarentur, et in Christi nomine baptizarentur, furore commotus, statim destinavit tribunum quendam ad civitatem Alexandrinam, qui eum comprehenderet. Accepta itaque tribunus auctoritate, cum suis militibus ad urbem superius memoratam perrexit. In quam ingressus, reperit beatissimum Petrum cum ingenti Christianorum multitudine, Sanctorum commemorationem celebrantem. Quem statim comprehendens, vinculis alligavit, et custodiendum carceri deputavit, damnavitque compedum mortiferâ ruinâ. Hoc videntes Christiani, in lamentationem maximam conversi, una cum suo pastore in custodia carceris permanebant. Non enim patiebantur, ut salutis doctor, mali aliquid pateretur. Hac opinione Maximinus compertâ litteras destinavit tribuno, ut ejus vitam celerius auferret. Quibus lectis, tribunus ad custodiam carceris cum manu armatorum perrexit. Videntes autem populi, qui ante carceris januam pro fide et amore sui pastoris perdurabant, quod eum per vim de carcere voluisset ejicere atque interficere, dixerunt: « Prius nos, si tibi a tuo rege praeceptum est, interfice, et ita demum valebis in nostrum patrem manus injicere. Scias enim nos nullatenus permittere, ut doctor et medicus animarum nostrarum, aliquid patiatur. »

* Petrus Alexandrinus episcopus, martyr clarissimus, imo velut antonomastice *Martyr*, ut scribit Sollerius in *Observationibus* ad Martyrologium Rom., et vulgo *finis* seu *sigillum Martyrum*, apud Eusebium caeterosque antiquos scriptores ob morum integritatem ac doctrinam, non minus quam ob perpetuos labores, atque innumerabilium, atrocissimae persecutionis tempore, aerumnarum tolerantiam laudatissimus est: tribus potissimum diebus in tabulis ecclesiasticis Latinis et Graecis celebratus, nempe 24, 25 et 26 novembris. De S. Petri Alex. gestis, deque iis, quae cum ipsis connexa sunt, nemo accuratius scripsit quam Tillemontius.

** Post S. Theonam (cujus festum die 23 augusti recolitur), anno 300.

§ 2. Audiens tribunus hos sermones, et videns non tantum populos diversae aetatis, sed etiam illustres viros, monachos quoque religiosos ac virgines, in custodia carceris permanere cum sancto viro, agebat silentio moderate, qualiter beatum Petrum sine ullius sanguinis effusione foris ejectum percuteret, sicut et Maximini tyranni sententia manifestabat. In tali itaque dum esset custodia positus, fama certaminis Petri, quo cum diabolo dimicabat, usque ad infelicissimum Arrium discurrendo pervenit. qui ante aliquantos dies pro zizaniorum doctrina quam adversus Christum Dei filium in agro Dominico seminaverat, culpatus saepius, increpatus atque excommunicatus fuerat; et quia sanctis monitis acquiescere noluit, semetipsum eousque perduxit, ut a sancto Petro clericatus officio privaretur. Cognitâ ergo infelix Arrius sententia quam tyrannus adversus venerabilem ovium Christi pastorem dederat, gaudens atque exultans ad Christi Ecclesiam cum omni velocitate pervenit, et coepit in dolo quosdam de presbyteris atque laicis obsecrare, ut ei a sancto Petro veniam atque indulgentiam peterent. Propterea vero conabatur sui Episcopi communionem recipere, ut post illius vitae terminum ipse successor existeret. Sed qui cordis cognitor est, omnipotens Deus, in quem graviter peccaverat, divisione in sancta Trinitate faciens, non celavit beato Petro iniquum Arrii propositum, quod habebat in animo.

§ 3. Eâdem namque nocte apparuit beato Petro, in custodia carceris quiescenti, et ei nequissima infelicis Arrii consilia manifestavit. Cum igitur alio die venirent ad eum viri magni atque religiosi, quos cum presbyteris idem nefandus direxerat, ingredientes carcerem, projecerunt se ad genua beati Petri obsecrantes eum cum lacrymis, ut Arrium a vinculo damnationis absolveret, et eum in sancta Ecclesia presbyterii ministerio restitueret. Dans autem eis beatissimus Petrus manum, elevavit eos, dicens: « Quid vultis, dilectissimi mihi fratres, aut quid quaeritis? » At illi respondentes, dixerunt: « Precamur beatitudinem tuam, venerabilis pater, ut digneris veniam praestare infelicissimo Arrio, et absolvas eum e vinculo, quo eum vinxisti; quoniam ecce jam gloriosa tibi martyrii corona in coelis paratur; quia non solum per doctrinam tuam, universam illustrasti provinciam nostram, sed et per confessionem martyrii multo amplius nobis et perfectius salutem fidei contulisti. Propter quod credimus, quoniam tibi pro labore isto duplex in coelo palma praeparabitur. »

§ 4. Tunc venerabilis Petrus cum ingenti gemitu lacrymans, ait: « Pro Arrio me obsecrastis, dilectissimi fratres, qui sponsam Christi violare conatur? An nescitis quia pro omnibus semper dolui et condoleo, et omnibus indulgentiam praestans, neminem aliquando passus sum de Ecclesia Christi perire? Sed magis pro omnibus diligenter intervenio, omnipotentis Dei exorans clementiam, ut

salutis veniam semper ab eo consequi mereantur? Hic autem Arrius, pro quo rogatis, soli Deo mortuus est, et a facie illius hic in futuro seculo projectus. Unde et a sacrosancto altari ejus, non mea, sed ipsius est judicii sententiâ separatus; quoniam non in homine, sed in Domino graviter peccavit, impie agens in Trinitatis mysterium, ubi Cherubim et Seraphim non audent respicere, qui incessanter vocibus proclamant Deo dicentes : *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth.* Cum etiam et virtutes coelorum ipsum canentes, dicunt: *Pleni sunt coeli et terra gloria tua :* ille impia et execrabili mente ausus est blasphemias irrogare, et divisiones facere inter Patrem et Filium et Spiritum sanctum. Quemadmodum ergo audeam illi veniam dare, cui omnis creatura irascitur, et maledicit? Quomodo potest veniam promereri a me, dilectissimi fratres? » Haec vero dicente beatissimo Petro, viri qui pro indulgentia ejus venerant petere, projecerunt se ad pedes ejus, et veluti muti sunt effecti, nec quicquam de eo illi amplius locuti sunt.

§ 5. Videns autem beatissimus Petrus ita eos pavore perterritos, apprehendit duos ex ipsis seniores presbyteros Achillam et Alexandrum, et ducens eos seorsum in parte carceris, ubi erat reclusus, dixit eis: « Ego quidem, etsi peccator sum, scio me vocatione coelesti ad hunc agonem martyrii esse vocatum. Vobis autem, qui post me futuri estis columnae in sancta Ecclesia, cupio confiteri mysterium Dei, quod mihi revelatum est a Deo meo in hac nocte; quoniam post finem martyrii mei tu venerabilis pater Achilla presbyter, throni mei sedem Episcopatus consecuturus es; post te vero hic amabilis nobis Alexander presbyter ipso sacerdotio honorandus. Hoc mihi pro certo a Domino promissum est. Ideoque ne me velitis aestimare immisericordem esse, aut contra delinquentes crudelem. Quia omnis offensa humana, carnis vitio peracta, quamvis sit gravis et periniqua tamen multo levior est quam hujus Arrii iniqua offensa: et ideo illis, quae ad hominis fragilitatem pertinent, facilius est nobis indulgentiam dare : huic autem maledicto, pro quo rogatis, quomodo possum veniam dare, cujus interiora dolo et blasphemia plena sunt? Ex cujus corde abyssus tenebrarum prorupit, blasphemiam irrogando adversus omnipotentem Dei Filium, afferens eum creaturam, qui Creator est omnium visibilium et invisibilium, qui a Prophetis atque Apostolis et Evangelistis est praedicatus? Et nunc per istum diabolus zizania seminavit, per quem multus populus a recta fide aversus, et in profundum erroris devolutus est. Saepius a me monitus atque correptus, ut ab hac sacrilega doctrina recederet, nequaquam sermonibus acquiescere voluit. Cujus rei causa abjectus atque depositus est deorsum ab ordine presbyterii. Et nunc quemadmodum jubetis me obtemperare petitionibus vestris, cum ille meis admonitionibus noluerit acquiescere,

praesertim cum in hac causa non meo judicio sententiam adversus eum dederim, sed divinitus inspiratus hoc fieri jusserim?

§ 6. « Nam in hac hora noctis cum ex consuetudine debita sacras Deo orationes offerrem, ecce subito video apparère mihi in habitu pueri Jesum Christum Dominum nostrum. Cujus claritatis splendore nimio illustratus, non valebam vultum tantae majestatis inspicere. Qui indutus erat tunicam lineam candidam nimis, sed conscissam a summo usque deorsum : quam ambabus manibus constringebat circa pectus suum , cooperiens quodammodo nuditatem suam. Quem cum sic vidissem, timor magnus irruit super me, et cum summo timore deprecans eum dixi : Domine, Domine, quid est hoc? Quare sic video tunicam tuam a summo usque deorsum conscissam. Qui respondit mihi : Quotidie ipsam tractas in Ecclesia, et nescis quomodo scissa est? Arrius mihi hanc scidit, quia separavit a me populum meum, quem mihi in haereditatem acquisivi per Crucis patibulum. Et nunc per ipsum, schisma factum est in populo meo : et ideo apparui tibi, praecipiens et monens, ne forte velis eum in communione suscipere. Iniqua enim meditatur contra me et populum meum. Ecce enim venturi sunt ad te quidam quos ipse cum hypocrisi direxit qui te rogent pro eodem, ut ei veniam praestes. Tu autem cum omni cautela vigila , et ne acquiescas petitioni eorum, ne schisma fiat in populo meo, pro quo ego Crucem pertuli, et mortem gustavi, et tertia die resurrexi. Omnia quae mando tibi, observa, et manifesta hunc sermonem meum Achillae et Alexandro, qui post te futuri sunt Episcopi : quibus praecipe, ut et ipsi anathematizent eum a conventu suo coram omni populo, ut audientes terreantur, et discedant ab eo. Ideoque haec omnia, quae mihi praecepta sunt et jussa a Domino meo, manifestavi vobis et cognita feci. Ex hoc mundus ero ab omnibus, quae mandavi vobis, si non fuerint custodita.

§ 7. « Scitote autem et vos, quod in omni tempore, quo inter vos conversatus sum, nunquam cessavi monendo atque exhortando vos, tam voce, quam litteris meis, cum essem in insula Tyri et Phoeniciae, in Palaestinae quoque insula relegatus nunquam cessavi scribens confortare vos in virtute Spiritus sancti, orans ac deprecans Deum die ac nocte pro populo mihi credito. Sollicitudinem quippe magnam gerebam, aestuans jugiter in corde meo pro salute eorum, ut non aliquis desit a conventu Ecclesiae: nec unquam cessavi suggerendo beato Episcopo Hesychio atque Theodoro, in custodia pro fide Christi reclusis: qui digni vocati sunt pro gratia Domini nostri, participes facti passionum Christi. Ipse scribens ad Mesopotamiam, saepius designavi, qualia ab inimicis nobis inferebantur supplicia. Dolor namque magnus et sollicitudo stringebat me pro populi mei salute, ne forte aliquis subverteretur a praedicatoribus falsis. Amplius enim , quam sexcenti sexaginta viri de

clericis vel laicis anathematizantes ritum gentilium, in carceribus retrusi, et diversa sustinentes supplicia, coronam martyrum meruerunt. Quorum victoriam ego audiens, laetus adoravi Dominum Deum meum, qui eos confortavit, et elegit in numero martyrum suorum. Mihi vero quanta ostensa sunt in Lycaonia ab haereticis, credo quia nec vos latet: quomodo Meletius Christianorum gregem ab Ecclesia separarit, pro quo Dei Filius animam suam posuit, et effudit sanguinem pretiosum. Adversus quem Meletius impie repugnans, sanctos Episcopos ac religiosos viros in carcerem claudebat, ac tribulabat, cogens eos praevaricari.

§ 8. « Propter quod, carissimi mihi, moneo vos, atque hortor viscera mea, custodite fidem, in qua renati estis: videte ne Arrii vel sociorum ejus deceptionibus consentiatis. Videtis me, quomodo ob vinculum charitatis Domini nostri in custodia sim clausus, in ea ipsius misericordiam exspectans. Comperi autem, quod impius Meletius contra me multa mala testificetur, ut amplius tyranni Maximini furor excitetur, et me interficiat. Quam ego mortem pro Christo meo libenter die ac nocte exspecto, ut in pace merear de hoc seculo, in fide mea consummatus ad Christum transire: quia non facio animam meam pretiosiorem, quam me, (secundum Apostolum dico), sed Domino meo eam commendo, in cujus manu pendet spiritus meus: ut celerius impleam cursum martyrii mei, secundum quod mihi praedixit Dominus meus. Et nunc pro certo scio, quia amplius non videbitis faciem meam in corpore isto. Propter quod testificor vobis, quia mundus ego sum ab omnibus. Cavete vobis a doctrina Arrii et Meletii. Domini nostri Jesu Christi tantum praecepta servate. Estote solliciti pro populi salute, in quo vos Spiritus sanctus posuit pastores et Episcopos Ecclesiae suae. Scio namque, quod post finem meum exsurgent multi tam de clericis, quam de laicis, et loquentur perversa, subvertentes animas innocentium, ut eos separent a fide Christi. Propterea rogo, vigilate ab Arrii intentione. Scio quia in tribulationem maximam habetis intrare: sed credo, quia labor vester non erit inanis apud Dominum Deum vestrum. Nostis quanta pericula sustinuit pro Christo, qui me nutrivit, pater meus Theonas Episcopus ab his, qui idolis serviebant, ut eos sua praedicatione salvaret. Post cujus finem et transitum ego sedem ejus suscepi, mores ejus et vitam imitatus sum.

§ 9. « Quid autem dicam de Heraclio, et Demetrio, vel Dionysio beatissimis Episcopis, quales tentationes et pericula sustinuerunt ab iis, qui schisma faciebant in conventu Ecclesiae Christianorum, et conturbabant plebem Dei? Pro quorum salute de loco in locum se invicem litteris monebant, ne recederent a fide Christi, quam acceperant. Ecce, sudorem et laborem pertulerunt pro animabus nostris boni pastores animarum nostrarum. Sed illa gratia, quae illis jugiter adstitit, cum eis usque in finem perseveravit. Nunc

ergo commendo vos Deo et verbo gratiae ejus, qui potens est vos aedificare, et immaculatos per omnia conservare. » Et haec dicens B. Petrus Episcopus, inclinans genua sua oravit; et completa oratione, dixit: « Orate pro me, fratres; » et omnes circumadstantes dixerunt, *Amen*. Ea hora Achillas et Alexander complexantes et osculantes manus ejus, lacrymantes flebant, eo quod dixerat eis: *Amplius faciem meam non videbitis;* et ita venerunt, ubi erant populi stantes clerici atque laici; et locutus est eis de doctrina fidei, quae est in confessione Domini nostri Jesu Christi, et orans, iterum salutavit eos in pace. Qui recedentes, secreto nunciaverunt universo populo Christianorum, quaecumque Dominus B. Petro de Arrii blasphemiis revelaverat, vel quaecumque facere commoniti fuerant, ut eum coram omnibus anathematizarent, et in ecclesiam ingredi nunquam sinerent.

§ **10**. Praeterea cognoscens beatissimus Petrus Episcopus, quod Christianorum populus tribuno non permitteret, ut illum juxta tyranni sententiam pro Christi nomine gladio decollaret, volens praeparatam sibi divinitus martyrii coronam celeriter accipere, vocavit unum de ministris suis, qui ei unanimis fuerat, et misit eum ad tribunum, dicens: « Si vis Maximino tuo parère, venies ad carcerem secreto noctis, et facies in pariete modicum foramen, quantum unius hominis est capacitas: per quod ingressus tuus carnifex, amputabit caput meum gladio, et transmittes illud tyranno principi tuo, et erit tibi victoria in conspectu ejus. » Huic consilio tribunus deserviens, eo tempore, quo Christi martyr dixerat, caput ejus gladio desecavit. Fit commemoratio ejus die Calendarum Septembris. Requiescit nunc in pace sub ara Domini Christi Salvatoris: Cui honor et gloria in secula seculorum. Amen *.

* Eusebius in *Hist. eccles.* lib. 7, hoc de S. Petro Alex. Episc. elogium conscripsit: " Post Theonam, in Episcopatum Alexandriae succedit Petrus; hic duodecim annis continuis in eo officio fungendo cum summa dignitate inter primos floruit. Qui cum triennium prope ante persecutionis tempus in Ecclesia illa gubernanda contrivisset, de reliquo vitam duriore exercitatione, et magis severa traduxit, et, uti omnibus constabat, Ecclesiarum utilitati omni cura ac studio prospexit: ac propterea nono persecutionis anno, capite amputato, est a Deo insigni martyrii corona donatus. — Plura S. Petrus Alexandrinus scriptis mandavit, quae diligentissime Galland aliique ecclesiastici Scriptores collegerunt. Verum ejus operum tantummodo fragmenta nobis supersunt: inter quae, Regulae quaedam circa *Lapsos* observandae, jure meritoque plurimi habentur. " Omni exceptione, ait Baronius, sunt dignissimae, a Patribus praesertim Orientalibus cognitae, usu receptae, atque probatae. "

S. MAXIMI EP. RHEGIENSIS VITA

AUCTORE DINAMIO PATRICIO,
QUI EAM URBICIO EJUSDEM URBIS ANTISTITI NUNCUPAVIT,
DICTIONEM NONNIHIL CORREXIT LAUR. SURIUS.

Seculo V claruit — Nat. Gallus.

§ 1. Beatissimi Maximi * Rhegiensis ** urbis antistitis hodie dies sanctae solemnitatis colitur, qui quotannis redivivis temporum curriculis renovatur: cujus nos res gestas pandere pia animi devotio admonet, et prisca consuetudo compellit. Nisi enim ea, quae perspicua et minime dubia aliorum relatione comperta sunt, litterarum monimentis consignentur, quae antiquitus gesta sunt, plerumque a novis auctoribus varie referuntur. Nam ut mysticae actionis ejus insignia nihil habeant ambiguum, nihilque ex iis vulgaris assertio fabulosum efficiat, aut de vanitate suspectum: quae ab illo facta sunt et comprobata, veridico sermone narranda sunt. Ex quibus ipsis tamen, ne auditori nimia prolixitas afferret fastidium, permulta reticuimus, annotavimus pauca.

§ 2. Beatus Maximus in vico proprio, cui Decomeco *** vocabulum est, vitae sumpsit exordium, Christianis parentibus editus, et factus illico Christianus. Ab ipsis vero infantiae rudimentis sublimi semper humilitate crescens, ita teneros aetatis annos morum maturitate castigavit, ut proprietatem nominis sui gratia sanctitatis sibi vindicaret. Postquam autem excessit ex ephebis, luxuriae illecebras et blandimenta animi magisterio et censura edomabat, ut pollicitatione virginitatis, palmam incorruptae integritatis obtineret, et in regnis coelestibus e carne sub jugum missa triumpharet. Fuit nimirum bonorum omnium ornamentis praeditus, estque merito laude ac praedicatione efferendus: quippe vultu venerabilis, blandus adspectu, ore placidus, animo serenus, patientia fortis, magnanimitate conspicuus, pacis amans, largus erga hostes, labentia fastidiens, coelestium ardens desiderio, temporalibus aeterna comparans, temporaria pro aeternis vilipendens atque contemnens. Et ut interius divinae legis praecepta cognosceret, naturali ingenii acumine tantum in litteris profecit, ut legendi aviditate pastum quaereret animae suae, et instar apum aeternae suavitatis nectar hauriret. Quamvis autem omnia vitiorum carnalium fomenta prohereret, et omni ex parte

* Qui, vulgo, *Masse*, interdum *Mosse* vocatur.
** *Rhegium* in Gallia Narbonensi, vulgo *Riez*.
*** *Decomer*, in provincia, quae *Digne* appellatur.

praeclara conversatione fulgeret, at nihilominus vires corporis abstinentiae assiduitate frangebat, carnis vitia ante, quam nata essent, persequens et coërcens: ita ut ei ad martyrium non nisi percussor defuisse videatur. Nam ipse proculdubio martyrem se fecit et cruciatum, et merito.

§ 3. Porro etiam omnem facultatum suarum copiam deserens, Lirinense monasterium petiit, ubi sempiternas divitias justus inveniret: Evangelica secutus praecepta, sciens se perfectum fieri non posse, nisi venderet omnia sua, et a cunctis opibus alienum se faceret. In ea autem congregatione cum omnes perfecta charitate diligeret, ipse itidem ab omnibus amabatur. Tantus vero in eo fervor extitit, ut ante, quam monasticam vivendi regulam complexus esset vel mystica instituta, jam conversatione praecipuus videretur, ac deinde sancto Honorato decessori suo, summis virtutibus ornatissimo, qui illic Abbas fuerat, et honore succederet, et meritis aequaretur *. Qua in functione cum gregem commissum pastorali solertia custodiret, et singulis noctibus, aliis somno occupatis, monasterium lustraret, praeter morem accidit, ut monachus quidam adhuc puer, motus quadam curiositate vel sollicitudine, eum sequeretur. Ecce autem beatissimi viri conspectui diabolus insidiator forma ingenti atque terribili sese offert. Sed cum illum spiritualibus indutum armis terrere non posset, nec opinantem monachum tanto affecit terrore, ut trepido gradu ad cellam illico revertentem, ardentissima febris mox corripuerit.

§ 4. Rursus pertinax ille impostor, sperans se sanctum virum vel aliqua ratione perturbaturum, ignei draconis specie se illi ostendit. Sed confestim Crucis signo territus, evanuit. Jam enim invictus athleta hostem saepius superatum minime formidabat. Postquam autem totius insulae Lirinensis peragravit ambitum, ocyus accessit ad lectulum aegrotantis monachi, quem diximus in febrem incidisse; clamque apud illum intra arcana pectoris sui, preces Deo fundens, id effecit, ut mox restitutus sit incolumitati pristinae, et praeda sua frustratus sit hostis elusus. Itaque obtinuit gemina virtus invictam victoriam, quando et vires aegroto reddidit, et adversarium superavit: deplorante inimico jacturam, quam fecerat; laetante monacho salute, quam recuperavit. Sic autem singulis noctibus pastor egregius ovile Dominicum circumlustrans, ne quid adversi accideret, ad littus aequoris, quod vocatur Moles, quandoque accessit, moxque veterator ille praestigiis suis ausus est tamquam navem onustam oculis ejus repraesentare, nautasque suo more ferventes in opere, nautisque instrumenta colligentes: duos vero ex illis ad beati viri latera accedentes, dicentesque se eo advenisse negotiandi causa, quod non sine ingenti lucro id fore rei eventus declarasset. Se nosse illum Maximum, non minus sanctitate, quam nomine: eumque in locis

* Anno 426. S. Honoratus, qui ad sedem Arelatensem evectus est, colitur die 16 januarii.

transmarinis tantopere desiderari ab omnibus, ut si eum obtinere possint, nihil sint majori in pretio habituri. Nullum se igitur majus facturos compendium, quam si ipsum navi impositum possint abducere Jerosolymam, praeter opinionem successu prospero repertum. Id vero proculdubio magno ipsi honori et dignitati fore, si felici cursu eo advectus sit, ubi intantum votis omnium exspectetur. Sed vir Dei insidias et malum dolum inimici cognoscens, sanctae Crucis signo se communit, coelestem implorat opem, ac deinde spiritali auctoritate sic respondet: « Fallere non potest milites Christi nequitia plani et impostoris, nec suis fraudibus illis potest illudere malignus, quibus Deus id praestat, ut adversa praevidere queant. Hanc vero insulam usque adeo beatissimi Honorati communierunt preces, expulso per eum dracone ejus habitatore, ut nullus deinceps nocendi aditus in eam pateat diabolo.» Sub his verbis ab oculis orantis evanuit navis commentitia; moxque ille reversus ad oratorium, hortatus est fratres, ut ad vigilias surgerent; unaque cum sancta illa congregatione ipse celeberrimas laudes persolvit ei, per quem ab hoste victoriam reportarat.

§ 5. Cum autem fama insignium virtutum ejus per orbem universum volitaret, ad Rhegiensis urbis Episcopatum non modo civium, sed etiam sacerdotum sive praesulum omnium studio non minus raptus, quam electus, et quamvis invitus, illico consecratus est *. Etsi autem jam et re et nomine Maximus, vix habere videretur, in quo amplius cresceret, ne quid tamen nomini decederet, sicut opere et factis permansit maximus, ita et in honore excelluit. Inter caetera igitur recte factorum, quae in illo refulgebant, ornamenta, patientia fortis, benevolentià patiens, libertate alacris, liberalitate abundans, magnanimitate beneficus, humanitate mitis, sedulitate diligens, charitate suavis, largitate communis, doctrinâ praestans, justitià singularis, humilitate sublimis, opum contemptor, dignitate copiosus et affluens fuit. Templum in Rhegiensi castello in beati Albini honorem, quanta potuit animi devotione, condidit, cujus columnas, quas hodieque illic cernere licet, juga bovum eo pertraxerunt, sed ita tamen, ut nullam sentirent tanti ponderis molestiam, ejus sanctitate id efficiente, quamdiu ille ad templi structuram operarius indefessus aderat. Quod si vero abesse eum contingeret, nequissimi daemonis occulta machinatione adeo earum pondere premebantur boves universi, ut nullis stimulis adigi possent ad progrediendum. Et si plures alii adjuncti essent, manebant immoti omnes, quantumvis atrociter caederentur atque sauciarentur. Id ubi celer nuncius beatissimo antistiti significavit, ille incunctanter atque fidenter veniebat ad locum, nec terrore trepidus, nec moerore perturbatus. Tum vero hostis nequissimus ejus oculos fallere non potuit,

* Anno 433.

nec se ab ejus conspectu subducere, qui totius populi oculis conspici non poterat. Ait autem vir sanctus ad illos: « Frustra vexatis jumenta rationis expertia, dum inimici impedimenta cernere non potestis. Ego vero parvum Aethiopem video, bobus sese objicientem. » Inde flexis genibus, orat supplex Deum, ut hostis insidias avertat. Ejus preces malignus ille ferre non sustinens, ocyus non sine teterrimo foetore recedit. Mox amotis bobus, qui aliis adjuncti erant, columnae sine difficultate ulla ad locum destinatum pertrahuntur.

§ 6. Neque illud ob confirmandos Rhegiensium animos omittendum putavimus, quod cum beatissimus antistes ad basilicam ab ipso constructam sacras reliquias summo cum honore psallendo adduceret, ubi ad urbis portam ventum est, ab improviso versus ille ordine occurrit: « Haec porta Domini, justi intrabunt in eam. » Unde proculdubio colligi potest, ejus precibus urbem illam adeo esse munitam, ut sicut hactenus, Christo propitio, nullos hostium incursus longo temporum intervallo pertulit, ita deinceps quoque Deo favente minime perpessura sit. Facile enim eximius ille pastor, quem vivere testantur facta ejus, post decessum suum apud Deum obtinere potuit, ut urbs illa, in qua ipse fuisset antistes, praeclaris meritis suis perpetuis temporibus munita sit virtute corporis sui in templo sacratissimo, quod condidit, coruscante multis beneficiis, quae illic omnibus praestantur.

§ 7. Cum aliquando in eadem basilica vir sanctus instantia pastorali vigilias celebraret, Ansani Diaconi Rhegiensis nepos, id est, fratris ejus filius, quem parvulum parentes e vita abeuntes reliquerant, et ipse nutriendum susceperat, magisque quam si suus esset filius, diligebat, cum in muro urbis illius cum pueris luderet, e muro prolapsus, cervicibus fractis, exspiravit. Ejus rei nuncio valde consternatus Ansanus, accurrit celeriter, raptumque pueri cadaver operuit vestimentis, et ad beatum antistitem clam deportavit, interim secum tractans, quemadmodum illum publice ad pedes ejus deponeret, et ut vitam ei restitueret, supplex obsecraret. Sed quia noverat probatissimum Christi militem omnino fugere jactantiam, maluit eum perferre ad cubiculum ejus, et in lectulo ejus repositum operimentis illius tegere, prorsus confidens, quod excitare eum posset precibus suis medicus spiritualis, quippe qui aegris consuevisset afferre salutem. Inde vero non sine multo quidem animi moerore, sed tamen fiducia plenus, Episcopum adiit in templo vigilantem, et stantem in loco suo. Eo viso, clementissimus praesul, ut ea, quae gesta fuerant, explicaret, silentium psallentibus indixit; precibusque solita devotione completis, Diaconum illum Ansanum propter ea, quae fecerat, acriter objurgavit. Sed ille non solum terroribus àbigi non potuit, sed magis etiam animo compunctus, ad pedes ejus se stravit, exclamavitque se illos minime laxaturum, nisi mortuum excitaret,

dicens eum id posse facillime, quandoquidem nullo indicante jam cognovisset, quae de puero facta essent. Hac ille importunitate compulsus, et ratione constrictus, cum Ansano voluit ad lectulum suum secreto se conferre: sed populi frequentiam vitare non potuit, volentis tantae rei miraculo interesse. Postquam igitur venit ad exanime pueri corpusculum, divinam coepit toto pectore implorare opem, apprehensaque cum multa fiducia pueri manu, pristinae eum saluti restituit. Exclamavit autem populus universus: *Gloria tibi Deus;* nec quisquam eorum inde removeri se passus est nisi videret moventem se puerum, et loquentem audiret. Ex quo populi tumultu vix opera clericorum suorum ad vigilias reduci potuit. In hoc miraculo et magna Diaconi fides, et illustris Episcopi virtus enituit.

§ **8**. Porro etiam cujusdam viduae unicam filiam adolescentem accidit e vita decedere: quam cum mater miserabilis in feretro pro more efferendam composuisset, ad beatum antistitem trepida properavit, causamque doloris sui lacrymis potius, quam verbis, ei indicavit, orans ut ad corpus exanime preces funderet. Id vero sanctus praesul, pietate motus, nec negare, nec differre potuit; sed ad cadaver accedens, sublatis in coelum manibus, Deum pronus implorat, et vita redditur extinctae. Confestim enim illa, tamquam gravi soluta somno, expergiscitur, oculos aperit praegravatos, appellata surgit, mater ejus immenso afficitur gaudio, populus omnis obstupescit: Episcopus, qui virtutum meritis mortis jura resolverat, fugiens jactantiam, illico se subducit; sed populus magnis vocibus laudans Deum, maximam vestimenti ejus partem, reliquiarum loco eam habitura, civili quadam violentia diripit et discerpit: ita ut propter ejus declarandas virtutes, id quod aegre ad humeros ejus relictum fuit, hodierna fidelium devotione asservetur.

§ **9**. Adolescentulus quidam rabidi canis morsu praefocatus periit. Vidit id populus, abit ad Episcopum, orat ut ad extinctum hominem veniat. At ille ancipiti cogitatione suspensus, dum hinc non potest contemnere lacrymas supplicantium, inde ab ostentatione sibi metuit, tandem pietate vincitur: facit quod rogabatur, venit ad mortuum hominem, tollit manus in coelum, pariterque stillantes oculos, adspectante populo excitat defunctum. Adsunt parentes, pugnis sua verberant pectora, ora lacrymis usque adeo rigant super filio, ut e terra surgere non valeret, licet jam redivivus. Interim manum unam patri, alteram matri porrigens, nutantia membra illis erigentibus sustollit. Acclamat populus, Deo gratias; ille vitae redditus, ad suum redit hospitium, cui jam sepulcrum parabatur, parentes incredibili exultant gaudio; vivere hominem, qui mortuus fuerat, vix ipsis oculis suis credunt. Ecce autem canis ille, qui et hunc adolescentem, et multos alios infestis morsibus laniarat, in Episcopi conspectum venit: commotus

Episcopus, projecto baculo, erectis sursum manibus orat Dominum, mox efflat in canem, isque vita destituitur. Non sane admirandum videtur, beatum Episcopum, dum sibi commissum cupit tueri gregem, ejus hostem ictu lethifero perdidisse: neque id gladio, aut armata manu, sed flatu oris sui. Porro vulnera, quae canis ille dentibus suis inflixerat multis e plebe, precibus et Crucis signo adeo curavit beatus Episcopus, ut nulla eorum vestigia apparèrent.

§ **10**. Bos petulans cornu hominem misere lacerarat, ejus effusis intestinis. Mox illum adducunt quidam ad Episcopum. Is tametsi in cunctis miraculis timebat sibi, ne animi elatione pulsaretur, at tamen tam male saucium hominem clementer excipit. calidis fomentis exta ejus manibus suis pertractata confovet, reponit in locum suum per vulnus a bove inflictum, ipsum vulnus adhibita spongia leniter obligat, serio hortatur, ne quis praeter ipsum, illud solvere ausus sit. Inde septimo die ligamina auferens, tam sanum reperit hominem, ut vix ullum vulneris signum relictum videretur. Teneros corporis sui artus vir sanctissimus perpetua cilicii asperitate domabat, quo pro interiori tunica utebatur, nec id crucis studio unquam deposuit, sed in illo etiam se jussit sepeliri. Lavacris uti nunquam voluit, ne animi constantia, qua, calcatis carnis oblectamentis et illecebris, martyrium sustinebat, emollesceret. Caecus quidam annis quindecim perpetua damnatus caligine, virum sanctissimum continenter deprecabatur, ut suis precibus lumen ipsi reformaret. Sed Episcopo hoc ob vitandam ostentationem differente, Rusticum subdiaconum, qui ei servire consueverat, caecus rogavit, ut noctu Episcopo ecclesias visitante, ipsum perduceret ad templi vestibulum, unde ille esset egressurus. Fecit id subdiaconus, et vir beatus dum vult excedere e templo, in caecum pedibus molliter impingit: caecus ejus veneranda vestigia supplex amplectitur, orat visum sibi ut restituat. Itaque Episcopus fidenter obsecrat Dominum, Crucis signum imprimit oculis ejus, et diu extincta lumina mox reparantur. Osculatur hominem Episcopus, obtestatur, ut rem apud se tacitam habeat, quod tamen ille prae immensa animi exultatione praestare non potuit: quamquam etiamsi celare ille voluisset, quod secreto factum erat, non potuit tamen manere occultum, quod palam omnium oculis cernebatur.

§ **11**. Innumera sunt beatissimi antistitis miracula, nec possunt omnia commemorari, quantumvis prolixa texatur oratio. Facillimum ei erat illuminare caecos, sanare claudos, vita functos excitare. Denique nihil non efficere poterat, qui intra se manentem habebat Spiritum Sanctum. Interea autem, dum tot claret miraculis et immensis mysteriis, diem obitus sui divina revelatione cognoscit. Tum vero publice summa humilitate ab omnibus contendit, ut ipsi permitterent prius natale solum et propinquos

invisere suos. Quod etsi illis magnum afferret animi dolorem, attamen abiit ille ad suos, obitumque suum jam imminere, illis praedixit. Itaque adventu suo eos mirum in modum exhilaratos, hoc tristissimo nuncio non mediocriter perturbavit. Et ecce dum ille se tamquam somnum capturus, in lectulo reponit, inter psallendum sub officio divino, extremum halitum efflat, feliciterque commigrat in coelos quinto Calendas Decembris *. Tanta autem illic tum suavissimi odoris copia extitit, acsi universi flores verni temporis eum in locum comportati essent. Obitus ejus fama velox nonmodo urbem, sed orbem complevit universum. Occurrerunt undque fideles populorum catervae, certatim cupientes vel operimentum vehiculi ejus contingere, ejusmodi contactum salutaris praesidii loco habiturae.

§ **12**. Nos igitur tota devotione summoque animi studio rogemus omnipotentem Deum, ut beatissimi praesulis hujus patrocinio fretis nobis det veniam peccatorum, animumque nostrum a lethalibus vitiis purum semper conservet is, cui praesens celebramus officium: in quo praestando tales nos exhibeamus praesentia corporum, ut mentes fulgeant lumine charitatis: Praestante Domino nostro Jesu Christo, qui cum coaeterno Patre et Spiritu Sancto vivit et regnat in secula seculorum, Amen.

PASSIO S. JACOBI INTERCISI

UT HABETUR IN PERANTIQUIS MSS. CODICIBUS, QUIBUS CONSENTIUNT MARTYROLOGIA ET COMPENDIUM CERTAMINIS EJUS, QUOD HABETUR IN NICEPHORO, *Eccles. Hist., lib. 14, cap. 20.*

Passus est anno 420 — Persa.

§ **1**. Jacobus martyr, cognominatus Intercisus, nobilis genere sed fide nobilior, ex regione Persarum et civitate Elape oriundus fuit. Hic ex Christianissimis parentibus ortus est, et uxorem Christianissimam habuit; eratque notissimus Regi Persarum **, et inter optimates primus. Accidit autem ut a principe nimio amore seduceretur, et ad colenda idola flecteretur. Hoc autem mater et uxor audientes, protinus sic ei scripserunt: « Obediendo mortali, deseruisti eum qui vita est; placendo futurae cito putredini, deseruisti sempiternum odorem. Veritatem in mendacium commutasti, et mortali obtemperans, vivorum ac mortuorum judicem reliquisti. Noveris igitur nos amodo a te futuras extraneas, nec

* Anno circiter 460.
* Isdigerdem hunc appellat Nicephorus.

tecum de caetero aliquatenus moraturas. » Cum autem has littera Jacobus legisset, amare flens ait: « Si mater mea, quae me genuit, et uxor mea extraneae factae sunt; quanto magis a me extraneus factus est Deus meus? » Cum ergo pro errore suo se plurimum afflixisset, nuncius venit ad principem, qui diceret Jacobum Christianum esse. Quem princeps advocans, ait: « Dic mihi, Nazaraeus es? » Cui Jacobus: « Etiam, Nazaraeus sum. » Et ille: « Ergo magus es. » Cui Jacobus: « Absit a me magum esse. » Cum ergo ei multa supplicia minaretur, dixit Jacobus: « Non me perturbant minae tuae, quia tamquam ventus flans supra petram, furor tuus aures meas cito pertransit. » Cui princeps: « Noli imprudenter agere, ne gravi morte pereas. » Cui Jacobus: « Haec mors, non mors, sed somnus potius est dicendus, cum post modicum resurrectio tribuatur. » Cui princeps: « Non te seducant Nazaraei dicentes, mortem esse somnum, quia magni imperatores timent eam. » Cui Jacobus: « Nos non timemus mortem, quia de morte ad vitam transire speramus. »

§ 2. Tunc princeps amicorum consilio, hanc super Jacobum tulit sententiam, ut ad aliorum terrorem membratim Jacobus puniatur. Cum autem quidam ex compassione super eum flerent, ille ait: « Nolite super me flere, sed super vosipsos flete: quia ego ad vitam pergo, et vobis supplicia aeterna debentur. » Tunc carnifices pollicem manus ejus dexterae absciderunt: et exclamans Jacobus ait: « Liberator Nazarene, suscipe ramum arboris misericordiae tuae; nam a cultore vineae sarmentum absciditur vitis, ut potius germinet et uberius crescat. » Cui carnifex: « Si assentire vis, adhuc tibi parco et medicamenta adhibeo. » Cui Jacobus: « Nonne perspexisti stipitem vitis, quia cum amputantur sarmenta, ille nodus qui rèmanet, suo tempore, cum terra incalescere incipit, per singula abscissionis loca producit germina? Si igitur vitis putatur vicissitudine temporis ut germinet, quanto magis fidelis homo qui in vera vite Christo compactus est? » Tunc accedens carnifex secundum abscidit digitum. Beatus autem Jacóbus dixit: « Suscipe duos ramos quos plantavit dextera tua, Domine. » Abscidit et tertium: et dixit Jacobus: « De triplici tentatione liberatus, benedicam Patri et Filio et Spiritui Sancto: et cum tribus ereptis pueris de camino, confitebor tibi, Domine, et in choro Martyrum psallam nomini tuo, Christe. » Abscissus est et quartus; et Jacobus dixit: « Protector filiorum Israël, qui in quarta benedictione pronunciatus es, suscipe a servo tuo quartam confessionem quarti digiti, tamquam in Juda benedicti. » Abscisso quinto, dixit: « Completum est gaudium meum. »

§ 3. Tunc carnifices ei dixerunt: « Parce jam nunc animae tuae, ne pereas; nec contristeris si unam manum amiseris, quoniam multi sunt unam tantum habentes, et multis divitiis et honoribus abundantes. » Beatus Jacobus dixit: « Quando pastores

incipiunt pecora tondere, nunquid tantum dextrum vellus auferunt et sinistrum dimittunt? Si ergo pecus, quod animal brutum est, totum vult vellus avertere, quanto magis ego homo rationalis non dedignabor pro Deo occidi? » Accedentes ergo impii ad sinistram manum, digitum minimum inciderunt; et Jacobus dixit: « Tu, Domine, cum esses magnus, parvus et minimus pro nobis fieri voluisti. Et idcirco tibi reddo corpus et animam quam creasti et proprio sanguine redemisti. » Abscinditur et septimus digitus, et ait: « Septies in die laudem dixi tibi, Domine. » Abscinditur octavus, et ait: « Octavo die circumcisus est Jesus Christus, et octavo die circumciditur Hebraeus, ut transeat ad legales caeremonias, et mens servi tui, Domine, transeat ab his incircumcisis et coinquinatum habentibus praeputium, ut veniam et conspiciam faciem tuam, Domine. » Inciditur nonus digitus, et ait: « Hora nona tradidit Christus in cruce spiritum. Unde et ego, Domine, in dolore noni digiti tibi confiteor et gratias ago. » Inciditur decimus, et ait: « Decimus numerus est in praeceptis: et jota, prima littera nominis Jesu Christi. » Tunc quidam de adstantibus dixerunt: « O dilectissime, quondam noster, profitère tantum coram consule, ut valeas vivere. Licet enim abscissae sint manus tuae, sunt tamen peritissimi medici qui tuis doloribus valeant subvenire. » Quibus Jacobus dixit: « Absit a me nefanda simulatio. Nemo enim mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. »

§ 4. Tunc indignati carnifices, accesserunt, et pollicem dextri pedis absciderunt, et Jacobus dixit: « Pes Christi perforatus est, et sanguis exivit. » Absciditur secundus digitus pedis dextri, et ait: « Magnus mihi dies est hic prae omnibus diebus. Hodie enim ad Deum fortem conversus ibo. » Absciderunt et tertium, et ante ipsum projecerunt. Et subridens Jacobus, dixit: « Vade, tertie digite ad socios tuos, et quemadmodum granum tritici multum fructum affert, ita et tu in novissimo cum sociis tuis requiesces. » Absciditur quartus, et ait: « Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. » Absciditur et quintus, et ait: « Nunc incipiam dicere ad Dominum, quoniam dignum me fecit socium servis suis. » Tunc accedentes ad pedem sinistrum, digitum parvum absciderunt, et dixit Jacobus: « Digite parve, confortare: quia parvus et magnus unam habent resurrectionem. Capillus capitis non peribit, quanto minus a sociis tuis separaberis? » Absciditur secundus, et Jacobus ait: « Destruite veterem domum, quia splendidior paratur. » Absciditur tertius, et ait: « Tunsionibus firmatur incus. » Absciditur et quartus, et ait: « Conforta me, Deus veritatis, quoniam in te confidit anima mea. » Absciditur et quintus, et ait: « Ecce tibi, Domine, vicesies immolor. »

§ 5. Tunc accedentes, pedem dextrum absciderunt; et dixit

Jacobus: « Nunc offeram munus coelesti Regi, pro cujus amore haec patior. » Absciderunt et pedem sinistrum; et B. Jacobus dixit: « Tu es qui facis mirabilia, exaudi, Domine, et salva me. » Absciderunt dextram manum, et ait: « Misericordiae tuae adjuvent me. » Ad sinistram ait: « Tu es Deus, qui facis mirabilia. » Absciderunt dextrum brachium, et ait: « Lauda, anima mea, Dominum, laudabo Dominum in vita mea, psallam Deo meo quamdiu fuero. » Absciderunt et sinistrum, et ait: « Circumdederunt me dolores mortis, et in nomine Domini vindicabor in eis. » Tunc accedentes, absciderunt suram dextri pedis, scindentes usque ad femur. Tunc B. Jacobus ineffabili dolore gravatus exclamans, ait: « Domine Jesu Christe, àdjuva me, quia circumdederunt me gemitus mortis. » Et ait ad carnifices: « Carnem novam induet me Dominus, quam vestra vulnera maculare nequibunt. » Jam carnifices defecerant eo quod a prima hora diei usque ad nonam in ejus incisione sudassent. Tunc iterum accedentes, sinistri cruris suram absciderunt usque ad femur. Tunc exclamans B. Jacobus dixit: « Dominator Domine, exaudi me semivivum, vivorum et mortuorum Deus. Digitos, Domine, non habeo, ut ipsos ad te porrigam: nec manus, ut eas ad te extendam. Pedes mei truncati, et genua mea demolita sunt, ut tibi genua flectere non valeam, et factus sum velut casura domus ablatis quibus sustentatur columnis. Exaudi me, Domine Jesu Christe, et educ de carcere animam meam. » Hoc cum dixisset, unus de carnificibus accessit, et caput ejus amputavit. Christiani igitur occulte accesserunt, et corpus ejus rapientes honorifice sepelierunt. Passus est autem quinto Calendas Decembris.

DE EODEM S. JACOBO INTERCISO

EX NICEPHORI CALLISTI *Ecclesiasticae Historiae, lib. 14, cap. 20.*

Infinita vero alia ab audacibus et impiis illis quoque tentata sunt. Quale videlicet et illud est in Jacobo Persa patratum. Is enim cum Christianus antea fuisset, propter intercedentem sibi cum Isdigerde Persarum Rege amicitiam, paternam religionem rejecerat. Postquam autem per matrem et conjugem rursus ad fidem Christi admonitus revertit, et eam rem princeps aegre tulit, acerbam quamdam, et propter novitatem admirandam, post supplicia multa subiit mortem. Nam ubi articulis et juncturis quibusque in commoda et apta totius corporis membrorum conformatione, ex manibus, brachiis, pedibus et suris ei resectis, reliquum nihil quam una cum ventre caput solum habuit, quoniam ne tum quidem fidem in Christum abjecit, et idipsum postremo ferro amputatum est. Minime vero mirandum, si rerum universarum Dominus

feritatem illorum sustinuit. Nam et qui Constantini imperium praecesserunt principes, rabiem suam adversus verae pietatis amatores evomuerunt. Imprimis vero Diocletianus omnium gravissimus, ipso augustae et venerandae Passionis die, ecclesias sub imperio Rom. ubique omnes evertit. Et novem elapsis annis, illae quidem ad priorem florentes rediere statum, ac potius et pulcritudinem, et amplitudinem multo praestantiorem recepere. Diocletianus autem postremo disperiit, et cum impietate extinctus est.

VITA

S. PATRIS NOSTRI STEPHANI JUNIORIS

QUI MARTYRIO FUNCTUS EST TEMPORE CONSTANTINI COPRONYMI PROPTER SANCTARUM IMAGINUM HONOREM ET ADORATIONEM. INTERPRETE D. JACOBO BILLIO PRUNAEO, S. MICHAELIS IN EREMO, ABBATE DOCTISSIMO. NOS VERO EAM IN CAPITA DISTINXIMUS *.

Obiisse videtur anno 766 — Constantinopolitanus.

§ 1. Divina quaedam res est virtus, ac digna quae plurimis laudibus efferatur: non eo tantum nomine, quod amplissimam iis, a quibus amatur, mercedem rependit, sed etiam quia vel sola sui commendatione auditores ad se pertrahere, ac zeli aculeum in eorum animis infigere potest. Operae pretium est igitur eos, qui virtutis amore praediti sunt, beatos praedicare, atque eorum vitam omnibus narrare. Sic enim et erga eos debito munere perfungemur, et alios ad suavem ipsius amorem excitabimus. Quoniam itaque undique optimus ille ac praestantissimus Stephanus, cujus nunc vitam commemorandam suscepimus, ex eorum numero extitit, qui virtute insigniter amarunt, summoque ipsius desiderio flagrarunt, exponamus oportet primum, quinam ipsi ortus, quaeque disciplina atque institutio extiterit; deinde monasticas ipsius palaestras, ac demum quae in martyrio suo luculenter ac praeclare gessit. Tulit igitur egregium hoc germen domina vere ac regina urbium Constantinopolis **. Natus est autem Anastasii tempore, qui tum imperii sceptrum tenebat, atque alio etiam nomine Artemius vocabatur. Pii porro ipsi parentes fuerunt, atque integerrima fide praediti: qui cum opibus ac

* Nobis autem expedire visum est eam, utpote fuse prolixeque descriptam, passim aliquantisper circumcidere. — Habetur haec Vita in Operibus Joan. Damasceni auctis, post tres *de Imaginibus* orationes. Ipsam autem omni fide conscriptam testatur Baronius in *Annalium* tom. IX.

** Anno, ut videtur, 314.

facultatibus minime carerent, non tamen parem iis dumtaxat animi inductionem ac voluntatem habebant, sed longe majorem ac copiosiorem. Hoc autem liquido demonstrat benigna atque ingens erga egentes liberalitas, ac summa in danda eleemosyna hilaritas ac munificentia. Quo etiam illud accedebat, quod ad divina templa sine ulla intermissione munera offerebant. Quae etiam ipsa, magis quam quicquam aliud, illum vere Stephanum, illam, inquam, ingentem pietatis eorum ac virtutis mercedem, ipsis attulerunt. Nam cum primo duarum filiarum parentes extitissent, mascula tamen prole carebant. Atque hoc infortunium piis viris non parvum videbatur. Ob eam causam et in divinis templis assidue versabantur, et a Deo obnixis precibus perpetuo contendebant, ut sibi hoc suo voto frui daretur. Idque tum potissimum faciebant, cum ad Deiparae templum, quod Blachernis situm est, sese conferrent.

§ 2. Ac quodam tempore cum uno parasceves die pervigilium de more celebraretur, Anna ipsius mater (nam hoc ipsi, ut olim Samuelis matri nomen erat) cum, ut Scripturae verbis utar, plurimum sermonem effudisset, atque orationem in longum produxisset, et cum Dei Genitricis imagine, tamquam cum viva disseruisset, seque, si quod optabat, consequeretur, ipsius filio, id quod peperisset, consecraturam esse recepisset, sub orationis finem somno correpta, foeminam incredibili quadam, atque omni sermone praestantiore, forma praeditam cernit; quae et ipsius pedem vellicans: « Abi, inquit, in pace, muliercula. Est enim tibi in utero filius, quemadmodum postulasti. » Haec locuta ea, quae apparuerat, discessit. Ipsa autem non sine magna admiratione consurgens, ob ea quae audierat, intima voluptate perfundebatur. Ac postea mature in lucem edito filio, confestim velut praeludium pactorum iniens, ad Blachernense templum una cum marito proficiscitur, eumque ei, a qua acceperat, offert: « Accipe, inquiens, Dei Mater, hunc carissimum filium, quem beneficio tuo peperi. Accipe eum, quem tibi et Unigenito Filio tuo, etiam ante conceptionem dicavi. » Haec, et in eamdem sententiam alia, cum dixisset, conjugemque manu prehendisset, Virginis imaginem ipsi ostendens: « Haec, inquit, vir suavissime, ut desideratum Stephanum pàrerem, mihi praestitit. Huic petitionem meam committens, voti compos extiti. » Ambo igitur gratiis Dei Genitrici actis, domum reversi sunt. Sed haec postea contigerunt. Interim autem sub illud tempus, quo Stephanus conceptus est, aliud etiam quiddam accidit, quod silentio nullo modo praeterire decet. Nam cum eximius vir Germanus in Patriarchicum thronum ascensurus esset, plebis ingenti frequentia ad maximum S. Sophiae templum, ipsius videndi cupiditate concurrebat. Erat enim ille virtutis nomine clarus et illustris, atque in omnium linguis non sine voluptate versabatur. Una autem cum omnibus praeclarum illud parentum Stephani

par accurrens, scamnum quoddam occuparat: quo eum, quem cupiebat, e superiori loco intueri posset. Cum igitur ille per Ecclesiam transiret, statim mulier (ipsam enim ejus, quem utero gestabat, cura concitabat): « Benedic, domine, id quod in utero meo est, » clamare coepit. Ille autem perspicaci animae oculo eum, qui utero gestabatur, intuens: « Benedicat hunc Dominus per primi Martyris intercessiones, » respondit. Apud omnes porro mulier affirmabat, se ea hora, qua hoc audiisset, igneam flammam ex divino illo ore prosilientem vidisse. Ut igitur in lucem editus est, statim eum, ut magnus Germanus praedixerat, Stephanum appellarunt. Quandoquidem autem baptismi quoque luce collustrari eum oportebat, qui ante etiam quam in lucem prodiret, illustratus erat, ad magnae Sophiae baptisterium itum est (erat autem tum vespera magni Sabbati Resurrectionis Christi); clarissimoque illi Germano in manus datur. Qui statim eum baptizat, atque ungit, eum, inquam, qui jam jamque spiritale Ecclesiae unguentum futurus erat. Domum itaque reversi, cum jam puer ad eam aetatem venisset, quae studiorum capax esset, ad ludimagistros eum proficisci, ac disciplinis operam dare voluerunt. Is autem ad egregiam naturam laboris ac diligentiae pennam adjungens, ad doctrinae perceptionem duplicis alae subsidio celerrime provolabat, ac velut equus per planitiem currebat. Hoc porro sedulo agebat, ut non modo disciplinas, sed etiam virtutem sibi compararet: quo et per illas mentem, et per hanc mores exornare posset. Quin etiam in divinorum oraculorum lectione tanto studio et cura versabatur, ut ea prompte ac memoriter recitaret, atque ingenio tamquam libro uteretur. Ac praeterea cum sacras aedes adiret, atque sacra Scriptura legeretur, rectus stabat, totusque in eorum, quae legebantur, auditione defixus erat, non genu flectens, non desidia languescens, non denique ad ea, quae dicebantur, obdormiscens, sed arrectis, ut dici solet, auribus auscultans: ne quid eum ex his quae recitabantur, effugeret. Id autem tum denique studio majore facere videbatur, cum aliquid ex Joannis Chrysostomi lucubrationibus legeretur. Nam incredibili quodam ipsius amore tenebatur, atque ex ejus praesertim orationibus pendebat: id videlicet efficiens, ut quod de Sirenibus effictum est, re vera in illis existeret. Atque hac ratione mores suos omni ex parte moderabatur atque componebat: adeo ut et os a juramento purum haberet, et inanem sermonem nec ipse proferret, nec proferentem alium audire sustineret; proximum autem nec judicaret, nec maledictis proscinderet; opes porro, et delicias, et gloriam, forti animo contemneret; quietam ac frugalem vitam sequeretur, ac parsimonia magis, quam alii sumptuum magnificentia et profusione, gauderet.

§ **3**. Ea porro tempestate ille, non minus belluinis moribus, quam nomine Leo, adornata instructaque ad invadendam tyrannidem conjuratione, ab Orientalibus partibus proficiscitur, atque

in Theodosium, qui tum imperio potiebatur, impetum facit. Hic autem tyranno imperio cedit, ac quietem amplectitur * : ut qui scilicet imperii jacturam civilibus bellis leviorem duceret. Statim itaque furia illa imperium invadit. Ac primum quidem vulpinam pellem induens (nondum enim leoninae apud ipsum locus erat), orthodoxam fidem, ut si quis alius, se colere simulabat, impietatis foetum, quem pectore gerebat, occultans. Cum autem ad decimum jam imperii annum pervenisset, nec jam eam diutius animo premere ac continere posset, sceleratum foetum edidit: accitaque et coacta senatorum classe, absurdum illud et impium evomuit, Imaginum picturas formam quamdam idolorum retinere inquiens, neque iis cultum adhibendum esse, ne alioqui Dei loco imprudentes idola veneremur. Protinus ingens tumultus a plebe excitatus est, ac moestitiae nubes orthodoxorum Ecclesiam obtegebat. Quod ut versipellis ille sensit, statim Gygis annulum vertens, ut obscurum esset quod agebat, laborabat, non videlicet leonis libertatem imitans, sed chamaeleontis potius in modum formas immutans. Non, inquit, huc spectat mea sententia, ut eae prorsus deleantur: sed hoc ajo, sublimiore loco collocandas eas esse, ne ore quisquam eas contingat, atque ita quodammodo rebus honore dignis contumeliam inferat. Quorsum hoc tandem, et quid moliens? Nimirum ut eas longe a nobis collocando, ac procul ab oculis nostris removendo (ne eas facile aut cernere, aut contingere queamus) paulatim, ut saepe nobis in his quos amamus usu venit, in oblivionem incidamus, easque caras habere dediscamus, atque ita sensim et citra tumultum hoc a nobis obtineatur, ut eas nec adoremus, nec honore afficiamus. De hac impietate, quae et multum abstrusae, et multum item apertae absurditatis habebat, cum certior factus fuisset Germanus, vir libera atque intrepida pietate praeditus, per quemdam ex praecipuis Ecclesiae ministris haec ei mandat: « Haudquaquam oportebat, Imperator, te, qui tum vitam, tum imperium a Deo accepisses, adversus Conditorem tuum insolenter extolli, atque, ut vulgo dicitur, non movenda movere, Patrumque terminos, quos illi antiquitus posuerunt, transferre studere. Etenim humana forma a Deo Verbo ex sancta et pura Virgine suscepta, cum omnis daemonum cultus extinctus est, tum omnis idolorum adoratio abscessit. At vero theandricae similitudinis imago Christi adoranda nobis et colenda perspicue tradita est, itemque illius, quae eum modo omni sermone praestantiori peperit, et Sanctorum, quorum vita ipsi grata atque accepta fuit. Ex quo enim ille in forma nostra ad nos accessit (ab hinc autem septingenti triginta sex anni jam fluxerunt) Patres interea ac Doctores, quorum summa virtus fuit, venerandarum imaginum cultum nobis perspicue

* Anno 716. Theodosium porro, hujus nominis III, clericum una cum filio suo factum, Ephesi defunctum tradunt.

radiderunt. Ne longe abeam, post Christi in coelum ascensionem, ıulier illa, quae sanguinis profluvio laborabat, ab eo sanitati estituta, ipsius imaginem, velut acceptum beneficium referens, xsculpsit. Ac prius etiam ab ipsomet Christo, ipsissima Patris nagine, divino linteo facies ipsius impressa est, ac toparchae bagaro, id postulanti, Edessam missa. Demum ab Evangelista uca picta est. Quin ab Jerosolymis quoque Virginis Dei Genicis imago missa est. Ob eamque causam divina ac sacrosancta oncilia variis temporibus, ac locis coacta, non ut eae calcarentur, ed ut adorarentur, edixerunt. Velim itaque hoc scias, Imperator, uod si iniquum hoc dogma confirmare atque constabilire in aninum induxeris, me primum nullo modo assentientem habiturus s, sed promptum ac paratum, qui pro Christi imagine animam neam profundam, pro qua ille, ut collapsam atque prostratam maginem meam instauraret, cruorem suum effudit. Perspicuum st enim ignominiam eam et contumeliam, quae Christi imagini nfertur, ad exemplar ipsum redundare. Quocirca nobis faciendum st, ut gratorum servorum officio fungentes, pro Domini honore ericulum adeamus. »

§ 4. Hanc liberam orationem arrogans illa anima ne extremis uidem, ut ita dicam, auribus attrectare sustinens, milites gladiis accinctos mittit, qui sanctum virum contumeliose habitum, ac plagis male mulctatum, throno exturbarent. Ipse itaque statim ad monasticum et quietum vitae genus se contulit *. At contra Ecclesiam invasit ille vere persecutor et contumeliosus, eamque niserum in modum pervastans, ac magno moerore implens, non nodo ob egregii Pastoris ereptionem, sed etiam ob ejus, quem n ipsius locum subrogavit, immanitatem. Confestim enim sceletum Patriarcham scelestus, hoc est ejusdem, ut dici solet, figlinae ıominem sufficit, nimirum laevum Anastasium, qui in omnibus ebus ipsi assentiens, ac turpissimum obsequium persolvens, itque omnia ea, quae ab ipso gerebantur, servilem in modum audans, huic quoque pernicioso dogmati patronum se adjungeat. Ac primum (o ingentem, Christe, patientiam tuam!) adversus uam imaginem audacissima illa anima grassatur, eamque, quae supra portam fixa erat, ac vulgo *aerea* dicebatur, theandricam uam formam dejici atque obliterari jubet. Cum autem ad hoc acinus perpetrandum missus satelles imposita jam scala conscenderet, divino zelo incensae mulieres, praeclarissimumque ac generosissimum virtutis specimen edentes, arreptam manibus scalam in terram dejiciunt, unaque eum, qui hoc facinus aggrediebatur, praecipitem agunt: qui statim hanc praestiti ad hoc ministerii mercedem tulit, ut vitâ orbaretur. Sanctae autem illae mulieres ob Christum, cujus zelo flagrabant, opportune abjecto atque contempto pudore, cursu effuso in Ecclesiam feruntur, atque

* Anno 726.

impium Patriarcham, qui tum illic erat, illam, inquam, ut Christi verbis utar, desolationis abominationem, in loco sancto stantem, lapidibus incessunt, mercenarium non Pastorem, lupum non Pastorem, Ecclesiasticarum denique sanctionum ac dogmatum proditorem appellantes. Ille autem pudore simul ac metu correptus, confestim ad Imperatorem confugit, eique quod factum fuerat, narrat, atque ad mulierum caedem eum extimulat. Hujusmodi enim boni illius, ac pacifici Pastoris studium erat, tamquam videlicet per ea. quae agebat, docere cupientis, malum pro bono rependendum esse. Mox igitur gladio necantur, ac pro pietatis praemio mortem ferunt.

§ 5. Ac tum videre erat multos eorum, qui orthodoxam fidem arcte complectebantur, patrium solum tamquam inimicum et hostile fugientes, atque ad solitudines et deserta perfugii causâ se conferentes, tutiusque censentes cum feris habitare, quam cum viris hujusmodi versari. Cum quibus tametsi admirabilis quoque Stephani parentes patriam relinquere constituissent, tamen hoc eorum cupiditatem morabatur, quod Stephani aetatem exspectarent, ut pollicitationem eam, quam de eo fecerant, minime fallerent, sed eam ad finem perducerent. Cum autem id secum una perpendissent, haudquaquam utile esse eum in Byzantinis monasteriis detondere, ad Auxentii montem se conferunt. Situs est porro hic mons e regione Byzantii, circa Bithyniae provinciam: vicinosque omnes montes altitudine longe superat: nomenque ab eo Patre traxit, qui primus in eo domicilium sibi fixit. Hic autem locus ad vitae tranquillitatem non parum iis adjumenti affert, qui ejus cupiditate tenentur: ut qui ab omni turba ac tumultu immunis sit. Est enim in ipsius fastigio antrum quoddam, in quo Patres, sede per successionem sibi constituta, tandem hinc in paradisum migrarunt. Siquidem post divini viri Auxentii e vita discessum, Sergius ipsius discipulus, tum vitae generi, tum antro successit. Hunc secutus est vir admiranda virtute ornatus Bendianus. Demum sanctus Gregorius. Ac denique ille Stephani antecessor, ac singulari mentis perspicacia praeditus Joannes. Ad quem beati hujusce viri parentes filium, quem ex promissione acceperant, duxissent, cum precibus ab eo contendebant, ut ipsum exciperet, ac monastica veste donaret. Quem ut senex intuitus est, ac perspicacissimis animae oculis divinam animae ipsius pulcritudinem cognovit, morumque in tam tenera aetate gravitatemque atque constantiam animadvertit, prompte eum suscipit, leniterque ac placide ad ipsius parentes, Vere, inquit, Dei spiritus in hoc puero requiescit. Quocirca cum nocturnae Dei laudes de more peractae essent, accitum puerum pro foribus antri sistit, ac plurimis verbis eum erudit, atque ad spiritales palaestras acuit, monetque ne parentum amorem pluris quam Deum faciat. Hic enim, inquit, et finxit, et servavit; ille autem persaepe quos adamarunt.

perdiderunt, atque in poenam conjecerunt. Haec cum ille, aliaque huic scopo consentanea monuisset, ac tamquam in optimam terram semina jecisset, eum tondet, ac monastica veste induit, decimum sextum jam vitae annum agentem.

§ 6. Protinus igitur Stephanus ad monastica certamina sese accingens, nullum continentiae genus praetermisit. Nam et jejunio ac vigiliis corporis impetus coërcebat, et omnes voluptatum illecebras superabat, et iracundiam imperio tenebat. Ab injuriarum autem acceptarum recordatione usque adeo abhorrebat, ut non modo eum, a quo molestiâ affectus esset, non ulcisceretur, sed etiam beneficiis contra afficeret. Tanta rursus obedientiae laude praestabat, atque ad obsequendum adeo promptus erat, ut ob exuberantem obedientiae atque humilitatis magnitudinem iis potissimum rebus delectaretur, quae cum labore et molestia conjunctae essent. Cui rei, ut alia multa omittam, istud testimonio fuerit. Nam cum longo ab ipsis, ac difficili intervallo, aqua ea, qua utebantur, dissita esset (erat enim in admirandi viri Auxentii coemeterio, quod quidem ille adhuc superstes extruxerat, atque in sanctarum mulierum monasterium consecrarat, ac *Trychinariam* *, vel ob itineris asperitatem ac difficultatem, vel etiam ob vestium ipsarum rigiditatem appellarat), cum, inquam, longo intervallo aqua dissita esset, Stephanus eam quotidie ad antrum, tam aestate, quam hieme deferebat. Cumque non modo aquam, sed et alia omnia, quae necessaria erant, illinc transferret, nunquam tamen aut desidia languere, aut querulum ullum verbum emittere, aut consuetam regulam negligere visus est, sed semper eodem, quo magister, gressu incedere, atque ipsius vestigiis haerere. Qui quidem ob eximium suum erga Deum amorem, omnibusque numeris perfectam et absolutam virtutem frequentes gratias divinitus consecutus est, et quidem ejusmodi, ut etiam brutis animantibus imperaret, eisque tamquam ministris uteretur. Canis enim ipsi de more in monte assidebat. Qui quidem, si quando Stephanum abesse contigisset (ut si forte quidam e vicinis monachis ad sanctum virum ventitassent: siquidem quamplurima tum erant in illis montibus monasteria, quae tyrannus, partim quia immodico venationis studio tenebatur, partim quia mònachorum vestem, ut quae durae asperaeque vitae monimentum ac symbolum esset, ac voluptuarios et deliciis deditos homines molestia enecare posset, infense oderat, prorsus de medio sustulit), canem illum de nomine vocabat, atque in charta quadam, ea quae necesse erant, conscribens, eamque canis collo appendens, ita demum eum ad monasterium descendere jubebat, ac litteris illis ad praefectam perlatis quam ocyssime reverti. Ille autem, non secus atque animal

* E graeco vocabulo θρὶξ, τριχὸς, *capillus, crinis.*

quoddam rationis particeps, statim imperata faciebat, ac summa celeritate ad monasterium pergens, praefectaeque cellae adstans, adventum suum latratu significabat. At cum ii, qui in illo domicilio consuetum ipsius ministerium agnoscebant, ad eum properabant, ac perlectâ chartâ, quae ea postulabat, exequebantur. Atque ita jussis perfunctus canis ad dominum rursus se referebat.

§ 7. Contigit autem aliquando, ut Stephanus ex aliquo ministerio reversus divinum illum Joannem posito ad speluncae fenestram capite acerbissime flentem offenderet. Cum autem ipse, defixâ humi fronte ab eo nequaquam, ut solebat, benediceretur, perdiu ad hunc modum humi prostratus, secum ipse reputabat, quorsum tandem haec patris lamentatio spectaret. At perspicacissimus ille vir cum animo suo versans, ac deinde se erigens. « Tua causa, inquit, carissime fili, tuâ, inquam, causa in hoc luctu fui. Plane enim hoc novi, fore, ut hic locus tua tempestate incrementum capiat: ac rursus ab impiis Imaginum hostibus evertatur. » Ad quae cum Stephanus admodum dolenter imo corde ingemuisset; « Quid autem, inquit, honorande Pater, an illud quoque fore prospexisti, ut una ipse peream, atque a perversa doctrina vincar? » Tum ille. « Bona verba, fili, inquit: nunquam hoc accidat. Ceterum ut Apostoli verbis utar, vide quemadmodum caute ambules. Scriptum est enim, eos demum salutem esse consecuturos, qui ad finem usque perseveraverint. » Haec et alia monendi causâ, locutus, ea quae ipsi in posterum eventura erant, apertissime praedixit.

§ 8. Igitur eo tempore, cum sacerrimus Stephanus patrem suum carnalem ad Dominum proficisci rescivisset, spiritualis hujusce patris hortatu, Byzantium petit, ac justis ipsi persolutis, divenditisque omnibus ipsius facultatibus, ac matre atque una sorore assumptis (altera enim jam ante in Byzantino quodam coenobio monasticae vitae causa comam abjecerat) ad montem redit. Cumque ipsius operâ illae a divino sene benedictionem accepissent, ad mulierum monasterium ductas eas detondet, ac Dei cultui consecrat; matrisque carnalis atque item sororis pater spiritualis efficitur. Etenim hoc demum vere amoris ac consanguinitatis argumentum est, iisdem rebus gaudere, atque idem vitae genus complecti. Nam alioqui majore ex parte homines sanguinem ementiri, ac generis propinquitatem adulterare compertum habeo. Postea autem reversus in pristino vitae instituto perstabat. Non multum temporis intercessit, cum divinus Joannes suam ad Deum profectionem imminere sentiens, multis magnum Stephanum praeceptis instruxit, atque extremum osculatus, debito justis somno conquievit, spiritumque suum immortalibus manibus commendavit. Statim itaque praestantissimus Stephanus. Patris mortem per tesseram significatam, monachorum greges, tamquam cervos ad fontes convocavit; qui cum beati Joannis

corpus conspectum religiose ac reverenter exosculati essent, orbitatemque suam deplorassent, in reliquiarum loculo ipsum condiderunt.

§ **9**. At enimvero nec imperfectus eorum, qui congruentem divinae legi vitam ducunt, nec successorum expers est numerus. Nam et vita functo Mose locum ipsius explevit Josue: ac rursus receptum in altum Elia successor Eliseus, atque tum ipsius melotae, tum duplicis gratiae haeres designatus est. Ad eundemque modum beato hoc Joanne ad Deum profecto, statim et speluncae, et gratiae, non duplicis solum, sed multo etiam amplioris, haeres spiritualis ipsius filius Stephanus extitit. Ergo angustissimam illam speluncam ingreditur, annos natus aliquanto plus quam triginta. Atque apiculae more in antrum seipsum includens, dulce virtutis mel conficiebat: sic nimirum se comparans, ut et laboribus se exerceret, ac per actionum sedulitatem favos certo ordine, ac congruenti mensura componeret, et iis, a quibus adibatur, illuminationem simul ac dulcedinem impertiret. Atque actuosas quidem ipse quoque, Apostoli ritu, manus habebat, conficiendorum scilicet retium, ut ille, artem colens. Atque insuper egregie scribendi peritiam consecutus, describendis libris operam impendebat: ut qui non modo nemini oneri esse vellet, sed etiam habere cuperet, unde egenti subsidium afferre posset. Ac spiritus fructus cernere erat in ipsius animo, tamquam in foecunda terra florentes, hoc est charitatem, gaudium, pacem, mansuetudinem, longanimitatem, benignitatem: quos quidem fructus plerisque eorum, qui ad eum ventitabant, optime impertiebat. Permulti quippe ipsius virtutes imitari cupientes, contubernium cum eo habere, ac sub eo praeceptore viam in coelum ferentem tenere voluerunt. Quibus primum quidem repugnabat, eosque contubernales habere renuebat, ut qui et molestiam ipsi facessere, et ipsius animum distrahere possent. Tandem tamen eos admittebat; ut qui foras eum, qui ad se veniret, ejiciendum non esse, a Christo didicisset. Primum igitur Marinum, probum virum, ac suavissimis moribus praeditum suscepit, deinde Joannem et Christophorum, postea Zachariam, pium hominem, divinumque vitae genus ad summum usque gradum consectantem, tum item improbum illud par Sergium et Stephanum (de quibus inferius verba faciemus), ac sex insuper alios, quorum nomina in eorum, qui in Christo vivunt, libro perscripta continentur.

§ **10**. Ad hunc itaque modum asperrimus ille mons urbis cujusdam instar extructus est, ac praeclari cujusdam coenobii locum tenebat: necessariis nimirum omnibus rebus Dei providentiâ ipsis, quantum sat erat, subministratis. Quinetiam divinitus afflati Patris cognomento, tamquam opibus quibusdam, ornabatur: ut qui ad hunc etiam usque diem Auxentii mons nuncupetur. Quem quidem Deo invisus tyrannus, sancti viri odio pèrcitus, solo

aequavit, atque Auxentianum collem potius nuncupari voluit. Quamdiu igitur in eo Stephanus praeceptoris munere fungebatur, ex hoc antro, tamquam ex sacrosancto quodam adyto, prospiciens, huic sancto discipulorum choro ea praecepta ac documenta dabat, quibus animus ad virtutem eruditur. At cum discipulorum numerus cresceret, atque ad viginti usque progressus fuisset, ipse majoribus dignum se censens (illecebrosa enim virtus est, suique studiosis majoris incrementi cupiditatem semper injicit, non secus atque avaris pecunia), atque etiam alioqui tranquillam et ab omnibus negotiis feriatam vitam unice amans, ac denique asperiori vitae generi corpus addicere constituens, praedictum illum Marinum eorum antistitem ac moderatorem creat: ipse autem peragrato prorsus montis cacumine, cellulam spelunca illa longe minorem extruit, latitudinis non plus quam sesquicubitum habentem, longitudinis autem cubitos duos. Ad orientalem autem partem conchae formam effingit, ea altitudine, ut curvato corpore vix illic stare posset: reliquam autem partem tecti expertem relinquit.

§ II. Jam autem duos et quadraginta annos natus, una ex sacratissimis noctibus, cum Marinum clam vocasset, eique quid in animo haberet, aperuisset (necdum enim cuiquam exploratum erat, cur locum illum extruxisset), una cum eo profectus, in parva illa et sepulcri similitudinem referente domuncula seipsum includit. Sic igitur, cum monachi omnes matutinis precibus perfuncti, ad speluncae vestibulum venissent, flexisque capitibus paternam sibi benedictionem, ut mos ferebat, sibi donari postulassent, nec vox Patris usquam exaudiretur, in magna animi perturbatione versari coeperunt. In speluncam itaque, videndi illius desiderio, insiliunt. Quem ut minime repererunt, luctibus et querelis sese afflictabant. Ac postea alii alio dispersi, gemitibus et lacrymis pastorem vestigabant. Quorum cursitationem ac fletum divinus ille vir sentiens, leni et amica voce agnos vocavit. Illi itaque ad eum currentes, atque illud angustia permolestum domicilium conspicientes, « Ecquid hoc est (calentes lacrymas ex oculis emittentes dicebant), ecquid inquam, hoc est, Pater? Cur tantis vitae asperitatibus teipsum addicis, praematuram nobis velut orbitatem moliens? » Tum ille: « Qui tandem aliter facerem, inquit, o filii, cum arcta, ut Scriptura docet, atque angusta sit via, quae in coelum ducit? » Quod ut illi audierunt, nil aliud adjecerunt: hoc tantum ab eo petierunt, ut cellae suae tectum adderet, ac non ita sub dio vitam traduceret. Qui rursus, cum tecti cujuslibet loco sibi coelum sufficere respondisset, ad hunc modum perstabat, contrarias inter se aëris mutationes ferens. Nam et per aestatem solis ardore flagrabat, et per hiemem frigore rigebat. Adhaec etiam una melota, eaque parva ac vili, tegebatur, ac stoream solam ad brevem somnum adhibebat. Quinetiam,

tamquam hujusmodi aerumna non satis plena ac perfecta esset, ferro quoque totum corpus cingebat.

§ **12**. Quoniam igitur fieri non poterat, ut (quod vehementer expetebat) tanta ipsius virtus in obscura delitesceret, multi ad eum sese conferebant, atque, prius etiam quam ullum verbum emitteret, ex solo ipsius adspectu non parvam utilitatem percipiebant. Quo in numero mulier quaedam illustris et honesta, marito haud ita pridem orbata, festinanter sanctum virum adiit: cumque se viduam ac liberorum expertem, proindeque solam esse ipsi narrasset, nihil aliud sibi superesse dicebat, quam ut monastica veste, cujus se incredibili quodam desiderio teneri asserebat, indueretur. Ille autem eam longa oratione instructam, ac salutiferis praeceptis sedulo eruditam dimisit, his verbis ad extremum utens: « Vide cum quo paciscaris: ac si qua te animae cura tenet, id quod promisisti, mox praesta: ne te cunctantem ac moras nectentem mors invadat. » Igitur pia illa mulier ad matrem rediens, ac Patris sermones in intimis cordis penetralibus abditos tenens, facultates omnes suas auro commutat, eoque magna ex parte pauperibus erogato, confestim parentes, propinquos, vicinos, amicos relinquens, ad divinum Stephanum se confert, non parvam auri illius portionem secum gestans. At ille asperiori orationis genere ad eam utens; « Cum tu, inquit, ex Salvatore ipso audiveris, eum discipulum ipsius esse minime posse, qui non bonis omnibus suis renunciaverit, quonam modo, contempto ac pro nihilo habito hoc praecepto, partem aliquam mundi retines? » Haec ut mulier audiit, ipsius perspicaciam ad stuporem usque admirans; « Non me, inquit, honorande Pater, avara, spiritualis potius, nisi me animus fallit, cupiditas impulit, ut auri aliquid mihi reliqui facerem: quod videlicet id per tuas sanctas manus erogari, majoremque mihi tua opera utilitatem comparari cuperem. » Tum ille: « Alienorum delictorum scintillas manibus meis extinguere nullo modo sustineo. Vereor enim ne qua earum furtim succendatur, maximumque in animo meo incendium excitet. Id enim nonnullis, dum non satis animum attendunt, usu venire compertum habeo. Illud autem omnino perspicuum est, quod qui seminat, idem suis quoque manibus metet. » Haec locutus, eam quidem rursus ad matrem redire haudquaquam utile esse judicavit: caeterum, ut vicinis locis una cum pio Marino peragratis, ipsamet suis manibus pecuniam illam distribuerit, imperavit. Quo munere cum perfuncta fuisset, tum denique monastica eam veste induit, atque ad mulierum monasterium transmittit, antistitaeque etiam atque etiam mandat, ut summam ipsius curam gerat, manumque ei ad virtutis studium amplexandum porrigat, seduloque opituletur. Atque haec quidem ita se habuerunt.

§ **13**. Cum autem ille zizaniorum sator Christi Ecclesiam

semper quidem oppugnari, nunquam tamen subigi et expugnari, sed externos hostes nullo negotio frangere ac profligare cerneret, intestinum ipsi bellum excitare instituit. Ac primum, ut jam dictum est, ferinum illum hominem, Leonis nomen ferentem, qui a Syris genus ducebat, ac praestigiis quibusdam (ut quidam homines opinabantur) multa prodigiose perpetrabat, atque ejusmodi erat, ut simplicioribus hominibus imposturam facere posset, adversus eam immisit. Qui adversus sanctas Imagines rabido et belluino animo saeviens, Christi ovile maximis detrimentis afficiebat. Postquam vero a praeclaro illo Ecclesiae Pastore Germano reprehensus ac depulsus est simulque et hanc vitam et sempiternam amisit, immanis illius belluae immanior catulus (Constantinum * Copronymum dico), perinde videlicet atque in id omni animi contentione incumberet, ut paterna facinora parva et levia, ac velut quaedam dumtaxat, magnorum improbitatis ipsius fructum semina fuisse ostenderet, Ecclesiam populatur, dejicit, evertit, omnes Christi et Sanctorum imagines delet, ac flammis tradit. Deinde a pietatis amatoribus eximiisque monastici ordinis viris reprehensus atque convictus, implacabile adversus eos bellum excitat, praeclarum illum habitum *tenebrarum indumentum* vocans, atque *Immemorandos* eos appellans ac praeterea *idololatras*, ob venerandarum Imaginum adorationem omnes nuncupans. Igitur stolidam omnem illam sapientiaeque expertem multitudinem, quae ipsius imperio subjecta erat, in concionem advocat, ac veneranda Crucis ligna una cum divinis Dominici Corporis et Sanguinis mysteriis, atque ab omni labe puris Evangeliis palam proponit: atque ita per ea universos jurejurando adstringit, nunquam se divinas Imagines adoraturos, quin eas potius idòla vocaturos ac ne communionem quidem a monacho accepturos, nec salutantibus quicquam humanitatis vicissim exhibituros, verum si quisquam eorum monachum aliquem uspiam obvium habuisset, Tenebricosum eum et Immemorandum, et idolorum cultorem appellaturos, ac demum lapidibus ipsum petituros. Quinetiam sacri ordinis quemdam nactus, cui et nomen cum ipso idem, et eadem fidei sententia erat, ei, proh scelestum facinus! Ecclesiae curam administrationemque committit, non Patrum electione, non Synodi examinatione, non denique canonico suffragio atque decreto, sed tyrannica potius potestate, antistitem ipsum instituens. Etenim, non secus, ac si in scena aperte luderent, ac non serio agerent, ambo in pulpitum ascenderunt; ac deinde Imperator manibus impuris diploidem sacram nefario homini profane imponit, dignum episcopatu eum esse clamans, qui gravi potius ignominia et vituperatione dignus erat. O importunam et absurdam audaciam! O execrandum facinus! Qui ense accinctus erat, antistitem sacrum creabat; qui bellis ac caedibus per omne vitae

* Hujus nominis IV. Is patri successit anno 741.

tempus operam dederat, initiatoris sacri munere fungebatur; qui cum tribus mulieribus flagitiosissime sese contaminarat, sceleratos pontifices instituebat: ita ut illud Scripturae sacrae hic locum haberet, *Qualis populus, talis sacerdos* (*Isa.* XXIV).

§ **14**. Cum itaque ad hunc modum obscoenum istud par coisset, atque Attagas, ut vulgo dici consuevit, Numenio sese adjunxisset, litterae ad omnes urbes ac provincias, commeabant, quibus Episcopi ad imperialem urbem confestim accersebantur. Id autem eo fiebat, ut Concilium * adversus venerandas Imagines cogeretur. Cernere igitur erat audacissima illa facinora, atque impietatem omnem excedentia, quae sine ullo metu perpetrabantur. Nam et sacrosancta vasa ob venerandarum Imaginum picturas pedibus obterebantur, et templorum decor ac pulcritudo quam sacrarum Imaginum picturae pariebant, partim abradebatur, partim etiam calce illinebatur. Etenim ubi Christi aut Matris illius, aut Sanctorum imago erat vel in ignem conjiciebatur, vel in pulverem redigebatur, vel etiam albario opere inducebatur. At ubi arborum, aut avium, aut bestiarum effigies, aut etiam circus ac venationes pictae erant, his nimirum parcebatur ac summa cura prospiciebatur. Quocirca Ecclesia tota eo ornatu, quem ipsi sacrae Imagines afferebant, spoliabatur, ac tamquam sponsa conjuge orbata, moesta et squalida atque incompta cernebatur. Quis autem illius temporis calamitatem satis digne deplorare queat? Quae lingua ea, quae perpetrata sunt, ulla oratione complecti possit?

§ **15**. Ad hunc igitur modum Ecclesia laborante, ac male affecta, piorum multitudo in summa consilii inopia et moerore versabatur: ac potissimum sacrum monachorum agmen, utpote quod orthodoxam fidem arctius amplecteretur. Itaque, tamquam ex compacto, tum Byzantio, tum reliquis Europae urbibus ac Bithyniae excedentes, ad Auxentianum montem se contulerunt: ac beatum Stephanum adeuntes, ab eo petebant, ut ducem se illis praeberet, eosque consilio juvaret. « Loquere, inquiebant, o Pater, si quis in te consolationis sermo est; mentesque ingenti moestitia oppressas cohortare. Titubantem animum fulci; ne humano metu labefactatus, de ipso salutis capite periclitetur, ac pietatem prodat. » Ille autem eos lubenti animo suscipiens, atque charitati consentaneam hilaritatem prae se ferens; « Nihil, inquit, o Patres, nihil inquam, mentem pietatem serio colere cupientem viribus antecellit. Itaque futurum confido, ut per Christi gratiam vestra quoque sententia, pietatis fundamento nixa et stabilita, immobilis perstet, nec hostium impetu frangatur. Ob eamque causam vos potius oro atque obsecro, ut me consilio vestro juvetis, animumque meum dolentem recreetis. Nam ipse quoque, ut cernitis, gravissimo moerore urgeor. Defecerunt oculi mei, ut cum Scriptura

* Hoc pseudo-concilium, anno 754, fuit congregatum: sex vero menses perduravit.

loquar, propter contritionem filiae generis mei. Video enim incontaminatam Christi sponsam ab horrendo ac belli cupido daemone, qui tantum ei bellum excitavit, acerbe et crudeliter oppugnari. Quemadmodum enim primum adversus primam imaginem furore percitus, versute hominem adduxit, ut mandatum violaret, et effectoris similitudinem amitteret: sic nunc adversus Christi et Sanctorum imaginem, non jam subdole ac per cuniculos sed aperto marte grassatus, hujusmodi caliginem ac tempestatem nobis offudit. Ac nunc, tamquam in nocturno proelio, membra inter se conflictantur, aliaque adversus alia stant; mutuoque nosipsos impetimus, atque in obscuro sauciamus. Interim perversus ille sedet, ingentem ex miseriis nostris risum excitans, ut qui nos Gentilium simul ac Judaeorum spectaculum effecerit, subsannationem et derisum his, qui in circuitu nostro sunt. Ac nunc filii Sion, nos inquam, pretiosi, et auro aequiparandi, reputati sumus in vasa testacea, figlinaque opera contrita. Quis dabit capiti me aquam, et oculis meis fontem lacrymarum, et plorabo te filia Sion? Procul enim a me recessit, qui consolabatur me. Ac proinde clamabo ad eum solum, qui percutit et sanat; vociferabor ad eum, qui solus clemens et humanus est: ac sublata voce dicam. *Miserere nostri, Domine, miserere nostri, quoniam repleti sumus despectione* (*Ps.* 122). At enimvero in lacrymas et fletus ob incumbentem et pastoribus et ovibus impietatis caliginem, prolapsus, mei ipsius oblitus sum, ac lamentationem ultra modum produxi. Sic enim mihi persuadeo, Deum probra Ecclesiae suae illata minime neglecturum, sed retributionem superbis propediem redditurum, atque Ecclesiam suam laetitiae stola convestiturum, ac pristinam ipsi elegantiam impositurum. »

§ **16**. His atque aliis hujusmodi sermonibus ad monachorum, qui et ipsi lacrymis madebant, catervam usus Stephanus, haec verba insuper adjecit: « Ad has tres partes, quae nefariae haeresis labem minime contraxerunt, ut fugiatis censeo. Neque enim alius locus est, qui quidem sub draconis hujus imperio ac potestate sit, qui ab ejus veneno purus manserit, quam ea quae ad acclive Ponti Euxini sunt, hoc est Zicchiae, et Chersonis, et Bosphori, et Nicopsis, et Gotthiae, atque ea item quae ad Parthenium mare se porrigunt: quin et quod in antiquioris Romae declivi est, ac Nicopolitana et Neapolitana Metropolis, quaeque ad Romanum usque flumen protenduntur: sed et Lyciae provinciae climata, hoc est ex Silaei ficu, ac denique Cypria insula, quaeque e regione ipsius sunt usque ad Tyrum et Joppem. Hae, inquam, partes ab execrando hoc dogmate purae perstiterunt. Antistites autem ipsi, hoc est Romae et Antiochiae, ac Jerosolymorum et Alexandriae, non modo dogma istud ac dogmatis auctorem gravissimo odio prosequuntur: sed etiam per invectivas epistolas de ipso triumpharunt, apostatam eum ac Dei hostem vocantes.

utpote adversus Christi imaginem male ac pestifere concitatum. Consimili quoque modo ille lepidâ linguâ praeditus ac pius presbyter Joannes *, quem ille petulanti ac maledictâ linguâ tyrannus, atque eruditione quidem angustâ, caeterum ad vituperandum copiosâ et peracutâ, Mansur appellabat, in multis epistolis eum acerrime perstrinxit, novum Mahomethum eum appellans, Christique hostem ac sanctorum inimicum, atque Episcopos qui eadem sentiebant, ἐπισκότους potius, hoc est tenebriones ac ventris mancipia nuncupans, ut qui ventris causa nihil non sibi dicendum ac faciendum censerent. Atque, ut brevi complectar, omnes eos, qui vesanae ipsius sententiae subscribebant, tamquam Oreb, et Zeb, et Zebee, et Salmana, ac velut synagogam Abiron, execrandos Deoque invisos reputabat. »

§ **17**. Haec verba ut pius ille coetus audiit, piumque virum velut extremum allocutus atque complexus est, ad ea loca, quae cuique commodiora visa sunt, sese contulerunt; in hoc quoque videlicet Christo obtemperantes: quippe qui eos, qui persecutionem patiuntur, ex una urbe in aliam profugere jubeat. Spectabatur itaque Byzantium velut in expugnatione quadam captivitate oppressum, monasticoque habitu privatum, ac tamquam in squalorem redactum: sublato nimirum atro colore, qui prius ad urbis ornatum albo admixtus erat. Etenim alius ad Euxinum Pontum ** navigabat; alius ad Parthenium pelagus *** omni festinatione contendebat. Alius Cyprum petebat, alius ad antiquiorem Romam properabat. Ac sic varie quisque, a suis monasteriis avulsi, hospites et advenae in diversis locis degebant. At vero ille non minus a mente quam a piis dogmatibus aversus tyrannus, graviter adhuc adversus venerandas Imagines spirans, ac velut suae in hujusmodi rebus amentiae colophonem imponere gestiens, insigne illud, quod Blachernis est, Deiparae templum, eximia quadam ac pene incomparabili pulcritudine praeditum, et lapillis aureis in utroque pariete arte summa coornatum, abrasit et immutavit, deletis videlicet omnibus Imaginum formis. Etenim eximio ac pererudito artificio carnalis Christi nativitas, et divina ipsius miracula, et venerandorum mysteriorum traditio, ac denique per ipsius Crucem in infernum descensus, et resurrectio, picta illic erant. Quibus omnibus horrendum in modum abrasis atque deletis, ille perditionis filius arborum species, atque omnis generis avium formas eorum loco sculpendas curavit. Ac tum sane quispiam non incommode illud Davidis dixisset: *Deus, venerunt gentes in haereditatem tuam, polluerunt templum sanctum tuum, posuerunt Jerusalem in pomorum custodiam. Posuerunt morticina servorum tuorum escas volatilibus coeli, carnes sanctorum tuorum bestiis terrae* (*Ps.* 78), hoc est venerandas ac sacras Martyrum

* Nempe S. Joannes Damascenus. ** Ital. *Mar Nero.*
*** Pelagus scilicet, quod Cyprum abluit

reliquias: quas partim igni, partim mari, partim denique praecipitiis tradiderunt.

§ 18. In hoc igitur prorsus venerando templo consceleratus tyrannus, una cum impio ac sacrilego illo gregis mercenario, ac non minus execrandis episcopis, qui cum ipso erant, insidens, improbum consessum cogens (ecquis enim Concilium hoc appellarit?), statuas, et idola sacras Imagines vocat. Ac deinde illi iniquitatem suam iniquitate, ac malum, ut dici solet, malo cumulantes, orthodoxum illum Germanum anathemati per summum furorem subjiciunt, ea scilicet facientes, quae ipsi pati merebantur, idolorum eum ac lignorum cultorem appellantes, cum ipsi vere daemonum cultores et amici essent. Adhaec porro audacissimae illae linguae eo proruperunt, ut ingens quoque istud et improbum èloqui non dubitarint, nimirum illam ipsam Dei Genitricem virginem inutilem quamdam post mortem, ac commodi omnis expertem rem esse, nec cuiquam omnino adjumento ac praesidio esse posse. Ac denique, quod postremum illorum et gravissimum malum est, scelerati certe ac vineae Christi exitiosi sacerdotes, inter sanctum et profanum minime distinguentes, posteaquam e pestilenti illo consessu exsurrexerunt, populum eum, qui post eos a recta doctrina aberrarat, manus in altum tollere jubentes, laetum strepitum excitarunt, atque horrendum illud atque omnem furorem excedens protulerunt: « Hodie salus mundo: quandoquidem operâ tuâ, o Imperator, idolis liberati sumus. » O profanas linguas, quae nefariam illam vocem emiserunt!

§ 19. Haec cum ita et dicta et perpetrata essent, ac propemodum et os omne impium istud dogma professum fuisset, et manus omnis professionem scripto confirmasset, Imperator hujusce Stephani virtutem audiens, secumque istud perpendens, quod si hunc quoque retibus suis includeret, favoremque ipsius ac praesidium sibi adjungeret, execrando suo dogmati magnum ob ingentem virtutis illius claritatem atque splendorem robur conciliaret, Callistum quemdam, patricii ordinis, summa secum familiaritate devinctum, atque et suam haeresim apprime callentem, et eximia dicendi facultate praeditum, ad se accersit, eumque ad sanctum virum legat, his verbis utens: « Ad Auxentianum montem contende, ac Stephano, qui illic delitescit, atque ex Immemorandorum classe ac numero est, persuade, ut Concilii decretis assentiatur, et subscribat. » Sicque eum alloquere: « Pii ac rectissime de religione sentientes Imperatores, Constantinus et Leo, benevolentia erga te, quia virtute ac vitae sanctitate delectaris, impulsi, te orthodoxi Concilii decreto nunc edito ac promulgato subscribere jubent. Tu vero et caricas ipsi et palmas feres, amygdala item, aliaque nonnulla, quibus vir colendae pietatis studio devotus ali consuevit. » Norat enim et ipse, quanta esset illius continentia, pene ut etiam de hoc virtutis genere cum

piritibus a materia remotis contenderet. Callistus itaque, quam elerrime poterat, ad montem profectus, sancto viro Imperatoris ıandata exponit, eaque omnia, quae illiciendi atque inflectendi im habebant, in medium profert, ipsumque ad subscribendum ertrahere conatur. Verum pietatis coronâ erat Stephanus, zeloque : virtute Protomartyre haud inferior. Tamquam enim, qui Doıinum a dextris suis esse semper provideret, ac propterea nullo aeresis impetu concuteretur, ad perniciosum illum nuncium his erbis usus est: « At ego nec huic decreto ac falsi hujus Concilii aniloquio subscribam, nec illud unquam comprobabo, nec amaım dulce, ac tenebras lucem dicam: ne Prophetae maledictionem ı caput meum pertraham. Sacrarum autem Imaginum causâ romptum mihi ac proclive est mortem oppetere, Imperatoris ıinas, qui has delere ausus est, nihil moranti. » Haec ubi dixit, avam manum statim ostendens: « Etiamsi mihi, inquit, tantulum umtaxat sanguinis esset, id tamen pro Christi imagine profunere minime dubitarem. Quos vero ab eo ad me cibos attulisti, eferas sane licet: quoniam, ut cum divina Scriptura loquar, onorum ejus non egeo. Oleo peccatoris non impinguetur caput ıeum: nec haereticorum cibis guttur meum deliniatur. »

§ **20**. Hac oratione auditâ, Callistus, maximo pudore suffuus, revertitur, atque Imperatorem adiens, omnia ei narrat. Ille utem irae ac furoris nube obducitur, ac statim sicarios una cum allisto mittit, eisque imperat, ut sanctum virum a cella sua bstrahant, ac protinus ad inferius monasterium deductum, illic um summa cura ac vigilantia inclusum teneant, quoad arbitratu uo de eo constituerit. Sic igitur dicto citius id quod imperatum ıerat exequi contendentes, ad speluncam veniunt, ac sanguinaio animo insiliunt, ostioque statim calcibus effracto pium virum er vim foras trahunt. Ac cernere erat rem proborum oculis dmiratione dignam ac memorandam. Etenim ex ingenti quadam ontinentia, et domicilii humilitate atque angustia, tibiae ipsius a femoribus adhaeserant, ut nec ullo modo stare, nec moveri osset. Quod cum amentes homines perspexissent, summa admiatione perfusi sunt, atque ex saevitia et feritate animos ad comıiserationem inflexerunt. Ac duo quidam ex ipsis, conceptâ ex anta sancti viri aerumna commiseratione, consertis manibus, cceptum eum sufferebant. Mox autem ad Patris Auxentii coemeerium venientes, eum una cum monachis illis, qui cum eo verabantur, incluserunt; atque ipsi pro foribus excubabant, impeium aliquid ac nuncium a tyranno exspectantes. At enim vero enerosus ille atque eximia virtute praeditus Stephanus, tot moestiis affectus, ac facinorosi cujuspiam hominis ritu in custodiam onjectus, animo non còncidit: verum una cum sociis suis alta t modulata voce psallebat: « Impollutam imaginem tuam, o bone esu, adoramus. » At ii, quibus custodia commissa fuerat, pro

foribus stantes, atque id quod ab eis canebatur audientes, ac velut excantari sese propter illos existimantes, capita movebant, seque miseros ducebant, quod a monachis, qui nihil sceleris admisissent, atque inique inclusi tenerentur, optimo jure latrones appellarentur. Cum autem sex jam dies fluxissent, in quibus pius ille vir nihil omnino cibi gustarat, septimo die affuit quidam a tyranno missus, qui sanctum virum ob id quod recens acciderat (nunciatum enim fuerat bellum a Scythis inferri) cellae suae restituit.

§ 21. Caeterum ille κάκιστος potius, hoc est pessimus, quam Callistus, cum unum ex sancti viri discipulis, nomine Sergium, de quo jam nos verba facturos esse promisimus, remotis arbitris accersivisset, ac versutis quibusdam sermonibus et pecuniis eum corrupisset, misero illi persuadet, ut non Judam solum proditionis reum agi sinat, sed ipse quoque rursum patris ac praeceptoris sui proditorem se praebeat. Confestim igitur in ipsius perniciem meditari non desiit, atque omnem artem adhibere, quo magnum illum virum cassibus suis implicitum teneret. Ut autem frustra se laborare, ac nihil efficere perspexit, statim a sancto ovili digreditur, velut nimirum filius improbus atque alienus, a semita recta claudicans: atque ad eum, qui legendis Nicomediensis oræ vectigalibus praeerat, Aulicalamum nomine, accedit, eumque socium et adjutorem in his, quae adversus sanctum virum struebantur, adhibet. Ambo igitur, in capitis sui perniciem inito consensu, libellum in eum calumniis refertum perversissimo animo conscribunt. In quo primum illud inserunt, eum Imperatoris, tamquam haeretici, memoriam execrari, ac diris devovere, eumque Syrum ac Vitelium appellare, atque adversus ipsius majestatem technas moliri, aliaque permulta, quae ob prolixitatem, et inutilem loquacitatem, intempestivum ac supervacaneum est commemorare.

§ 22. Postremo autem de proba illa ac praeclara Anna, quam ipse mundum fugâ relinquentem in monacharum numerum atque ordinem adscripserat, hoc ponunt, quod mulierem quamdam nobili loco natam, fraude circumventam monasticis institutis initiasset, atque in inferiori monasterio teneret, cum eaque noctu ad ipsum ascendente consuetudinem haberet. Ad haec ipsius ancillam pecuniâ corrumpunt, eique tum libertatem, tum aulici cujusdam connubium pollicentes, hoc persuadent, ut adversus eam simul ac sanctum virum consentanea iis diceret, quae illi in illo calumniis pleno libello contexuerant. Hoc cum scripsissent, per militem quemdam ad Imperatorem, qui tum in Scytharum locis morabatur, libellum mittunt. Ille igitur lucri cujusdam instar eum accipiens, ac leonem jam in vinculis habens, ad Antheum, qui vicariam ipsi in urbis gubernatione operam navabat, epistolam quamprimum scribit, hoc exemplo. « Ad monasterium illud.

uod ad Auxentiani montis radices situm est, summa celeritate roficiscere. In eo enim quaedam Immemorandorum scorta sub ietatis praetextu degunt. Quorum tu unum, cui nomen Anna st, assumptum, per publicos equos quam celerrime ad nos mitte.» le igitur scelerati Regis sceleratior praefectus, simul atque litras accepit, militum agmine cinctus, ad monasterium proficiitur, ac sacras illas mulieres tertiae horae laudes Deo canentes Tendit. Confestim itaque milites, quibus ipse septus erat, glaios stringunt, ac Christi sponsas circumdant. Ita divina laudaone incondito clamore compressa, Christi famulae, qua fugerent on habentes, partim intra sacri altaris cancellos sese protinus bdebant, partim venerandum divinae mensae peplum subibant, artim ad montem excurrere tentabant, sed ab inevitabilibus illis raedonibus retinebantur. Quorum impetum domus illius praefela minime ignorans (etenim in sua cella quiescebat), mulier etate quidem provecta, caeterum in perferendis laboribus vegeta, ıtrepido animo ad eos egreditur: atque: « Quid ista perpetratis, ıquit, cum Christiani sitis? Quid in mulieres divino cultui conecratas, quae nemini unquam injuriam ullam inferre in animo ıabuerunt, impetum fecistis? » Hi autem venerandae illius anus ıbertatem summopere admirantes, atque eam antistitam esse inelligentes, insolenti illo impetu suo statim in diversum mutato, ıon sine quodam pudore ac reverentia leniter ad eam his verbis ıtuntur: « Annam Stephani amasiam nobis dede. Hoc enim Imperatoris edictum poscit. » Ipsa autem eam protinus, ac quamdam lteram cum ea, nomine Theophanam, accersens: « Abite, inquit, d Imperatorem; ac prudenter ipsi respondete. Caeterum, quoad jus fieri poterit, providendum vobis est, ne per fraudem aliquam n praedam incidatis. »

§ 23. Postquam igitur abductae sunt, atque ille eas adesse omperit, disjungi ab invicem jubet; ac deinde accitam Annam d hunc modum affatur: « Mihi quidem nullo omnino modo duıium est, quin ea omnia vera sint, quae de te ad me perlata sunt. aeterum eo te acciri volui, ut tu quoque libere ac submota omni lissimulatione cuncta detegas, nimirum quonam pacto praestiiator ille ac sceleratus huc te adduxerit, ut et bonorum tuorum ossessionem relinqueres, et paternam nobilitatem pro nihilo dueres, ac denique hanc tenebrarum vestem indueres. Perspicuum idelicet est, quemadmodum etiam a quibusdam intellexi, id illum ibi idcirco suasisse, ut te tamquam scorto abuteretur. Verum uid tandem in eo pulcritudinis perspexisti, ut tu in eam fraudem ncideres? » At casta illa mulier, turpibus his verbis auditis: « Absit, inquit, Imperator, ut hac de causa paternas opes abjeceim, atque ornatum omnem exuerim, ut animam meam hujusmodi ibidinibus in servitutem addicerem. Verum, qui haec de me deulerunt, ut cum Davide loquar, acuerunt linguam suam sicut

serpentis: venenum aspidum sub labiis eorum. En igitur corpus meum tibi proponitur. Ferro, igni verberibus excrucietur: nihil aliud, quamdiu mihi spiritus ac vita suppetet, ex Anna audies, quam quod verum est. Sanctum ac justum virum hunc esse, animaeque meae salutem attulisse perspectum habeo. » Obriguit ad haec tyrannus, horaeque parte haud exigua vocis usu caruit: summumque laevae manus digitum, ut illi in more erat, praemordens, ac dextram manum in orbem torquens, hanc quidem sedulo custodiri jubet: ipsius autem comitem, invitam licet ac repugnantem, domum reverti. Quo etiam ut rediit, antistitae suae ac magno Stephano cuncta exponit.

§ 24. At vero Imperator non multo post, confecto ex animi sententia bello, Constantinopolim redit. Ac parum admodum, aut nihil omnino, de publicarum rerum administratione laborans, hoc unum serio agit, ac negotiis omnibus anteponit, nempe ut Stephanum retibus suis implicitum teneat. Annam itaque, de qua verba fecimus, in Phialae carcere includi jubet (est autem ille mire caliginosus, atque inferno propemodum haud absimilis), ac deinde per cubicularium quemdam haec ei significat: « Parce tibi ipsi, mulier, animumque induc honeste vivere, atque abjecto hoc tenebrarum indumento cum Imperatrice vitam degere. Caeterum crastino die, cum interrogaberis, fac coram omnibus vera dicas. Praesto enim est ancilla tua, quae, etiamsi ea quae perpetrata sunt inficiari volueris, te convincet. Ego autem veritatis patronus ac propugnator, membratim ac frustatim carnes tuas lacerabo, faciamque ut intelligas, quantum Imperator, qui te haec monet, valeat, quantum rursus Immemorandorum antistes Stephanus. Sin autem hoc tibi persuaderi sinas, ut nomen ejus aperte deferas, ipsiusque voluptates ac libidines palam prodas, maximos a nobis honores ac munera consequeris. » Haec ut pia Anna audivit, nihil aliud quam meras nugas haec omnia esse ducens, breve responsum dedit, hoc unum inquiens, Dei voluntas fiat. At Imperator, cum ingentem hominum coetum ante palatii carcerem postridie mane collegisset, ut qui se ipsi quod volebat persuasurum esse confideret, nudam eam in omnium conspectu sisti jubet, virgarumque fasce in ipsius oculis et adspectu posito: « Haec, inquit, non ad spectaculum dumtaxat, incutiendumque tibi terrorem adhibui: sed et tergum tuum et ventrem iis conscindam, nisi execrandos Stephani concubitus hodierno die in apertum proferas. » Ad quae cum casta illa mulier, animique magnitudine praestans, ad Christi exemplum obticuisset. Tyrannus oculos in eam iracunde conjiciens, ac meretricem eam, quae pudicitiae amore tenebatur, scelesto ore appellans, flagris eam crudeliter affici jubet. Cum itaque ipsa a quatuor valentissimis hominibus distenta fuisset, ac perdiu et tergo et ventre tunderetur, nihil aliud ex ipsa audiri poterat, quam hoc solum: « Non

iovi hominem, quemadmodum ipse ais, non novi: Domine, mierere. » At vero versipellis illa ancilla, atque animo etiam adhuc nagis servili ac scelesto, Imperatoris jussu in ipsius conspectu tans, manus adversus eam protendebat, ac ne conspuere quidem psam verebatur. Cumque nonnulli ipsius calamitate sese comnoveri fingerent, atque in aurem insusurrantes, ipsam admoneent, ut ea, quae Imperatoris voluntati consentanea essent, diceret, tque ad hunc modum cruciatibus eximeretur, ipsa in pristina nimi fortitudine ac tolerantia perstans, a vero minime descicebat. Ut autem eam verberum multitudine confectam, ac pene piritum exhalantem tyrannus vidit, subsellio exsurgens, celeri ursu in palatium se abdidit, eam in uno quodam urbis moiasterio includi jubens, et quidem ita, ut omnis corporis curâ lestitueretur. Ipse autem varios ac multiplices insidiarum modos inimo versare non desinebat, quo sanctum virum morte afficeret.

§ **25**. Quocirca postridie, cum Georgium quemdam cognonento Syncletum, nitidum ac vigentem juvenem, ipsique carisimum, accivisset, privatim eum ita alloquitur: « Quantam, o ieorgi, tui erga me amoris vim esse ais? » — « Infinitam, inquit lle, Imperator, nec in mensuram ullam cadentem. » Tum Imperator: « Audeasne igitur pro hac tua erga me benevolentia mortem oppetere? » — « Et quidem libenter, inquit ille, ac summa cum inimi voluptate istud fecerim. » Hic Imperator laetissimo animo psum osculatus: « En, inquit, novum quoque Isaac. » Ac deinde: Nec ut meâ causâ mortem subeas, Georgi, nec ut membrum aliquod tibi adimi sinas, nec denique ut quicquam aliud ejusmodi ustineas, nunc jubeo: verum hoc unum, ut ad Auxentianum nontem propere te conferas, cumque omni memoria indigno Stehano agas, eique persuadeas, ut tibi monasticum habitum imponat, ac te in suorum album adscribat. Quod cum contigerit, tatim ad nos quam celerrime poteris, redeas. » Ille autem hunc ermonem prompto ac lubenti animo excipiens, atque ad hanc raudem obeundam ab eo (ut erat in hujusmodi rebus ingenioissimus) plurimis verbis instructus et eruditus, confestim ad nontem ascendit, ac sub nemoroso quodam ac virgultis pleno oco delitescens, media nocte, daemonibus non absimilis, egrelitur, atque ad monasterium accedens, voces ad misericordiam iendam comparatas emittebat: « Miseremini mei, inquiens, mieremini, Christiani omnes qui hic habitatis: nec me a feris abipi, aut in praecipitium vel voraginem ruere sinite. Oberranti enim n via, nec quid faciam habeo. » Haec et alia quaedam cum simulatissimo animo quereretur, Stephanus, vir humanus, et ad misericordiam propensus, exaudiens, Marinum monachum accersit rei enim commentitiae simplex illa ac fuci et malitiae expers anima fidem adhibebat) atque: « Abi propere, inquit, ac lugentem istum, quicumque tandem ille sit, huc admitte, ne pereat. » Ille

igitur confestim admissus, ad ipsius genua se abjicit, atque, o Deus bone! quanta cum simulationis larva impurus ille et execrandus usitatum illud, *Benedic, Pater summe, venerande*, pronunciavit! Posteaquam autem sanctus vir ipsi bene precatus est, ipsumque exsurgere jussit, tum ab indumentis, tum a facie ac genis prorsus abrasis eum agnovit. Siquidem eraso mento erat. Nam id omnibus tyrannus edixerat, in hoc nimirum Deo adversam legem sanciens, ad Mosem videlicet dicenti, Loquere ad populum, ac prohibe ne barbam in rotundum radat, aut eam implexam gerat (*Levit.* XIX). Etenim ut in aliis omnibus rebus, sic in hac quoque ipsi adversari contendebat. Atque omnibus tam juvenibus quam senibus barbam ad cutim usque radere praeceperat: ut qui eos, tamquam salaces equos, ad bene semper curandam cutim atque ad lasciviae studium extimularet. Cum igitur hinc eum ex Imperatoris classe esse conjecisset, percunctabatur ex eo, undenam esset, et quo pergeret. Ille autem, quin ex aulicorum numero esset, minime inficias ibat; « caeterum, inquit, dum flagitiosissimi Imperatoris sententiam, et ego et socii mei sequimur, pene in Judaismum praecipites abrepti sumus, atque in ingens animae periculum jam incidimus. Ego vero quo in malo versarer, tandem aliquando persentiscens, ad tuae sanctitatis pedes, ut vides, properanter veni, ut angelicum hunc habitum, cujus desiderio teneor, a te obtineam. Quocirca ne me, quaeso, abjicias, honorande Pater, nec, tametsi indignum, a praeclara hac spelunca removeas. » Tum ille nomini suo respondens Stephanus: « Nequeo, inquit, fili, hujusmodi rem àggredi: ne quid mihi periculi a tyranno creetur. » Ille autem statim figmentum suum ac simulationem adaugens, atque id omni studio contendens, ut fabulam eam, quam agebat, quo ad ejus fieri posset, ab omni suspicione vindicaret, ac praeterea quo sanctum virum ad id quod expetebat alliceret: « Rationem, inquit, Deo pro anima mea reddes, nisi me hodierno die sine ulla cunctatione detonsum in monachorum ordinem adscribas. Nihil enim mihi alioqui superest, quam ut statim ad prioris vitae institutum revertar. » At venerandus ille vir hoc sermone commotus (norat enim omnia pro nihilo ducere, cum de animae salute agi existimaret): « Etiamsi periculum in hac re situm est, inquit, tamen quia te sincero animi affectu accessisse dixisti, non committam, ut contra Dominicum praeceptum te foras ejiciam. Caeterum attento animo sis oportet, pectusque tuum adversus omnem aerumnam praemunias. Sic enim suos Dominus explorare solet. » Hoc sermone habito, mundanam vestem ipsi detrahit, atque obedientiae vestimento eum induit. Atque ita impostor ille ad tertium usque diem perstitit, non tam decipiens, quam ipsemet a daemone, qui eum ad hujusmodi facinus abripuerat deceptus.

§ **26**. Nec vero subdolum tyrannum hoc fugit; verum interim

dum haec peragebantur, ingentem hominum multitudinem in theatro colligens, ac gradus eos, in quibus purpuratorum corona stare consueverat, inscendens, moeroreque profligati ac perditi hominis larvam induens: « Nulla mihi vitae reliqua pars est, inquit, prae veteratoria Deo invisi Immemorandorum horum agminis nequitia. » Cum autem populus ad istud exclamasset: « Quonam modo haec, cum hujusce habitus ne vestigium quidem ullum in tua urbe supersit? » Ille editiore voce: « Insidias eorum, inquit, nullo pacto ferre queo. Omnes enim meos subdolo animo circumventos ad se pertraxerunt, atque adamatis suis tenebris mancipar unt. Nunc autem, tamquam ne nunc quidem iis quae perpetrarunt contenti, graviora prioribus adjecerunt, ac Georgium eum, quem, ut scitis, amore complectebar, a làtere meo abreptum avulsumque, monachum (o terra, et Sol!) effecerunt. Haec me intolerando quodam moerore excruciant. Caeterum cura nostra in Dominum conjicienda est, nobisque ad eum preces adhibendae: atque ille brevi, quod expetimus, in apertum profert. » Ad hunc modum praestigiator ille ac vanus, quod, pro eo atque imperarat, ac veteratorio animo molitus fuerat, jam jamque eventurum erat, ante praedicit, ut vatis famam consequeretur, qui densissimis tenebris ac scelere plenus erat. Cum autem ii qui aderant, quique nihil ad veritatem, sed ad gratiam omnia sua tum facta tum dicta referebant, tritum illud ac pervulgatum dixissent, *Cor regis in manu Dei est* (*Prov.* XXI); et, *Orante te, Deus omnino exaudiet;* concionem solverunt.

§ 27. Porro admirandus Stephanus execrandum illum, ac mali malum discipulum, post tertium diem accersit, plurimisque praeceptis instructum detondet, ac monastico habitu adornat, atque, ut Salomonis verbis utar, inaurem auream nari porcinae imponit. Ille autem nihil divina illa praecepta moratus, montem tamquam ignavus quispiam ac fugax miles, relinquens, ad aulam abiit. Imperator vero lubenter eum èxcipit, ac laeto animo amplectitur, non ob sanctum habitum, ut oportebat, sed ob id potius, quod eum abjecisset, hincque ipse justi viri de medio tollendi ansam nactus esset. Confestim igitur omnibus cujusvis aetatis hominibus ad publicum theatrum sub matutinum tempus ipsius jussu coactis, stans ille eodem quo prius loco, alta quadam voce, ac mira laetitia perfuso animo: « Vicit, inquit, fortuna mea; precesque meas Dominus exaudivit. » Cum autem multitudo pro suo more ipsi applausisset, atque ista ad gratiam et obsequium comparata rursus dixisset: « Quando autem, o here, te Dominus non exaudivit? » Ipse hoc sermone delectatus, ac jucunde arridens: « Revelavit, inquit, mihi Deus quem quaerebam: quem si vultis, hodierno die vobis commonstrabo. » Ac simul spectandum eum produxit. Promiscua itaque illa multitudo, simul atque ipsum conspexit, quo tempori magis adhuc obsequeretur: « Hunc, inquit,

male de te meritum, malum ac nefas est intueri. Obtruncetur ergo quamprimum execrandus iste, obtruncetur. » Quae cum dicerent, id quidem dicebant, quod illum pati oportebat: caeterum ab Imperatoris mente ac sententia prorsus aberrabant. Quocirca statim, tyranno ita jubente, sacram ipsi epomidem detrahunt, eamque ad populum una cum cuculio (nam ita appellari consuevit) abjiciunt: quae extemplo ab impuris illis ac sceleratis conculcata sunt. Ut autem Cruciferum quoque analabum, hoc est redimiculum ut etiam ipsum dejicerent, nefario illi demere coeperunt, manibus acceptum illum Imperator undique contorquebat, quidnam istud esset, sciscitans. Tum Senator quidam, ut nomine, ita etiam re Dracontius: « Projiciatur, inquit, Imperator, hic quoque Satanici laquei funis, dignus ipse proculdubio ejusmodi laqueo. » Quod etiam cum illico factum fuisset, is quoque a plebe protritus cernebatur. Et quidem res praeclarae indigno homini recte detrahebantur: at non item recte a scelesta ac sacrilega multitudine per contumeliam obterebantur. Post autem, quatuor homines prono corpore arreptis profani illius vestibus, tamquam pelle aliqua ipsum statim exuunt, atque ejus loco militarem vestem imponunt, caputque ipsius galeâ cingunt. Cumque eum prius inspectante turba undis eluissent (ad expiandam scilicet spurcitiem eam, quam ex sacro illo habitu contraxerat) ac Judaicum in modum (quid enim aliud dicam?) ipsi quoque res divinas et sacras ludibrio habuissent, tum denique suismet manibus Imperator ense ipsius humeris appenso, eum Hippòcomi * dignitate ornat. Atque hanc Georgius abnegati magistri mercedem tulit, quemadmodum Judas pro negato Christo triginta talenta.

§ **28**. Confestim itaque multitudo impetu facto sancti viri discipulos disturbat, ac monasterium una cum templo igni absumit, sanctumque virum illum latronum instar e spelunca abreptum ad Chalcedonis navale abducit. Quaenam autem lingua calamitates eas, quas in tam longo itinere perferendas habuit, oratione complecti queat? Alii enim eum magno impetu trahebant; alii fustibus a tergo feriebant; alii in vallem eum devolvebant; alii tibias ipsius calcibus laniabant. Erant etiam qui in venerandam ipsius faciem spuerent. Erant item qui teneriores virgas amputantes, sacrum ipsius caput verberarent: quo nimirum hac ratione plausum ac risum et voluptatem impuris hominibus excitarent. Alii denique petulantiori animo praediti, caesis palmarum ramis ante ipsum incedebant, cachinnantes, et illudentes, ac sexcenta in eum dicteria jacientes. Quidnam porro haec ab impio Judaeorum furore distabant? Ut autem nullo in eum contumeliarum genere praetermisso ad littus pervenerunt, tum demum lembo impositum ad Philippici monasterium (id

* Hippòcomus dicebatur is qui equorum curam agebat.

autem Chrysopoli haud longe a Byzantio situm est) fortem virum abducunt. Ubi etiam illum custodientes, de ipsius statu Imperatorem certiorem faciunt. Quem, ubi atrocem illam hujusce viri raptationem et contumelias, incensumque monasterium audiisset, laetitiam inde concepisse ajunt, atque edictum statim promulgasse, quo capitalem poenam in eum sanciebat, qui ad Auxentianum collem vel solum appropinquare ausus fuisset. Postea autem, cum haeresiarchas illos, qui eamdem cum eo doctrinam tuebantur, accivisset (erant autem illi Theodosius Ephesi Episcopus, Constantinus Nicomediae, Nacolius Nacoliae, Sisinnius item ac Basilius, quorum alter Pastilla, alter Tricacabi cognomentum habebat, ac praeterea Callistus, de quo ante verba fecimus, et Comboconon, qui in scribarum numero tum erat, ac denique Masaras, qui eadem cum Saracenis de religione sentiebat) ad Patriarcham, quocum non modo nomen idem, sed etiam eosdem mores, ac doctrinam eamdem habebat, eos mittit. Hac autem de causa id faciebat, ut una cum ipsis ad Philippici monasterium navigaret, atque cum divinitus inspirato Stephano disputationem iniret. At ille, quae Stephani, tum doctrina, tum sanctitas esset, minime ignorans, quodque prae eo ne prope quidem, ut dici solet, jacularetur, disputationem recusavit, eam potius ipsis, si possent, permittens. « Inter Constantinum enim, inquiebat, et Stephanum, quod ad dicendi vim attinet, plurimum interest. Siquidem mihi sermo dumtaxat praesto est: illi autem una cum sermone divini quoque spiritus potentia. Caeterum etiam atque etiam attendendum est. Quid enim amplius vos ab eo audituri estis ? »

§ **29**. Illi vero, assumpto falsi illius concilii decreto, hoc est ficulneo, ut vulgo dicitur, auxilio, ad praedictum monasterium veniunt; atque in balnei gradibus manentes, sanctum virum accersunt, suae nempe dignitati potius convenire censentes, ut ille ad se accederet, quam ut ipsi ad eum sese conferrent. Quoniam autem, tum ob eas, quas superius diximus causas, tum etiam quia ferreis catenis adstrictus erat, pedibus suis ingredi non poterat, duobus viris innixus ad eos proficiscitur. Primus itaque Theodosius Ephesinus Episcopus ad hunc modum eum alloquitur: « Quonam tandem modo, o homo Dei, animum induxisti nos omnes in haereticorum numero reponere? teque supra Imperatores, supra Patriarchas, supra Episcopos ac caeteros Christianos, sapere judicasti? An nos omnes id molimur, ut nostrarum ipsimet animarum jacturam faciamus? » At justus vir leni ac placida voce; « Adverte, inquit, quid de Elia Propheta Scriptura prodiderit, nimirum quemadmodum ad Achas dixerit, *Non conturbo,* inquit, *sed tu et domus patris tui* (3. *Reg.* 18). Neque enim ego nunc sum qui conturbo: verum ii, qui, contempta veterum Patrum traditione, novum quoddam dogma in Ecclesiam invexerunt. Nam sic quicquid antiquitate praestat, veneratione dignum est, ut

quidam vir sapiens dixit *, recentia utique haec atque adscititia vehementer absurda atque imbecilla sunt, ut quae perspicue adulterini Ecclesiae Catholicae foetus sint. Ac proinde non intempestive propheticum illud mihi dicere in mentem venit, *Reges terrae et principes una cum mercenariis pastoribus, ac gregis proditoribus, convenerunt in unum, atque adversus Christi administrationem inania meditati sunt* (*Ps.* 2). » Haec cum ad hunc modum Stephanus protulisset, Constantinus Nicomediensis Episcopus, ut erat truculentia et impudentia singulari, statim e subsellio suo exiliit, atque nil a calcitronibus asinis diversum faciens, adversus sanctum virum impetum fecit, eique humi sedenti calces in faciem incussit. Ac praeterea unus ex saevis satellitibus imum ipsius ventrem calcibus impetens, resupinum in terram prostravit. Ac deinde continenter ipsius pectus pede feriebat. At sanctus Stephanus, Dominico praecepto obtemperans, seipsum ei ad libidinem feriendum prompto animo praebebat. Haec porro Callisto Senatori minime aequa atque honesta visa sunt. Ob eamque causam, cum profano illi Constantino silentium indixisset, ad Stephanum his verbis usus est : « Duabus tibi propositis conditionibus, nempe ut vel pareas, ac concilii libello subscribas, vel mortem subeas, ut qui Patrum ac divinitus eruditorum Imperatorum legem repudies atque proscribas; utram e duabus malis confestim elige. » Rursus ergo ille divinitus afflatus Stephanus; « Attento ad verba mea animo esto, inquit, domine Patrici. En enim cum magno Paulo ipse quoque clamo, *Mihi vivere Christus est*, ac pro veneranda ipsius imagine mori, *lucrum*. Quocirca et semel jam dixi, et rursus dicam. Si hemina mihi sanguinis est, ea quoque pro Christo fundatur. Caeterum facite, ut mihi concilii vestri decretum recitetur, quo intelligam, quibus tandem rationibus adducti, diruendas ac delendas divinas Imagines censuistis. »

§ **30**. Protinus igitur Constantinus Nacoliae Episcopus libellum illum recitandum suscepit. Cum autem initio sic legisset: «Decreta sancti et oecumenici septimi concilii; » Sanctus vir silentio manu significato: « O singulare mendacium! inquit. Infirmo etenim ac caduco fundamento caducum quoque profecto et imbecillum aedificium imposuistis. Quonam enim modo sanctum existimari queat, quod sancta profanare minime dubitavit? Quid enim? An non sancta a vobis protrita sunt? An non, cum in concilio vestro sederetis, libellus vobis a piis quibusdam viris oblatus est, qui Episcopum quendam eo nomine deferret, quod lancem sanctam, in qua Christi, ac Dei Genitricis Imagines sculptae erant, contrivisset? Vos autem contritionis illius crimen Imaginibus adscribentes, ipsum quidem omni crimine solvistis, pios autem viros ab Ecclesiae coetu proscripsistis, idolorum vindices eos appellantes. Quo quid audacius flagitiosiusque fingi possit? An non

* S. Basilius, in Hom. 1 *de Jejunio*.

etiam sacram supellectilem 'sanctis Imaginibus exornatam concerpsistis? An non adjectivum hunc, *Sanctus*, ab omnibus justis, ab omnibus Apostolis, a Prophetis, a Martyribus, piisque viris abjecistis? Sancitum enim a vobis est, o generosi viri, ut cum quispiam ad horum aliquem abiret, ex eoque quaereretur quo iret, responderet: Ad Apostolos, ad quadraginta Martyres: si unde veniret, itidem responderet: Ex templo martyris Theodoris, ex templo martyris Georgii. An non hae vestrae doctrinae sunt? Quonam ergo pacto, qui sancta proscripsistis, sanctum concilium coëgistis? O singularem absurditatem! Jam qui oecumenicum istud concilium vocari queat, quod nec Romanus Antistes, citra cujus auctoritatem nullo modo fieri potest, ut res Ecclesiasticae ad normam dirigantur, gratum habuit, nec Alexandrinus comprobavit, nec Antiochenus, nec denique Jerosolymitanus? Ubinam eorum libelli sunt? aut quinam per diversa loca missi sunt, quibus falsum vestrum concilium confirmaretur, ut hac ratione oecumenicum censeri possit? Tum autem quonam modo septimum dicatur, quod sex priora concilia minime sequitur? Quicquid enim septimum est, sextum et quintum, eaque quae antecedunt, sequatur necesse est, ut septimum esse queat. Cum igitur vos sex conciliorum sanctiones abrogaveritis, quid est quamobrem concilium vestrum septimum appelletis? » Ad quae cum Tricacabus dixisset: « Et quodnam tandem e sex illis conciliis decretum a nobis abrogatum est? » — « Quid? inquit vir sanctus, an non sex omnia concilia in sacrosanctis templis coacta sunt, primum nimirum in Niceae metropoli, atque amplissimo urbis illius templo; secundum, apud Constantinopolim in sanctae Pacis templo; tertium in pulcherrimo illo Theologi templo, quod in Ephesina metropoli situm est; quartum in sanctissima metropolitanae nostrae Chalcedonis aede; quintum autem ac sextum Constantinopoli rursum, alterum nempe in augustissimo Sophiae templo, alterum autem in palatii aede, quam *Oatum* * vulgo appellant? Quid igitur? an non omnibus hisce templis Imagines pictae erant? Quodnam autem ex praedictis Conciliis, quemadmodum vestrum, dejiciendas eas ac delendas esse censuit? Responde ad hoc, Episcope. » Cum autem ipse rem ita se habere dixisset, sublatis in coelum oculis ac manibus, gravique gemitu imo pectore emisso, vir sanctus alta voce exclamavit: « Si quis Dominum Jesum Christum in imagine, quantum ad humanitatem attinet, circumscriptum, non adorat, anathema sit, cum iisque partem habeat, qui dixerunt, *Tolle, tolle, crucifige eum.* » At illi ob praeclaram hanc ipsius in dicendo fiduciam stupore defixi, cum beata illa lingua adhuc loqui, ac veritatis hostes fortiter insectari pararet, firmissima verborum tela, tamquam sagittas in manu potentis, illi

* Concilium est in *Trullo*.

metuentes, statim eum quidem in custodiam conjici praecipiunt, ipsi autem, obtectis prae pudore vultibus, ad aulam abierunt.

§ **31**. Percunctante igitur Imperatore quidnam ipsi perfecissent, atque Episcopis cladem suam occultare conantibus: « Victi sumus, ait Callistus, o Imperator, victi sumus. Magnus in doctrina vir ille est, magnus in disputando. Incomparabilis ipsius virtus est; animus intrepidus. Non modo minis superior est; sed ipsam quoque mortem contemnit. » Imperator autem ob haec ira percitus, Stephanum ad Hellesponti partes, hoc est ad Proconnesum*, exsilii causâ, mittit. Ubi ille septem et decem integros dies in illius loci monasterio ita consumpsit, ut nihil prorsus cibi attingeret; tametsi alioqui Imperator plurima ad eum alimenta mitteret. Nam ea ille rursus remittebat, nullum prorsus ex iis degustans. Per hos autem dies gravissimo morbo correptus hujusce monasterii praefectus, quantum quidem ad medicos attinebat, vitae spem omnem abjecerat. Mittit itaque ad sanctum virum, eumque, ut ad se veniat, rogat: « Quo, inquit, alter alteri extremam salutem dicamus. Incertum est enim, an nona hora apud vivos adhuc futurus sim. » Quod ut ille audiit, statim ad eum accessit. Ac deinde, cum manu collum ejus tenuisset, labia quidem ipse precationis causa movebat, febris autem, quae morbum pepererat, a corpore profugiebat. Quid postea? Poculum suum vino mero impletum ei bibendum porrigit. Quod cum exhausisset, statim plurimus sudor ex ipso manavit, ac dicto citius sanitati restitutus est. Cum igitur ei non tam extremum, quam jucundum osculum praebuisset, illinc excedens, profectionem suam, ut cum Propheta loquar, in mari statuit, atque in eam navem quae parata erat, ascendens, exsulatum profectus est. Cumque desertissima quaeque insulae loca peragrasset, in speluncam admiratione dignam incidit (Cissadam eam incolae nuncupabant) in qua Christi aviae Annae templum erat. Hac re igitur oblectatus, atque hujusmodi locum non sine numine divino sese invenisse ratus, domicilium in eo sibi constituit, herbarum, quae illic enascebantur, radices luculentae cujusdam et opiparae mensae instar habens.

§ **32**. At vero omnes ipsius discipuli ab Auxentiano monte depulsi, tamquam oves undique oberrabant, pastorem suum quaerentes. Tandem autem eum, cum in Proconnesum venissent, invenerunt, duobus dumtaxat exceptis, qui a praeclarissimo illo ovili, ut a divino duodenario Judas, vel potius ut a Paulo Demas et Hermogenes, sese avulserant, ac pro monastico habitu mundanum induerant, nimirum Sergio, de quo ante verba fecimus (qui etiam invectivum atque execrandum adversus sanctum virum volumen condidit), ac ter misero Stephano, qui cum Presbyter. ac supradicti Callisti minister primum extitisset, ac deinde a

* Insula in Propontide (Mar di Marmara) sita, hoc nomine vocata ob magnam damarum copiam qui ibi alebantur. In illam porro insulam S. Stephanus relegatus fuit anno 763.

sancto viro in monachorum album adscriptus fuisset, atque in montis monasterio sacerdotis munus obiisset, postea tamen et monasticum habitum, et Deum ejuravit, atque ab ipsomet tyranno mundana veste indutus (quem prius vitam abjicere oportebat) nefariam illam vocem emisit: « Hodierno die, Here, a Satanicis faucibus opera tua ereptus, ac tenebroso amictu exutus, splendidum pallium indui. » Cujus execrando sermone tyrannus summopere delectatus, Sophiani palatii ministrum eum constituit. Quo etiam crebro commeans, gaudii patrem, eum qui multis luctibus dignus erat, appellabat. His itaque solis ab ovili sacrosancto avulsis, caeteri omnes ad Proconnesum, ut a me dictum est, appulsi, monasterium construxerunt. Quin a philosophica ista vitae degendae ratione ne sancti quidem Stephani mater abfuit: verum una cum sorore insulam illam adiens, contubernium ipsius amplexa est. Illic itaque divinus Stephanus, extructâ columnâ, ac supra eam angustissima quadam aedicula, in ea sese conclusit, annos jam novem et quadraginta natus. Perinde autem ac si magnos Deo consecratae vitae labores tum primum iniisset, ita seipsum asperrimis quibusque certaminibus dedebat: non secus videlicet ac si certamen ipse secum instituisset, atque id contenderet, ut una cum aetate labores quoque novis incrementis cumularet. Quam etiam ob causam divina quoque miraculorum gratia ipsi insedit, atque admirabilium operum admirabilis effector extitit.

§ **33**. Ad hunc itaque modum divino viro in ea insula collucente, secundo exsilii sui anno egregia ipsius mater, et quam a filio quispiam, quemadmodum et ab ea filium, certissimo indicio agnoscere potuisset, filium simul ac mundum relinquens, ad communem Patrem concessit, his ante ad filiam suam verbis usa: « Non est quod plores; nam tu quoque mecum profectura es. » Nec vero plures quam septem dies intercesserant, cum Theodota quoque (nam hoc filiae nomen erat), relicto mundo, ad matrem suam, quemadmodum ipse praedixerat, abscessit. Eodem autem tempore miles quidam, nomine Stephanus, genere Armenius, ab Europae partibus profectus, qui dimidia sui parte contabuerat, totusque prae morbo humi vergebat, cum magna illa miracula, quae a magno hoc viro designabantur, intellexisset, ad eum perrexit, atque ad ejus pedes accidens, ea postulare coepit, quae et ipse accipere summopere optabat, et ille facile praebere poterat. At ille, qui fide erga Dominum ac benevolentia praeditus erat, miraculum ad ipsum transfert; cumque ei, qui aegrotabat, ut et ipsius et matris imaginem adoraret, imperasset, atque ille id faceret, sanum eum prorsus ac valentem reddidit. Ut igitur ad commilitones suos se recepit, quaerebatur ex eo, quanam ratione convaluisset. Ille autem eam minime reticebat; verum: « Monachus quidam, dicebat, Stephanus nomine, qui apud Proconnesum

metuentes, statim eum quidem in custodiam conjici praecipiunt, ipsi autem, obtectis prae pudore vultibus, ad aulam abierunt.

§ **31**. Percunctante igitur Imperatore quidnam ipsi perfecissent, atque Episcopis cladem suam occultare conantibus: « Victi sumus, ait Callistus, o Imperator, victi sumus. Magnus in doctrina vir ille est, magnus in disputando. Incomparabilis ipsius virtus est; animus intrepidus. Non modo minis superior est; sed ipsam quoque mortem contemnit. » Imperator autem ob haec ira percitus, Stephanum ad Hellesponti partes, hoc est ad Proconnesum*, exsilii causâ, mittit. Ubi ille septem et decem integros dies in illius loci monasterio ita consumpsit, ut nihil prorsus cibi attingeret; tametsi alioqui Imperator plurima ad eum alimenta mitteret. Nam ea ille rursus remittebat, nullum prorsus ex iis degustans. Per hos autem dies gravissimo morbo correptus hujusce monasterii praefectus, quantum quidem ad medicos attinebat, vitae spem omnem abjecerat. Mittit itaque ad sanctum virum, eumque, ut ad se veniat, rogat: « Quo, inquit, alter alteri extremam salutem dicamus. Incertum est enim, an nona hora apud vivos adhuc futurus sim. » Quod ut ille audiit, statim ad eum accessit. Ac deinde, cum manu collum ejus tenuisset, labia quidem ipse precationis causa movebat, febris autem, quae morbum pepererat, a corpore profugiebat. Quid postea? Poculum suum vino mero impletum ei bibendum porrigit. Quod cum exhausisset, statim plurimus sudor ex ipso manavit, ac dicto citius sanitati restitutus est. Cum igitur ei non tam extremum, quam jucundum osculum praebuisset, illinc excedens, profectionem suam, ut cum Propheta loquar, in mari statuit, atque in eam navem quae parata erat ascendens, exsulatum profectus est. Cumque desertissima quaeque insulae loca peragrasset, in speluncam admiratione dignam incidit (Cissadam eam incolae nuncupabant) in qua Christi avitae Annae templum erat. Hac re igitur oblectatus, atque hujusmodi locum non sine numine divino sese invenisse ratus, domicilium in eo sibi constituit, herbarum, quae illic enascebantur, radices luculentae cujusdam et opiparae mensae instar habens.

§ **32**. At vero omnes ipsius discipuli ab Auxentiano monte depulsi, tamquam oves undique oberrabant, pastorem suum quaerentes. Tandem autem eum, cum in Proconnesum venissent, invenerunt, duobus dumtaxat exceptis, qui a praeclarissimo illo ovili, ut a divino duodenario Judas, vel potius ut a Paulo Demas et Hermogenes, sese avulserant, ac pro monastico habitu mundanum induerant, nimirum Sergio, de quo ante verba fecimus (qui etiam invectivum atque execrandum adversus sanctum virum volumen condidit), ac ter misero Stephano, qui cum Presbyter. ac supradicti Callisti minister primum extitisset, ac deinde a

* Insula in Propontide (Mar di Marmara) sita, hoc nomine vocata ob magnam damarum copiam qui ibi alebantur. In illam porro insulam S. Stephanus relegatus fuit anno 763.

sancto viro in monachorum album adscriptus fuisset, atque in montis monasterio sacerdotis munus obiisset, postea tamen et monasticum habitum, et Deum ejuravit, atque ab ipsomet tyranno mundana veste indutus (quem prius vitam abjicere oportebat) nefariam illam vocem emisit: « Hodierno die, Here, a Satanicis faucibus opera tua ereptus, ac tenebroso amictu exutus, splendidum pallium indui. » Cujus execrando sermone tyrannus summopere delectatus, Sophiani palatii ministrum eum constituit. Quo etiam crebro commeans, gaudii patrem, eum qui multis luctibus dignus erat, appellabat. His itaque solis ab ovili sacrosancto avulsis, caeteri omnes ad Proconnesum, ut a me dictum est, appulsi, monasterium construxerunt. Quin a philosophica ista vitae degendae ratione ne sancti quidem Stephani mater abfuit: verum una cum sorore insulam illam adiens, contubernium ipsius amplexa est. Illic itaque divinus Stephanus, extructâ columnâ, ac supra eam angustissima quadam aedicula, in ea sese conclusit, annos jam novem et quadraginta natus. Perinde autem ac si magnos Deo consecratae vitae labores tum primum iniisset, ita seipsum asperrimis quibusque certaminibus dedebat: non secus videlicet ac si certamen ipse secum instituisset, atque id contenderet, ut una cum aetate labores quoque novis incrementis cumularet. Quam etiam ob causam divina quoque miraculorum gratia ipsi insedit, atque admirabilium operum admirabilis effector extitit.

§ **33**. Ad hunc itaque modum divino viro in ea insula collucente, secundo exsilii sui anno egregia ipsius mater, et quam a filio quispiam, quemadmodum et ab ea filium, certissimo indicio agnoscere potuisset, filium simul ac mundum relinquens, ad communem Patrem concessit, his ante ad filiam suam verbis usa: « Non est quod plores; nam tu quoque mecum profectura es. » Nec vero plures quam septem dies intercesserant, cum Theodota quoque (nam hoc filiae nomen erat), relicto mundo, ad matrem suam, quemadmodum ipse praedixerat, abscessit. Eodem autem tempore miles quidam, nomine Stephanus, genere Armenius, ab Europae partibus profectus, qui dimidia sui parte contabuerat, totusque prae morbo humi vergebat, cum magna illa miracula, quae a magno hoc viro designabantur, intellexisset, ad eum perrexit, atque ad ejus pedes accidens, ea postulare coepit, quae et ipse accipere summopere optabat, et ille facile praebere poterat. At ille, qui fide erga Dominum ac benevolentia praeditus erat, miraculum ad ipsum transfert; cumque ei, qui aegrotabat, ut et ipsius et matris imaginem adoraret, imperasset, atque ille id faceret, sanum eum prorsus ac valentem reddidit. Ut igitur ad commilitones suos se recepit, quaerebatur ex eo, quanam ratione convaluisset. Ille autem eam minime reticebat; verum: « Monachus quidam, dicebat, Stephanus nomine, qui apud Proconnesum

in angustissima quadam aedicula degit, duas me Imagines adorare jussit, unam quae Christi, alteram quae Deiparae dicebatur; ac protinus convalui, corpusque omnino erexi. » At impii illi et conscelerati, manus non sine magno terrore complaudentes: « Vae tibi, inquiunt, qui in idololatriam proruisti. » Confestim itaque eum apud summum Thraciae praefectum deferunt; qui cum de eo quaestionem habuisset, nullâ interpositâ morâ, eum ad Imperatorem misit. Is vero cum accuratius eum examinasset, an recuperatae valetudinis modum intellexisset, pro ea qua laborabat stoliditate, non intellexit: verum, quod ipsi summo studio erat, percontabatur eum, qui morbo liberatus fuerat, an in simulacrorum cultu perstaret. Qui cum et ingenti poenitudine se affici, atque hujusmodi simulacra execrari dixisset, tyrannus, ut ei impietatis mercedem referret, centurionem eum creavit. Caeterum vindex Dei justitia e vestigio ingratum illum persecuta est. Nam cum statim ab aula reverterètur, atque equum conscendere pararet, ille subito saltitans in terram ipsum prostravit, atque contrivit, nec calcibus in eum insilire destitit, quoad ille ingratam animam evomuisset.

§ 34. Tyrannus igitur, tamquam hinc arreptâ ansâ, sanctum virum quamprimum e Proconneso ad se adduci jubet *, illud addens, quod ne exsilium quidem mulctatus, sibi temperasset, quin plebem idolis cultum adhibere doceret. Cum ergo illinc adductus esset, ut in phialae perquam obscuro ergastulo tum vinctis ferro manibus, tum pedibus ad lignum arctissime adstrictis, includeretur, edixit. Interjectis autem quibusdam diebus, ad Heliacum, qui Pharus dicitur, duobus tantum primarii ordinis viris comitatus, sanctum virum praesto esse jubet. Cum autem ad eum adductus fuisset, a pio quodam viro nummum petiit, eumque cucullae suae furtim imposuit. Tyrannus utique, ut eum vidit, exclamare coepit: « O vim mihi illatam, o calamitatem, o arrogantiam! Videte a quonam imperium meum contumeliâ afficiatur, a quonam ludibrio habeatur! » Cum autem vir sanctus nihil omnino respondisset, verum humi defixus haereret, tyrannus eum iracunde prospiciens, ignemque, ut dici solet, spirans, atque ut ipsi in more positum erat, manum in orbem torquens, alteque exclamans, « Non mihi respondes, inquit, scelestum caput? » At ille: « Si me ita leviter condemnare in animo habes, Imperator, supplicio quam celerrime affice. Sin autem huc me idcirco adesse jussisti, ut me interrogares, ac vicissim audires, iracundiam lenitate tempera, atque aequo animo et interroga, et audi. » Tum Imperator: « Dic, age, quibusnam paternis decretis minime paruimus, ut apud te in haereticorum numero censeamur? »—« Quoniam, inquit ille, venerandarum Imaginum picturam, multis ante temporibus a divinis Patribus traditam, scelerate ab Ecclesiis

* Anno 765.

ejecistis. » Tyrannus autem : « Ne has, inquit, Imaginum picturas dicas (neque enim sunt) sed plane idolorum picturas. Quidnam porro idolis cum sanctis commune est? » Hic vero sanctus ille vir : « Non, inquit, cum Imagines adoramus, materiae cultum ac venerationem tribuimus ; verum Imaginis honor ad exemplar transit, quemadmodum a Basilio dictum est. » — « Quid? inquit tyrannus, aequumne est ea, quae a Patribus ante praedicata sunt, quaeque et multa et perobscura sunt, ac neque mente comprehendi, neque verbis ullis explicari possunt, per colores in sensum cadentes exprimere, atque in materia adorare, cum eorum essentia nemini, nisi quantum ad infinitatem, ut Gregorii verbo utar, attinet, explorata sit? » — « Minime vero, ait vir sanctus. Ecquis enim mortalium, qui quidem mentis compos sit, divinitatis naturam, quae et materiâ caret, et omnem mentis captum fugit, coloribus e materia conflatis pingi posse dixerit? Cujus enim forma ne mente quidem delineari potest, quonam tandem modo ipsa coloribus èxprimi queat? At nos, cum Christum in imaginem pingimus, divinitatis naturam haudquaquam pingimus: verum theandricam eam formam, quae in nostra specie apparuit, quamque Apostolicae manus contrectarunt, quemadmodum alicubi ait Theologus, *Quod vidimus, et manus nostrae contrectaverunt* (1. *Joann.* I)*. Quod si mihi dictum illud Mosis in medium protuleris, *Non facies tibi similitudinem ullius rei, tam ex his quae in coelo, quam ex his quae in terra sunt (Exod.* 20*)*, hunc ipsum Mosem tibi ostendo duorum Cherubim effigiem auro efficientem. Quibus de rebus ad hunc quoque modum divinus Apostolus disserit, *Et Cherubim obumbrantia Propitiatorium (Hebr.* IX). Quin ipsum quoque Propitiatorium, et Tabernaculum testimonii, et Sancta sanctorum, an non coelestium figuram exprimebant? quemadmodum idem Apostolus rursus ait, *Umbrae coelestium deservimus (Hebr.* VIII). Quid igitur sceleris admittimus, cum Christi formam humanitus adspectam in imagine pingimus et adoramus? Quid autem cum Crucem etiam, ex quacumque tandem materia confecta sit, adoramus, rei conditae cultum adhibere videmur, adorationem materiae tribuentes? Sed et pepla sancta, et sacrosancta vasa a nobis adorata nullam nobis reprehensionis notam inurunt. Siquidem ea per Christi invocationem in sancta mutari persuasum habemus. Quid? An tu quoque corporis et sanguinis Christi antitypa ab Ecclesia proscribes, ut quae imaginem ac veram illorum figuram teneant? quae et adoramus,

* Baronius ad haec subjungit: " Hic attende, Lector, non tantum pingi non debere divinam naturam, sed nec posse, quod incorporea cum sit, non cadit sub sensibus. Caeterum haud erroris arguenda sancta Ecclesia est, quod Patrem et Spiritum Sanctum, expertes corporis, per imagines repraesentare coloribus consuevit: siquidem corporeas illas imagines ipsa per picturam repraesentat, quibus Sanctis Patribus per visum innotuere. Dicendum idipsum de Angelicis Spiritibus, qui licet invisibiles nobis sint, per visibiles tamen, quibus apparuere, formas, et sicut Moysi praeceptum est in Arca, aliisque in locis effigiari; ita et Catholica Ecclesia ex prototypo per colores eas imagine deducere consuevit. " (*Annal.* Tom. IX, pag. 235).

et osculamur, et eorum perceptione sanctitatem consequimur. Vos igitur inter sanctum ac profanum minime distinguentes, Christi imaginem, non secus atque Apollinis statuam, Deiparaeque item non secus ac Dianae, idolum appellare minime horruistis. Quin ipsam quoque pedibus protrivistis et exussistis. » Ad haec Imperator: « O caeca mente praedite, inquit, ac supra omnes Immemorandos oblivione digne, his imaginibus proculcatis Christumne proculcavimus? » Tum vero ille, vere in divinis rebus solers Stephanus, in morem eorum, qui bellica laude praestant, adversarium suomet telo ferire, ac per ea ipsa quae dixerat, profligare cupiens manum in cucullam immittens, atque inde nummum in quo impius ille sculptus erat, extrahens, eumque quemadmodum Christus olim Caesaris nummum Judaeis ostendens: « Cujusnam, inquit, est haec imago et superscriptio? » Eo autem mirante, ac respondente: « Cujus tandem alius, quam Imperatorum? » — « Quid, inquit vir sanctus, si quispiam eum contumeliose in terram projectum pedibus terat, poenasne aliquas luet? » « Quidni autem, dixerunt ii, qui adstabant, cum Imperatoriam effigiem proculcet? » Ad haec vir sanctus, gravem quendam ex imo pectore gemitum emittens, ac magno cum animi dolore exclamans: « O immanem, inquit, caecitatem! Si pro mortalis Imperatoris forma et effigie gravissimas poenas irrogandas esse dixistis, quas tandem poenas eum subiturum esse putatis, qui Filii Dei ac Matris ipsius effigiem conculcarit, ignique tradere minime dubitarit? »

§ **35**. Vix haec dixerat, cum subito nummum eum pedibus protrivit. Cum autem ii, qui adstabant, ferarum ritu accurrissent, ut sanctum virum praecipitem in mare dejicerent (audax enim et praeceps est assentatio, ac dum obsequiis aliquem nimium demereri studet, mediocritatis omnis fines excedit), Imperator lenitatem simulans, quo iracundiae haudquaquam obnoxius esse videretur, qui eam ingentem atque arcanam in animo insidentem habebat, in praesens quidem eos prohibet, atque ab hujusmodi conatu abducit; caeterum sanctum virum collo alligari ac manibus a tergo vinciri jussum, ad publicum praetorii carcerem amandat: ut videlicet ob protritam Imperatoris effigiem poenas a lege constitutas lueret. Haec nimirum lenis ille ac facilis, cunctosque injuriarum oblivione superans. Nam qui Christi imaginem proculcaverant, atque in ignem conjecerant, hi suae imaginis vindices sedebant, atque ultricem hujusce facinoris legem proferebant. Ecquis autem eorum amentiam satis rideat, immo potius eorum vecordiam ac caecitatem satis deplorare queat? At spiritu divino majorem in modum afflatus Stephanus, simul atque vel ipsum carceris limen attigit, pectore incalescens, atque ab eo, quo praeditus erat, perspicaci spiritu concitatus, dierum suorum metam in lingua sua locutus est, his verbis utens: « Haec est

praesentis vitae meae requies. Hic enim saltem usque ad extremum spiritum mihi habitare necesse est; quoniam pro imaginis Christi honore hanc sedem elegi. » In interiori autem carcere conclusus, eximiae virtutis monachos trecentos quadraginta duos ex variis locis collectos, atque eodem carcere condemnatos, invenit, qui partim nares, partim aures exectas habebant, partim evulsos oculos, partim amputatas manus, ob id videlicet, quod pro venerandarum Imaginum pictura et erectione lucubrationes edidissent. Ac quidem alii plagarum notas adhuc circumferebant: alii praeclaras genas pice illitas atque ambustas habebant; alii caput ad risum ac ludibrium abrasum. Quorum varios istos ac multiplices cruciatus sanctus Stephanus cernens, patientiae nomine beatos eos praedicabat; ac contra lacrymis dignum sese judicabat, ut qui in earumdem plagarum partem cum illis minime venisset, nec pro Christi imagine membrorum exectionem ipse quoque pertulisset. At divini illi Patres, ut primum sanctum virum conspexerunt, ad eum tamquam ad magistrum et praeceptorem accesserunt, ut ab eo salutis praeceptis erudirentur.

§ **36**. Itaque ex Praetorio monasterium factum est: quippe cum illic omnis monasticae vitae forma ac regula ad unguem observaretur. Ii autem, quibus carceris custodia mandata erat, quique sancti viri famam jampridem audierant, tum demum animi quoque ipsius statum, ab ea tranquillitate, quae in ipsius moribus elucebat, quantum fieri poterat, conjectantes, ad eum tamquam ad Dei Angelum animos convertebant, eique summam reverentiam, ac venerationem tribuebant: adeo ut quidam etiam eorum, remotis arbitris, eadem ad uxorem suam diceret, quae olim Manue ille: « *Morte moriemur, mulier, prae tyranni hujus furore* (*Jud.* XIII). Virum enim, perinde ac Deum, hodierna die vidi, hunc, inquam, in vincula conjectum monachum, quem Auxentianum vocant. » Sapiens autem illa mulier non frigide ac negligenter ad haec verba affecta, verum per concinnam atque prudentem ad virum interrogationem vitae sancti Patris rationem omnem perscrutata, clam in carcerem ingressa est, arreptisque venerandis ipsius pedibus, ab eo, ut pro se precaretur, ipsaque vicissim ei, quae opus essent, subministraret, postulabat. At divinitus inspiratus Stephanus preces quidem ei annuit et concessit; caeterum adduci non poterat, ut quicquam ab ea acciperet. Instabat tamen rursus illa, dicens: « Quidnam est, quamobrem tu exiguam fidei erga te meae promptitudinem tam obstinate rejicis? Quamquam enim ipsa id non mereor: at tuam tamen moderationem ac benignitatem ad indignos quoque indulgenter sese demittere compertum habeo. » Ille vero rursum id constanter recusabat, non quidem ob naturae contumaciam, aut ipsius indignitatem id officii a se repudiari dicens (ego enim, inquiebat, memet indignum, atque omnium mortalium postremum duco): sed quia ab eo prohiberetur,

qui cum haereticis quicquam commune habere vetuerat. Neque enim meminisse se cum Imaginum hostibus ullum unquam commercium habuisse, aut aliquid omnino ab eorum manibus accepisse. Haec ut illa audiit, humi sese provolvens, quid non dicebat, quid non faciebat, ut ostenderet quam ab haereticorum societate atque commercio semper abhorruisset? « Absit hoc a me, inquiebat, venerande Pater, ut Christi, aut Matris ipsius, aut ullius Sancti imaginem contempserim. Scio enim me a Patre nostro Germano didicisse, quas poenas daturi sint, qui eo audaciae proruperint. Caeterum fac, quaeso, ut nec vir meus, nec custodum quisquam resciscat, quo pietati tuae indicare cupio: atque ego reipsa dubitationem omnem tibi eximam. » Haec locuta, statim domum cucurrit, atque. apertâ arcâ, tres arcanas Imagines eduxit, unam Dei Genitricis, Filium seculis omnibus antiquiorem complectentis, duas alias Petri et Pauli Apostolorum. Quas ut, ipso inspectante, religiose adoravit, ipsi postea porrexit: « Accipe ista, inquiens: atque hinc tibi mei, hoc est mulieris peccatricis, memoria refricetur. » Ad hunc modum piis ipsius moribus comprobatis petitioni cedit; ac deinceps Sabbato ac Dominico die ad eum ipsa panis uncias sex, aquae non plus tribus poculis afferebat. Tantulum enim singulis hebdomadis ipsi cibi ac potus fuit totos undecim menses, quos in Praetorio transegit.

§ **37**. Quadam autem die una cum caeteris captivis sedente viro divino, de suppliciis illis, quae justis viris ab iniquis iniquissimi Imperatoris praefectis variis locis illata fuerant, sermo ortus est. Siquidem in medium progressus Antonius quidam e Creta oriundus, vir fortis, et qui fortibus certaminibus egregie defunctus fuerat: « Quonam modo, inquit, praeclara monachi Pauli certamina vobis ob oculos proponere queam? aut quonam pacto ea sine lacrymis commemorem? Princeps quidam Cypri praefectus erat, nomine Theophanes, cognomento Lardotyrus. Hic cum sanctum virum, ut in eum inquireret, accepisset, ad Heracliti praetorium eum duxit. Proposita autem erat humi Christi in cruce protensi imago, unaque item cruciatus instrumentum, quod catapultam vocant. Aitque ad eum Praefectus, scelesta, inquam, illa lingua, atque iniquitatem in excelsum loquens: Unus e duobus tibi Paule proponitur: nimirum ut aut calcata imagine vitam obtineas, aut ut hoc tormenti genere discrucieris. Hoc autem dicens, puerorum larvis leonem perterrefacere velle videbatur. Statim enim generosus ille vir magna voce exclamans: Absit a me, inquit, Domine Jesu Christe, Unigenite fili Dei, ut theandricam hanc imaginem pedibus teram. Atque haec locutus, statim humi se curvans, osculum ei fixit, reipsa planum faciens, quam nihil judicis minas moraretur. Ille itaque confestim iracundiâ totus aestuans, nudari sanctum virum, atque in catapulta extendi jubet: ubi cum tortores duabus tabulis ipsum firmissime compressissent

c ferreis pectinibus totum ipsius corpus exarassent, prono ca-ite suspenderunt. Ac deinde non exiguo igne infra eum accenso, ta demum holocaustum Deo gratum ipsum effecerunt. »

§ **38**. Haec eo commemorante, Patribusque lacrymis madenti-us, Theosterictus quidam, vir senex ac sacerdotii dignitate orna-us, qui ex pio illo monasterio erat, quod Peleceta nuncupatur, tque et nasum abscissum, et genas ferventi pice ac bitumine llitas, miserumque in modum ambustas habebat (hos enim cru-iatus pietatis causâ pertulerat), prodiens ipse quoque in medium, uperioribus sermonibus haec adjecit: « Impossibile est, impos-ibile inquam, est, ut vel hic ipse antistes noster siccis oculis ista ommemoret. Quanam enim oratione quispiam illius, qui tum siam cum imperio obtinebat, furorem complecti possit? Cui achanodracon quidem cognomentum erat, verum ipsius fel atque racundia draconis quoque virus amaritudine superabat. » Ad uem beatus Stephanus: « Narra, quaeso, Pater, nihil omittens orum, quae tum contigerunt, verum omnia oratione prosequens. tenim hujusmodi exempla, tum animi promptitudine, tum ro-ore impleti, ad eumdem zelum praeparamur: siquidem voluntas)ei hoc tulerit, ut pro divina ipsius imagine nos quoque certamen ubeamus. » Tum igitur Theosterictus inchoatum sermonem ad unc modum prosequitur. « Cum incruentum sacrificium in mo-asterio nostro celebraretur (erat autem vespera sanctae ac ma-nae quintae feriae, in qua Christus Judaeis tradendus erat), hic raconis nomen habens, tyranni jussu cum magna militum manu n monasterium impetum facit. Ac mysticum quidem sacrum vertit, mysticis videlicet hymnis protinus silentio compressis; ectissimos autem monachos duodequadraginta vinculis ferreis dstrinxit. Reliquos vero partim verberibus crudelem in modum aceravit, partim eorum barbam pice illitam exussit, naribus prius mputatis. Quorum numerum ipse quoque augeo, quemadmodum aciei meae notae certissime testantur. Quibus impius ille non-lum expletus, universum monasterium postea inflammavit, ipsas uoque ecclesias una cum reliquis aedificiis còncremans. Mox utem praedictos duodequadraginta Patres ad extremos Ephesi ines relegavit: ubi cum eos in veteris balnei fornice conclusis-et, ac deinde aditum obstruxisset, ad hunc modum eos e vita nigrare coëgit. »

§ **39**. Cum usqueadeo tristes tragoediae narrarentur, atque mnes in gemitus et lacrymas prorumperent, rogatus a Patribus tephanus, ut ad mitigandum eorum moerorem orationem aliquam aberet, intimo corde ingemiscens: « Gratias, inquit, Deo agere ar est, Fratres ac Patres, gratias, inquam, ei agere de omnibus ebus, quae praeter voluntatem accidunt. Etenim gratiarum actio um patientia conjuncta coronas nobis nectere consuevit. Quo-irca etiamsi igne, aut gladio, aut maris profundo, aut praecipitio,

aut alio quodam mortis genere nos mulctent, qui impietatis scelere sese devinxerunt, prompto atque alacri animo cuncta perferamus. Habemus enim velut exemplar quoddam, in quod intueamur, claros illos Patres, qui ante nos extiterunt, ac per martyrium Deo vitam consecrarunt, nimirum sanctum illum Petrum Blachernis in vincula conjectum, qui cum, spectante Imperatore, pro Christi imagine nervis atrocissime concideretur, nullum ignavi ac timidi animi specimen in eo cruciatu edidit, verum acerbioribus eum verborum plagis laceravit, Julianum alterum et apostatam appellans. Atque ita in his tormentis, gratias Deo agens, animam exhalavit. Habemus item Joannem Monagriae Praefectum, quem tyrannus, cum eo nullo omnino terrore afficere potuisset, neque adducere, ut Christi Matrisque ipsius imaginem pedibus protereret, sacco inclusit, gravique ipsi saxo appenso in profundum mare dejecit. Sed quis tandem est, qui ea omnia facinora enumerando recensere possit, quae per omnes tyranni provincias Praetores, qui eum crudelitate superabant, adversus sanctos viros designarunt? Immo vero quis est, qui sanctorum adversus eos contentionem, atque ad extremum usque spiritum patientiam ullo sermone referre queat? Quorum si nos exemplum sequamur, beati profecto erimus, ut qui exiguis laboribus amplissimas opes nobis ipsis aggeramus. *Neque enim condignae sunt passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII). » Haec et alia his plura, ad excitandos et acuendos eorum animos, qui una cum eo vincti tenebantur, accommodata, cum dixisset, orationi suae finem imposuit.

§ **40**. Non multi dies intercesserant, cum ipse suam a terra ad Deum migrationem animae oculo prospiciens, quadragesimo ante mortem suam die praeclaram illam mulierem, illam inquam hospitalitatis laude florentem, ac novam Isdandulam, atque eorum, qui in vinculis erant, ministram accersit, ad eamque his verbis utitur: « Tuae erga me hospitalitatis fructum velim tibi cum foenore Christus rependat. Belle enim mihi, atque ut ipsi gratum est, ministrasti, ac me recreasti. Deinceps autem ad quadraginta usque dies prorsus mecum ipse versari, ac memet excutere cupio. Peto igitur abs te, ut panem eum et aquam, quae ad me afferre consueveras, per hos dies ne afferas. » Ut autem eo nomine moerentem eam vidit, atque hujusce rei causam scire cupientem: « Novi, inquit, mihi vitae finem imminere. Ac propterea monasticae exercitationis rigorem etiam atque etiam intendere gestio. » Cessit, his auditis, hospitalis illa, ac praestanti fide mulier. Per omnes itaque noctes et dies non desinebat vir sanctus Patres eos, quos carceris socios habebat, monere, docere, salutaribus praeceptis erudire, atque id efficere, ut toto pene nocturno tempore in canendis Dei laudibus versarentur: adeo ut cives etiam nonnulli, qui sanctioris vitae studium colebant, vilibus pannis

obvoluti clam ad eum ingrederentur, atque ipsius benedictione atque doctrina, non sine magna animi voluptate fruerentur. In his igitur muneribus cum quadraginta illi dies absumerentur, ac jam octavus et trigesimus inchoaret, hospitalem illam mulierem rursum accersitam, audientibus Patribus, ita alloquitur: « Deus, qui se piis omnibus laborum fructus centuplicato redditurum promisit, benigno oculo te ex alto et sancto suo adspiciat, ac pro tuo in me officio longe copiosiorem tibi mercedem referat. Ipsius enim vere discipula extitisti, qui dixit: *Quicquid fecistis uni ex minimis his meis, mihi fecistis* (*Matth.* xxv); et, *Qui recipit justum in nomine justi, mercedem justi accipiet;* et, *Qui potum dat calicem aquae frigidae, non perdet mercedem suam* (*Matth.* x). En itaque tuae erga me voluntatis merces expleta est, quam tu ejusmodi a Deo habitura es, ut ea tibi nunquam eripi possit. » Ac postea, sacris imaginibus ostensis: « Accipe, inquit, praeclarum hoc tuum depositum, quod quidem tibi et in praesenti hac vita adversus omne malum praesidii loco sit, et in futura tuae erga Deum benevolentiae, atque orthodoxae fidei pignus. » Haec ubi dixit, alte rursus ex imo pectore ingemiscens, aperte hoc extulit: « Crastina luce ex hac vita migrans, ad alium mundum atque Imperatorem proficiscar. » Ipsa igitur, cum amarum quemdam et acerbum gemitum edidisset, extremamque ei salutem dixisset, receptasque eas, quas utendas dederat, Imagines linteo quodam obvolvisset, domum postea se recepit. At divinitus afflatus Stephanus, convocatis rursum Patribus, eos in divinis laudibus concinendis pernoctare jubebat.

§ **41**. Porro autem ille Deo prorsus invisus tyrannus, praeter alia, quae Deo odio atque execrationi erant, facinora, ne Brumaliorum quidem caeremoniam contemnebat, verum eam quoque splendide ac luculenter celebrabat, ut qui Brumum quemdam ac Bacchum in his Gentilium ritu colere in animum induxisset, eosque ut frugum ac vinì curam gerentes, atque ad maturitatem ea perducentes, summis honoribus afficeret. Parabat itaque tertiae quoque uxoris suae Eudociae Brumalium postridie juxta quinti elementi circumductionem celebrare. Progressus autem, atque ad scholarum portibus sedens, una cum symmistis * suis Satanicas quasdam cum organis ac citharis cantiones, adventanti festo congruentes, addiscebat. Hic igitur ab impiis quibusdam viris ad eum delatum est, Stephanum ex Praetorio monasterium effecisse, eumque totas noctes illic in cantillandis Psalmis traducere: ac praeterea complures cives illuc proficiscentes, idolorum cultum ab eo edoceri. Haec ille ut audiit, graviore irâ inflammatus, statim militi cuidam, qui in Proximi ordine adscriptus erat, hoc imperat, ut sanctum virum e carcere eductum extra urbem obtruncet, illic nempe ubi prius eximiae martyris Maurae templum

* *Symmistes* idem est ac sacrorum eorumdem particeps ejusdem religionis cultor.

situm erat: post autem locus ille carnificina factus est, templo scilicet illo a tyranno funditus everso, et solo adaequato, ac Maura nuncupato. Quo etiam in loco foedera cum daemonibus occulte sanciebat: tametsi non ad extremum usque scelus hoc ipsius obscurum fuerit. Prodidit enim id, quod clam ab eo perpetrabatur, Suphlamii filius, ipsis sacrificii loco dono datus: de quo nunc consulto sermonem silentio comprimemus.

§ 42. Cum igitur sanctum virum morti addixisset *, confestim edictum hujusmodi per totam urbem promulgavit: « Quisquis amicum, aut affinem, aut omnino genere conjunctum habere, eumque occultare, aut etiam pullam vestem ferre deprehensus fuerit, hic post varia tormentorum genera exsilio mulctabitur. » Cernere igitur erat urbem gravissima calamitate laborantem. Neque enim inimici dumtaxat inimicos apud Imperatorem facillime accusabant, sed etiam amici amicos, et fratres fratres, et servi dominos: atque, ut brevi complectar, in graviore luctu ac planctu tota urbs versabatur, quam cum Julianus et Valens imperii Romani clavum tenerent. At vero carnifex ille, qui missus fuerat, sancto viro a Praetorio assumpto, colloque ipsius ac manibus ligno alligatis, ad caedem properabat. Eo autem die tyrannus e Palatio progressus in Milii porticu stabat: ubi prius sex illa oecumenica Concilia depicta erant, post autem crudelis Imperatoris jussu inductu albario opere deleta fuerant, atque eorum loco circus ille, quem amabat, ac plurimi faciebat, atque auriga is, quem in deliciis habebat, atque Uraniacum, hoc est coelestem, cum ne terra quidem dignus esset, appellarat, picti cernebantur. In hoc igitur loco cum superbe staret, omnesque eum faustis ominibus prosequerentur: « Nulla mihi, inquit, requies est: ita Immemorandi isti exitium vitae meae afferunt. » Hic vero quidam ipsius factionis: « Et ubinam tandem ullus eorum delituit, aut vestigium ullum ipsorum in hac urbe tua, aut in ulla alia civitate vel regione occultatum est, cum omnes funditus deleti sint? En enim imperii quoque tui hostem, hoc est Auxentianum Stephanum, abduci hodie vidi, ut, quas meritus est, poenas subeat. » Tum Imperator: « Et quid jucundius Stephano accidere queat, quam ut gladio vitam finiat? Verum hujus desiderii minime compos futurus est. Multo enim graviore mortis genere mulctabitur. Nunc quippe Imperatrix non mediocriter adversum nos stomachabitur, si festum ipsius diem in caede conficiamus. » Quocirca novus hic Herodes, atque uxoris mancipium, reduci quamprimum eum in Praetorium jubet. Quod cum contigisset, rursus cum iis Patribus, qui in vinculis erant, Davidicos Psalmos canebat: *Qui habitat in adjutorio Altissimi* (*Ps.* 90), et quae deinceps sequuntur.

§ 43. Tyrannus autem cum vesperam totam in tibiarum et cithararum cantu transegisset, postridie instructa splendidissima

* Anno, ut superius dictum est, 766 circiter.

coena, cum iis, qui suae factionis erant, epulabatur. Cumque duos quosdam Fratres, tum dignitate claros, tum corporis simul atque animi pulcritudine florentes (quos postea invidiae oestro percitus interfecit) seorsum accivisset: « Ite ad Praetorium, inquit, ac meo nomine ad Auxentianum Stephanum haec dicite: Vides quanta tui curâ afficiar, ut qui tibi ex ipsis mortis faucibus erepto vitam concesserim. Quocirca tandem aliquando animum inflectens, voluntati meae obsequere. Non quidem me fugit, quin homo contumax et durus, ad contumelias potius nobis inferendas prorupturus sit. Vos vero, si sermonum illecebris ipsius animum inflectere potueritis, rem gratam mihi feceritis, ac ministerium istud vestrum comprobabo. Sin istud ei persuaderi nequeat, tamdiu eum a vobis et a fronte et a tergo verberari volo, quoad misere animam efflaverit. » Igitur praeclari illi duo Fratres, postquam ad Praetorium venerunt, furiosam quidem illam tyranni sententiam sancto viro exponunt, verum nullo eum malo prorsus affecerunt: quin potius, ubi eum sermonibus ad cohortandum accommodatis confirmassent, ab eoque benedictionem accepissent, ad reditum se accinxerunt. Quae autem ad Imperatorem dixerunt, hujusmodi fuere: « Imperator, miserum illum in pristina sententia perstantem, tuumque imperium infaustis ominibus prosequentem offendimus. Ac proinde tot plagis eum proscidimus, ut pene spiritus omnis expers jaceat, nec certum sit, an crastino die inter vivos futurus sit. » Qua quidem ex re cum mirificam laetitiam ferinus ille concepisset, atque ingentem risum effudisset, luxui, quo nihil ipsi carius erat, operam dare postea pergebat, ut qui ventris, et eorum quae ventre inferiora sunt, servus esset.

§ **44**. At vero sanctissimus Stephanus sub auroram ad se coacto monachorum agmine, postremum hunc ad eos sermonem habuit. « Valete, Patres ac Fratres, valete; atque in orthodoxa fide constantissime perseverate; ac pro mea tenuitate preces quaeso fundite. En enim jam jamque adest mortis meae tempus, ac pro foribus jam corona est. Quamobrem vereor ne caliginosa daemonum multitudo propter ignorantiarum mearum multitudinem mihi impedimentum sit. » Ob quae cum omnes amnis cujusdam in modum lacrymas profunderent, tolli sibi sacram epomidem, ac deinde analabum cum loro jussit. Cum autem cucullam quoque abjicere pararet, ne id faceret, Patres prohibebant, negantes convenire ut sine pretioso hoc indumenti genere dierum suorum finem videret. Ad quos divinitus afflatus ille vir, « Athletam, inquit, nudum luctari decet. Ac praeterea ne aequum quidem est pretiosam hanc rem a furente populo contumeliâ affici, ac profanis pedibus proculcari. » Haec cum locutus esset, omnes ei morem gesserunt. Itaque cucullam quoque exuit; ac cum pelliceo dumtaxat pallio una cum monachis sedebat, de his rebus, quae ad salutem pertinebant, sermonem ad eos habens. Verumenimvero

fieri omnino non poterat, ut quae in carcere acta fuerant, et quo pacto duo illi pii Fratres admodum benigne atque indulgenter cum sancto Stephano egissent, tyrannus ignoraret. Quare cum de his omnibus a daemone aliquo, ut vero consentaneum est, certior factus fuisset, hora diei secunda e somno experrectus, leoninum quiddam rugiens, atque ad aulae vestibulum festinanter proficiscens: « O vim mihi illatam! exclamavit. O insignem mei contemptum! Nemo est qui mihi opituletur: nemo qui subsidium ferat. Quid mihi cum Tenebricosis et Immemorandis istis? » Sic enim ipsi usitatum ac familiare erat monachos appellare. Cum autem ii, qui voluptatibus ac deliciis dediti erant, ultro ad intemperantem illam mensam currerent, perturbatissimo animo ipsis occurrens, magno cum clamore quaerebat: « Quo pergitis, et quem quaeritis? » His autem respondentibus: « Ad te benignum nostrum dominum imus: » tum ille altiore voce: « Non sum, inquit, dominus vester, non sum Imperator. Alius dominus vester est, alius Imperator: ad cujus pedes vos ipsos provolvitis, contactisque ipsius vestigiis ab eo vota precesque supplices petitis. Nemo in me obsequiosus est, ut illo de medio sublato animum meum reficiat ac recreet. » His vero animi anxietate laborantibus, ac quisnam ille esset sciscitantibus, quisque ille quem ipsi ei anteferrent, aut quemnam alium Imperatorem agnoscerent: tum ipse contra, « Stephanus Auxentianus est, » inquit.

§ 45. Nondum integrum nomen in eorum aures influxerat, cum subito impetus quidam, et clamor promiscuus et vox quaedam incondita personabat: omnibus, ut erant, ad Praetorium currentibus. Mox truculentorum leonum instar in carcerem insilientes; « Date nobis (custodibus inquiunt) Auxentianum Stephanum. » At ille constanti atque intrepido animo, velut in hoc ipsum paratus, ad eos decoro gestu ac vultu ab omni perturbatione libero egreditur, et quemadmodum olim Christus Judaeis, ipsius caedem anhelantibus; « Ego sum quem quaeritis, » inquit. Illi autem illico eum arripiunt, atque in terram allìdunt, ferreisque vinculis, quibus ipsius pedes adstringebantur, ab eo extractis, ad publicam viam raptim eum educunt, calcibus in eum insilientes, saxis impetentes, fustibus ferientes, nullum denique supplicii contumeliaeque genus omittentes. Cum autem per primam Praetorii portam non tam duceretur quam raptaretur, ac jam in templi Theodori martyris vestibulo esset, manibus humi fixis, ac sublato aliquantum capite ultimum adorationis munus martyri persolvebat. Etenim ne in tanta quidem calamitate pietatis amorem ex animo suo ejecerat. Quem ex sanguinariis hominibus quidam Philommatius nomine, conspicatus, praecipiti quodam furore pèrcitus, « Videsne, exclamavit, Immemorandus iste tamquam martyr mori cupit. » Atque hoc sermone habito, ad siphones, qui illic erant, quique ob ea incendia, quae interdum

oboriuntur, adhiberi solent, excurrit, avulsumque ab iis haud parvum lignum trahit, ac sanctum virum, quam vehementissime potest, in cerebri membrana ferit, sicque protinus interemptum, martyrem quidem illum profecto, seipsum autem, quod omnium gravissimum scelus est, Martyris carnificem reddit.

§ 46. Ac ne sic quidem tamen furibundum illud vulgus animorum impetum remisit: verum per publicam viam adhuc eum raptabat. Et quidnam tandem ex sacrosanctis illis Stephani membris coronae expers relictum est? Nam et manus ac pedes ad saxa offendentes conterebantur, et digiti una cum unguibus avellebantur, atque in terram spargebantur, et venter disrumpebatur, atque intestina omnia profluebant. Siquidem e scelestis illis hominibus unus gravissimum lapidem utraque manu acceptum in ipsius ventrem injecit: unde confestim, abdita omnis viscerum compages aquae ritu in terram effusa est. Nam et mortuo Stephano per summum furorem insultabant, nec contumeliis in eum debacchari cessabant, circumdantes eum tamquam canes multi, atque omni modo raptantes ac discerpentes, saxisque per totam viam incessentes, non viri dumtaxat, sed etiam mulieres. Quin ne puerilem quidem aetatem sanguinarii hujus impetus expertem reliquerunt. Nam ipsi quoque, litterario ludo relicto (sic enim Imperator jusserat), lapides manibus gestabant, iisque Stephanum insectabantur. Ac quisquis in eum, dum raptaretur, incidens, lapidem non jecisset, poenas luebat, atque Imperatoris hostis censebatur. Quin etiam cum ad Bovis locum Martyrem raptantes pervenissent, caupo quidam pisces coquens, ut eum raptari vidit, vitae usurâ adhuc eum frui arbitratus, assumpto flagrante titione, in calvaria ipsum ferit, ac repente perfracto occipitio cerebrum effluere coepit. Theodorus autem quidam vir pius, a tergo sequens, illudque e capite fluere videns, simulato lapsu sustulit, ac linteo furtim impositum in sinu abscondit. Atque ita deinde ad spectaculum rursus properabat, nimirum cernere cupiens, quonam tandem sedato furore reliquias martyris projicerent. At vero sanguinaria illa turba sanctum virum raptans, cum ad Monocionis monasterium accessisset, in animo habebat beati viri sororem (illic enim divinum vitae genus colebat) per vim ejicere, eoque ipsam adigere, ut fraternum corpus tot certaminibus defunctum saxis peteret. Verum illa hoc praenoscens, atque in obscurum quoddam sepulcrum sese abdens, hujusmodi facinus effugit. Illi igitur spe hac sua dejecti, rursus martyris cadaver trahentes, in Ethnicorum reorum foveam projiciunt (ubi prius quidem sancti Pelagii martyris templum erat, verum postea vetustate labefactatum impius Imperator everterat, atque in sepulcra redegerat, ac Pelagii sepulcretum nuncuparat) adeo ut tunc quoque locum illud haberet, *Cum iniquis vir justus deputatus est (Luc. XXII)*. Postmodum laeti redeuntes, qui latronum saevitiam crudelitatis suae

immanitate superaverant, laetum tyrannum adeunt, velut daemonis cujusdam intemperiis divexati, qui sceleratissime in ipso pugnaverant. Quos quidem lubenti animo susceptos ad mensam suam eduliorum copia onustam adhibuit. Cumque illi aerumnosissimam Martyris mortem referrent, audiens ille magnopere ridebat ac laetitiâ diffundebatur, hominis, ne quid amplius dicam, cruciatus et calamitates in voluptatis materiam trahens. Atque haec quidem ad hunc modum se habuerunt.

HISTORIA S. SATURNINI

PRIMI EPISCOPI TOLOSANI ET MARTYRIS

DOCTE ET GRAVITER SCRIPTA.

EXTAT IN PERVETUSTIS MSS. CODIC. CONSENTIUNT ANTIQUISS. MARTYROL. *

Passus est sec. III — Probab. Romanus.

§ 1. Sanctorum beatissimorumque martyrum passiones *debito* obsequio veneramur, quos procul a sedibus nostris non tantum remotarum immensitate terrarum, verumetiam marinorum quoque fluctuum interpositione secretos, famae deferentis officio et audimus, et credimus felici martyrio consecratos: atque illos dies, quibus in Dominici nominis confessione luctantes, beatoque obitu regnis coelestibus renascentes, in ejus Domini laudem, cujus in decertatione viribus adjuvantur, et post victoriam munere coronantur, vigiliis, hymnis, ac sacramentis etiam solemnibus honoramus, ut eorum patrocinia atque suffragia in conspectu Domini orando et honorando mereamur. Specialius vero sanctum istum diem solemniter venerari debemus, et gaudiis excolere, in quo vir beatus Saturninus, et Episcopus Tolosanae civitatis et martyr, in eadem civitate geminatam coronam, Deo teste, promeruit, et de sacerdotii dignitate, et de honore martyrii: ut quem jam venerabilem vita fecerat, etiam passio interius consecraret.

§ 2. Tempore illo, quo post corporeum Domini et Salvatoris adventum, exortus in tenebris sol ipse justitiae, splendore fidei illuminare occidentalem plagam coeperat, quia sensim et gradatim in omnem terram sonus Evangeliorum exivit, parique processu in regionibus nostris Apostolorum praedicatio coruscavit:

* S. Saturnini Ep. et Mart. Acta a S. Gregorio Turon. citantur in *Hist.* lib. 1, et alibi. Ante ipsum Sidonius Apollinaris cecinit ejusdem martyrium carmine sapphico. Venantius Fortunatus insuper de ejus agone atque miraculis carmen scripsit. Acta haec, porro, a Ruinartio inter Martyrum sincera et selecta edita sunt.

cum rarae in aliquibus civitatibus ecclesiae paucorum Christianorum devotione consurgerent, et crebra miserabili errore gentilium nidoribus foetidis in omnibus locis templa fumarent: ante annos satis plurimos id est, Decio et Grato consulibus *, sicut fideli recordatione retinetur, primum et summum Christi Tolosa ** civitas sanctum Saturninum habere coepit sacerdotem. Cujus fide atque virtute eorum, qui in urbe eadem colebantur, coeperunt daemonum vaticinia cessare, commenta nudari, artes detegi, et omnis illorum apud Gentiles potentia, omnisque fallacia, Christianorum fide crescente, decrescere. Cumque supradicto Episcopo ad ecclesiam id temporis parvulam juxta Capitolium ***, quod inter domum suam et domum Dei erat medium, frequens itus esset ac reditus, sancti viri praesentiam sustinere fallax daemonum turba non potuit: et ut erant muta simulacra, nullis adumbrata phantasiis, ad sacrilega obsequia, et sollicita consulentium vota coeperunt in silentio permanere.

§ 3. Cuncti itaque sacrilegae superstitiones antistites, tanta rei novitate permoti, inter se invicem quaerere, unde numinibus suis venisset tanta temporis inusitata taciturnitas, quisnam ita garrula ora clausisset, ut nec invocantium precibus excitata, nec fuso cruore taurorum et tantis hostiis delinita aliquod consulentibus afferrent responsum. Audiunt a quodam nostrae religionis inimico, novam nescio quam surrexisse sectam, superstitioni gentilitatis inimicam, quae Christiana appellaretur, et in deorum suorum excidium niteretur. Hujus etiam fidei esse Saturninum Episcopum, cujus crebro juxta Capitolium transitu, a conspectu viri ejus exterrita deorum suorum ora siluisse, nec facile posse reserari, nisi Episcopum illum mors maturata subtraheret. O ter infelix error, et caeca dementia! Audiunt diis suis hominem esse terrori; et a delubris atque a sedibus suis daemones ad transitum ipsius exsulare, non solum audiunt, sed etiam intelligunt. Et hunc virum, adoratis sibi idolis etiam sine praemissa interminatione terribilem, interficere potius quam honorare definiunt miseri, non considerantes, quod nullum magis, quam illum colere deberent, cujus servi suis numinibus imperarent. Quid enim stultius, quam timere metuentes, et illum, qui dominatur dominantibus, non timere?

§ 4. Inter haec ergo conquirentium et stupentium studia, cum paulatim magna fuisset multitudo hominum congregata, et omnes studiosius vellent, parato ad victimam tauro, certi aliquid de his, quae dicebantur, agnoscere, et deos suos litatione tam ingentis hostiae vel reducere cuperent, vel propitiare: ecce ipsum Saturninum, ad officium solemne venientem unus ex illa malignantium

* Probabiliter, anno 250.
** Tolosa, Galliae civitas, multis titulis clara, in metropolim a Joanne Pp. XXII erecta fuit.
*** Idest, Tolosae Capitolium. In praecipuis enim imperii civitatibus capitolia fuisse certum est.

turba eminus agnoscit, et dicit: « En ipsum adversarium cultibus nostrae religionis signiferum, qui destruenda praedicat templa, qui deos nostros daemonum appellatione condemnat; cujus postremo praesentia consueta nos prohibet obtinere responsa. Itaque quia ipsum nobis opportuno in tempore debitus ipsi finis exhibet, nostram pariter deorumque nostrorum vindicemus injuriam, quos jam nunc, compellentibus nobis, aut sacrificando placet, aut moriendo laetificet. » Ad quem sacrilegae vocis impulsum, omnis sanctum virum insanientium turba circumdat, ac presbytero uno ac duobus diaconibus, qui obsequiis ejus adhaeserant, per fugam lapsis, ad Capitolium solus attrahitur; et cum immolare daemonibus cogeretur, clara voce testatur: « Unum et verum Deum novi; huic laudis hostias immolo; deos vero vestros daemones esse scio: quos incassum non tam hostiis pecudum, quam animarum vestrarum mortibus honoratis. Quomodo autem vultis, ut ego eos timeam, a quibus, ut audio, dicitis me timeri? »

§ 5. Ad hanc vocem sancti Episcopi, omnis ille sacrilegae multitudinis tumultus incanduit, tauroque illo, qui fuerat victimae praeparatus, fune lateribus circumacto, et post terga dimisso, ad ministerium suae crudelitatis utuntur. Postrema enim parte funis ejus, qui ad posteriora tauri ipsius defluebat, sancti viri pedes alligabant, actumque stimulis acribus taurum, de superiori Capitolii parte in plana praecipitant. Nec mora: inter primos descensus ipsius gradus capite colliso, cerebroque excusso, et corpore omni membrorum parte lacerato, dignam Deo animam Christus excepit: ut quam pro nomine suo fideliter dimicantem suppliciis furor gentilis extorserat, suis post victoriam laureis coronaret *. Exanime tamen corpus neque obnoxium jam ullius injuriae, usque ad eum locum, tauro furente, perductum est, ubi fune disrupto, tumultuariam eo tempore meruit sepulturam. Nam paucis id temporis Christianis, ipsisque propter furorem gentilium sancti viri corpus humare metuentibus, duae tantum mulierculae, sexus infirmitatem fidei virtute vincentes, et viris omnibus fortiores, et sui sacerdotis exemplo, credo, ad tolerantiam passionis animatae, beati viri corpus ligneo feretro immissum, quam maxime in profundo loco actis satis scrobibus condiderunt: ut venerandas sanctasque reliquias non tam sepelire, quam abscondere viderentur: ne forte sacrilegae mentis homines, si aliquid conditi corporis tumulo viderent honoris adhiberi, effossum statim corpus in frusta dispergerent, et eriperent etiam ipsam tenuem sepulturam.

§ 6. Mansit vero aliquandiu sub vili caespite, omnibus quidem inhonorum, sed honoratum a Deo martyris corpus: donec sanctus Hilarius **, post multum tempus in Tolosa urbe episcopus ordinatus est: Qui de antecessoris sui et obitu instructus, et merito,

* Circa annum 256.
** Tertius Tolosae Praesul; sed nihil de ejus aetate certum habemus.

effossa usque ad ipsum sepulcrum ligneum terra, sanctas veritus commovere reliquias, transvolutionem desuper multo labore diligenter extruxit: basilicam etiam parvulam vilibus tignis ad locum tantum orationis adjecit. Procedente dehinc tempore, cum multorum ad basilicam ipsam fideliter a seculo recedentium, pro solatio propter corpus martyris gratia quiescendi deferrentur exequiae, et locus omnis tumulatorum corporum multitudine fuisset impletus: sanctus episcopus Silvius *, Episcopatum supradictae urbis indeptus, pulcram et speciosam basilicam magnis sumptibus venerandis et transferendis illuc martyris reliquiis parans, ante consummationem coepti operis recessit e seculo. Post cujus obitum sanctus Exuperius ** in summum sacerdotium cooptatur, vir absque ullius praecessorum injuria, absque ullius, qui id temporis Ecclesias regere videbantur, invidia, non solum nulli secundus, verum etiam ipsi beato martyri virtutum meritis comparandus, basilicam, quam decessor suus fideliter inchoaverat, instantissime consummavit, et feliciter dedicavit. Qui cum transferre illuc sancti martyris reliquias, non pro sua incredulitate, sed pro ipsius honore dubitaret, admonitus per quietem est, ne infideliter negligeret, quod fideliter credidisset; nullam fieri vel diminutione cinerum, vel commotione membrorum spiritibus injuriam: quia manifesta res esset credentibus, hoc martyribus proficere ad honorem, quod profuisset credentibus ad salutem. Statimque tali visione firmatus, religiosis Imperatoribus precem detulit, ac sine mora ulla quod tam pie poposcerat impetravit: ut translatas ad basilicam omni studio praeparatam sancti viri reliquias, non tam temeraria violaret audacia, quam ambitiosius venerantis colerent obsequia.

§ 7. Quod nunc huic opusculo superest, omnes legentes, omnes intelligant audientes, causam salutis nostrae in fide stare, neque sine causa Deum Evangelica voce dixisse: *Credis hoc?* Cui cum responsum fuisset, *Credo*; ait: *Fiat tibi secundum fidem tuam (Joan.* III). Non quod Dominus scrutator cordis et renum, de illius credulitate nesciret: sed ut de his, quae de Dominicis virtutibus dicerentur, aut in his, quae nobis tribui posceremus, non debere nos dubie credere commoneret. Unde quia et ipse Salvator de talibus viris dixit: *Si feceritis voluntatem meam, jam non dicam vos servos, sed amicos (Joan.* XV); et idem sub prophetali voce testatus est: *Mihi autem nimis honorati sunt amici tui Deus* (*Ps.* 138); et iterum: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione magna, qui laverunt stolas suas in sanguine Agni, qui sequuntur Agnum (Apoc.* VII); de quorum beatitudine dictum est: *Plantasti in domo Domini, in atriis domus Dei nostri florebunt*: et iterum: *Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus*: et iterum: *Exultabunt sancti in gloria,*

* Sextus ejusdem urbis Antistes; at non magis quam S. Hilarius is nobis notus est.

** Hujus Exuperii laudes vide apud S. Hieronymum in Epist. ad Rusticum monachum et in altera ad Furiam. Eidem Innocentius Pp. I egregiam epistolam scripsit, quae multa ecclesiasticae disciplinae capita et sacrorum librorum canonem continet. (Videsis Ruinartium).

laetabuntur in cubilibus suis: Gloria haec est omnibus sanctis ejus (Psal. 91 etc.) quibus non solum credere in Christum, sed et pro Christo pati, ac statim post resolutionem corporum cum Christo esse donatum est. Amicos Dei ac dilectos Deo non negligamus ut mortuos, sed honoremus ut vivos: quia non dubia fide certum est, quod si eorum fideliter suffragia postulemus, fideliter patrocinia sentiemus. Quia etiamsi illorum studia cessarent, ille optata praepararet, qui cogitationum non solum praesentium inspector, verumetiam cognitor futurorum, dum rogantur sui, se intelligit honorari. Qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

PASSIO S. ANDREAE APOSTOLI

PER PRESBYTEROS ET DIACONOS ECCLESIARUM ACHAJAE SCRIPTA.

HABETUR APUD ALOYSIUM.

Passus est seculo I — Anno incerto.

§ 1. Passionem sancti Apostoli Andreae, quam oculis nostris vidimus, omnes presbyteri et diacones Ecclesiarum Achajae, scribimus universis Ecclesiis, quae sunt in Oriente, et Occidente, et Meridiano, et Septentrione, in Christi nomine constitutis: Pax vobis et universis, qui credunt unum Deum in Trinitate perfectum, verum Patrem ingenitum, verum Filium unigenitum, verum Spiritum Sanctum procedentem ex Patre, in Filio permanentem *, ut ostendatur unus Spiritus esse in Patre et Filio; et hoc esse unigenitum Filium, quod est et ille, qui genuit. Hanc fidem didicimus a sancto Andrea, Apostolo Domini nostri Jesu Christi; cujus passionem, quam coram positi vidimus, prout possumus, explicamus.

§ 2. Proconsul itaque Aegeas Patras civitatem ** ingressus, coepit compellere credentes Christo ad sacrificia idolorum. Cui occurrens S. Andreas, dixit: « Oportebat ut tu, qui judex esse hominum comprobaris, judicem tuum, qui est in coelo, cognosceres, et agnitum coleres, et colendo eum, qui verus Deus est ab his, qui veri dii non sunt, animum revocares. » Cui Aegeas dixit: « Tu es Andreas, qui destruis templa deorum, et suades hominibus superstitiosam illam sectam, quam nuper detectam Romani principes exterminari jusserunt? » Andreas dixit: « Romani principes nondum cognoverunt hoc, quod pro salute hominum veniens Dei Filius, docuerit ista idola non solum deos non esse, sed esse daemonia

* Graecismum hunc in locum irrepsisse, cum in antiquis MSS. exemplaribus haec verba non habeantur, ait Baronius in Martyrologio hac die.

** In Achaja. Archiepiscopali sede refulget. Eam, anno 1770, Turcae flammis delêre. Nun 6000 cives circiter eam incolunt.

pessima, et inimica humano generi; quae hoc docent homines, unde offendatur Deus, ut dum offensus fuerit, avertatur, et non exaudiat; et cum aversus fuerit, et non exaudierit, habeantur a diabolo ipsi captivi, et tamdiu eos deludat, quamdiu de corpore exeant rei et nudi, nihil secum praeter peccata portantes. »

§ 3. Aegeas dixit: « Ista superstitiosa et vana verba Jesus vester dum praedicaret, Judaei illum crucis patibulo affixerunt. » Andreas respondit: « O si velles scire mysterium Crucis, quam rationabili charitate auctor humani generis pro restauratione nostra hoc Crucis patibulum non invitus, sed sponte suscepit. » Aegeas dixit: « Cum traditus asseratur a suo discipulo, et a Judaeis tentus, et Praesidi adductus, et ad petitionem Judaeorum a militibus Praesidis crucifixus, quomodo tu dicis eum spontaneum Crucis subiisse patibulum? » Andreas respondit: « Ideo ego dico spontaneum, quoniam simul cum ipso fui, cum a suo discipulo traderetur; et antequam traderetur, dixit nobis, quod tradendus esset, et crucifigendus pro salute hominum; et die tertia resurrecturum se esse praedixit. Cui cum frater meus Petrus diceret: *Propitius esto tibi, Domine, non fiat istud;* indignatus, sic ait Petro: *Vade retro satana: quia non sapis ea quae sunt Dei* (*Matth.* XVI). Et ut plenius nos instrueret, quomodo sponte passionem susciperet, dicebat nobis: *Potestatem habeo ponendi animam meam, et potestatem habeo iterum sumendi eam* (*Joan.* X). Ad ultimum dum coenaret nobiscum, et diceret: *Unus vestrum me traditurus est* (*Matth.* XXVI); et ad istam vocem omnes contristaremur: ne suspensos cogitatio trucidaret, ait: *Cui dedero panis fragmentum de manu mea, ipse est* (*Joan.* XIII). Et cum dedisset uni ex condiscipulis nostris, et futura quasi jam praeterita narraret, docuit se voluntate fuisse traditum, cum nec traditorem fugiendo deseruit, et in loco, quo illum sciebat venturum esse, permansit. »

§ 4. Aegeas dixit: « Miror te prudentem virum, istum velle sectari, quem quoquo pacto, aut sponte, aut invitum, Cruci tamen confiteris affixum. » Andreas respondit: « Hoc est, quod etiam me dixisse jam retines. Magnum est mysterium Crucis. Quod si forte volueris audire, retexam. » Aegeas dixit: « Mysterium non potest dici, sed supplicium. » Andreas dixit: « Ipsum supplicium, mysterium restaurationis humanae, si patienter audias, comprobabis. » Aegeas dixit: « Ego quidem patienter te audiam: sed tu si me obtemperanter non audieris, ipsum Crucis mysterium in te ipso excipies. » Andreas respondit: « Ego si Crucis patibulum expavescerem, Crucis gloriam non praedicarem. » Aegeas dixit: « Insanus sermo tuus praedicat gloriam supplicii, qui per audaciam poenam non times mortis. » Andreas respondit: « Non per audaciam, sed per fidem, poenam non timeo mortis. Mors enim justorum, pretiosa est; mors vero peccatorum, pessima. Et ideo

audire te volo Crucis mysterium, ut agnitum forsitan credas, et credens ad restaurationem tuae animae quoque pertingas. » Aegeas dixit : « Restauratur hoc, quod periisse docetur. Nunquid anima mea periit, ut ad ejus me restaurationem venire per fidem, nescio quam, tu asseras ? »

§ 5. Andreas respondit : « Hoc est, quod te discere desiderabam, ut dum perditas animas hominum docuero, istam restaurationem earum per Crucis mysterium pandam. Primus enim homo per lignum praevaricationis mortem induxit, et necessarium hoc erat generi humano, ut per lignum passionis, mors, quae ingressa fuerat, pelleretur. Et quomodo de immaculata terra factus fuerat homo primus, qui per lignum praevaricationis mundo mortem intulerat : necessarium fuit ut de immaculata Virgine natus Christus perfectus homo, qui est Dei Filius, qui primum hominem fecerat, vitam aeternam, quam perdiderant omnes, repararet ; ac de ligno Crucis lignum concupiscentiae excluderet ; panderet in Cruce immaculatas manus pro manibus incontinenter extensis ; pro suavi cibo arboris vètitae, escam fellis acciperet ; et in se suscipiens mortalitatem nostram, suam nobis immortalitatem offerret. »

§ 6. Aegeas dixit : « Ista verba illis narrare debes, qui tibi credunt : mihi autem nisi hoc consentias, ut sacrificium diis omnipotentibus offeras, in ipsa cruce, quam laudas, te fustigatum affigi praecipiam. » Andreas respondit : « Omnipotenti Deo, qui unus et verus est, ego omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes, nec hircorum sanguinem ; sed immaculatum Agnum quotidie in altari Crucis sacrifico; cujus carnes posteaquam omnis populus credentium manducaverit, et ejus sanguinem biberit, Agnus, qui sacrificatus est, integer perseverat et vivus; et cum vere sacrificatus sit, et vere carnes ejus manducatae sint a populo, et vere sanguis ejus sit haustus, tamen (ut dixi) integer pèrmanet, et immaculatus, et vivus. » Aegeas dixit : « Quomodo potest hoc fieri ? » Andreas respondit : « Si vis discere, quomodo hoc potest fieri, assume formam discipuli, ut possis doceri, quod quaeris. » Aegeas dixit : « Ego a te tormentis exigam hujus rei notitiam. » Andreas dixit : « Miror te hominem prudentem tam stulte locutum. Ergo tu tormentis putas me divina tibi pandere sacrificia ? Audisti mysterium Crucis, audisti mysterium sacrificii. Si credideris Christum filium Dei, qui crucifixus est a Judaeis, verum Deum esse, pandam tibi quo ordine occisus vivat agnus : qui cum sacrificatus fuerit et comestus, integer tamen et immaculatus in suo regno pèrmanet. » Aegeas dixit : « Cum sit occisus, et ab omni populo (ut asseris) devoratus, quomodo integer perseverat, et vivus ? » Andreas respondit : « Si credideris ex toto corde tuo, discere poteris : si non credideris, penitus nunquam tu ad indaginem hujus veritatis attinges. »

§ 7. Tunc iratus Aegeas, jussit eum in carcerem retrudi. Ubi cum esset clausus, venit ad eum multitudo pene totius provinciae, ita ut Aegeam vellent occidere, et Andream Apostolum, fractis januis carceris, liberare. Quos S. Andreas his verbis admonuit: « Nolite quietem Domini nostri Jesu Christi in seditionem diabolicam excitare. Nam traditus Dominus omnem patientiam praebuit; non contendit, neque clamavit, nec in platèis aliquis eum clamantem audivit. Habete ergo silentium, quietem et pacem; et non solum meum martyrium nolite impedire, verumetiam vos ipsos quasi athletas Domini praeparate, ut vincatis minas intrepido animo: plagas autem per tolerantiam corporis superetis. Si enim terror timendus est, ille est utique timendus, qui finem non habet. Nam humanus timor fumo similis est, et subito, cum excitatus fuerit, evanescit. Et si dolores timendi sunt, illi sunt formidandi, qui sic incipiunt, ut nunquam finiantur. Isti enim dolores aut leves sunt, et tolerantur: aut graves sunt, et cito animam ejiciunt. Illi autem dolores aeterni sunt, ubi est quotidianus fletus, et mugitus, et luctus, et sine fine cruciatus, ad quem Proconsul Aegeas ire non timet. Estote ergo magis parati ad hoc, ut per tribulationes temporales ad aeterna gaudia pertingatis: ubi semper laetemini, semper floreatis, semperque cum Christo regnetis.»

§ 8. Haec, et his similia sancto Andrea Apostolo per totam noctem populum admonente, dum lux diei in matutino prorumperet, misit Aegeas, et adduxit ad se sanctum Andream, ac sedens pro tribunali, dixit: « Existimavi te nocturna cogitatione revocare animum tuum a stultitia, et a Christi tui laude cessare, ut posses nobiscum non amittere gaudia vitae. Stultum est enim, ultro velle ad passionem Crucis ire, et ignibus ac flammis te ipsum pessimis destinare. » Andreas respondit: « Gaudia secum habere potero, si credens Christo, dimittas culturas idolorum. Christus enim me misit ad istam provinciam, in qua non parvum populum ei acquisivi. » Aegeas dixit: « Ideo te sacrificare compello, ut isti, qui per te decepti sunt populi, relinquant vanitatem tuae doctrinae, et ipsi diis offerant grata libamina. Nulla enim remansit in Achaja civitas, in qua templa deorum derelicta non sint et deserta. Nunc ergo per te restauretur cultura deorum, ut et dii, qui contra te irati sunt, placari possint, et in nostra possis amicitia permanere. Sin alias, diversa pro defensione deorum patieris supplicia, et post omnia Crucis, quam laudasti, patibulo suspensus deficies. » Andreas respondit: « Audi, fili mortis, et stipula aeternis parata incendiis, audi me servum Domini, et Apostolum Jesu Christi. Nunc usque mitius tecum egi censura fidei, ut rationis capax, et veritatis defensor effectus, idola vana contemneres, et Deum, qui in coelis est, adorares. Sed quia in impudentia tua perdurans, me putas minas tuas posse formidare, quicquid tibi videtur in suppliciis majus, excogita. Tanto enim

meo Regi ero acceptior, quanto pro ejus nomine fuero pèrmanens in tormentis confessor. »

§ **9**. Tunc Aegeas jussit eum flagellis caedi extensum. Qui cum septem terniones transisset, elevatus est, atque adductus ante eum. Cui Aegeas dixit: « Audi me, Andrea, et ab effusione sanguinis consilium revoca. Quod si non feceris, Crucis te faciam interire patibulo. » Andreas dixit: « Ego Crucis Christi servus sum, et Crucis trophaeum optare potius debeo, quam timere. Tibi autem cruciatus aeternus qui debetur, poteris evadere, si postquam probaveris perseverantiam meam, vel sic credideris Christo. Ego enim de tuo interitu timeo: non de mea passione conturbor. Passio enim mea aut unius diei spatium occupat, aut duorum, ut multum; tuus autem cruciatus nec per millia annorum potest pervenire ad finem. Unde desine jam miserias tuas augmentare, et ignem ipse tu tibi aeternum accendere noli. » Tunc indignatus Aegeas, cruci eum affigi praecepit, mandans hoc quaestionariis, ut ligatis pedibus et manibus, quasi in eculeo tenderetur, ne clavis affixus, cito deficeret, sed cruciaretur potius longo cruciatu. Cumque eum carnifices ducerent, ut crucifigeretur, concursus factus est populorum, clamantium ac dicentium: « Justus Homo et amicus Dei, quid fecit ut ducatur ad crucem? » Andreas vero rogabat populum, ut non impedirent passionem ejus. Gaudens enim, et exultans ibat, et a doctrina non cessans.

§ **10**. Cumque pervenisset ad locum, ubi crux parata erat, videns eam a longe, exclamavit voce magna, dicens: « Salve Crux, quae in corpore Christi dedicata es, et ex membrorum ejus margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti; modo vero amorem coelestem obtinens, pro voto susciperis. Scitis enim a credentibus, quanta intra te gaudia habeas, quanta munera praeparata. Securus ergo et gaudens venio ad te, ita ut et tu exultans suscipias me discipulum ejus, qui pependit in te: quia amator tuus semper fui, et desideravi amplecti te. O bona Crux, quae decorem et pulcritudinem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, sollicite amata, sine intermissione quaesita, et aliquando jam concupiscenti animo praeparata: accipe me ab hominibus, et redde me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te redemit me. » Et haec dicens, exspoliavit se, et vestimenta sua tradidit carnificibus. Qui accedentes, levaverunt eum in crucem, et extendentes funibus totum corpus ejus (sicut eis jussum fuerat) suspenderunt. Adstantes vero erant turbae ad viginti millia hominum, inter quos erat frater Aegeae, nomine Stratocles, qui simul clamabat cum populo, injusto judicio sanctum virum hoc pati. Sanctus vero Andreas confortabat mentes credentium Christo, et hortabatur ad tolerantiam temporalem, docens nihil esse dignum passionis ad aeternam remunerationis compensationem.

§ **11**. Interea vadit omnis populus cum clamore ad domum Aegeae, et omnes pariter clamantes, dicebant: « Virum sanctum, pudicum, ornatum moribus, bonum doctorem, pium, modestum, rationabilem non hoc debere pati, sed debere deponi de cruce: quia jam secunda die in cruce positus, veritatem praedicare non cessat. » Tunc Aegeas, pavescens populum, et promittens se eum deponere, simul coepit ire. Quem videns S. Andreas, dixit: « Quid tu ad nos, Aegea, venisti? Si vis credere Christo, sicut promisi, aperietur tibi via indulgentiae. Si autem venisti ad hoc tantum, ut me solvas, ego penitus hinc de ista cruce vivens in corpore deponi non potero. Jam enim Regem meum video, jam adoro, jam conspectui ejus consisto. Sed de tuis miseriis doleo: quia paratus te exspectat aeternus interitus. Curre pro te, miser, dum adhuc potes, ne tunc incipias velle, cum non poteris. » Mittentes autem manus ad crucem carnifices, non poterant penitus contingere eum. Et subinde alii et alii ingerentes se, ut solverent eum, et nullus poterat pertingere ad eum. Stupebant enim brachia eorum, quicumque se extendisset ad solvendum eum.

§ **12**. Tunc voce magna sanctus Andreas dixit: « Ne permittas, Domine Jesu Christe, me famulum tuum, qui propter nomen tuum pendeo in cruce, solvi; nec permittas eum, qui jam per crucem tuam, cognovit magnitudinem tuam, ab Aegea, homine corruptili, humiliari: sed suscipe me tu, magister meus, Christe, quem dilexi, quem cognovi, quem confiteor, quem cernere desidero, in quo sum quod sum. Suscipe, Domine Jesu Christe, spiritum meum in pace; quia jam tempus est, ut veniam, desiderans te videre. Suscipe me, Domine Jesu Christe, magister bone, et jube me de ista cruce non deponi, nisi prius spiritum meum susceperis. » Et cum haec dixisset, videntibus cunctis, splendor nimius, sicut fulgur de coelo veniens, ita circumdedit eum, ut penitus prae ipso splendore oculi eum humani non possent adspicere. Cumque permansisset splendor fere dimidiae horae spatio, abscedente lumine, emisit spiritum, simul cum ipso lumine pergens ad Dominum, cui est honor et gloria in secula seculorum, Amen.

§ **13**. Quaedam vero foemina, nomine Maximilla, senatrix in specu posita, diligens pudicitiam et sanctitatem, statim ut cognovit Apostolum perrexisse ad Dominum, accessit ad crucem, et suorum solatio cum omni reverentia deposuit corpus, et condivit aromatibus, et in loco, quo se constituerat sepeliendam, illic eum sepelivit. Aegeas vero iratus contra populum, disponebat contestationem publicam facere, et ad Caesarem accusationem contra Maximillam et populum destinare. Sed dum ordinat, in conspectu officii sui a diabolo arreptus est, et in medio foro civitatis volutatus, exspiravit. Nunciatum est fratri ejus, cui nomen erat Stratocles, et misit servos suos, dixitque eis, ut inter Biothanatos *

* Nempe, qui morte violenta occumbunt. E graeco vocabulo βιόθανατος.

sepelirent eum. Ipse autem de facultatibus ejus nihil quaesivit, dicens: « Non mihi permittat Dominus meus Jesus Christus, cui credidi, ut ego de bonis fratris mei aliquid contingam, ne polluat me crimen ejus, quia Apostolum Domini ausus fuit pro amore pecuniae occidere. »

§ 14. Haec autem gesta sunt apud Achajam provinciam civitate Patras, pridie Calendas Decembris: ubi etiam praestantur gloriosa ejus beneficia usque in praesentem diem. Tantus autem timor invasit omnes, ut nullus remaneret, qui non crederet Salvatori nostro Deo; qui vult omnes salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire. Ipsi gloria in secula seculorum, Amen *.

JOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEP. CONSTANTINOP.

LAUDATIO

IN S. APOSTOLUM ANDREAM

HABETUR IN SIMEONE METAPHRASTE, VII TOMO ALOYSII.

§ 1. Validum est Apostolicae piscationis rete, admirabilis Andreae memoria, et ejus retis commemoratio, quo ad capiendas, et ad Christianam fidem attrahendas gentes usus est. Sagena enim, qua immortales illi mortui usi sunt, nulla temporis oblivione potest intèrcipi. Non veterascunt tempore illa venationis instrumenta, quae non humana arte, sed divina gratia effecta sunt. Quamvis enim piscatores ipsi a nobis excesserint, nullo tamen tempore instrumenta, quibus illi usi sunt, aut sagena, qua mundum ipsum comprehenderunt, inveterata est. Qui cum rete jaciunt, et èxtrahunt, non videntur, et tamen illorum retia plena conspiciuntur. Non arundinem illam possederunt, quam tempus corrumpit. Non linum in aquam demiserunt, quod vetustate putrescit. Non hamum fabricarunt, quem rubigo consumit. Non escam in hamo posuerunt, qua pisces caperent. Non in petra consederunt, quae

* S. Andreas, S. Petri, Apostolorum principis, frater (*Joan.* I, 30 et 40), discipulus primus S. Joannis Baptistae, qui, cum ipsi verum Agnum Dei (ibid. I, 36, etc.) monstravisset, ad hunc sequendum una cum S. Joanne Evang. induxit. Eum Graeci πρωτόκλητον appellant, utpote primo a Jesu Christo vocatum; nec quidquid impedit, ait Sollerius, quominus eodem sensu et *Apostolorum primus*, seu primo Apostolus electus, et inter primos publico et celebriori cultu in universa Ecclesia donatus, dicatur. Eum Scythis Evangelium praedicasse, scribit Origenes; Sophronius, non tantum Scythis, sed et Sogdianis, Saccis, atque etiam Aethiopibus verbum Dei annunciasse ait. Cappadociam, Galatiam et Bithyniam usque ad mare Euxinum eum peragrasse Nicephorus testatur; Gregorius Nazianz. et Epyrum addit. De praedicatione ejus in Graecia S. Hieronymus et S. Joannes Chrysost., inter alios, meminerunt. Ejus martyrium apud Patras S. Paulinus Nol. Episc. celebravit. (Vide Baronium in *Martyr.*, ad hanc diem). Crux, cui S. Andreas fuit affixus, decussata vocatur. Ejus sacrum corpus, anno 357, e Patris Constantinopolim delatum fuit, ibique, in sanctorum Apostolorum basilica, reconditum. Tempore autem, quo Franci graecum Imperium tenuere (1196-1261), Cardin. Petrus Capuanus Amalphim transtulit, in ecclesiam cathedralem, ubi adhuc religiosissime adservatur.

ndis quatitur. Non in scapha navigarunt, quam dissolvit tem-estas. Non pisces, hoc est, naturam rationis expertem, expiscati unt. Sed quemadmodum ars illa, qua usi sunt, admirabilis; ita t illorum instrumenta, nova atque inusitata extiterunt. Nam pro rundine praedicatione utuntur, pro funiculo memoria, pro hamo otentia, pro esca miraculis, pro petra coelis, ex quibus hujus-nodi piscationem exercent; pro scapha habent altare; pro piscibus eges etiam ipsos capiunt; pro sagena Evangelium expandunt; pro rte divinam gratiam adhibent; pro mari vitam humanam tra-tant; pro retibus Cruce, velut sagena quadam, uti solent.

§ 2. Quis unquam vidit a mortuis piscatoribus viventes ho-nines, tamquam pisces, capi? O magnam Crucifixi potentiam!) divinae dignitatis praestantiam! O Apostolorum summa bene-icia! Nihil tale in vita esse potest, quale est Apostolicae gratiae astigium. Multa certe vidit humana vita valde admirabilia, et pinionem superantia. Vidit enim sanguinem effusum clamantem, t caedem sine lingua vociferantem, ac naturam propter invidiam ontra se divisam, fratrem germano fratri mortem inferentem, c propter invidiae livorem mortis januam patefactam. Vidit illam Noe arcam in mundi naufragio positam, et naturae humanae in-teritum. Vidit senem contra propria viscera, hoc est filium, fide armatum, et tamquam victimam eum offerri, qui caesus non est. Vidit benedictiones furto conciliatas, et formatoris Dei, ac servi palaestram. Vidit invidiam inter fratres exertam, et servitutem regni conciliatricem. Vidit somniis paratum solium, et fratris insidiatores fame attractos. Vidit virgam miraculorum effectricem, et rubum igne, tamquam rore, circumfusum. Vidit legum latorem Moysem elementis imperantem. Vidit undas ipsas, tamquam la-pides, solidas factas, profundum mare denudatum, viam repente structam, et columnam nubis in die, ac ignis in nocte, populorum multitudini ducem ostensam. Vidit virgam sine terra germinan-tem. Vidit e coelo panis loco manna fundi. Vidit hominis oratione solem, tamquam freno quodam, sisti; et sterilis precibus impe-tratum, ut ipsa prophetam conciperet. Vidit farinae pugillum frugibus copiosiorem, et lacythum olei fontibus abundantiorem. Vidit currum in aëre agitari, et prophetam assumi. Vidit denique mortui ossa, vitae remedium fieri. Multa talia magna et admira-bilia vidit hominum vita. Sed illa tamquam foenum praeterierunt, et extincta sunt, ut lucerna, exorto sole.

§ 3. Nihil tale unquam fuit, quale fuerunt Apostoli. Hi cum Dei verbi essent ministri, attrectarunt incarnatum illum, qui, ut Deus, figuram non habet. Secuti sunt ambulantem eum, qui ubique praesens est. Discubuerunt una cum illo, qui nullo loco circumscribitur. Ejus vocem audiverunt, qui verbo fecit omnia. Mundum ipsum lingua, tamquam sagena quadam concluserunt. Circumierunt suis cursibus fines orbis terrarum. Errores, ut

zizania, eradicarunt. Aras, ut spinas quasdam, amputarunt. Idola, tamquam feras, interfecerunt. Daemones, ut lupos, profugarunt. Ecclesiam, ut gregem quemdam collegerunt. Orthodoxos, tamquam frumentum, congregarunt. Haereses ut paleas, projecerunt. Judaismum, tamquam foenum, arefecerunt. Graecorum sectam, tamquam stipulas quasdam, igne combusserunt. Humanam naturam Cruce ipsa, tamquam aratro quodam excoluerunt, et verbum Dei, ut sementem quamdam, sparserunt. Ad summam, omnia illorum facta, tamquam sidera quaedam, effulserunt. Quamobrem clara voce illis dicebat Dominus: *Vos estis lux mundi (Matth.* v). Siquidem Orientem habet Christianus homo illum, qui e Virgine natus est; diluculum habet eum, qui baptismatis parens fuit; splendorem habet Christi Crucifixi gratiam; radios, admirabiles illas linguas; diem, futurum illud saeculum; meridiem, tempus, quo in Cruce ipsa mansit Dominus: occidentem, sepulcri habitationem; vesperam, brevem illam mortem; solis fulgorem, resurrectionem a mortuis. Vos estis lux mundi. Intuère astra haec, et illorum splendorem obstupesce. Idcirco Andreas hodierno die cum, tamquam luminis thesaurum quemdam, communem Dominum invenisset, clamabat ad Petrum fratrem suum: *Invenimus Messiam (Joan.* 1).

§ 4. O fraternae charitatis exuperantiam! O inversum ordinem! Posterior Petro in vitam ingressus est Andreas, et prior Petrum ad Evangelium allexit, et tamquam venatus est: *Invenimus* (inquit) *Messiam.* Ex gaudio profecta est haec oratio; laetum inventae rei Evangelium hoc fuit. Invenimus (inquit) thesaurum illum. Fuge, Petre, circumcisionis paupertatem; exue te laceris pannis legis; àbjice jugum litterae, haec omnia contemne, ut parva quaedam; ut somnia despice praesentia; ac Bethsaidem, ut vilem et abjectum quemdam locum aspernare; relinque rete, ut paupertatis instrumentum; scapham, ut naufragii thalamum; piscandi artem maritimae fluctuationi expositam; pisces, ut ventris negotiationem; gentem Judaicam, ut rabiem contra Deum; Caipham, ut pravi consessus parentem. Invenimus Messiam, quem pronunciarunt prophetae, quem lex praeconio suo, tamquam tuba quadam, nobis praedicavit. Invenimus legis thesaurum. Fuge, Petre, famem litterae. Invenimus Messiam, quem olim adumbrarunt signa, quem vidit Michaeas in throno gloriae, quem Isaias contemplatus est super Seraphim, quem Ezechiel vidit super Cherubim, quem Daniel spectavit super nubes, quem Nabuchodonosor vidit in fornace illa, quem Abraham accepit in tugurio, quem Jacob non dimisit, nisi prius ab illo benedictus esset, cujus posteriora vidit Moses super petram. Hunc nos invenimus sine principio genitum, et in ultimis diebus visum. O thesaurum ingentem, cujus copia exauriri non potest! Divitiae enim sunt non materiei subjectae, quarum essentia originis est expers.

t inventio ipsa recens. Invenimus Messiam, qui interpretatur hristus.

§ 5. Multi quidem fuerunt Christi, sed omnes morti subjecti. braham Christus fuit, sed in sepulcro corruptus est. Isaac quoue fuit ille quidem Christus, sed ejus ossa in monumento jacent. uit et Jacob Christus, sed morti subjectus. Moses etiam fuit hristus, sed quo loco sepultus sit, nescimus. David similiter fuit hristus, sed omnes mortis spolia, omnes fuere mortis captivi. nus vere fuit Christus, natura quidem Deus, sed propter ejus isericordiam homo; qui virginalem ventrem suo exitu, tamquam igillo quodam, signavit, et piscatores illos suos curationum fones effecit: Cujus est imperium, regnum, gloria et adoratio cum mmaculato, substantiali et ejusdem substantiae Patre, et Sanctisimo Spiritu, nunc et semper, et in secula seculorum, Amen.

DE S. TROJANO

SANTONICAE CIVITATIS EPISCOPO

EX GREGORIO TURONENSI, *De Gloria Confessorum*, *Cap. 59.*

Obiisse videtur anno 532 — Nat. Gallus.

§ 1. Trojanus Pontifex ipsius Santonicae * civitatis, sancto Biiano ** conjunctus coelo, vicinus ei est et tumulo. Magnae enim irtutis fuisse dicitur hic sacerdos. Quodam vero tempore, dum nter obscura noctium tempora loca sancta, quae tunc in circuitu irbis habebantur, uno tantum subdiacono comite circuiret, aparuit ei globus magnus luminis, quasi de coelo descendens. ognita autem vir Dei re, ait comiti: « Ne sequaris penitus, donec go te vocem. » At ille terrae devolutus, spectabat, haud procul, uidnam miraculi ageret Dei servus: erat enim ager publicus, n quo constiterat. Appropinquante vero lumine, cucurrit sacerdos d occursum ejus, et usque ad terram se humilians, ait: « Beneic, quaeso, mihi, beate Pontifex. » Cui ille, qui advenerat, ait: Tu mihi benedic, sacerdos Dei Trojane. » Et dato sibi osculo, acta oratione, locuti sunt diutissime simul. Subdiaconus vero ntonius spectans, vidit lumen, quod apparuerat, eadem, qua enerat, via reverti. Vocans itaque ad se subdiaconum Episcopus, it: « Accede nunc, ut explicemus coeptum iter ad visitanda sanctorum loca. » Tremens vero subdiaconus, ait: « Quaeso, Domine,

* Antiquitus *Mediolanum* vocabatur. Hodie *Saintes*.
** Bibiano in episcopatu successit anno probabil. 511.

ne despicias humilitatem meam; sed indica mihi quae videris: animadverti enim nescio quid fuisse divinum. » Cui ille: « Dicam tibi, sed tu nemini dixeris: nam scito, quod in quacumque die haec publicaveris, ab hoc mundo migrabis. Sanctum, inquit, Martinum Turonicum vidi, et ipse locutus est mihi. Cave ergo, ne cui vulgare audeas arcana Dei. » Igitur sacerdos, impleto vitae hujus cursu, obiit. Subdiaconus vero plenus dierum, aegre ferens quod virtus sancti Trojani occuleretur, convocato Episcopo clericis ac quibusdam senioribus, omnia quae a sancto audierat, et qualiter mysterium luminis viderat, quo manifestissime fidem Trojani, Martinique gloriam patefecit, ex ordine reseravit, nec quicquam ex iis occuluit, adjiciens haec: « Et ut probetis vera esse quae loquor, finito sermone, finem facio vitae. » Quibus dictis, clausis oculis obiit, non sine admiratione adstantium. Magnae igitur (ut diximus) virtutis fuit beatus Trojanus Antistes, et honorabilis inter cunctos cives urbis suae.

§ 2. Hic fertur, dum esset in corpore, si novum, ut assolet, amphibalum * induisset, cum quo procedens, dioecesim circumiret; fimbriae hujus vestimenti a diversis diripiebantur: salubre enim omnis homo computabat, quicquid ab eo rapere potuisset. Qui sepultus in terris, coelo se vivere multis virtutibus manifestat. Nam energumeni, frigoretici, caeterique infirmi, plerumque ad ejus tumulum exorantes, accepta incolumitate recedunt.

* *Amphibalus*, seu birrus, vestis erat villosa quae adsutum habebat capitium (vide *Ducange*). Et quidem S. Martinus tunicam suam, amphibalo, idest veste superiori, retento, pauperi dedit.

ERRATA		CORRIGE
Pag. 32, in *Not.*	Paluzio	Baluzio
„ 103, in *Not.*	referre eam, non	referre eam non
„ „ „	nobis emendatam	a nobis emendatam
„ 338, in *Not.*	indixi	indixit
„ 362, in *Not.*	suscepit vita	suscepit; vitâ
„ 635, in *Not.*	dicuntur Regnante	dicuntur. Regnante.

Alias hujuscemodi mendas benevolus Lector ipse corrigere poterit.

Habita facultate Auct. Eccl.

INDEX ALPHABETICUS SANCTORUM

QUORUM HISTORIAM

IN SURIO HABES PRO MENSE NOVEMBRI

	Dies M.	Pag.
CINDYNUS et Socii MM.	2	52
NIANUS Ep. Aurelianens.	17	570
GAPIUS Martyr	21	616
NDREAS Apostolus	30	744
ANDREAS Avellinus	10	378
NTONIUS Presbyt. et Socii MM.	13	455
ENIGNUS Presbyter	1	18
ERWARDUS Ep. Hildesiens.	20	611
RICTIUS Ep. Turonens.	13	459
AECILIA Virgo et Martyr	22	638
AESARIUS Diac. et JULIANUS Presb. MM.	1	21
AROLUS Borromeus	5	103
ATHARINA Virgo et Martyr	25	664
LEMENS Papa	23	655
OLUMBANUS Abbas	21	618
DIDACUS Confessor	13	440
IONYSIUS Ep. Alexandrin.	17	533
DMUNDUS Archiep. Cantuariens.	16	520
LISABETH Hungariae Reg.	19	584
NGELBERTUS Archiep. Coloniens.	7	316
UCHERIUS Ep. Lugdunens.	16	519
ALACTION et EPISTEMES MM.	5	294
ODEFRIDUS Ep. Ambianens.	8	338
REGORIUS Thaumaturgus	17	547
OMOBONUS Confessor	13	465
UBERTUS Ep. Leodiens.	3	63
ACOBUS Intercisus Mart.	27	695
JOANNES a Cruce Confessor	24	658
AURENTIUS Ep. Dublinens.	14	473
EONARDUS Confessor	6	301
ALACHIA Hiberniae Ep.	3	76

	Dies M.	Pag.
MARCELLUS Ep. Parisiens.	1	26
MARIA Ancilla et Mart.	1	32
MARTINUS Ep. Turonens.	11	391
MARTINUS Papa	12	[illegible]
MAXIMUS Ep. Rhegiens.	27	[illegible]
MERCURIUS Martyr	25	[illegible]
METRIA Martyr	23	[illegible]
OTHMARUS Abbas	16	[illegible]
PATROCLUS Abbas	19	[illegible]
PETRUS Ep. Alexandr. et Mart.	26	[illegible]
PORTIANUS Abbas	24	[illegible]
QUINTIANUS Ep. Arverniens.	13	[illegible]
ROMANUS Martyr	18	[illegible]
ROMANUS Burdegalens. Presbyt.	24	[illegible]
SAMONAS et Socii MM.	15	[illegible]
SATURNINUS Ep. et Martyr	29	[illegible]
STEPHANUS Junior Martyr	28	[illegible]
TROJANUS Episcopus	30	[illegible]
URSINUS Ep. Bituricens.	9	[illegible]
VIGOR Ep. Bajocens.	1	[illegible]
WILLEHADUS Ep. Bremens.	8	335
WILLIBRORDUS Ep. Trajectens.	7	306

SERMONES IN FESTIS:

Omnium Sanctorum	Die 1,	Pagg. 5 — 8 — 13
Omnium Fid. Defunctorum	» 2,	» 38
S. Theodori Martyris	» 9,	» 371
S. Leopoldi Confessoris	» 15,	» 503

NOTA. — Martyrologii Illustrati reliqua in sequenti Volumine XII prodibunt.

vere Dei amans et Deo amabilis.» Exortus est Theophilus, quem Halloix negat esse eumdem, cui S. Lucas *Apostolorum Acta* inscripsit, saeculo secundo ineunte, Antiochiae e parentibus idolorum cultoribus. Christianam demum amplexus fidem, ac omnibus virtutibus mirifice instructus, anno 168, cunctis Antiochenis plaudentibus, Antiochiae episcopus creatus est; fuitque in episcoporum illius civitatis septimus, cum illam ecclesiam S. Petrus Apostolus, S. Evodius, S. Ignatius cognomento Theophorus, S. Hero, Cornelius et Ero ordinatim gubernaverint. Impiger ac solers pastor, sanctus Theophilus sedulo curavit, ut sui gregis oviculae et doctrinam a majoribus acceptam firmiter retinerent, et, traditionibus Apostolicis mordicus adhaerentes, nihil a quoquam ipsis contrariam ullatenus admitterent. Studium porro suum ita divisit, ut, quidquid a necessariis pontificii muneris curis vacuit superesset temporis, partim, commentis haereticorum refellendis, partim, sacris explanandis litteris, impenderet. Vixit in Antiochenae ecclesiae pontificatu annos circiter 13. Plura scripta S. Theophilus edidit, quorum tamen aliqua sunt deperdita, vel latent. De ipsis S. Hieronymus, in *Catalogo Script. Ecclesiast.*, ita loquitur: « Theophilus, sub imperatore Marco Antonio Vero librum contra Marcionem composuit, qui usque hodie extat. Feruntur ejus ad Antolycum tria volumina; et contra haeresim Hermogenis liber unus; et alii breves elegantesque tractatus ad aedificationem Ecclesiae pertinentes. Legi sub nomine ejus in Evangelium et in Proverbia Salomonis Commentarios, qui mihi cum superiorum voluminum elegantia et phrasi non videntur congruere.» Nunc *Libri* tantummodo *ad Antolycum* superstites manent.

* *Bituriges* vel *Avaricum*, gallice *Bourges*, urbs archiepiscopali sede insignita.
** Gall. *Tours*.

S. VENANTIUS Abb. et Conf.

Obiit circa saeculi V finem, aut VI initium.

Martyrol. — Turonis sancti Venantii Abbatis et Confessoris.

De S. Venantio S. Gregorius Turonensis Episcopus frequenter et sane egregie meminit. Hic referre, quae idem in *Vitis Patrum* conscripsit, operae pretium ducimus: «Igitur sanctus Venantius Biturigi * territorii incola fuit, parentibus secundum saeculi dignitatem ingenuis atque Catholicis. Qui, dum esset juvenili aetate florens, a parentibus sponsali vinculo obligatur. Cumque, ut aetati huic convenit, amori se puellari praestaret affabilem, et cum poculis frequentibus etiam calceamenta deferret, contigit, ut urbem Turonicam **, Domino inspirante, veniret. Erat tunc temporis monasterium, basilicae sancti Martini propinquum, in quo Silvinus abbas gregem Deo devotum regulari spectro regebat. Ad hoc Vir iste devotus accedens, virtutesque cernens beati Martini, ait intra se: Ut conjicio, melius est servire impollutum Christo, quam per copulam nuptialem contagio involvi mundano. Relinquam sponsam territorii Biturigi, et annectar Catholicae per fidem Ecclesiae, ut, qui credo corde, etiam opere merear effectui condonare. Haec intra se volvens, advenit ad ante dictum abbatem, provolutusque ad pedes ejus, quid intimo corde gereret, lacrymis patefecit. At ille gratias agens Deo pro fide pueri, et additâ etiam praedicatione sacerdotali, Juvenem totondit, et gregi monachali adscivit. Ex hoc se in humilitate fratribus exhibens, charitatem cum omnibus diligens, in tanto sanctitatis apice evectus asseritur, ut ab omnibus tamquam parens proximus summo studio coleretur. Unde factum est, ut decedente abbate jam dicti monasterii, ipse in loco abbatis, eligentibus

fratribus substitueretur. » Ex *Libro* autem *Confessorum* ejusdem S. Gregorii Turonensis Ep., haec quae sequuntur, desumpta addimus: « Haud procul a basilica beati Martini Venantius abbas requiescit, vir mirificae sanctitatis, qui multis infirmis in corpore positus opem accommodavit; qui, impleto tempore, a saeculo migrans, jugiter se in aeternum vivere, virtutibus propriis manifestat. » Quo anno ad coelestem patriam S. Venantius evolaverit, vehementer discrepant inter se eruditi. Potior sententia est, Bollandistae ajunt, ipsum ex hac vita migrasse circa saeculi quinti finem vel sequentis initium. Sacrae demum S. Venantii exuviae Parisios, saeculo decimo exeunte, delatae fuere.

S. CHELIDONIA Virgo.

Obiit anno 1152 — *Itala.*

Martyrol. — Apud Sublacum in Latio sanctae Chelidoniae Virginis.

Prope a Sublaco, Latii seu Campaniae Romanae, qua haec Aprutium respicit, ad Anienem fluvium oppido, Monialium Ordinis S. Benedicti, sanctae Scholasticae sacrum, coenobium adest, antiquitate, multisque aliis titulis celebre, in quo S. Chelidonia ortum habuit in oppido *Ciculi* dicto, quod est in Aprutio, honestissimis parentibus. Vitam solitariam amplexa, in quibusdam cantibus prope Sublacum se abdidit, jejuniis, precibus ac divinorum contemplationi vacans. Hac in solitudine aliquot annis peractis, S. Chelidonia Romam Sanctorum Apostolorum limina veneratura contendit: quod iter, quo anno ab ea susceptum fuerit, ignoratur. Sublacum reversa, in S. Scholasticae coenobio a Cunone Praenestino episcopo velum monasticum accepit, rediens deinde unde venerat, in pristinam scilicet solitudinem, ubi, diu permanens, laboribus, jejuniis, macerationibus attrita, obiit, ex unanimi biographorum consensu, anno 1152. Defunctae sanctae Chelidoniae corpus, a solitudine, in qua jacebat, ad Sublacense coenobium translatum, ibi in S. Mariae Novae ecclesia, repositum fuit. Cum hujus sanctae Virginis cultus ad plura loca propagaretur simul ac sensim augeretur, ipsa in protectricem et patronam terrae Sublaci, id approbante, anno 1695, sacrâ Rituum Congregatione, fuit electa; atque festum ejus Officio duplici primae classis cum Octava clero Sublacensi celebrari concessum est.

PRIDIE IDUS. DIE XIV.

Martyrol. — Romae via Aurelia beati Callisti Papae et Martyris, qui Alexandri Imperatoris jussu diutius fame in carcere cruciatus, et quotidie fustibus caesus, tandem e fenestra domus, in qua custodiebatur, praecipitatus, atque in puteum demersus, victoriae triumphum promeruit. (Vide *Surium*, pag. 383).

S. FORTUNATA Virg. et Mart.

Passa est anno 303 *vel* 304.

Martyrol. — Caesareae in Palaestina sanctae Fortunatae Virginis et Martyris, quae in persecutione Diocletiani, post equuleum, ignes, bestias, et alia tormenta superata, spiritum Deo reddidit: cujus corpus postea Neapolim in Campania delatum fuit. Item sanctorum Carponii, Evaristi et Prisciani fratrum ejusdem beatae Fortunatae, qui gladio jugulati pariter martyrii coronam perceperunt.

Caesareae in Palaestina nobilibus orti sunt parentibus, mater quum esset tamen infidelis. Ab Urbano, Caesareae praefecto, saeviente Diocletiani persecutione, Carponius, Evaristus et Priscianus in carcerem conjecti sunt, ubi Fortunata eos sedulo invisebat, omnia quae poterat, solamina eis praebens. Cum et ipsa a satellitibus deprehensa fuisset, ab Urbano ad bestias damnatur, quae, nihilominus

suae naturalis feritatis oblitae, submissâ cervice et placide ad eam veniebant, ipsius manus pedesque lingentes. Tunc Praeses, post varios cruciatus, eam simul cum fratribus decollari jussit, anno, ut Bollandistae statuunt, 303 vel 304. Martyrum sacrae exuviae a Christianis collectae, atque dignae sepulturae traditae fuere. Verum haud multo post, a quibusdam nautis clanculo effossae, ad Campanum litus translatae, apud urbem Patriam (vulgo *Torre di Patria*) reconditae fuere. Patrienses vero, rati divino id factum munere, quo Sanctorum honori ocyus consulerent, basilicam intra urbem a fundamentis extruentes, sacris hanc Martyrum pignoribus condecoravere. Sed cum Patria circa annum 455 a Vandalis solo aequata esset, sacra Martyrum corpora per 200 et amplios annos sine honore sub ruderibus derelicta fuerunt, donec Stephanus II, Neapolitanorum antistes circa annum 768 electus, Neapolim transferri jussit, atque in ecclesia S. Gaudiosi solemni pompa reposuit. (Ex *Bolland.*).

SS. SATURNINUS ET LUPUS MM.

Saeculo incerto.

MARTYROL. — Item sanctorum SATURNINI et LUPI.

Videntur hi martyres cum aliis passionis sociis martyrium subiisse in Cappadocia, in quanam urbe et quonam in anno nobis non est compertum.

S. GAUDENTIUS EPISC. ET MART.

Passus est anno 360.

MARTYROL. — Arimini sancti GAUDENTII Episcopi et Martyris.

Epheso, celeberrima Inferioris Asiae civitate oriundus S. Gaudentius, parentes nactus est Christianos, ambos, quibus in dirissima Diocletiani et Maximiani persecutione pro fide interfectis, Romam adhuc catechumenus perrexit; ubi a Justino presbytero baptizatus, matronam quamdam nomine Eusiticam, idolorum cultricem, apud quam anno integro cum dimidio hospitatus fuerat, jam fidei rudimentis imbutam ad Marcellum Papam recenter electum perduxit, ut ab eo sacra baptismatis undâ tingeretur. Idem Pontifex Gaudentium, cujus sanctum vivendi propositum illâ occasione didicerat, ad se accersivit, tonsumque minoribus initiavit ordinibus. S. Melchiades Papa videtur ipsum sacerdotio sacravisse. Mirum profecto, quantum Gaudentius cum hisce sacrorum ordinum gradibus simul adauxerit vitae austeritatem, nam praeter quintam feriam et dominicam diem nullum omnino cibum sumebat. Famâ virtutum, quibus fulgebat Gaudentius, magis magisque Romae increbrescente, S. Silvester Papa anno 327, ad se eum evocavit, secum, quoad vixit, detinens. Cum autem Ariminensis praesul defunctus esset, legati ab ea urbe Romam cum litteris venere, novum a Pontifice Julio, qui Silvestro anno 335 successerat, postulantes antistitem, qui Ariminensi populo, haeretico proconsuli magna ex parte auscultanti, ocyus subveniret. Julius autem, perspectâ jam viri sanctimoniâ, Gaudentium consecrat, et cum jure legati Apostolicae sedis Ariminum (ital. Rimini), dirigit, Romanis tanti viri discessum haud parum lugentibus. Adventare Gaudentium episcopum jam praenuntiarat Ariminensibus rumor, cum ecce appropinquantem civitati obvia populi multitudo excipit, pastoremque suum laeta deducit ad urbis portam. Etsi vero vigilantissimus pastor gregem suum optime custodiret, impedire tamen non potuit, quoniam, aliquot annos post suam ad episcopatum assumptionem, universa Ariminensis ecclesia turbata fuerit ob haereticorum et Martiani proconsulis dogma. Haeresim hanc Arianam fuisse, quae sub Constantio imperatore ecclesiam vehementer exagitavit, ab Ughellio, Mai-

nardo, aliisque claris scriptoribus existimatur: cui cum Gaudentius pro viribus restitisset, imperator concilium Arimini indixit, specie quidem, ut universali ecclesiae bono consuleret, revera autem, ut patres ad subscribendum Sirmiensi Arianorum professioni vel subdole, vel violenter tandem induceret. Verum quadringenti et amplius catholici omnes, exceptis Arianis paucis, qui convenerant, Episcopi, dolum illico sentientes, damnarunt Sirmiensem professionem, ac fidei Nicaenae unanimes subscripsere. Praefectus erat eo tempore Ariminensi civitati judex severissimus, nomine Taurus, cui haec per litteras mandasse Constantium narrat Sulpitius Severus: « ut synodum non ante laxaret, quam consentire se omnes subscriptionibus profiterentur. Ac si quis pertinacius obsisterent, dummodo numerus intra quindecim esset, in exilium pelleretur. » Verum Gaudentius caeterique catholici Antistites hunc numerum excedebant, cernentesque, alios omnes timore perculsos imperatoris violentiae cedere, a concilio, mox in conciliabulum transituro, sponte sua se subduxere, virum quemdam eligentes, ubi conciliabuli eventum eminus spectabant, populumque copiose illuc confluentem in fide catholica solidabant. Vicus autem praedictus *Catholica* deinceps fuit appellatus, meruitque hujus rei monumento, anno 1637, a Cardinali Spada decorari. Hunc episcoporum secessum aegerrime ferentes praefectus Taurus et consul Martianus dirissima quaeque catholici machinabantur; sed nihil his territi invicti Christi pugiles, finito jam conciliabulo, ad sedes suas plerique rediere. Gaudentius quidem cum aliis nonnullis Ariminum reversus, coacto mox clero, acta conciliabuli rescindit, et Martianum praesbyterum, consulis propinquum, excommunicationis fulmine percutit, eo quod Arianae factioni pervicaciter adhaereret: unde acrius in se concitans consulis odium, ab hujus militibus fustibus ac lapidibus impetitus extra portam civitatis martyrii lauream est adeptus anno Domini 360, Liberii pontificis nono. Summa cum devotione sacrae Gaudentii episcopi et martyris exuviae coluntur in ecclesia S. Francisci Montis Bodii in diocesi Senogalliensi, (ital. *Sinigaglia*), ubi, anno 1520, delatae sunt.

S. FORTUNATUS Episc.

Obiit anno 537.

Martyrol. — Tuderti * sancti Fortunati Episcopi, qui (ut beatus Gregorius refert) in effugandis spiritibus immundis immensae virtutis gratia enituit.

S. Fortunatus Tudertinam ecclesiam novem annis, scilicet ab anno 528 usque ad 537, sanctissime gubernavit, tantum in daemones imperium exercens, ut, id testante S. Gregorio Papa (in *Dialogorum* lib. 1), integras nonnunquam legiones ex obsessis corporibus fugaret. Vix dici potest quanta cum magnificentia splendoreque, anno 1596, S. Fortunati, aliorumque quatuor sanctorum, videlicet, SS. Romanae et Dignae virginum, et SS. Cassiani et Calisti episcoporum et martyrum, sacrae exuviae ex S. Fortunati ecclesiae sacristia in aliud sepulcrum sub altari novo in ipsamet ecclesia translatae fuerint! S. Fortunati vitam, seu potius miracula exhibet S. Gregorius Papa in opere superius citato, ubi, ea, quae tradit, sese partim a Juliano, ecclesiae defensore, qui S. Fortunato intimâ familiaritate convixerat, partim a sene quodam Tudertino, qui eum apprime noverat, didicisse fatetur.

* *Tudertum*, italice *Todi*, antiquissima Umbriae apud Tiberim urbs. Illic ortum habuit Martinus I Pp.

—

S. DONATIANUS Episc.

Obiit saeculo quarto exeunte.

Martyrol. — Brugis * Flandrorum sancti Donatiani Rhemensis Episcopi.

De hoc Sancto multa edita sunt fabulosa prorsus et commentitia. Hic referendas censuimus *Lectiones*, quas Henricus Josephus van Susteren, Brugarum gloriosae memoriae Praesul, anno hujus aevi 26, cum Capituli consensu, in Breviario brugensi insertas legi praecepit: « Donatianus, patre, ut ferunt, Cornelio, nobili Romano, et Lucina in Galliis natus est. In tantum autem crevit in eo cum aetate vitae sanctioris meritum, ut dignus fuerit, qui ad archiepiscopalis dignitatis fastigium sublimaretur. Est in Gallia Belgica ecclesia Rhemensis antiquissima et celeberrima, cui plures sanctitate conspicui episcopi ex ordine praefuerunt. Ad hanc regendam septimo, vel, ut alii volunt, octavo loco assumptus est Donatianus, subrogatus S. Materniano. Quo in munere talem se praestitit, ut Beato Viventio aliisque, qui in eodem culmine eum secuti sunt, extiterit vivendi speculum, et sanctae conversationis exemplar. Et sane quam spectatae virtutis fuerit, quantoque studio incubuerit, ut divini verbi pabulum ovibus suis non deesset, conjici potest ex glorioso Confessoris titulo, quo in dypticis ecclesiasticis insignitur: ex verbis quoque S. Hieronymi, qui scribens adversus Vigilantium, et istius aetatis Galliae episcoporum se praebens encomiasten, ait: « Gallia monstra non habuit, sed viris semper fortissimis et eloquentissimis abundavit. » Ex his vero, qui invincibili strenuitate et eloquentia Gallicanam ecclesiam tantopere illustrarunt, extitit utique Donatianus: qui et hanc laudem et egregia facta in pascendis Christi ovibus mira sanctitate cumulavit. Quia et Rhemensis archiepiscopi epistola ad Balduinum Ferreum cum ejus corpore in Flandriam missa praedicat Donatianum mira sanctitatis virum, pium exauditorem, et promptissimum apud Deum intercessorem, tam saecularibus angustiis occupatis quam peccatorum sceleribus detentis. Postquam igitur sic praesedisset pastor egregius annis viginti novem, mercedem laborum recepturus a Domino ad coelestem patriam migravit circa medium quarti saeculi, pridie Idus octobris. Corpus ejus in ecclesia S. Agricolae sepultum, quae sancti Nicasii, unius successorum ejus nomine nunc appellatur, variis refulsit miraculis. Deinde autem per Carolum Calvum Francorum regem, in amicitiae et protectionis suae tesseram, ac Rhemorum archiepiscopum ad Balduinum Ferreum Flandriae comitem, piissimo dono missum, ac summa veneratione susceptum Thoralti primum tantisper depositum est, et demum in burgo Brugensi ad Sacellum Mariae Virginis: quod idem Balduinus in sancti Donatiani basilicam, quae nunc sedes episcopalis est **, magnificentius erexit, vario signorum splendore, ejusdem sancti meritis decoratam. Atque ita factum est, ut Beatissimus Pontifex ingenti populorum gaudio ipsius civitatis, et quae nunc est dioecesis Brugensis electus patronus, magna religione colatur, ut totius tractus maritimi eximius tutelaris. » (In *Bolland.*).

S. RUSTICUS Episc.

Obiit circa annum 574.

Martyrol. — Treviris *** sancti Rustici Episcopi.

In *Lectionario de Sanctis quibusdam* Trevirensis officii, Treviris, anno 1645, excusum, atque ad usum et

* *Bruges* in Belgica.

** Anno 1559, a Paulo Pp. IV, erecta.

*** Italice *Treviri*, gallice *Trèves*, germ. *Trier*, in Borussia quae Rhenana vocatur, civitas ex praecipuis, celebrioribusque tam apud antiquos Romanos, quam in aevo medio.

vitam Romani Breviarii accomodatum, haec de S. Rustico leguntur: « Rusticus, cui pontificalis cathedra Trevirensium obtigit, detecto arcano libidinis peccato, quod commiserat, agniti sceleris pudore, et acri poenitentia tactus, remedium opportunum adhibuit, septennio sibi desumpto, quod in Deiparae matris aede ad martyres sancte pieque ad eluendam noxam traduxit. Qui deinde vigiliis et inedia attritus, post naufragium secundâ tabulâ arreptâ, melioris aeternaeque stationis portum felicissime obtinuit, pridie Idus octobris anno supra quingentesimum septuagesimo tertio, in ecclesia B. Paulini conditus, et in sanctorum numero repositus est. Multa ipse post mortem edidit miracula, et eo gratius sui desiderium excitavit, quo securius christianae poenitentiae exemplum reliquit. Disciplinam castitatis ardor libidinis excussit; sed igne charitatis excoctus sacerdos hujus vestigia flammae sic obruit, ut in eo nescias an plus poenituisse, quam non peccasse profuerit. » (In *Bolland.*).

S. BERNARDUS Conf.

Forte initio saeculi decimisecundi.

Martyrol. — In Latio sancti Bernardi Confessoris.

Ex *Actis et Miraculis* S. Bernardi, in Bollandiano Volumine LIV editis, constat eum ad loca sancta se contulisse, atque, cum ex peregrinatione rediret, fortuito circa Arpinum, quod in Provincia Italiae meridionalis situm est, sanctam vitam felicissima morte perfecisse. Qua patria exortus fuerit, quo anno obierit, valde incertum est, cum *Acta* superius dicta, nihil prorsus habeant, unde haec determinare possis: verum in Anglia natum, atque circa initium saeculi XII e vita discessisse eum nonnulli conjiciunt (Ex *Bolland.*). Sacrae ejus exuviae circa finem ejusdem saeculi Arcanum, oppidum quatuor circiter milliaribus Arpino distans, translatae, atque honorifice repositae sunt. In Vesperis officii S. Bernardi, quò annua ejus festivitas in dioecesi Aquinate recolitur, sequens Hymnus legitur:

Laetemur in solemnio
Bernardi beatissimi,
Cujus omnes auxilio
Deo fiamus proximi.

Dum mundo peregrinaret,
Arpinum venit reditu:
Illic sibi vita caret
Sepultus est in exitu.

Post multum tempus jusserat
In Roccam Arcis vehi,
Corpus ad locum properat;
Gens quaelibet paret ei.

Translatione corporis
Campanis Arpinensibus
Fit sonus intus et foris,
Nullis illas pulsantibus.

In dicta Rocca ponitur
Sacrum Corpus ad tumulum,
Nullus languens qui geritur,
Mortis horreat stimulum.

Quaedam mulier secuta
Corpus cum turba gentium
A nativitate muta
Statim subit eloquium.

Per ipsum fit ibi cura
In supplici presbytero:
Unum sanat de ruptura,
Auditum reddit alteri.

Tres mulieres dementes
Et oppressae daemonio
Sanae recedunt gaudentes
Abhinc ejus subsidio.

O Bernarde, te devota
Mente precamur, quod pia
Ad reddendum Deo vota
Nos tua juvet gratia.

Praesta, Pater, ut beati
Bernardi, nos vestigia
Consequamur laureati
Post vitam ad coelestia. Amen.

IDIBUS. DIE XV.

Martyrol. — Abulae in Hispania sanctae Teresiae Virginis, Fratrum ac Sororum Ordinis Carmelitarum arctioris observantiae matris et magistrae. (Vide *Surium*, pag. 423).

S. FORTUNATUS Mart.

Saeculo incerto.

Martyrol. — Romae via Aurelia sancti Fortunati Martyris.

De hujus Sancti gestis et passione nihil reperi, quod hic referre queam.

SS. Trecentorum Martyrum.

Anno incerto — Nat. Mauri.

Martyr. — Apud Coloniam Agripinam natalis sanctorum trecentorum lartyrum, qui in persecutione Maxiiani cursum sui agonis compleerunt.

Hos milites (qui probabilius 360 uerunt, ut plures docent scriptores) Mauritania finitimisque regionibus ib imperatore, in Galliam, ad comescendos ibi tumultus, a quibusdam usticis, Bagaudorum sibi nomen imonentibus, excitatos, evocatos fuisse, ib Helinando (in *Actis sancti Geeonis*), a monacho Sigebergensi (in *Actis sancti Annonis*), et ab aliis non paucis, asseritur. Passi sunt inclyti martyres sub ipsis moenibus veteris Coloniae ad septentrionalem plagam circa praetorium seu portam, quae nunc S. Elenae intra urbem dicitur, ante S. Clarae monasterium. Erat istic eo tempore paludes et stagna, in quibus martyrum corpora ab impiis demersa sunt. Sed inde postea extrahentes, christiani summo cum honore recondiderant: siquidem sub Constantino Magno, pace ecclesiis restituta, S. Helena mater ipsius imperatoris, regali sumptu basilicam perquam nobilem erexit, in qua martyrum reliquias servandas curavit (Ita Gelenius, in *Bolland.*). Multis saeculis post, S. Anno, Coloniensis Praesul, mirabilem in modum admonitus, has sacras reliquias splendidiori loco reposuit; et exinde, ut Gelenii verbis utar, nomen et memoriam SS. Maurorum per omnes Coloniae angulos celebrior inolevit.

S. AGILEUS Mart.

Passus est ante annum 313.

Martyrol. — Carthagine sancti Agilei Martyris, in cujus die natali sanctus Augustinus de eo ad populum tractatum habuit.

Annotationi huic suae Baronius verba, quae sequuntur, subjicit: « Possidius in Indice cap. 9 meminit de tractatu S. Augustini habito in die natali S. Agilei. De Basilica sub nomine S. Agilei est clara memoria in vita S. Fulgentii Ruspensis apud Surium. Sanctus Gregorius Papa dono accepit hujus Martyris sacras Reliquias a Dominico episcopo Carthaginiensi. Extat de his Epistola ejusdem S. Gregorii in regis. lib. 10, ep. 1. » Verum an de S. Agileo ulla uspiam supersint Acta, nescire fatentur Bollandistae, qui porro, in aliqua imperatorum romanorum persecutione, et proinde ante annum 313, quo Constantino Magno, post debellatum Maxentium, Africa jam parebat, eum passum esse recte sentiunt.

S. BRUNO Ep. et Mart.

Passus est anno 1008 *vel* 1009.
Nat. Germanus.

Martyrol. — In Prussia S. Brunonis Episcopi Ruthenorum et martyris, qui Evangelium in ea regione praedicans, ab impiis tentus, manibus pedibusque praecisis, capite truncatus est.

Ditmarus, ejus consanguineus et condiscipulus, haec in *Libris Chronicorum* de S. Brunone scripsit: « Fuit quidam Bruno nomine contemporalis et conscholasticus meus, ex genere clarissimo editus, sed divinâ miseratione prae caeteris parentibus inter filios Domini electus. Hic ab Ida venerabili matri suae unice dilectus, magisterio Giddonis philosophi traditur, et omne quod habere debuit, cum abundantia suggeritur. Hujus pater erat Bruno, senior egregius et per cuncta laudabilis, amicus mihi consanguinitate, et omnibus erat proximus familiaritate. Filius autem ejus et aequivocus cum mane ad scholam ire debuisset, antequam ab hospitio exiret, veniam petiit, et ludentibus

nobis, in oratione is fuit: otio negotium praeposuit, et sic fructificans, ad maturitatem pervenit. A tertio desideratur Othone et suscipitur, quem non longe post deserens, solitariam quaesivit vitam. Is vero post mortem gloriosissimi Imperatoris, regnante tunc secundo Domini gratiâ Henrico, ad Mersburg veniens, benedictionem cum licentia Domini Papae * Episcopalem ab eo petiit, et ejus jussione ab Archiepiscopo Tagmone consecrationem, et quod ipse detulit huc, pallium ibidem suscepit. Dehinc ob lucrum animae laborem subiit diversae ac grandis viae, castigans corpus inediâ et crucians vigiliâ. Multa a Bolislao, caeterisque divitibus bona suscepit, quae mox ecclesiis ac familiaribus suis et pauperibus, nihil sibi retinendo, divisit. In duodecimo conversionis ac inclytae conversationis suae anno ad Prussiam ** pergens, steriles hos agros semine divino studuit fecundare, sed, spinis pullulantibus, horrida non potuit facile emollire. Tunc in confinio praedictae regionis et Russiae, cum praedicaret, primo ab incolis prohibetur, et plus evangelizans, capitur deindeque amore Christi, qui ecclesiae caput est, decimosexto Kalendas Martii, mitis ut agnus decollatur cum suis decem et octo. Corpora tot Martyrum jacuerunt insepulta, quoad Bolislaus, id comperiens, eadem mercatur, ac domui suae futurum acquisivit solatium ***. Facta sunt autem haec in tempore serenissimi regis Henrici, quem Dominus omnipotens triumpho tanti praesulis honoravit, et ut multum spero salvavit. Pater autem praedicti Antistitis longe post infirmatus (ut ipse mihi narravit) praecepto filii monachicum suscepit habitum, et 14 kal. novembris in pace quievit. (In *Surio*).

* Qui erat Silvester II.

** Anno 1038.

*** In Prussia, in S. Brunonis honorem fuit deinde constructa, ut fertur, urbs quae a suo nomine vocatur *Brunsberg*, vel *Braunsberg*.

S. ANTIOCHUS Episc.

Saeculo quarto — Nat. Gallus.

Martyrol. — Lugduni sancti Antiochi Episcopi, qui strenne administrato Pontificii culmine, ad quod assumptus fuerat, regnum coeleste adeptus est.

Presbyter fuit ecclesiae Lugdunensis sub S. Justo, ejusdem antistite. Magna vitae austeritate celebris atque S. Justo apprime carus, post hujus obitum ad episcopalem fastigium evectus fuit, inter Lugdunenses episcopos decimoquintus vel sextus. Episcopale munus strenue gessit; ac in ecclesia SS. Machabaeorum (postea S. Justi nuncupata) sepultus est; ibique religioso cultu a Christifidelibus fuit honoratus, donec, anno 1562, Calvini asseclae ecclesiam illam funditus diruêre, ac S. Antiochi cineres dissiparunt. (Ex *Bolland.*).

S. SEVERUS Episc.

Saeculo quinto — Nat. Gallus.

Martyrol. — Treviris sancti Severi Episcopi et Confessoris.

S. Germani Antissiodorensis **** (*Auxerre*) in expeditione Britannica socius, ac S. Lupi Trecensis ***** (*Troyes*) discipulus is fuit. Summopere adlaboravit ut Burgundiones, qui, teste S. Prospero Aquitano in *Chronica*, anno 413, partem Galliae Rheno propinquantem obtinuerant, ad Christi fidem se converterent. Anno 447, aut paulo ante, ut videtur, Trevirensis episcopus fuit electus. Quo anno in vivis esse desierit, in obscuro est.

**** De S. Germano Ep. Antis. vide Surium, Vol. VIII, pag. 577, etc.

***** De S. Lupo Episc. Trec. vide ibi, pag. 555, etc.

S. AURELIA VIRGO.

Saeculo quarto vel quinto.

MARTYROL. — Argentorati * sanctae AURELIAE Virginis.

In Breviario Argentinensi, anno 1489 edito, Acta, quae hic sub lectoris oculos subjicimus, ex incolarum traditione potius, quam ex certis fidelibusque documentis profecta, nec saeculo XIII antiquiora, continentur: « Tempore cum per divinam ordinationem beatissima Ursula cum suo comitatu a civitate Romana, ascensis navibus, per decursum Rheni venire disposuisset, sicut plenius in gestis ejus continetur, Aurelia, virgo illustrissima, quae in praedictae sanctae virginis comitatu, divinâ favente gratiâ, in aqua, quae Caltahe ** vocatur, febre arrepta et in locum extra muros civitatis Argentinensis, ubi nunc requiescit, deducta, spiritum exalavit, ubi praestantur beneficia Dei omnibus ipsam sincero colentibus. » Recentius Breviarium seu Proprium ecclesiae Argentoratensis hanc ad Aureliam orationem exhibet: « Preces nostras, quaesumus, Domine, quas in B. Aureliae virginis tuae festivitate deferimus, clementer exaudi, et fac nos tibi pure semper mentibus deservire. Per, etc. » Anno 1524 sacrae S. Aureliae reliquiae a Lutheranis in cineres redactae atque dispersae sunt: nihilo secius illi quidem cultum ejus abolere nequiverunt. (Ex *Bolland.*).

S. THECLA ABBATISSA.

Circa finem saeculi octavi
Nat. Angla.

MARTYROL. — In Germania sanctae THECLAE Abbatissae.

Sanctam Theclam, quae saeculo octavo a sancto Bonifacio, Germanorum apostolo, cum aliis quibusdam religiosis feminis ex Anglia in Germaniam evocata, Kitsingensi *** et Ochsenfurtensi **** in Franconia monasteriis abbatissa praefuit, et ibidem sancto fine quievit, certatim Martyrologi, sed non valde antiqui, celebrant. Nemo tamen ejus vitam, deditâ operâ, fuse conscripsit.

DECIMOSEPT. KAL. NOV. OCT. DIE XVI.

SS. CCLXX MARTYRES ET ALII, IN AFRICA.

Saeculo quinto.

MARTYROL. — In Africa sanctorum Martyrum ducentorum septuaginta pariter coronatorum. Ibidem sanctorum Martiniani et Saturiani, cum duobus eorum fratribus: qui tempore Wandalicae persecutionis, sub Genserico rege Ariano, cum essent servi cujusdam Wandali, a sancta Maxima virgine, eorum conserva, ad Christi fidem conversi, pro constantia fidei catholicae primum nodosis fùstibus caesi sunt, et usque ad ossa laniati; sed cum multo tempore talia paterentur, et sequenti die nihilominus semper incolumes redderentur, exilio tandem relegantur: ubi cum multos barbarorum ad fidem Christi convertissent, et a Romano Pontifice presbyterum, aliosque ministros, qui eos baptizarent, obtinuissent, novissime vinctis pedibus post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca silvarum jussi sunt pariter interire: Maxima vero post multos superatos agones divinitus liberata, in monasterio multarum virginum mater sancto fine quievit. Item sanctorum Saturnini, Nerei, et aliorum trecentorum sexagintaquinque Martyrum.

In uno eodemque articulo hos Martyres complectimur, cum omnes, ut Baronius testatur, qui tamen, quando

* Argentoratum seu Argentina, germ. *Strassbourg*, Alsatiae caput, et episcopali sede insignita sub Moguntina metropoli.

** *Kaltau*, Rheni brachium.

*** Vulgo, *Kitzingen*.

**** Vulgo, *Ochsenkopf*.

SS. Saturninus, Nereus, alii trecenti sexagintaquinque palmam martyrii adepti fuerint, nescit, perierint in persecutione vandalica. Circa ipsos nihilominus multae obortae sunt quaestiones, quas difficillimum est componere.

MARTYROL. — Coloniae S. ELIPHII Martyris sub Juliano Apostata. (Vide *Surium*, pag. 433).

— Item S. BERCHARII Abbatis et Martyris. (Vide *Surium*, pag. 481).

S. AMBROSIUS EPISC.

Obiit anno circiter 770 — *Nat. Gallus.*

MARTYROL. — In territorio Bituricensi * sancti AMBROSII Episcopi Caturcensis **.

Vir fuit summâ innocentiâ, vitaeque austeritate. Ad episcopalem dignitatem promotus, anno 752, omni ope atque opere enisus est ut depravatos sui gregis mores corrigeret reformaretque: sed frustra, ita ut Episcopatum deponere mente agitaret. Demum, clanculo in quodam specu sese abdidit, ubi tres annos in oratione, vigiliis et jejuniis permansit. Cum detectus fuisset, ne in suam dioecesim redire cogeretur, Romam perrexit, ad SS. Apostolorum limina visitanda. In Galliam reversus, S. Martini sepulcrum pie veneratus est; tandem in quamdam solitudinem apud Bourges se contulit, ubi sancto fine vitam explevit anno circiter 770, miraculis in vitam et post mortem clarus. (Ex Baillet, *Les vies des Saints*, etc.).

MARTYROL. — Moguntiae sancti LULLI Episcopi et Confessoris. (Vide *Surium*, pag. 479).

S. FLORENTINUS EPISC.

MARTYROL. — Treviris sancti FLORENTINI Episcopi.

Fuit hic, ait Baronius, vicesimus tertius ejus sedis Episcopus, successitque S. Severino, ut docent tabulae ejus ecclesiae, quas descripsit Demochares. Sed Severinum Episcopum fuisse Trevirensem a nonnullis in dubium vocatur. Prorsus autem ignoratur quo tempore ipse, et S. Florentinus, ejus successor, episcopatum gesserint.

MARTYROL. — Apud Arbonam in Germania sancti GALLI Abbatis, discipuli beati Columbani. (Vide *Surium*, pag. 449).

SESTODEC. KAL. NOV. OCT. XVII.

MARTYROL. — Sanctae EDWIGIS viduae, Poloniae Ducissae, quae Idibus Octobris obdormivit in Domino (Vide *Surium*, pag. 483).

S. HERO, EPISC. ET MART.

Passus est anno 128.

MARTYROL. — Antiochiae natalis sancti HERONIS discipuli beati Ignatii, qui post eum factus Episcopus, vitam magistri pius imitator secutus, pro commendato sibi grege amator Christi occubuit.

Vitâ functus est S. Ignatius anno 108. In hoc autem consentiunt omnes S. Heronem viginti annis Antiochenam cathedram occupasse; unde obitus ejus anno 128 innectendus est. Quoad S. Heronis gesta, nihil prorsus comperi, quod hanc brevem ipsius notitiam locupletarem

SS. VICTORIS, ALEXANDRI ET MARIANI MM.

Passi sunt forte anno 303.

MARTYROL. — Eodem die passio sanctorum VICTORIS, ALEXANDRI et MARIANI.

Hisce Martyrologii Romani verbis nulla indicatur nostrorum Martyrum

* Territorii Bituricensis, in Gallia, urbes praecipuae erant, olim, *Bordeaux* et *Bourges*.

** Cadurcum vel Dibona, in Aquitania, patria Joannis Pp. XXII, hodie *Cahors* vocatur.

palaestra, nec quonam morti genere occubuissent. Ex aliis Martyrologiis eos passos fuisse Nicomediae, nec post annum 304, facile eruitur.

S. MAMELTA Mart.

Probab. saec. V.

Martyrol. — In Perside sanctae Mameltae Martyris, quae a cultu idolorum ad fidem Angelico monitu conversa, a Gentilibus lapidata est, et in profundum lacum demersa.

Hoc S. Mameltae elogium. ab illo, quod in *Menologio Basiliano*, continetur, parum differt; cujus verba haec sunt: « sancta Mamelchta ex Perside fuit, templi quidem Dianae sacerdos, sed sororem christianam habens. Cum autem in somnis vidisset Angelum Dei sibi christianorum mysteria ostendentem, excitata cum terrore de somno, rem omnem sorori aperuit: a qua ad Episcopum adducitur. Episcopus vero, intellecto visionis symbolo: « christianam, inquit, oportet te fieri. » Statimque illam, sororis manibus de sacro fonte susceptam, baptizavit. Quare vehementi furore correpti gentiles, multis excruciatam tormentis lapidibusque obrutam interfecere, splendidâ adhuc sacri baptismatis veste indutam, atque in profundissimum lacum demersere; unde vix a christianis extracta est. Adiit autem Persarum regem Episcopus, impetravitque, ut, everso Dianae templo, ecclesiam sanctae Martyris nomine excitaret: quod cum aedificasset, pretiosas ejus reliquias ibi deposuit. » Bollandistis videtur hoc martyrium saeculo quinto accidisse.

S. ANDREA Monachus et Mart.

Passus est anno 767.

Martyrol. — Constantinopoli sancti Andreae Cretensis Monachi, qui ob cultum sacrarum imaginum sub Constantino Copronymo saepius verberatus, tandem, amputato altero pede, reddidit spiritum.

S. Andreas, martyr Constantinopolitanus, in Oriente plurimum celebratus, in omnibus paene graecis fastis recolitur; nec apud eas gentes tantummodo, quae graeco idiomate olim usi sunt aut utuntur, sed etiam apud Moschos, Ruthenos et Melchitas Antiochenos, Kalendariis ecclesiasticis adscriptus est. In Menaeis, quae in Bibliotheca Ambrosiana, Mediolani, adservantur, haec, latine e graeco reddita, de S. Andrea leguntur: « Is * (*Andreas*) sub Constantino Caballino, asceticae vitae addictus vivebat in insula Creta, cumque audisset tyrannum orthodoxos tormentis exagitare, illum redarguendi causâ Constantinopolim navigavit. Invenit eum ultra **, in Palatio ad S. Mamantis, saevientem in eos qui sacrarum Imaginum nollent cultum abjicere, eumque compellans: « Imperator, tune christianus es? » inquit. Hic vero cum ira ad eum conversus, adduci jussit. Tum alii capillos abripientes, alii tunicam lacerantes, et a tergo caedentes, sanctum raptabant. Cui tyrannus: « Itane contumeliis Imperatorem afficere edoctus es? » Ille vero: « Nemo delinquit, Imperatorem arguens, dum leges contemnit. » Tyrannus iterum: « In vos potius legum corruptores animadvertimus, qui quasi diis advoluti, imagines adoratione prosequimini. » Respondit ille: « Nescis, Imperator, quid sit cultum relativum exhibere, quid vero latreuticum. » Tum eum ad flagra extendi, tergum et pectum bovinis nervis concidi, deinde os saxis contundi praecepit; postera die foris ejectum, utpote cui Christum et sacras imagines abnegare non persuasisset, rur-

* S. Andreas in insula Creta natus est, ut Acta ejus et Synaxaria omnia testantur. De vita, quam illic egit, pauca admodum innotuerunt. Certum tamen est, eum monasticum vel anachoreticum vivendi genus amplexum fuisse.

** Scilicet ad partem occidentalem civitatis, ubi situm erat palatium, quod a S. Mamante nuncupabatur.

sus flagellatum, capite in terram demisso, alligatis pedibus raptari jussit et Constantinopoli publice deridendum exponi. Quem citissime pertrahentes, terram in raptando sanguine consperserunt. Ita forum Bovis * assecutos conspiciens aliquis qui modo pisces exeraverat, de tormenti causa sciscitatur; re compertâ, macelli cultro miser arrepto, servis diaboli placere appetens, cursu contendit et dextrum pedem Sancto abscidit, qui inter ea sanctam et beatam animam Domino tradidit. Qui eum raptabant ut mortuum aspexere, velut quid morticini in foedissimum locum abjecerunt: nocte vero adventante, sublatum quidam orthodoxi tumulo condiderunt in loco qui dicitur Crisis. » (In *Bolland.*).

S. FLORENTINUS Episc.

Obiit circa ann. 526.

Martyrol.— Arausicae ** in Gallia S. Florentini Episcopi, qui multis clarus virtutibus, quievit in pace.

Florentius, apud Turonenses *** in Gallia natus, eximiâ vir sanctitate fuit. Hic a prima aetate optime institutus, postquam in clericorum numerum adscriptus est, in abdita quadam cellula piis meditationibus egregie exculto animo, Romam ad Apostolorum limina religionis causâ proficiscitur. In eo itinere incidit forte in latrones, a quibus post multa probra et contumelias, ubi etiam caput suum peti stricto gladio videt, nihil ille nisi Deo spiritum suum commendat. Cum ecce (o rem miram!) suspensum in aëre latronis haeret brachium irrito conatu. Hoc miraculo cum perterrefacti pessimi homines sanctum virum rogare coepissent, Deum ipsis ut propitiaret, illico, impetratâ illis a Deo misericordiâ, percussores suos impune ac bona cum venia dimisit. Vicus est in agro Placentino haud ignobilis, Florentiolam **** hodie vocant; eo cum postea pervenisset, puellam ibi, quae ad sepulturam forte deferebatur, a mortuis excitat. Hoc tanto miraculo cum loci princeps, qui erat puellae pater, tum etiam incolae pro se quisque Florentium ... tare, amore et benevolentia prosequi, omnia ei sua deferre coeperunt. Aliquot post annis, ubi illum in coelestem patriam migrasse allatus est nuntius, eumdem S. Florentium tutelarem et praecipuum pagi patronum sumendum omnes censuerunt. Itaque in illo eodem loco, ubi puella fuerat in vitam revocata, ad ipsius Sancti honorem templum idem amplificandum curant, quod postea elegantiore opere et structura auctum hodie pervisitur et frequentatur. Nec unius pagi angustiis tanti viri cultus se continuit, sed etiam Romae, Venetiis, Mediolani, ubi caeco lumen, mortuo vitam restituit; aliis praeterea in locis magno in honore fuit et miraculorum gloriâ illustris. In sua Gallia tum populo universo, tum ipsi etiam regi sperans, Arausicanae ecclesiae pontifex, multa tum doctrinae tum etiam pietatis egregia dedit argumenta, optimi pastoris et parentis officia muneraque omnia diligentissime exequens. Sanctissimam vitam sanctissima consecuta est mors XVI Kalendas Novembris. Sepultus est in illa urbe et ut talem virum decuit. Ex sacris ejus ossibus insigniora aliquot, Dionysii ***** antistis operâ, Florentiolae ad illud, quod diximus, templum delata honorificentissime excepta sunt, ibique et multis persaepe miraculis floruerunt, et in summa apud omnes veneratione habentur. Cujus etiam translationis dies ibidem

* *Forum bovis* nomen mutuabatur a camino aeneo in formam bovis conflato, in quo ustus fertur S. Antipas martyr.

** Vulgo, *Orange*.

*** Vulgo, *Tours*.

**** Italice, *Firenzuola*.

***** Hic Dionysius Placentiae antistes, Cadaloi schismati adhaesit, atque demum a Gregorio Pp. VII a sede sua expulsus est (Vide Ughellum

iniversariâ memoriâ XIV Kalendas prilis recolitur. (Ex officiis propriis :clesiae Placentinae, in *Bolland.*).

S. VICTOR Episc.

Obiit anno 554.

Martyrol. — Capuae sancti Victo-is Episcopi, eruditione et sanctitate onspicui.

Nulla supersunt S. Victoris Acta; t ne in Capuano Breviario quidem, it Ughellius (*Italia sacra*), ulla de psius gestis memoria continetur. 'auca, quae de S. Victore habemus, venerabili Beda haurienda sunt. Scripsit itaque S. Victor noster opus quoddam de cyclo paschali, contra Victorium Aquitanum, cujus operis venerabilis Beda in libro *De Ratione emporum* refert. Edidit quoque *Quatuor Evangeliorum Consonantiam*, quam ipse e graeco in latinum idioma transtulerat. Doctissimus vero Cardinalis Pitra in suo *Solesm. Spicilegio* aliqua pretiosa fragmenta S. Victoris, inedita, nempe scholia in Genesim, et forsan in Exodum, nuper edidit. Ad haec est addenda commentatio aut recensio correctior Actuum Apostolorum, Epistolae S. Jacobi ad dispersos et Apocalypseos, cujus autographum hodie Fuldae, ut videtur, exstat. Haec sunt quidem praecipua Sancti nostri scripta, quorum notitia ad nos pervenit. (Ex *Bolland.*).

QUINTODEC. KAL. NOV. OCT. XVIII.

Martyrol. — Natalis beati Lucae Evangelistae, qui multa passus pro Christi nomine, Spiritu Sancto plenus obiit in Bithynia: cujus ossa Constantinopolim translata sunt, et inde Patavium delata. (Vide *Surium*, pag. 523).

S. ASCLEPIADES Episc.

Passus est circa annum 217.

Martyrol. — Antiochiae sancti Asclepiadis Episcopi, qui unus fuit ex praeclaro Martyrum numero, qui sub Macrino gloriose passi sunt.

Pauca de hoc Sancto ad nos pervenerunt. Eusebius Caesariensis (*Hist. Eccles.*) ejus electionem memorat, brevibus iisque gravibus verbis illius virtutes commendans. Aitenim: « Antiochiae vero, Serapione mortuo episcopatum ecclesiae suscepit Asclepiades: qui persecutionis tempore fidem Christi confessor, maximam gloriam retulerat. Hujus Ordinationis mentionem facit Alexander in Epistola ad Antiochenses his verbis: *Alexander servus Dei et vinctus Jesu Christi beatissimae Antiochensium ecclesiae in Domino salutem. Expedita mihi ac levia vincula Deus effecit custodiae meae tempore, postquam comperi Asclepiadem virum fidei merito maxime idoneum, sanctissimae ecclesiae vestrae, episcopatum divinâ providentiâ suscepisse.* Incidenter meminit S. Asclepiadis S. Hieronymus in *Catalogo Script. Eccles.*, ubi de hac Alexandri Jerosolymorum episcopi epistola ad Antiochenses loquitur. Bollandistis probabilius videtur S. Asclepiadem sedem Antiochenam ab anno 211 ad annum 217 tenuisse; nec inter cruciatus, quamvis eos passus fuisset antequam Episcopus ordinaretur, vitam suam complevisse. Nec proinde Asclepiades *Martyr* proprie, sed potius *Confessor* est dicendus.

Martyrol. — In territorio Belvacensi sancti Justi Martyris, adhuc puer in persecutione Diocletiani sub Rictiovaro Praeside caesus est. (Vide *Surium*, pag. 537).

S. ATHENODORUS Episc.

Passus est saeculo III.

Martyrol. — Neocaesareae * in Ponto sancti Athenodori Episcopi, fratris sancti Gregorii Thaumaturgi, qui

* Hodie *Niksar*, patria S. Gregorii Thaumaturgi ejusque fratris.

doctrinâ clarus, in persecutione Aureliani martyrium consummavit.

Duo penes Graecos ejusdem nominis reperiuntur martyres, ait Baronius, quorum alterum septimo idus novembris, alterum vero ad septimum idus decembris celebrant. Hic autem, de quo agimus, non sub Decio vel Valeriano (ut in quibusdam codicibus mendose legitur) sed sub Aureliano passus est: ad ea enim usque tempora eumque pervenisse constat: nam reperitur interfuisse Concilio Antiocheno adversus Paulum Samosatensem temporibus ejusdem Aureliani imperatoris, ut constat ex Eusebio, etc. Ille alter Athenodorus fuit ex Mesopotamia Syriae, passusque est temporibus Diocletiani sub Eleusio praeside, ut constat ex eorum Menologio.

S. JULIANUS Eremita.

Obiit prob. inter annum 372 *et* 380.

Martyrol. — In Mesopotamia ad ripam Euphratis sancti Juliani Eremitae.

Praeclaram de S. Juliano laudem S. Joannes Chrysostomus intexuit, quum ad populum Antiochenum loquens haec verba protulit: « Scitis utique et audivistis, et vidistis etiam nonnulli, virum quem sum dicturus, Julianum illum inquam admirandum. Homo is erat rusticus, humilis et humili loco natus, neque omnino externae eruditionis peritus, sed, philosophiâ non ficta repletus. Hoc ingrediente civitates, quod quidem raro contingebat, tantus fiebat concursus quantus, neque ad rethorum, neque ad sophistarum, neque ad alius cujuscumque ingressum fieri assolet. Quid vero dico? Nonne nomen ejus nunc quoque clarius quam quorumvis regum decantatur? » Prae caeteris autem in S. Juliani vita exponenda copiosissime versatus est Theodoretus: qui quidem omnia quae de eo perscripsit, Acacio Beraeensi in Syria episcopo, cui res ejus omnes accurate notas fuisse testatur, in acceptis refert. Deinde etiam suae Historiae ecclesiasticae duo capita de eodem Sancto intexuit, alterum ubi de morte Juliani apostatae, alterum ubi de Valentis persecutione: quae jam nunc lectoribus nostris exhibemus. Disserens de Juliano apostata, haec de Juliano eremita scribit: « Sed et qui corporis expertium vitam in corpore est imitatus, Julianum dico, cui Sabae * cognomen Syrorum linguâ fuit, cujusque vitam in Philotheo Historia conscripsimus, cum de impii illius minis perlatum esset, Deo universorum studiosius preces offerebat. Eo autem ipse die quo ille caesus fuit, hic ejus caedem inter preces edidicit, quamvis viginti amplius mansionum intervallo distaret a castris monasterium. Ferunt autem illum, cum enixius oraret et clementi Deo supplicaret, fluentes lacrymas subito repressisse, effusumque in laetitiam hilari vultu fuisse, qui animi gaudium testaretur. Quam ejus mutationem conspicati familiares ejus rogarunt ut laetitiae causam ipsis aperiret. Tum ille suem agrestem, vastatorem vineae Domini, poenas injuriarum in illum suarum exsolvisse dixit, et nunc jacere mortuum atque insidiarum finem fecisse. Quibus auditis, exiliere omnes, Deoque gratiarum laudes cecinere. Cognitum autem est ex iis qui ejus mortem nuntiarunt, eamdem ipsam diem atque horam fuisse qua extinctum sceleratum divinus senex cognovit et praedixit. » Postmodum, furentibus Antiochiae Arianis, quidnam ibi praeclare a S. Juliano gestum sit, audi: « Eodem vero tempore celebris ille Julianus, cujus antea meminimus, relictâ solitudine, Antiochiam venire coactus est. Nam cum mendaciorum alumni texendarumque calumniarum gnari

* *Saba* apud Syros sonat ac Presbyter vel Senior apud Graecos et Latinos. Titulus est honoris.

semper artifices, Arianos dico, magnum illum virum suarum esse partium affirmarent, misere Flavianus, Diodorus et Aphraates, clara lumina veritatis, Acacium strenuum virtutis athletam, qui Beraeensium ecclesiam sapienter postea rexit, ac laudatissimum virum illum, obsecrantes ut tot hominum millia miserari et adversariorum falsitatem refutare veritatisque praedicationem confirmare vellet. Quae porro veniens et rediens atque in ipsa maxima urbe miracula edidit, in Philotheo Historia nostra perscripta sunt, quam adire iis licet qui haec cognoscere volunt... Idem vero ipsum jam antea Constantii temporibus Alexandriae praestiterat magnus Antonius... Ita sciebant divini illi viri congruentia cuique tempori accomodare, et quando quietem amplecti conveniat, et quando urbes solitudini anteferre. » In sua solitudine S. Julianus mortuus est, anno incerto, sed, ut Bollandistae definiunt, inter annos 372 et 380.

Martyrol. — Romae natalis sancti Pauli a Cruce Confessoris, Institutoris Congregationis a Cruce et Passione Domini nostri Jesu Chisti nuncupatae, quem mirâ innocentiâ ac poenitentiâ conspicuum, et singulari in Christum crucifixum charitate incensum Pius Papa Nonus Sanctorum fastis adjunxit assignato ejusdem festivitati quarto Kalendas Maji. (Vide *Surii* Vol. iv, pag. 635, etc.).

S. TRIPHONIA Vidua.

Saeculo III.

Martyrol. — Romae sanctae Triphoniae, uxoris quondam Decii Caesaris, quae in crypta juxta sanctum Hippolytum sepulta est.

Classica Martyrologia omnia, quae post saeculum vii conscripta sunt, laudant ad praesentem diem, qua in cryptis humata fuit, S. Triphoniam viduam Romanam, quae interdum (absque ullo fundamento) martyr adpellatur. Verum ea fere omnia, ut Bollandistae aperte declarant, quae ad S. Triphoniam pertinent, jure meritoque *apocrypha*, *veritati contraria*, *supposititia et plane fabulosa* dici possunt. Nobis sufficiat hic monere S. Triphoniam nunquam Decii Caesaris uxorem fuisse, nec filii ejus natu majoris, ut quidam autumarunt. S. Triphoniae reliquiae nunc in ecclesia S. Silvestri de Campo Martio servantur, religioseque coluntur.

QUARTODEC. KAL. NOV. OCT. XIX.

Martyrol. — Arenis in Hispania S. Petri de Alcantara, Confessoris Ordinis Min., quem propter admirabilem poenitentiam, multaque miracula, Clemens Nonus Sanctorum numero adscripsit. (Vide *Surium*, pag. 546).

— Item Romae natalis sanctorum Martyrum Ptolomaei et Lucii, sub Marco Antonio: quorum prior (ut scribit Justinus Martyr) cum impudicam mulierem ad fidem Christi convertisset, et castitatem colere docuisset, ab impuro viro apud Praefectum Urbicium accusatus, multo tempore squalore carceris maceratus est, et ad ultimum cum de Christi magisterio publica confessione testaretur, jussus est duci ad mortem. Lucius quoque cum Urbicii sententiam improbaret, et se christianum libere fateretur, similem sententiam excepit: quibus et alius tertius adjunctus est, qui etiam eodem supplicio damnatus fuit. (Vide *Surium*, pag. 553).

SS. BERONICI, PELAGIAE Virg. et aliorum XLIX Martyrum.

Saeculo incerto.

Martyrol. — Antiochiae sanctorum Martyrum Beronici, Pelagiae Virginis et aliorum quadragintanovem.

Horum Ss. Martyrum occurrit hac die memoria in Martyrologiis sive antiquis sive recentibus fere omnibus. Ast praeter hanc nihil quod ad eorum gesta pertinet, uspiam reperitur. Prorsus enim desunt eorum Acta. Cum tamen in antiquissimo Martyrologio reperiatur horum SS. Martyrum memoria, dubitari non potest quin prioribus ecclesiae saeculis martyrii lauream consecuti sint. (Ex *Bolland.*).

Martyrol. — In Aegypto sancti Vari Militis, qui sub Maximino imperatore dum sanctos septem monachos in carcere detentos visitaret, atque reficeret, uno ex ipsis defuncto, in ejus locum subrogari voluit, et cum illis saevissima passus, martyrii palmam adeptus est. (Vide *Surium*, pag. 555).

— Ebroicis sancti Aquilini Episcopi et Confessoris. (Vide *Surium*, pag. 464).

S. VERANUS Episc.

Saec. VI exeunte.

Martyrol. — In territorio Aurelianensi depositio S. Verani Episcopi.

Baronius, in Notis ad Martyrologium Romanum, suspicatur hunc illum esse Veranum famâ celebrem episcopum Calibonensem (*Chalon-sur-Saône*), cujus meminit Gregor. Turon. in *Hist. Francorum.* Verum Baronio luculenter contradicunt Collectores *Galliae Christianae*, qui sanctum Veranum Caveillonensem (*Cavaillon*) episcopum fuisse statuunt. Ortum habuit hic Sanctus noster Gabalis * in Aquitania, atque in sacris disciplinis recte institutus, clericus Mimatensis ** ecclesiae effectus est. Romam devotionis causâ perrexit. Caveillonensem urbem pertransiens, divinâ dispositione, ibi episcopali honore quamvis invitus decoratus est, cumque in sincero Dei famulatu et gregis sedula procuratione consenuisset, plenus diebus et meritis vitae immortalis praemia obtinuit. Sepultus fuit sanctus Antistes in ecclesia, quod in honorem Deiparae Virginis ipse construxerat. Plures autem, inter quos Baronius, S. Verani reliquias Jargolium, quod est oppidum ad Ligerim *** in dioecesi Aurelianensi **** fuisse delata asseruit; verum Bollandistae, omnium sententiis accurate perpensis, ad nostra usque tempora Caveillone eas permansisse ajunt.

* Hodie *Javoulx.*
** Vulgo, *Mande.*

S. EUSTERIUS Episc.

Saeculo V.

Martyrol. — Apud Salernum sancti Eusterii Episcopi.

De hoc Sancto perpauca ad [illegible] pervenere. Ferrarius hanc ipsius mentionem in *Catalogo Sanctorum Italiae* fecit: « Eusterius episcopus Salernitanus IV post S. Verum Salernitanae praefuit ecclesiae: quam ea sanctitate administravit, ut cum diem suum xiv Novembris obiisset, Sanctorum numero adscribi meruerit. Corpus in Crypta majoris ecclesiae cum corporibus aliorum SS. Episcoporum servatur. In cujus natali (19 Octobris), qui dudum hac die celebrari consuevit, haec oratio recitatur: *Deus, cui B. Eusterius pontifex ita sanctitatis gratia decoratus complacuit, ut tuorum consortium in coelis promereretur Sanctorum; da Ecclesiae tuae, quaesumus, ejus interventu perpetuam consequi laetitiam, cujus depositionis diem gratulando celebrat solemnem.* » Dein hanc subjungit annotationem: « Acta ejus perierunt, ut neque patria, neque tempus quo vixit, sciri potuerit. » Videtur nihilosecius Bollandistis S. Eusterium medio saeculo quinto floruisse.

*** Vulgo, *Loire.*
**** Vulgo, *Orléans.*

S. ETHBINUS ABBAS.

Versus annum 625 — Britannus.

MARTYROL. — In Hibernia sancti ETHBINI Abbatis.

Ex S. *Ethbini Levitae et Confessoris Vita*, incerto auctore, quam in urio et in *Sanctorum Actis* a Boll. ditis, baec, quae sequuntur, decerpsimus: « In Britanniae partibus* natus xtitit Ethbinus, patre nobilissimo et matre. Eruditus liberalibus studiis in lomo patris usque ad quintum decimum annum fuit. Mortuo autem patre Eutio, mater Eula ad sancti Samsonis episcopi Dolensis ** confugit praesidium, et ut eam sacro velamine consecraret postulavit; qui ejus voluntati petitionique assensum praebens, et eam Deo dicavit, et filium suum Ethbinum, comam capitis radens, clericavit. Mansit autem Ethbinus cum beato Samsone episcopo quibusdam diebus, serviens ei die ac nocte. Quadam autem die dum beatus Samson episcopus sacerdotali fungeretur officio, et Baumerus diaconus lectionem Evangelii recitaret, audivit Ethbinus verba dicentis Domini: *Qui non renuntiat omnibus quae possidet, non potest meus esse discipulus* ***. Hac voce compulsus, cuncta reliquit, ad sanctum Similianum abbatem pervenit, monachalemque habitum de manu ejus suscepit et sub jugo Domini cervicem suam inclinavit, in monasterio qui Tauracus **** nuncupabatur. In eodem autem monasterio habitabat Winwaloeus ***** sacerdos et monachus, magnae sanctitatis vir, qui beatum ad se conjungens virum, vidit eminus eum supernâ gratiâ illustratum; ut pater filium diligebat. Consuetudo autem erat beati Winwaloei ecclesiam, quae sita erat a monasterio milliario uno, visitare, et inibi hostias tam pro vivis quam pro defunctis, jussu Abbatis, offerre. In hujus enim visitationis consuetudine secum sociavit Ethbinum, juvenem praeclarum, diaconum magnum, ut sacerdos dignus diacono sustentaretur justo..... Supervenientes autem Franci vastaverunt ipsum templum et omnem Britanniam. Tunc beatus Ethbinus ****** in Hiberniam fugiens, in silva, quae Nectensis ******* dicitur, ut pauper peregrinus tugurium fecit et in honore sancti Silvani martyris ecclesiam fabricavit, in qua assidue, ut bonus servus, Domino suo militavit... Vixit autem in eodem loco viginti annis, fideliter operans opus Dei, donans sanitatem infirmantibus. Tantaeque abstinentiae fuit ibidem Beatus iste, ut in ebdomada non reficeretur nisi semel, in quinta feria scilicet, et tunc pane solo et aqua. Vinum in eodem loco non bibit, nisi tantummodo quum ad sacra mysteria accederet. Igitur cum jam ferme octoginta et trium esset annorum, acri coepit dolore fatigari. Convocatis fratribus, qui in eadem silva morabantur, obitum suum praedixit dicens: « Cunctipotenti Domino, fratres, vos commendo, qui praesens est servis suis in cunctis necessitatibus eorum. Me autem ad praesens moriturum corpore scitote, ad dexteram partem hujus altaris me ponite: sacras hostias super ipsum pro remissione peccatorum meorum offerte. » Itaque, pacificatis omnibus, ante altare spiritum reddidit, quartodecimo Kalendas Novembris. Sepultus est autem in eodem loco, ubi jusserat, honorifice. Ubi, largiente Domino, fiunt miracula ad laudem et honorem nominis ejus, cujus virtus et potestas per infinita saecula saeculorum.»

* Scilicet in *Britannia Minori*, anno circiter 540.
** *Dol* urbs est Britanniae Minoris.
*** Lucae XIV, 33.
**** Penitus ignoratur, quo in loco fuisset hoc monasterium.
***** De Sancto Winwaloeo nihil ad nos pervenit, praeter ea quae in S. Ethbini actis leguntur.
****** Sexagenario major.
******* Haec silva videtur sita fuisse apud urbem Kildare.

S. FREDESWINDA Virgo.

Medio saeculo VIII — Angla.

Martyrol. — Oxonii * in Anglia sanctae Fredeswindae Virginis.

Quae passim, apud varios scriptores, de sanctae Fredeswindae ** vita memorantur, breviter et per modum sinopsis habes in Lelandi collectaneis (Vol. 1): « Circa annum Domini DCCXXVII Didanus quidam subregulus, civitatem Oxenefordae incolatus sui frequentia honestabat. Safrida uxor Didani, Fridiswida filia Didani et Safridae, Algiva, foemina religiosissima, erudivit Fridiswidam. (Algiva forsan abbatissa monasterii sanctae Mariae Winton.) Fridiswida fit sanctimonialis, et XII nobiles puellae ejus exemplum secutae sunt. Ex regis *** itaque munificentia diversoria religionis aptissima secus ecclesiam construuntur. Didanus conjugis nuper amissae dolore percussus, ecclesiam infra urbis ambitum construxit, et in honore sanctae Mariae et omnium Sanctorum dedicatam, filiae commendavit poscenti. Rex Algarus inflammatus amore Fridiswidae eam, quamvis monacham, in uxorem expetit. Fridiswida fugit, raptâ naviculâ, per Tamesim ad Bentonam **** villam, decem millium passibus hinc distantem, et silvam vicinam petit, ubi in derelicto porcorum mapali, haedera obducto, delituit. Algarus comminatur excidium urbi Oxenefordensi, non inventâ Fridiswidâ. Algarus in poenam tyrannidis superum vi oculorum lumen amisit. Hinc innatus horror ***** regibus Angliae, ut nec unus profecto succe Oxenefordiam praesum Mansit Fridiswida tribu in solitudine praefata, se incolis. Fridiswida, consce propere venit ad praediu civitati propinquum, neja ****** dicitur, ubi or struxit ac aedificia. Erat praedio locus Thornebyri litarius ac religioni apt torium construxit. Fridis cibus fons erupit in Thor sancta Fridiswinda XIV bris. Sepulta est ******* in ctae Mariae Oxoni prope

* Anglice, *Oxford*, studiorum Universitate perquam celebris. Haec vero Oxoniensis Universitas a Camdeno vocatur *sedes musarum, nutrix seu potius sol, oculus, anima totius Angliae; inclytus doctrinae et scientiarum fons, unde urbanitas, litterarum studium in universum diffunduntur regnum.*

** Alii habent *Fredeswida, Frideswida, Frithes-wita*, etc.

*** Nomen *regis* communissimum erat illis temporibus. Saepenumero nihil aliud significat, quam virum aliquod imperium exercentem.

**** Nunc *Bensington* vocatur.

***** Hujuscemodi horrorem, q gliae affecti erant, antiquiores scr meminerunt.

****** Hodie *Binsey*, vicus haud p nio.

******* Sepulcrum S. Fredeswin rico VIII, anno trigesimo sui regni namentis omnibus spoliatum fuit, dem sacrilege profanatae ac cum al sunt.

TERTIODEC. KAL. NOV.

S. JOANNES Cantius Pre

Obiit anno 1473

Martyrol. — In Pol Joannis Cantii Presbyteri soris, quem virtutibus e gloriosum Clemens Ter Pontifex Maximus sancto adscripsit. (Vide *Breviari num* sub hac die).

S. MAXIMUS Levita

Passus est anno 250 vel 25

Martyrol. — In Avie prope Aquilam in Vesti beati Maximi Levitae et M patiendi desiderio, inqui persecutoribus palam osten responsionis constantiam suspensus ac tortus, dein caesus, ad ultimum e su praecipitatus occubuit.

Sancti Maximi meminit die XIX ctobris Ferrarius in *Catalogo Sanctorum Italiae;* cujus verba hic referre placet: «Maximus Levita Aviensis (urbs erat Vestinorum, prope Aquilam) cum Christi Domini fidem praedicat Decio Imperatore, comprehendi jussus, ultro se satellitibus exhibuit. Qui ad Praesidem ductus, deque genere et religione interrogatus, se ex ingenuo genere, et religione Christianum, officioque Levitam respondit. Interrogatus autem cur Deos immortales non coleret: *quia*, inquit, *novi Deos vestros simulacra vana esse et surda*, *non Deos*. Multis vero ultro utroque dictis, Praeses filiam Maximo in matrimonium pollicetur, si mandatis Imperatorum pareat. Qua optione recusatâ, cum nullis promissionibus, neque minis a constantia fidei dimoveri posset, in equuleo suspensus crudelissime torquetur, Christo gratias agens, quod dignus pro nomine illius pati haberetur. Dicenti autem Praesidi: *sacrifica Diis nostris*, *ut teipsum lucreris*, respondit Martyr: *animam meam lucrabor si daemoniis non sacrificavero.* Quo responso Praeses irâ excandescens, illum postibus caedi jubet, et, ut Dianae sacrificet interpellat. Cui Maximus: *quid adhuc verba superflua loqueris? Ego Dianae vestrae non sacrifico; sed meipsum offero sacrificium Deo meo vivo et vero.* Tunc majori irâ excandescens tyrannus Maximum ad locum, qui *circulus* dicebatur, duci, indeque ex alto praecipitari mandat. Cum itaque Maximus aliquantisper orasset, eaque verba pronuntiasset: *in manus tuas*, *Domine*, *commendo spiritum meum*, e sublimi dejectus gloriosum martyrii agonem absolvit XIV Kal. Novembris. Cujus corpus noctu a Christianis sepultus fuit.» (Ex offic. Ecclesiae Aquilanae, Romae approb. anno 1603).

MARTYROL. — Agenni in Gallia sancti CAPRASII Martyris, qui cum rabiem persecutionis declinans, latèret in spelunca, tandem audiens qualiter beata Fides Virgo pro Christo agonizaret, animatus ad tolerantiam passionum, oravit ad Dominum, ut, si eum gloriâ martyrii dignum judicaret, ex lapide speluncae limpidissima aqua manaret: quod cum Dominus praestitisset, securus ad aream certaminis properavit, et palmam martyrii sub Maximiano fortiter dimicando promeruit. (Vide *Surium*, pag. 574).

MARTYROL. — Antiochiae sancti ARTEMII Ducis Augustalis, qui sub Constantino Magno, praeclaris militiae honoribus functus, a Juliano Apostata, quem saevitiae in Christianos arguerat fustibus, caedi, aliisque tormentis affligi, ac demum capite truncari jubetur. (Vide *Surium*, pag. 579).

SS. MARTHA ET PAULA MM.

Saeculo incerto.

MARTYROL. — Coloniae passio sanctarum Virginum MARTHAE et PAULAE cum aliis pluribus.

De hisce sanctis Martyribus nihil inveni, quod Martyrologio Romano addam.

S. FELICIANUS EPISC. ET MART.

Probabilius saeculo X.

MARTYROL. — Apud Mindam * natalis sancti FELICIANI Episcopi et Martyris.

Cum nullus Mindensis ejus nominis, subjungit Baronius, reperiatur Episcopus, fortasse hic ille Felicianus Fulginatis ** ecclesiae est Episcopus et Martyr, cujus venerandas reliquias Otho Magnus Imperator in eam regionem transtulit, ut scribit Sigebertus in Chron. anno Domini 969.

* Germaniae, *Minden*, ad sinistram ripam Visurgis (*Weser*).

** Scilicet *Foligno*, in Italia.

SS. GEORGII ET AURELII MM.

MARTYROL. — Parisiis sanctorum GEORGII Diaconi et AURELII Martyrum.

Translatio potius quam dies natalis, monet Baronius, horum Sanctorum hîc agitur, cum eorum reliquiae in Gallias delatae, Parisiis conditae sunt. Natalis autem dies Georgii et Aurelii Martyrum agitur VI Kal. Aug., de quibus S. Eulogius *Mem. Sanct.* lib. 2, cap. 10.

S. IRENE VIRGO ET MART.

Passa est anno 653 — *Lusitana.*

MARTYROL. — In Lusitania sanctae IRENES Virginis et Martyris.

In Auctario Martyrologii Romani, lusitanico idiomate, medio fere saeculo proxime elapso, edito, haec de S. Irene habentur: « In oppido Santarem S. Irenes*, Virginis et Martyris, quae quum esset ex nobilissimo genere lusitano, et educata a tenera aetate in omni virtute multos labores majoresque ignominias pro defensione virginitatis passa est: sed haec omnia offerebat Christo sponso suo, quem, licet aliud false opinarentur homines, unice amabat. Stans demum in oratione, jubente filio cujusdam viri primarii, cui Sancta prodigiose vitam servaverat, in ore gladii occisa** fuit. Ejus corpus in flumen Nabantiam *** praecipitatum fuit: sed Deo, totam rei seriem ejus avunculo, Silio abbati, revelante, et locum, ubi Angeli gloriosam corpori sepulturam dederant, indicente, Silius abbas cum clero saeculari et regulari et magna populi multitudine processit, et sequendo marginem fluvii usque ad Tagum in finibus oppidi Scalabitani, viderunt istic tumulum ex pretiosissimo marmore in quo corpus Sanctae reconditum erat. Volentes autem illud tollere, non potuerunt loco dimovêre; unde reliquiarum vices [illegible] et partem vestimenti secum [illegible]-lere. Brevi post Tagus [illegible] aperuit, concurrentibus [illegible]-quis, quae ante se ad hu[illegible]-rum revelandum, prodigio[illegible]-rant. Saepius dein extra aq[illegible]-ruit sepulcrum, illudque vidit [illegible] Elisabeth regina: juxta eum[illegible]-cum visitur rupes, aut [illegible] excreta, aut ab auctore Deo [illegible]-sita in signum tanti miraculi. [illegible]-dum vero, hactenus Scalabis [illegible]-latum, a S. Irene nomen s[illegible]-rivavit, et hodie *Sanctarem* vo[illegible]

* Hispanis Lusitanisque S. Irene, *Iria* vel *Eyria* appellatur.

** Anno scilicet 653: in quem annum martyrii consentiunt quotquot de S. Irene scripsere.

S. SINDULPHUS CONFESSOR.

Circa initium saeculi VII.
Aquitanus.

MARTYROL. — In pago Rhem[illegible] sancti SINDULPHI Confessoris.

S. Sindulphi patriam fuisse Aquitaniam antiqua documenta testantur, quin tamen propius designent locum illius amplissimae regionis, ex quo Sanctus noster prodierit. Relicto patrio solo, in quemdam Rhemensem pagum, qui dicitur Alsontia **** se contulit, ubi, constructâ sibi cellulâ, hominibus ignotus, Deo soli cognitus, orationi, jejuniis, continuisque virtu-tum et poenitentiae exercitiis [illegible] se dedit, modico pane et aquâ [illegible]-tum ad vesperam vesci solitus. [illegible]-dem post innumeros labores, [illegible]-scente semper pietatis ardore, [illegible] aetatis detrimenta sentiente, [illegible]-tos, migravit ad Dominum, et in ecclesia Alsontiensi tumulatus est. Quum corpus ejus miraculis inclaresceret, duo saecula post ab Hincmaro inde ***** extractum est, atque ad monasterium Altivallarense ****** dela-tum, ibi honorificentissime fuit reconditum. (Ex *Bolland.*).

*** Hodie *Nabao.*

**** Hodie *Aussonce.*

***** Probabiliter anno 866.

****** Hodie *Hautvilliers.*

ODEC. KAL. NOV. OCT. DIE XXI.

ARTYROL. — In Cypro natalis san- HILARIONIS Abbatis, cujus vitam tutibus atque miraculis plenam ctus Hieronymus scripsit. (Vide *rium*, pag. 604).

— Item apud Coloniam Agrippi- m natalis sanctarum URSULAE et ciarum ejus, quae pro Christiana igione et virginitatis constantia ab nnis interfectae, martyrio vitam nsummarunt, et plurima eorum rpora Coloniae condita fuerunt. ide *Surium*, pag. 629).

S. ASTERIUS PRESB. ET MART.

Passus est anno 223.

MARTYROL. — Apud Ostia Tiberina ncti ASTERII Presbyteri et Martyris, ui (ut in passione beati Callisti Papae gitur) sub Alexandro Imperatore assus est.

S. Asterius, tempore Callisti Papae, nus fuit ex quadraginta quatuor resbyteris, quos illo aevo ecclesiam omanam habuisse scripsit aliquot ost annos S. Cornelius Pontifex ad abianum ecclesiae Antiochenae anti- titem. (Apud Eusebium, *Hist. Eccles.*). idelitatem suam S. Callisto mirum n modum patefecit, quum sanctus hic ontifex a furibunda plebe per fene- tram praecipitatus fuit, et deinde in uteum projectus; tunc enim non du- itavit is vulgi furorem in se conver- ere, extrahendo e puteo sacro cada- vere ac honesta sepultura humando. Peregit id die 14 Octobris. Quod ubi plebs rescivit, irâ commota, ipsum e ponte Sublicio, ex quo saepe flagitiosi detrudebantur, in Tiberim praecipi- tavit: corpus vero S. Asterii a flumine Ostiam usque devectum est. A Chri- stifidelibus inde extractum, illa in urbe sepultum fuit die 19 Octobris anni 222. (Ex *Bolland.*).

SS. DASII, ZOTICI, CAJI ET ALIORUM MM.

Passi sunt anno 303.

MARTYROL. — Nicomediae natalis sanctorum DASII, ZOTICI, CAJI et alio- rum duodecim Militum, qui post di- versa tormenta in mare demersi sunt.

Ex his quae de Diocletiani perse- cutionis initiis tradidere Lactantius, Eusebius aliique, haud difficile est eruere, primo, hosce Martyres servos fuisse Diocletiani et quidem domesti- cos, non tamen cubicularios aut eu- nuchos; secundo, eos passos fuisse persecutionis initio, scilicet anno 303; tertio, ipsos, parvis molaribus collo appensis, in mare projectos fuisse; quarto demum, non praecipites da- tos e rupe, sed e scaphis, ut narrat Eusebius, illos fuisse. (Ex *Bolland.*).

— Maroniae in Syria prope Antio- chiam sancti MALCHI Monachi. (Vide *Surium*, pag. 623).

S. VIATOR.

Circa annum 390 — *Nat. Gallus*.

MARTYROL. — Lugduni sancti VIA- TORIS ministri beati Justi Lugdunensis.

Vitam S. Viatoris composuit Theo- philus Raynaudus, quam hic damus: « S. Viator, quem Ado juvenem san- ctissimum nominat, lector fuit eccle- siae Lugdunensis, quo tempore sede- bat in ea S. Justus. Sancto autem Pontifice, ut in Aegyptum abiret *, clam Turnone digresso, comes eidem accessit S. Viator, factus illi obvius jam agenti Massiliae et navem con- scendere paranti: quem sanctus senex, peregrinationis solatium admisit, et in Aegypto per annos aliquot, quibus ibi vixit, asseclam habuit: donec, de- ducto ibidem ad extrema sancto Pon- tifice, solutus in lacrymas et animo

* S. Justus sedem suam reliquit et in erèmum se contulit, quod innocenter causa fuerat caedis cujusdam viri furiosi.

consternatus, Viator vicem suam deflere caepit, illud rogans sanctum virum: Et cur me, domine, reliquis? responsum retulit his verbis conceptum, in S. Justi Actis apud Surium: Ne turberis, fili, tamquam solatio destitutus: non ita multo post me sequèris. Possim et hìc illud exclamare quod de non dissimili sancti pontificis Sixti ad suum ministrum B. Laurentium responso D. Augustinus. « Oh consolatio! Non ait, noli moerere, fili, salvus eris; sed noli moerere, quod ego praecedo, tu sequèris; nec consecutio tua differetur. Accepit oraculum, vicit diabolum, pervènit ad triumphum. » Non ita multo post adjunctus est S. Justo non peregrinationis aut exilii, sed beatitatis comes, nempe 21 Octobris.»

S. CILINIA MATER S. REMIGII.

Obiit post annum 458.
Nat. Galla.

MARTYROL. — In castro Laudunensi sanctae CILINIAE matris beati Remigii Episcopi Rhemensis.

Pauca de S. Ciliniae gestis, sed bona satis et certa ad nos transmissa fuere curis et sollicitudine eorum qui S. Remigii, Rhemensis archiepiscopi et apostoli Francorum, egregia facta posterorum commendarunt memoriae. Nobilibus parentibus nata est Cilinia; atque Aemilio cuidam, quem S. Sidonius in suis epistolis impense laudat, nupsit. In agro Laudunensi * vixisse S. Ciliniam constat ex Hincmaro et Flodoardo, de S. Remigio scribentibus; mortuam ibidem vetera monumenta statuunt. Eam sepelivit S. Remigius, anno incerto, verum, ut Bollandistis recte videtur, post 458. Sacra S. Ciliniae ossa Rhemos translata fuere, quo tempore, obscurissimum est.

* Hodie *Le Laonnais*.

** Loquitur Historicus de horribili et cruenta Judaeorum seditione, quae, anno 132, in Romanos exarsit.

UNDEC. KAL. NOV. OCT. [illegible]

S. MARCUS EPISC. [illegible]

Obiit anno circiter [illegible]

MARTYROL. — Jerosolymis [illegible] MARCI Episcopi, clarissimi [illegible] simi viri, qui primus ex G[illegible] Jerosolymorum Ecclesiam s[illegible] gendam, ac non multo post [illegible] tonino Imperatore martyrii [illegible] palmam.

Sedem Jerosolymitanam, ip[illegible] clesiae Christi incunabilis co[illegible] in patriarchatum erectam fuisse, [illegible] est qui ignoret: quamvis dis[illegible] inter se eruditi, quo tempore [illegible] tem de jure, sit effectum. Episco[illegible] sedis Jerosolymitanae duplex [illegible] ries: primi, quindecim numero, [illegible] daei; sequentes, quorum primus [illegible] currit S. Marcus noster, Gentiles fuere. Quod, cur factum sit, his verbis narrat in *Historia Ecclesiastica* Eusebius: « Cum defectio Judaeorum magis iterum ** cresceret, Rufus, legatus Judaeae, auxiliis sibi ab imperatore *** submissis, amentiam ac desperationem hominum in occasionem saeviendi vertens, eos acerbissime ultus est, caesa innumerabili hominum multitudine cum conjugibus ac liberis, agroque illorum jure belli in populi Romani ditionem [illegible] dacto... Anno demum octavo de[illegible] imperii Hadriani, cum totius belli [illegible] circa Bethera, urbem munitissimam nec procul Jerosolymis dissitam, exarsisset, et protracta diutius a Romanis obsidione, rebelles fame ac siti oppressi essent, ipseque adeo seditionis auctor ****, debitas poenas dedisset, ex eo deinceps tempore universa Judaeorum gens in regionem, circa Jerosolymam sitam, pedem inferre prohibita est lege et constitutione im-

*** Scilicet P. Aelius Adrianus, qui ab anno 117 usque ad anno 138 imperium tenuit.

**** Erat is celeberrimus *Barchochebas*, vel potius *Bar-Kochba*.

itoris Hadriani; adeo ut ne prospi- quidem e longinquo patrium so- ipsis liceret, ut scribit Aristo aeus. In hunc igitur modum cum tas Judaeorum gente nudata esset n veteribus incolis penitus vacue- a, posthaec alienigenis eo con- entibus urbs et colonia civium manorum effecta, in honorem Aelii driani imperatoris Aelia nuncupata . Et cum ecclesia ejusdem loci gentibus coaluisset, primus post iscopos ex circumcisione sacerdo- im illius civitatis suscepit Marcus. » o anno 135 usque ad annum circiter 0 videtur S. Marcus ecclesiam Je- solymitanam rexisse: sed circa haec agna est inter eruditos dissentio, im paucissima sint quae de S. Marco l nos pervenerint. Ne certum qui- em est ipsum martyrii coronâ do- atum fuisse. (Ex *Bolland.*).

SS. PHILIPPI, SEVERI, EUSEBII ET HERMETIS MM.

Passi sunt anno 304.

Martyrol. — Hadrianopoli in Thra- ia natalis sanctorum Martyrum Phi- lippi Episcopi, Severi Presbyteri, Eu- sebii et Hermetis, qui sub Juliano Apostata post carceres et flagella in- cendio cremati sunt.

Acta horum Sanctorum, sincera, edita sunt a Mabillonio primum, de- inde a Ruinartio, postremo a Bol- landistis. Qui praeterea horum Acto- rum compendium antiquum, verbis ipsis, quae in Actis leguntur, con- textum, edidere, quod compendium operae pretium ducimus integre hic referre: « Philippus episcopus in Hera- clea *, cum discipulis suis Severo pre- sbytero et Herme diacono, cum dirae persecutionis advenisset excidium, non est mente turbatus; sed suadentibus multis ut, a civitate proficiscens, poenam tantae crudelitatis effugeret, non acquievit; quin potius ut secum Christo animas ponerent, persuasit. Adveniente autem Aristemaco, Stationario ** civitatis, ut Praesidis jussu, impressis cera signis, ecclesiam clauderet Christianis, Philippus, justa et docta libertate contemnens, Dominici *** foribus innixus, a sede sibi credita, non patiebatur evelli, suos in fide confortans. Postea cum in Heraclea persecutores convenissent, Philippum cum caeteris ecclesiae foribus adstantem praeses Bassus invenit. Quem cum ad sacrificandum non posset inducere, jussit sibi omnia vasa et libros et ornatus ecclesiae praesentari. Cumque Episcopus dixisset Praesidi: *quae postulas nec dare mihi, nec accipere tibi convenit;* mox Severum presbyterum introduci Praeses jussit; qui cum facile investigari non posset, Philippum affligi praecepit injuriis; et cum diutius puniretur, prope adstantem Hermem, diu etiam antea verberatum, misit, ubi vasa omnia et scripturae latebant. Secutus est eum Publius, assessor Praesidis, avidus homo furandi. Itaque cum vasa aliqua callidus occultasset, contradicentem sibi ne id faceret, Hermem, fracta facie, effuso etiam aliquanto cruore, foedavit. Quibus cognitis, Bassus iratus est Publio, et Hermem curari praecepit. Vasa vero inventa et scripturas omnes tradi jussit Officio. Philippum vero et caeteros, vallatos custodibus, in forum praecepit adduci. Ecclesia autem omni ornatu, et etiam tecto tegulis spoliato, civibus adstantibus, pergensque collectas scripturas omnes divinas in medium misit incendium. Tanta subito ad coelum divinitus flamma processit, ut adstantes singulos formido a spectaculo tanti

* Heraclea, de qua hic agitur, posita est ad mare, Byzantium prope. Priscis temporibus vocabatur *Perinthus*, nunc autem, postquam in ditionem suam Turcae eam subjecere, *Erekli*. Plures aliae urbes Heracleae nomine nuncupabantur.

** *Stationarii*, ut Ducange monet, milites erant, qui, dispositi per provincias certis locis, magistratibus denuntiabant, quid ageretur.

*** Idest *ecclesiae*. Cur porro ecclesiae ita antiquitus nuncuparentur, vide in libro I *Rerum liturg.* Cardinalis Bona.

ignis avelleret. Post haec Praeses ad Sanctos cum templorum sacerdotibus, profana sacra et infelices epulas portantibus in forum ingreditur; et cum Sanctos ad Christum negandum cogere non valeret, miratus eorum constantiam, recipi eos in carcerem jussit. Quibus pergentibus, protervi quidam Philippum solo saepe fundebant, ut nec illo quidem tempore, quo ibat ad carcerem, vacuus esset a poena. Sed haec virtute plenus tam placido vultu portabat, ut mirarentur singuli tot acerba a sene contenta mente tolerari. Paucis in carcere diebus effectis, Pancratii cujusdam domus vicina complacuit, in qua sub custodia reciperentur hospitio. In ea igitur commanentes, fratres certatim ad se fluentes monitis salutaribus imbuebant; ob quam causam iterum in carcerem reducuntur. Quum haec fiunt, Basso praesidi successor annuus, nomine Justinus, advenit, qui sibi praesentatum Philippum, cum ei non obtemperaret, per mediam urbem vinctum pedibus trahi jussit. Qui, acceptis tot silicum offensione vulneribus, et per singula membra laceratus, rursum ad carcerem fratrum manibus reportatur. Deinde magnis agebatur excubiis, ut Severus presbyter inveniretur, qui se occultioribus latebris ab exquisitione subtraxerat. Quem cum investigare non possent, impulsu sancti Spiritus, sponte in medium ipse prorupit. Cum ergo ad judicium fuisset adductus, et sacrificare nollet, cum aliis incarceratur. Ubi per sex continuo menses putore confecti sunt. Tunc Adrianopolim * eos adduci praecepit, ubi Praeses in thermis publice residens, Philippum inobedientem ligari jussit et virgis verberari. In quo incredibile miraculum apparuit. Nam pars linea, quae honestum pectus velabat, illaesa permansit; illa vero, quae dorsum tegebat, per partes rupta discessit. Omnes itaque artus ictibus incisi penetralia cordis et intestina pandebant. Securus tamen Athleta Christi perdurabat; cujus animum Justinus expavit, et recipi eum jussit in carcerem: in quo Sanctus illa sensit incommoda, ope usus angelicâ. Post triduum tribunal Justinus ascendit, et sanctos Philippum et Hermen praecepit adduci, et sibi illorum non acquiescentes, vivos jussit incendi, Severo solum in carcere derelicto. Quo orante ne indignus a hac passione separetur, postero die quod postulabat accepit. Itaque et ipse cum illis quibus vixerat confessorum ingreditur; et voti compos non solum quae poscebat, obtinuit, sed etiam cito, quod quaerebat, invenit. Beatus vero Philippus manibus portabatur ad flammam: dolor enim pedum aliter eum ire non passus est. Quem tardo passu sequebatur Hermes, simili pedum dolore constrictus. Cumque ad locum pervenissent, carnifices beati Philippi pedes humo usque ad *genua* texerunt, adligatas post tergum manus claviculis in fuste figentes. Similiter et sanctum Hermen aptarunt. Tunc a ministris flamma supponitur. Quibus audientibus, quamdiu sermo duravit, gratias Aeterno reddebant. Igne vero cessante, facie florentes, et colore pretiosi apparuerunt, spiritibus redditis Creatori; quorum corpora jussit Praeses Ebro flumine mergi. Quod cum fuisset factum, omnes Adrianopolitanae civitatis viri, quos Dei cultus urgebat, tantâ crudelitate perspectâ, retia parant, navigia conscendunt, si cui piscanti veniant sanctorum corpora, grata captura. Quibus orantibus non negatur. Nam mox illesae reliquiae involutae retibus extrahuntur, et decimo ab ea urbe lapide cum magna devotione conduntur. » Nunc autem breviter nobis est animadvertendum in errorem incidisse Baronium, sub Juliano Apostata hos Martyres passos

* *Hadrianopolis* vel *Adrianopolis* sita est in Rumelia, habeturque secunda ottomanici imperii regia. A Turcis occupata fuit anno 1360. Nunc *Ederneh* vocatur.

ısse asserentem. Ii enim martyrii lmam, ut gravibus argumentis Bollandistae demonstrant, anno secundo ersecutionis Diocletiani, scilicet anno)4, obtinuere.

SS. ALEXANDER ET HERACLIUS MARTYRES.

Saeculo incerto.

MARTYROL. — Item sanctorum Maryrum ALEXANDRI Episcopi, HERACLII Militis, et Sociorum.

In Menologio graecorum Basilii imul cum Alexandri et Heraclii nominibus leguntur Annae, Theodotae et Glyceriae nomina. At quo in loco ii Martyres occubuerint, valde incertum; quo tempore, ignotum. Bollandistis tamen videtur saeculo secundo vel tertio eos forte martyrio decoratos fuisse.

S. PHILIPPUS EPISC. ET MARTYR.

Forte medio saeculo tertio.

MARTYROL. — Firmi * in Piceno sancti PHILIPPI Episcopi et Martyris.

Perpauca de S. Philippo habemus. In Martyrologio ad usum ecclesiae metropolitanae Firmanae, edito anno 1797, haec solummodo leguntur: « Firmi in Piceno S. Philippi Episcopi et Martyris, qui in agro suburbano viae S. Mariae ad mare, ut traditur, pro Christo necatus gloriosâ passione Firmanam sibi creditam ecclesiam illustravit, cujus sacrum corpus in hac ecclesia metropolitana quiescit. »

SS. NUNILO ET ALODIA VIRG. ET MART.

Passae sunt anno 851.

MARTYROL. — Oscae ** in Hispania sanctarum Virginum NUNILONIS et ALODIAE sororum, quae a Saracenis ob fidei confessionem capitali sententiâ punitae martyrium consummarunt.

Acta, quae hic subjicimus, SS. Nunilonis et Alodiae, ab auctore synchrono, sanctissimo Christi Martyre Eulogio *** presbytero Cordubensi, conflata fuere ex iis quae ipse didicerat. « Referente viro sanctissimo ac venerandae paternitatis Venerio. Complutensi episcopo didicimus, in urbe Osca apud oppidum Barbitanum duas sorores virgines fuisse (quarum una Nunilo, altera vocabatur Alodia) patre quidem gentili, matre vero christiana progenitas. Quae, dum post mortem impii parentis, mater earum secundum et gentilitium iniret connubium nec libere possent fidem Christi tenere, obstante cervicoso victricii **** paganismo (jam enim animi puellarum a pio Christi fonte irrigabantur), spreto materno cubili, nutritione materterae suae fidelissime refoventur. Illico earum sancta infantia Christo Domino coepit fideliter adhaerere, et paterni oblitae ritus, Crucifixi religionem tenerrimis et sanctificatis mentibus reponentes illibatam custodire. Et quoniam natalis infulis praepollebant, summisque dignitatum facibus enitescebant, non potuit delitescere urbi illarum propositum, redolente ac relucente conversatione sancta fidei, quam gerebant. Siquidem primaevum adolescentiae florem jam attigerant, et totam fere provinciam rumor sanctitatis earum impleverat; cunctique stupebant geminum rosarum prosiliisse decorem ex vepribus. Hinc zelotypus hostis antiquus suorum membrorum dolens jacturam, dum per terrores Praesidum ***** invido arbitratu posse

* Italice, *Fermo*.

** Hispanice, *Huesca*.

*** Haec Acta a S. Eulogio conscripta Florez (*Espana sagrada*, etc.) post annum 853 et ante an. 857 tradit.

**** Imo *vitrici*, seu alterius illius viri, cui defuncto priore, eorum mater nupserat.

***** Supremus omnium per Hispaniam Maurorum princeps erat tunc temporis Abderramenus hujus nominis secundus, quartus vero qui Cordubae regnaret. Is edictum promulgaverat, ut

immutari jam praesignatas ad thalamum Sponsi aeterni confidit, dilatum praemium per mortes asperas accelerando virginibus sacris adducit. Ideoque sanctarum Virginum causam instantia satellitum suorum Praefecto urbis insinuat, qui illico suis eas assistere obtutibus jubet. Quas vana promissione munerum illicere tentans, ac perinde de rerum copiis et clarissimorum juvenum connubiis adhortatur, si ab hac religione Christi animos avocassent, propriis utique natalibus redditae, insuper multarum divitiarum affluentia ditarentur. Si vero pertinaciori spiritu consultum Praesidis conculcassent, in ultimo die excruciationi tormentorum addictae, ad ultimum gladio vindice interirent. Cui beatae Virgines sancto Spiritu animatae, constantes et intrepidae sub confessione dixerunt: « Quomodo nos, Praeses, a pietate Dei jubes avertere, quas pietas sancta suo lumine perlustrando fecit cognoscere, nihil esse Christo divitius, nihil fide christiana felicius, per quam justi vivunt, per quam sancti regna vicerunt?...» Quarum constantiam fidei Praeses virtutemque professionis avertens, quibusdam mulierculis, profani ritus peritiâ praeditis, sigillatim eas instruendas commendat, et terroribus quibus potest, ne alternis aut cujuslibet fidelium fulciantur colloquiis, admonet. Mulierculae vero suscipientes Virgines Christi, sacrilegi cultus quotidie venenosum dogma eis exponunt, ac pervigili cura, coelesti jam manna refectis cloacae putrientis poculum propinantes, casso consummatur labore. Sed hanc illarum pertinaciam Praesidi referentibus mulierculis, post nonnullos dies Virgines in forum eductae, in spectaculum publicum constituuntur. et Christum confitentes, et hostem fidei detestantes, sub ictu gladii corruerunt, undecimo Kalendas Novembris, aera supra. Quarum corpora loco quo deciderant, derelicta, summo [illegible] observantur studio, ne christiani ad emolumentum patrocinationis [illegible] eas surriperent et reconderent. [illegible] tamen quod illa virginalia [illegible] in loco, quo ab ethnicis alt[illegible] bibus magis abscondita quam b[illegible] sunt, signis et miraculis co[illegible] et gloriam emeritae consolationis [illegible] tutum efficientia tam fidelibus quam gentilibus ostentant. »

quicumque utroque vel altero parente ethnico genitus esset nisi Christum abnegaret, capite plecteretur.

S. CORDULA Virgo et Mart.

Passa est anno 451.

Martyrol. — Apud Coloniam sanctae Cordulae, quae una ex sodalibus sanctae Ursulae, cum aliarum suppliciis et caede perterrita se occultasset, ejus rei poenitens, postridie se ultro patefecit, et novissima omnium martyrii coronam accepit

Hic notare sufficiat, S. Cordulae festum ante annum 1135 celebrari coepisse, ejusque corpus inventum fuisse regnante Joanne PP. XXI, qui anno 1277 vivere desiit.

— Hierapoli in Phrygia S. Abercii Episcopi, qui sub Marco Antonino Imperatore claruit. (Vide dicendum *Surium*, pag. 642).

S. MELANIUS Episcopus.

Obiit circa annum 314.

Martyrol. — Rhotomagi * sancti Melanii Episcopi, qui a sancto Stephano Papa ordinatus, illuc ad praedicandum Evangelium missus est.

S. Melanius, vel rectius Mellonius, Britanniae Majoris oriundus Romam venit ut Valeriano imperatori armis inserviret; sed cum ibi Stephanum PP. I forte audivisset paucis christianis Evangelium praedicantem, bapti-

* Gallice, *Rouen*, urbs archiepiscopalis. Ibi celeberrima puella Joanna dicta *d'Arc*, anno 1431, ab Anglis, in quorum potestatem venerat, igni cremata fuit.

num ab eo efflagitavit, et accepit. b ipso autem clericus et gradatim icerdos ordinatus atque divinitus hotomagensis episcopus consecratus it. In Gallias itaque profectus, S. Mel-onius Rhotomagi fidem christianam .renue praedicavit, et sedem episco-alem ea in urbe primus constituit, uo anno incertum. Cum plurimos hristo peperisset, meritis plenus ad oelum migravit circa annum 314. Ex *Bolland.*).

S. DONATUS Episcopus.

Circa annum 874.

Martyrol. — In Tuscia sancti Do-nati Scoti Episcopi Fesulani.

S. Donatus in Hibernia * natus est. Romam venit, imperante Ludovico Pio, quamvis haud sciatur quo plane anno id contigerit. Post aliquod temporis spatium, accepta a Pontifice benedictione, Roma discessit, venitque in Tusciam, ecclesias visitans. Fesulas ** ingressus, a populo et clero illius civitatis perhonorifice excipitur; imo, cum tunc sedes illa vacaret, ipse in Episcopum deposcitur, probabiliter anno 827. Circa vero annum 874 in pace claritatis aeternae quievit. Sacrae ejus reliquiae, ab ecclesia S. Bartholomaei, ubi jacebant, anno 1817, in ecclesiam cathedralem solemniter translatae et reconditae sunt. Communis autem traditio est S. Donatum, utpote litteris doctrinâque insignem, tractatus nonnullos atque poëmata exaravisse, quae tamen, praeter ipsius sancti Viri Epitaphium, penitus exciderunt. (Ex *Bolland.*).

S. VERECUNDUS Episc.

Obiit anno 522.

Martyrol. — Veronae sancti Verecundi Episcopi et Confessoris.

Pauca admodum, et quidem obscura, de hujus sancti Viri gestis ad nos pervenerunt. Certum tamen est ipsum Veronensi sedi praefuisse: sacras suas exuvias in ecclesia S. Petri de Arce requievisse; ejusque cultum tum Veronae, tum in tota dioecesi celebrari, ab anno 1503, die 22 octobris. Bollandistae autem S. Verecundum ad coelestem patriam evolasse anno 522 recte suspicantur.

S. MARIA SALOME

Saeculo primo.

Martyrol. — Jerosolymis sanctae Mariae Salome, quae in Evangelio legitur circa Domini sepulturam sollicita.

Salome, nomen feminae, derivatum a virili *Salomon.* Constat autem ex ipso textu evangelico, S. Salomen matrem fuisse S. Jacobi majoris et S. Joannis, discipuli, *quem diligebat Jesus*, quorum pater Zebedaeus: unde saepius in sacris litteris Jacobus et Joannes nomine *filiorum Zebedaei* veniunt. Quod autem S. Salome eorum fuerit mater, perspicue colligitur ex Matthaei et Marci textibus collatis: quae enim apud illum *mater filiorum Zebedaei* (xxvii, 55) vocatur, apud hunc *Salome* aperte dicitur (xv, 40). Quod autem pertinet ad sanguinis conjunctionem S. Salomes cum Maria, matre Jesu, adeoque cum Jesu ipso Servatore, quaestio est plurimis gravissimisque difficultatibus implicata, ita ut nihil, quod prorsus certum sit, ex iis liceat excerpere. Praesens fuit S. Salome Christo in cruce morienti, ut SS. Evangelistae Marcus et Matthaeus aperte testantur; atque cum aliis duabus mulieribus, quas Evangelistae memorant, emit aromata ut omnes simul Jesum sepultum unge-

* *Irlanda* scilicet. Hibernia et *Scotia* olim vocabatur.

** Italice *Fiesole*, urbs antiquissima atque celeberrima, hodie fere ad nihil redacta. Anno 539 capta fuit ab exercitu Belisarii; anno vero 1125 a Florentinis expugnata ac diruta fuit, ita ut post illam cladem insigniores cives Florentiam se transferre coeperunt. Est nihilominus illa urbs adhuc sede episcopali decorata.

rent; sed cum ad sepulcrum venisset, viderunt *lapidem revolutum* et Jesum *sublatum a monumento.* Mox, regressae a monumento, nuntiaverunt omnia quae viderant *illis undecim et ceteris omnibus*, non quidem omnes omnibus simul, sed deinceps, atque aliae aliis. Hìc vero est animadvertendum opus sane perarduum esse textus evangelicos, qui trium mulierum res gestas circa sepulcrum Jesu Christi exhibent, inter se componere. Nobis de S. Salome, haec, quae diximus, sufficiant: non enim alia mentio hujus sanctae mulieris nec in sacris paginis, nec in antiquis ecclesiasticae historiae monumentis occurrit. Alia quae de ipsa traduntur, digna non sunt quibus fides adjungatur. — In quibusdam ecclesiis festum S. Mariae Salomes die 22 maji celebratur. (Ex *Bolland.*).

DEC. KAL. NOV. OCT. DIE XXIII.

SS. SERVANDI ET GERMANI MM.

Passi sunt ineunte saeculo IV.

MARTYROL. — In Hispania prope Gades * ad fundum Ursonianum sanctorum Martyrum Servandi et Germani, qui in persecutione Diocletiani sub Viatore Vicario post verbera, squalorem carceris, famis ac sitis injuriam, et longissimi itineris laborem, quem ferri onusto pertulerunt, novissime martyrii sui cursum caesis cervicibus impleverunt: ex quibus Germanus Emeritae **, Servandus vero Hispali *** conditus est.

Occubuisse videntur hi Martyres prope vicum, quatuordecim millibus passuum a portu Gaditano distantem, qui *Puente de Zuaso* nunc dicitur. S. Germanus autem juxta S. Eulaliam Martyrem, Servandus vero inter Justam et Rufinam, beatissimas Martyres, sepulti fuere. Universa porro Hispaniarum Ecclesia S. Servandum et Germanum ab antiquo colit.

* *Cadice.* ** *Merida.* *** *Siviglia.*

S. THEODORUS PRESBYTER M.

Passus est anno 362.

MARTYROL. — Antiochiae in Syria natalis sancti THEODORI Presbyteri, qui in persecutione impii Juliani comprehensus, post equulei poenam et multos ac durissimos cruciatus, lampadibus etiam circa latera appositis inflammatus, cum in confessione Christi persisteret, occisione gladii martyrium consummavit.

Acta martyrii S. Theodori, qui nobis hodie occurrit, edita fuere primum a Joanne Mabillon, deinde a Theoderico Ruinart, qui usus est melioribus exemplaribus; demum, praecedentibus omnino correctiora a Bollandistis. Hisce in Actis itaque legitur quod quum Julianus, Juliani imperatoris avunculus, Orientis Comes, Antiochenorum ecclesiam spoliasset et demum clausisset, S. Theodorus hujus ecclesiae presbyter, e civitate non discessit, sed, congregatis sibi quibusdam fratribus, Missae sacrificium sine intermissione celebrabat, acceptabiles Deo fundens orationes. Cum vero hoc Julianus audivisset, Theodorum, vinctis post tergum manibus, coram se jussit adduci. Post varia alterna dicta, sanctus Martyr, qui nunquam vultus sui hilaritatem deponeret, atrocissimos pertulit cruciatus. Milites autem, qui lampadibus ardentibus latera ejus comburebant, quatuor Angelorum, qui cum S. Theodoro colloquebantur, aspectu territi, proni cecidere, impium ministerium recusantes, ac Christo credentes. Iratus vero Julianus, jussit eos in flumen submergi. Quibus egregius Pugil ait: « Praecedite, fratres, ego vos, superans inimicum, sequar ad Dominum, qui mihi palmam victoriae donare dignabitur. » Sicque in confessione persistens, et prophetico spiritu repletus, Juliani Apostatae interitum in Perside praedicens, capite plectitur. Cujus corpus fideles quidam reve-

enter curarunt atque humo tradide-unt. Post paucos vero dies, ambo uliani, Imperator scilicet et ejus a-unculus, horrendum sortiti exitum, eternis sunt ignibus mancipati.

B. PETRUS PASCHASIUS Episc. et Martyr.

Passus est anno 1300 — *Hispanus.*

Martyrol. — Granatae in Hispania beati Petri Paschasii Episcopi Giennensis et Martyris, Ordinis beatae Mariae de Mercede redemptionis Captivorum, qui passus est octavo Idus Decembris.

B. Petrus Paschasius Valentiae in Hispaniis genitus est. In ecclesiasticam militiam adscitus, canonicatum obtinuit; sed anno 1251, saeculo valedicens, in Ordinem B. Mariae de Mercede redemptionis Captivorum ingreditur, ubi, quum tyrocinium ageret, S. Petrum Nolascum magistrum sortitus est. Pietate et scientia summopere conspicuum Jacobus Primus, Aragoniae rex, eum elegit praeceptorem sui filii Sancii, qui et ipse ad dictum Ordinem accessit. Anno 1296 ad sedem episcopalem Giennensem (*Jaen*) evectus est; sed olim Granatam invisens, quod quam saepissime faciebat, suum sacrum ministerium executurus, a Mauris, qui ibi dominabantur, in carcerem conjectus est; ubi, cum is minime a bonis operibus desisteret, die sexta Decembris anni 1230, post Missae celebrationem crudeliter necatus est. Clemens PP. X, anno 1670, confirmavit sententiam Ordinarii Giennesis latam super cultu ab immemorabili huic Beato exhibito. (Cfr. *Butler*).

S. IGNATIUS Episc.

Obiit anno 877.

Martyrol. — Constantinopoli sancti Ignatii Episcopi, qui cum Bardam Caesarem ob repudiatam uxorem arguisset, ab eo multis injuriis affectus, in exilium pulsus est; sed a Nicolao Romano Pontifice restitutus, tandem in pace quievit.

Cum gesta hujus S. Episcopi et Patriarchae, qui munere suo tam praeclare glorioseque perfunctus est, in Historiis Ecclesiasticis effuse narrentur, ne longius quam decet opus nostrum protrahamus, ea quam brevissime hoc loco exponemus. S. Ignatius, qui in Baptismo Nicetae nomen accepit, Constantinopoli ortus est anno, ut probabilius videtur, 799. Parentes habuit Michaëlem I, imperatorem, qui *Curopalates* dicitur, et Procopiam principes religiosissimos, omnibusque virtutibus cumulatos. Cum ii se imperio abdicavissent, atque in Principes insulas, ut vitam monasticam degerent, secessissent, Nicetas quoque, qui tunc quidem Ignatii nomen assumsit, monachalem habitum induit. Patre e vivis sublato, ipse sui monasterii abbas eligitur, atque sacerdotio consecratur; demum, anno 842, qui ecclesiam Constantinopolitanam regeret a populo et clero illius urbis dignissimus reputatus est. Quam ecclesiae sibi commissae integritatem munditiemque cordi haberet foveretque, quantoque ardore et dicendi libertate adversus impios et scelestos, etsi principes et imperatores, inflammatus esset, maxime patefecit tum cum Bardam, Theodorae imperatricis fratrem, militiae palatinae praefectum ac virum potentissimum, graviter reprehendit, atque, postremo, a sacris prohibuit, quia nurus suae illicito amore ita fureret, ut ejus criminis fama totam urbem peragraret. Hinc offensionum prima origo; hinc fons omnium perturbationum, quae Constantinopolitanam Ecclesiam tam diu exagitavere; hinc aeternum deflendi graeci schismatis stirps et radix. Postquam igitur Bardas nulla ratione S. Ignatium, ut sponte episcopatum renuntiaret, adigere potuisset, eum in vincula conjecit, diris flagris et plagis mulctavit, omnibusque modis vexavit ita ut cruciatibus doloribus-

que confectus animam exhalaret. Interea impius ille Photius, vir quidem omni genere litterarum imbutus et rerum civilium et politicarum usu clarissimus, sed inanis gloriae cupidus, ac intolerandam superbiam, quae profecto omnis impietatis omniumque offensionum est origo, in cor gerens, vi et dolo sedem Constantinopolitanam usurpabat, atque Romanum Pontificem ipsum decipere, quamvis frustra, conabatur. Occiso autem Barda, atque membratim dissecto, imperator Basilius, anno 867, Photium ejiciebat, et S. Ignatium in sedem suam, coacta Constantinopoli Synodo oecumenica, novem annos postquam in exilium pulsus erat, restituebat. S. Ignatius, tota urbe exultante, gubernaculis ecclesiae suae resumptis, Photium omnesque ejus sectatores a sacris abegit, atque omni ope populum suum instruere et a vitiis abducere, virtutibusque exornare curavit. Tandem, die tertia supra vigesimam octobris, anno 877, aeterna praemia consecutus est. Sacrum ejus corpus ligneo sarcophago inclusum, ad aedem Magnae Sapientiae delatum est, ibique magnificis exsequiis honoratum. Tanta vero pietas populum incesserat, ut et feretri, in quo jacebat, fragmenta, Reliquiarum instar, distraxerit, et velum, quo cadaver tectum erat, in partes mille discerptum, sacri pignoris loco, inter pios sit divisum. (*Cfr.* Vitam S. Ignatii a Niceta, seu Davide Paphlagone coaeveo descriptam).

Martyrol. — Burdigalae sancti Severini Coloniensis Episcopi et Confessoris. (Vide *Surium*, pag. 660).

S. ROMANUS Episcopus.

Anno probab. 644 — *Nat. Gallus.*

Martyrol. — Rothomagi sancti Romani Episcopi.

Quamvis de S. Romano, archiepiscopo Rhotomagensi (*Rouen* in Gallia), nullam mentionem faciant Martyrologia Adonis et Usuardi, quae vulgo classica vocantur, non est tamen quod de ejus sanctitate dubitemus, utpote qui habet cultum antiquissimum simul et celeberrimum. Hanc ejus Vitam e Breviario Rhotomagensi, anno 1736 edito, excerpimus. Romanus a Benedicto et Felicitate, piissimis parentibus, ortus est. In aulam Clotarii II regis missus, castitatis, justitiae et mansuetudinis illustris fuit exemplar. Jussus a rege inter primores sanctioribus adesse consiliis, commissas sibi partes egregie et laudabiliter sustinuit. Mortuo antistite Rhotomagensi, indictis jejunio et precibus communi omnium voto, ipse renuntiatus est episcopus. Gratum habuit Clotarius assumi in praesulem, quem in partem regiae sollicitudinis vocaverat. Romanus, forma factus gregis, summam dictis et factis sibi conciliavit auctoritatem. Multa et vivens et mortuus edidit signa, quibus optimi pastoris sanctitas eluxit. Dum vixit, populi pater et norma cleri, post obitum, inter sanctos et dioecesis praecipuos tutores recolitur.

S. VERUS Episcopus.

Floruit saeculo V.

Martyrol. — Apud Salernum sancti Veri Episcopi.

De S. Vero, Episcopo Salernitano, haec tradit Ferrarius: « Verus, III episcopus Salernitanus, S. Gramatio in Episcopatu successit. Cujus etsi *Acta* non extant, sancte tamen Ecclesiae Salernitanae praefuisse, miraculisque coruscasse dubitari non potest. Migravit ex hac vita x Kal. Novembris. Corpus ejus, in aede sacra majore in crypta cum corporibus aliorum Episcoporum conditum, pie asservatur. » Neque nobis reperire quidquam contigit, quod ad haec addamus.

—

S. DOMITIUS Presbyter.

Ante medium saeculum VII.
Nat. Gallus.

Martyrol. — In territorio Ambianensi * sancti Domitii Presbyteri.

S. Domitii sanctitatem et cultum ecclesiasticum testantur nobis varia Martyrologia. Primus qui ejus Vitam conscripsit, floruisse videtur saeculo decimotertio; sed, e pluribus indiciis recte colligitur hunc biographum antiquiorem vitam prae manibus habuisse, ac ipsam, in sua concinnanda, secutum fuisse. Ex hac porro Vita facile eruitur S. Domitium nunquam Presbyterum, verum diaconum dumtaxat fuisse. Ita enim biographus scripsit: « Sanctus obitum suum, parum ante decessum suum, sentiens imminere... uni sacerdotum, se ad Missam celebrandam praeparanti, accessit, et ab ipso petiit, in ipsa Missa sibi sacrosanctam hostiam conferri. » Quod si Domitius presbyter fuisset, quum sanus adhuc vegetusque esset, Sacrificium ipse indubie obtulisset. Loco autem superiori, idem biographus eum dicit *diaconatus gratia decoratum*, quin unquam de sacerdotio loquatur. Merito itaque Breviarium Ambianense anno 1746 editum, S. Domitium diaconum vocat. Porro quod ad tempus, quo S. Domitius floruit, nihil accurate et certe definiri potest. (Ex *Bolland.*).

S. BENEDICTUS Conf.

Ante saeculum IX.

Martyrol.— In pago Pictaviensi ** sancti Benedicti Confessoris.

S. Benedictus fuit presbyter depositus Asiani (*Azenay*), deinde translatus Quinciacum et Trenorchium. Reliqua fabulosa, Bollandistae, omnibus diligenter expensis, definiunt.

* Ambianense territorium Picardiae occidentali respondet. Illius autem urbs principalis est *Amiens*.

S. JOANNES de Capistrano Conf.

Obiit anno 1456 — Italus.

Martyrol. — Apud Vilackum in Pannonia sancti Joannis de Capistrano Confessoris, Ordinis Minorum, vitae sanctitate ac zelo Catholicae fidei propagandae illustris, qui Taurinum arcem, validissimo Turcarum exercitu profligato, suis precibus et miraculis ab obsidione liberavit.

Joannes Capistranus, sive a Capistrano, Brutiorum oppido, haud longe ab Aquila, Marsorum urbe, nobili genere natus, anno 1385, sancti Bernardini Senensis discipulus, socius, et in regimine, exorientis Regularis Observantiae successor, bis generalis vicarius, magistrum intrepide et viriliter defendit, adjuvitque in promovendo latriae cultus nominis Jesu. Deinde ut sexto post mortem anno, in Sanctorum numero referretur, obtinuit. Eugenio IV, Nicolao V et Callisto III, Summis Pontificibus, magno fuit adjutorio in reformandis hominum moribus, et fugandis e multis provinciis haereticis, commissa sibi generalis inquisitoris fidei potestate. In Florentinorum Patrum consessu (anno 1439) velut sol quidam refulsit. Fridericus III, imperator, misso Aenea Silvio, obtinuit a Nicolao V, ut in Germaniam mitteretur, populos docturus, et principes ad unionem et bellum contra Turcas excitaturus. In Germania, Austria praesertim, in Hungaria et in Polonia, varias haereticorum sectas, calamo, verbo, inquisitoris auctoritate, qua fungebatur, perpetuo insectatus, plurimos ad Christi fidem convertit. Turcarum imperatorem magna classe et ducentorum ferme millium exercitu, Europae imperium sibi promittentem, fortissimamque Graecae Albae (quae et Taurinum dicitur, vulgo *Belgrado*) in Hungaria arcem, mu-

** Pictaviensis pagus regioni, quae *Poitou* hodie nuncupatur, respondet.

nitissimum Christianorum propugnaculum, obsidentem, collectâ crucesignatorum et rusticorum copiâ, captis tormentis bellicis et impedimentis, turpi fuga profligavit. In cujus rei memoriam Calistus III, octavo idus Augusti, quo tantae victoriae nuntium accepit, celebrari jussit festum Transfigurationis. Sexaginta annorum provectus aetate, quotidie ac fere sine intermissione praedicabat, concurrentibus undique ad audiendum centenis hominum millibus. Tanta fuit hominis fama et sanctitas, ut omnes illius temporis scriptores eum maximis celebraverint encomiis; et Gregorius XV Beatorum, Benedictus vero XIII, eum Sanctorum catalogo inscripserint. (Ex Luca Waddingo *De Scriptor. Minorum*).

NONO KAL. NOV. OCT. DIE XXIV.

SS. FELICIS EPISC. ET ALIORUM MM.

Passi sunt anno 303.

MARTYROL. — Venusiae in Apulia natalis sanctorum Martyrum FELICIS Episcopi Africani, AUDACTI et JANUARII Presbyterorum, FORTUNATI et SEPTIMI Lectorum: qui tempore Diocletiani a Magdelliano Procuratore multis diu vinculis et carceribus in Africa et Sicilia macerati, cum Felix nullatenus sacros libros juxta Imperatoris edictum tradere voluisset, tandem occisione gladii consummati sunt.

« Quod vix aut ne vix quidem, ita suam disquisitionem circa hos Sanctos incipiunt Bollandistae, unquam in hac nostra collectione Actorum Sanctorum contigit, maxima de sancto Felice et de sociis, ei adjungi solitis, exsistit sententiarum varietas... Quot enim quaestiones fieri queunt, tot responsa inter se diversa adeoque pugnantia data fuere ab hagiographis, quae dissentio inde orta est, quod de nullis fere S. Felicis rebus in antiquis libris conveniat. Si enim quaesieris fiatne assignandi socii an tollendi; utrumque suadere videatur monumenta; si assignandi, quae eorum nomina: passim quam maxime diversa occurrunt; in quem diem martyrium referendum et cultus festi sacri et passionalia dissentiunt quam plurimum; quis locus certaminis: alii Nolam, alii Venusiam, alii alium obtrudunt locum; quae sedis S. Felicis episcopalis: neque hic desunt tenebrae; quae demum ejus e Africa in Italiam ratio et tempus: neque hic consentiunt, quin immo dissentiunt quam apertissime. » Etsi porro hujuscemodi perarduas difficilimasque quaestiones explanare Bollandistae, omni ingenio doctrinaque quibus pollent, sint nisi, densa caligo nihilominus adhuc exstat. Nos operis nostri brevitati consulentes, omnia haec, quae caeterum [illegible] gentis animo, nihil ad pietatem alendam, sicuti propositum est nostrum, conferunt, seponimus. Tantum admonere lectores liceat, non *Audactum*, ut in Martyrologio romano legitur, sed *Adauctum* in Bollandistarum volumine semper scriptum esse.

MARTYROL. — Apud Homeritas in civitatem Nagran passio sanctorum ARETAE et Sociorum trecentorum et quadraginta, tempore Justini Imperatoris, sub Dunaan Judaeo tyranno; post quos Christiana mulier incendio tradita est; cujus filius annorum quinque, cum balbutiendo Christum confiteretur, nec blanditiis, nec minis retineri posset, in ignem, ubi mater ardebat, se praecipitem dedit. (Vide *Surium*, pag. 677).

MARTYROL. — Coloniae sancti EVERGISLI Episcopi et Martyris. (Vide *Surium*, pag. 667).

—

S. PROCLUS Episcopus.

Obiit anno 446.

Martyrol. — Constantinopoli san-i Procli Episcopi.

S. Proclus .Constantinopoli natus detur, cujus Ecclesiae a primaeva tate servivit. S. Joannis Chryso-omi, qui sedem Constantinopolita-m ab anno 398 ad 404 pacifice te-uit, amore et magisterio fruitus est. resbyter factus, cum sapientia, pie-te et virtute prae caeteris coru-aret, a Sisinnio, patriarcha Constan-inopolitano, Cyzici (nunc, hujus ur-is ruinae *Bal-Kiz* a Turcis vocan-ur), Hellesponti metropolis, episcopus onsecratus est. Sed a clericis Cyzi-enis, quippe qui haeretici erant, mi-ime receptus, Proclus Constantino-olim rediit, ibique dies transegit, ibi ipsi et lectioni vacans. Vitâ functo Maximiano, Constantinopolitano pa-riarcha, qui Nestorio successerat, ipse llam sedem obtinuit, ac in throno ositus est in Hebdomada Majori, eria quinta. Mirum quanta mansue-udine erga omnes se gesserit! Tri-agium illud celebre: *Sanctus Deus, Sanctus fortis, Sanctus immortalis, miserere nobis*, publice ab omnibus cantari praecepit. Sacras S. Joannis Chrysostomi exuvias e barbara Co-manorum regione Constantinopolim transferendas curavit. (Vide *Surii* Vol. I, pag. 774). Demum, exactis in episcopatu annis duodecim ac tribus mensibus, sancto fine quievit anno 446, mense julii.

— In Britannia Minori sancti Maglorii Episcopi, cujus corpus Lutetiae Parisiorum requiescit (Vide *Surium*, pag. 670).

S. MARTINUS Abbas.

Ineunte saeculo VII.—Nat. Gallus.

Martyrol. — In Vertano monasterio sancti Martini Abbatis.

Ex S. Martini Vita antiquissima, quae in Bollandistarum Vol. LVIII habetur, sequentia hic exscribimus:

« Martinus ex nobilissimis parentibus urbis Neustriae *, nomine Nannetis, ortus fuit. Qui a pueritia tam bonae indolis apparuit, quod parentes eum praeceptoribus tradiderunt imbuendum lege divina. In brevi autem ita profecit quod coaetaneos scientia et moribus excessit, fulgens maxime facundiae claritate. Et cum de die in diem cresceret in virtute, corpus subjiciens servituti, ubi apti temporis metas attigit, Felix tunc Nannetensis episcopus, eum diaconum ordinavit, committens sibi totius parochiae curam. Quomodo autem in illo statu sancte vixerit, quotque animas tam verbo quam exemplo Christo acquisierit, difficile esset ostendere. Gallia enim adhuc ex parte superstitioni idolorum intendebat, praecipue autem cives urbis quae dicebatur Herbadilla **: quae urbs Nannetis contigua, licet Christianorum conterminalis, nullo tamen foederis pacto jungebatur. Venerabilis igitur Felix praedictus vehementer angebatur, quod in tam vicina sibi urbe idolorum cultura vigeret. Vocato itaque Martino suo: « Vides, inquit, karissime, quod nostris adhuc temporibus humani generis hostis dominetur antiquus. Cur non erubescimus sic nos proximas profani cultus nondum extirpasse sordes? Nunc igitur vade ad urbem Herbadillam et populo incredulo verbum Dei annuntians eos fidei Christi labora subjicere. » Martinus, devote obediens, ascensa navi, ad urbem pervenit; et populo regnum Dei praedicans, vitae eternae delicias erebique perpetuas intonat poenas. Et diutius ibidem conversans, praedicando nihil

* Sub Neustriae nomen ea pars Galliae occidentalis venit, quae a Britannia Minori, a Ligeri (*Loire*) et ab Oceano circumscribitur. Praecipuae Neustriae provinciae erant Paris et Soissons. — Nannetes, vel potius Namnentes, est *Nantes*.

** Herbadilla (gallice *Herbauge*) non amplius existit.

proficit, sed irridebatur a populo nequam, et nunc de uno loco, nunc de alio expellebatur. Quidam tamen civis ipsius civitatis, nomine Romanus, solus cum uxore credidit et sanctum Martinum hospitio recepit; apud quem commanens, Sanctus verba vitae indesinenter ingerebat miserae civitati. Deridente autem turba ejus perseverantiam, coepit Sanctus attediari; ingemiscens quod porcis quotidie margaritas porrigeret conculcandas...... Mundum itaque relinquens, vastam heremum petivit, ab omnium hominum habitatione remotam. Ubi se nimium affligens, herbis et herbarum radicibus solum vivebat. Et cum ibidem diu mansisset in contemplatione, tota mentis intentione suspensus in Deum, tandem admonitus est humanae habitationis revisere communionem, ne lucerna diutius sub modio latitaret. Igitur a sylva, quam Dumen vocant, ad locum, qui nunc Vertanus * dicitur, properavit. Ibi modicum tempus cum egisset, coepit ab innumeris frequentari, odore bonae famae ejus attractis; e quibus nonnulli sibi jungebantur, illuminari exemplo ejus cupientes; alii ingentia sibi conferebant praedia, quibus vel monasteria construeret, vel pauperibus subveniret; quidam etiam filios suos offerebant Domino servituros. Nobilissimum igitur coenobium in honore B. Joannis Baptistae aedificavit; quem locum Vertanum a venustate antiquitus dictum remur. Hic Martinus, multitudinem aggregans monachorum, angelicam cum eis ducebat vitam. Regulae quoque statuit normam, quam districtione praecipuam a transalpinis partibus fertur detulisse. Ex hujus loci sancto contubernio tanta erupit sanctitatis opinio ut tota inde fragraret Neustria. Nam Martinus plurima undique construxit coenobia, quae strenuissimis monachis committebat; Vertanum sibi reservans. Congruis tamen temporibus eadem monasteria visitabat. Visitando igitur venit Durianum, ubi duo monasteria aedificaverat, unum virorum et aliud mulierum. Cumque ibi mores scrutaretur, tactus febre decubuit... Transiit hic Sanctus nono kalendas novembris ** ».

* Duabus leucis ultra Ligerim distat hic locus, qui etiamnum *Vertou* dicitur.

** Inter eruditos magna in S. Martini obitus anno assignando est controversia. Sunt qui eum anno 589 mortuum fuisse dicunt; alii vero, anno 600 vel 601; alii eum e vivis discessisse inter annum 625 et 630 affirmant; et alii alia.

S. MARCIUS Solitarius

Saeculo V. — Italus.

Martyrol. — In Campania sancti Marcii Solitarii, cujus praeclara opera sanctus Gregorius scripsit.

En S. Gregorii Papae verba. In ipsis enim, quidquid de S. Marcio narrari potest, continetur. « Nuper quoque, in parte Campaniae, vir valde venerabilis, Marcius nomine, in monte Marsico solitariam vitam duxit, multisque annis in specu angustissimo inclusus fuit, quem multi ex nostris noverunt, ejusque actibus praesentes extiterunt. De quo multa ipse ex beatae memoriae Papa Pelagio, praedecessore meo, et aliis religiosissimis viris narrantibus agnovit. Cujus hoc miraculum primum fuit, quod mox, ut se in praedicti montis foramine contulit, ex petra eadem quae in semetipsa concava angustum specum fecerat, aquae stilla prorupit; quae Marcio Dei famulo in usu quotidiano sufficeret, et nec plus adesset, nec necessitati deesset. *(Aliud miraculum S. Gregorius refert, quod nos omittimus)*.... Vir iste venerabilis inclusionis suae tempore primo decreverat, ut ultra mulierem non videret, non quia aspernabatur sexum, sed ex contemplatione speciei, tentationis incurrere metuebat vitium. Quod quaedam mulier audiens, audacter ascendit montem, atque ad ejus specum impudenter prorupit. At ille paulo longius intuens, et venientis ad se mu-

iebria indumenta conspiciens, se se n orationem dedit, in terram faciem lepressit, et eousque prostratus jacuit, quo impudens mulier a fenestra cellulae illius fatigata recederet. Quae die eodem mox ut de monte descendit, vitam finivit; ut ex mortis ejus sententia daretur intelligi, quia valde omnipotenti Deo displicuit, quod ejus famulum auso improbo contristavit. » *(Aliud prodigium, quod pariter hoc loco praetermittimus, SS. Marcii precibus obtentum, S. Gregorius memorat, suamque ita brevem de S. Marcio narrationem concludit.* Cfr. *Dialog.*, Lib. III, Caput XVI).

OCTAVO KALEND. NOV. OCT. DIE XXV.

Martyrol. — Romae sanctorum Martyrum Chrysanthi et Dariae uxoris ejus, qui post multas, quas sub Celerino Praefecto pro Christo sustinuerunt passiones, jussi sunt a Numeriano Imperatore, via Salaria in Arenario deponi, atque illic viventes terra et lapidibus obrui (Vide *Surium*, pag. 700).

SS. XLVI Militum MM.

Passi sunt circa annum 269.

Martyrol. — Item Romae natalis sanctorum quadraginta sex Militum, qui simul baptizati a Dionysio Papa, mox jubente Claudio Imperatore decollati sunt, ac via Salaria sepulti; ubi et alii Martyres centum viginti et unus positi sunt, inter quos fuerunt quatuor milites Christi, Theodosius, Lucius, Marcus et Petrus.

De Sanctis hisce Martyribus pauca ad nos pervenerunt; ast eorum passio certa est, et memoria in antiquissimis sacris fastis recolitur. Duabus porro classibus hi Martyres dividuntur: prior quadraginta sex complectitur; omnes anonymos; posterior centum viginti et unum, quorum quinque suo nomine proprio designati. Prioris turmae Beda ex Actis S. Xysti notitiam se hausisse profitetur. Quamvis autem, Claudio imperante, nulla fuerit Christianorum persecutio, non est tamen dubitandum quin Martyres, de quibus agitur, dum ille imperaret, pro Christi fide occubuerint. Caeteros 120 Martyres certum est, etsi aliqui id negare videantur, milites fuisse. (Ex *Bolland.*).

Martyrol. — Suessione in Gallia sanctorum Martyrum. Crispini et Crispiniani, nobilium Romanorum, qui in persecutione Diocletiani sub Rictiovaro Praeside post immania tormenta gladio trucidati, coronam martyrii consecuti sunt: quorum corpora postea Romam delata fuerunt, atque in ecclesia sancti Laurentii in pane et perna honorifice tumulata. (Vide *Surium*, pag. 718).

— Florentiae passio beati Miniatis Militis, qui sub Decio Imperatore pro fide Christi egregie certans, nobili martyrio coronatur. (V. *Surium*, pag. 714).

SS. PROTUS et JANUARIUS MM.

Anno 304 *vel* 305.

Martyrol. — Turribus in Sardinia sanctorum Martyrum Proti Presbyteri et Januarii Diaconi, qui a sancto Cajo Papa ad eam insulam missi, tempore Diocletiani sub Barbaro Praeside consummati sunt.

Celeberrima Sardiniae urbs erat olim Turris, quae a Ptolomaeo *Turris Byssonis*, a Plinio *Turris Lybissonis*, ab Antonino Vero nec non ab auctore Tabulae Peutingerianae *Turris* tantum dicitur. Nunc *Porto Torres* vulgo nuncupatur. Ipsam sede episcopali decoratam saeculo quinto, pluribus documentis constat; certum est praeterea, ante Gregorii PP. VII aetatem metropolis jura honoresque obtinuisse. At, anno 1441, sedes illa, juraque omnia, quibus ea fruebatur, Sassarim ab Eugenio PP. IV translata sunt, hisce tamen duabus conditioni-

bus, una, ut metropolita Turritani nomen retineret, altera, ut statis diebus Turrim una cum clero se conferret sacraque perageret. In basilica porro Turritana ossa SS. Proti et Januarii simul cum S. Gavini reliquiis sunt recondita; ibique a cunctis Sardiniae incolis immensa veneratione et pietate coluntur; ut potissimum in die eorum cultui dedicata videre licet. Ex omnibus enim insulae provinciis fideles ad sanctos suos Patronos venerandos concurrunt; quanta autem sit confluens ad solemnitatem multitudo, vel ex eo conjici potest, quod per hosce dies in collibus circumjacentibus facile tria millia equorum pascentia spectentur. SS. Proti, Januarii et Gavini passionis historiam e Ferrario, qui eam compendiose exhibet, exscribimus: « Protus, qui Sardis Proptus dicitur, et Januarius cives Turritani, cum christianam religionem amplexi fuissent, Romam profecti, a B. Cajo Papa ordinantur; Protus quidem tamquam senior Presbyter, Januarius vero Diaconus. In Sardiniam reversi, dum christianam fidem praedicant, ac mira in urbe Turritana sanctitate florerent, in saevissima Diocletiani et Maximiani imperatorum persecutione sub Barbaro, Sardiniae et Corsicae praeside, comprehensi, varia pro Christo tormenta constanter perpessi sunt. Proto in Herculis insulam (quam vulgus Linariam vocat) deportato, Januarius tamquam junior blanditiis et donis, ut diis immolaret, tentatur. Quod cum frustra fieret, mox Proto revocato, uterque in eculeo suspenditur, ungulisque ferreis excarnificatur. Cum vero immobiles in fide perstarent, Gavini militis custodiae traduntur. A quo, ab eis ad fidem converso, dimissi, postea cum se ultro tortoribus obtulissent, in eodem loco, in quo S. Gàvinus obtruncatus fuerat, gladio animadversi martyrium consummarunt, 8 kal. novembris. » Horum sanctorum Martyrum trinae inventiones seu recognitiones factae fuere: prima, ineunte saeculo sexto: sed haec minus fide digna videtur; secunda, anno 1614; tertia, prioribus sane celebrior, anno 1848, Pio PP. IX regnante, fuit peracta.

SS. MARTYRIUS ET MARCIANUS MM.

Passi sunt anno 351.

Martyrol. — Constantinopoli passio sanctorum Martyrii Subdiacon. et Marciani Cantoris, qui ab haereticis sub Constantio Imperatore necati sunt.

Sozomenus, qui saeculo quinto floruit, in capitulo tertio suae *Historiae Ecclesiasticae*, quod hunc fert titulum: *De martyrio Sanctorum notariorum*, haec, quae sequuntur, de SS. Martyrii et Marciani gloriosa passione habet: « Malum ad caedes usque progressum fuerat. Nam, ut alii interfecti sunt, et Martyrius et Marcianus: quos utpote Pauli (qui Patriarcha erat Constantinopolitanus, vir sanctissimus, sed Arianis vehementer exosus, ab ipsisque in exsilium pulsus) domesticos et contubernales, ajunt forti animo mortem pertulisse, cum eos Macedonius praefecto tradidisset, tamquam auctores necis Hermogenis et seditionis adversus ipsum, ac postremo depositionis ipsius Macedonii, tunc cum Constantinopolitana ecclesia expulsus est. Erat autem Martyrius quidem Subdiaconus; Marcianus vero cantor et lector Sacrarum Scripturarum. Eorum sepulcrum est ante muros urbis regiae, admodum insigne, ecclesiae ambitu circumdatum, tamquam martyrum monumentum. Quam quidem extruere coepit Joannes, absolvit autem Sisinnius; qui postea ecclesiae Constantinopolitanae fuerunt antistites. Indignum enim censuerunt praemiis atque honoribus martyrii eos fraudari, quos Deus ipse honore afficeret. Quippe locus ille, ubi olim noxii qui ad mor-

em ducebantur, capite truncari soleant, cum antea propter spectra inaccessus esset, deinceps purgatus est; multaque alia miracula ad illorum tumulum contigerunt. Et haec quidem e Martyrio et Marciano dicta sunt a nobis. Quae si cui minus credibilia videbantur, facile est res istas ex iis qui has novunt, accuratius perdiscere; nam fortasse adhuc mirabilia iis quae dixi, narraturi sunt ». Cum his, quae a Sozomeno sunt dicta, concordant Menologium Basilii imperatoris, Menaea et caetera.

S. BONIFACIUS Papa.

Obiit anno 422. — Romanus.

Martyrol. — Romae sancti Bonifacii Papae et Confessoris.

« Bonifacius, natione Romanus, ex patre Jocundo presbytero, sedit annos tres, menses quatuor, dies tredecim. Hic sub contentione cum Eulalio ordinatur una die et fuit dissentio in clero mensibus septem et per dies quindecim. Eulalius vero ordinatur in basilica Constantiniana, Bonifacius autem in basilicae Juliae. Eodem tempore audiens hoc Placidia augusta cum filio suo Valentiniano augusto, dum sederet Ravennae, retulit Honori augusto, Mediolani sedenti. Eodem tempore, ambo augusti, missa auctoritate praeceperunt, ut ambo exirent civitate. Qui dum compulsi exissent, habitavit Bonifacius in coemeterio sanctae Felicitatis Martyris in via Salaria. Eulalius vero in civitate Antii ad sanctum Hermen. Veniente autem proximo die Paschae, praesumpsit Eulalius, eo quod ordinatus fuisset in basilica Constantiniana, et introivit in Urbem et baptizavit et celebravit Pascha in basilica Constantiniana. Bonifacius vero, sicut consuetudo erat, celebravit baptismum Paschae in basilica sanctae Martyris Agnetis. Hoc audito, augusti utrique miserunt et ejecerunt Eulalium, et missa auctoritate, revocaverunt Bonifacium in Urbem et constituerunt episcopum. Eulalium vero miserunt foras in Campaniam. Post annos tres et menses octo defunctus est Bonifacius.... Hic constituit, ut nulla mulier vel monacha pallia sacrata contingeret, aut lavaret, aut incensum poneret in ecclesia, nisi minister; nec servum clericum fieri, nec obnoxium curiae, vel cujuslibet rei ». (Ita Anastasius bibliothecarius in *Libro pontificali*). Animadvertendum tamen est probabilius S. Bonifacium annos tres, menses octo et dies septem Summum Pontificatum egisse.

S. FRONTO Episcopus.

Probab. saeculo I.

Martyrol. — Petragóricis in Gallia sancti Frontonis, qui a beato Petro Apostolo Episcopus ordinatus, cum Georgio Presbytero magnam illius gentis multitudinem ad Christum convertit, et miraculis clarus in pace quievit.

Petragorica urbs *(Périgueux)*, caput agri homonimi *(Le Périgord)*, ad Ellam *(Isle)* flumen sita est. Fere omnia quae S. Frontonem spectant, profunda caligine involuta sunt. Probabilius tamen est, eum in Licaonia, quae media jacet inter Pontum, Galatiam, Cappadociam et Bithyniam, genitum fuisse; atque inter S. Petri discipulos extitisse, ab ipsoque in Gallias fuisse missum, tandem, morte naturali, diem suum clausisse. (Ex *Bolland.*).

S. GAUDENTIUS Episcopus.

Obiit probab. circa annum 410.

Martyrol. — Brixiae natalis sancti Gaudentii Episcopi, eruditione et sanctitate conspicui.

Quae ad nos de S. Gaudentio pervenerunt, sic compendiose reddit Schoenemannus *(Bibliotheca hist. litt. Patrum latin.)*: « Patria Gaudentii incerta est. Nisi Brixianus fuit, certe

diu Brixiae, Philastrii * jam temporibus vixit, alumnus ejus atque ecclesiastica disciplina ab eo imbutus, quo tempore magnum sibi apud populum et clericos favorem conciliavit. Quippe qui dum in Orientem religionis causa peregre profectus esset, Philastrio interim mortuo, populo flagitante et suffragio aliorum Episcoporum, cui magnum pondus ex Ambrosii Mediolanensi auctoritate accedebat, Brixiae Episcopus ** electus est. Ac Gaudentius quidem, nuntio hoc accepto, nihil intentatum reliquit, quo onus istud declinaret. Sed Ambrosius caeterique antistites sacramento, quo fortasse Brixiani cives se obligaverunt, nullum alium Episcopum se accepturos, adstricti, tales ad ipsum epistolas cum legatione civium miserunt, ut diutius religioni resistere duceret, praesertim cum ab ipsis Episcopis orientalibus, nisi reditum ad Brixianos polliceretur, communio *** negata esset. Nulla in Episcopatu re gesta magis inclaruit, quam suscepta pro Joanne Chrysostomo legatione ad Arcadium imperatorem anno 405 *(rectius anno 406)*, Aemilio et Cythegio comitibus. Quae quamvis eventu fuerit destituta, constantiae tamen et magnanimitatis laude eum nobilitavit, atque disertissimum hac de re praeconium ipsius Chrysostomi testimonia **** praebent. Quando obierit Gaudentius aeque incertum est, aliis ad annum 429, aliis, in quibus Tillemontius, majori probabilitate ad annum 410 obitum ejus referentibus. » De scriptis S. Gaudentii ***** ita breviter et accurate idem Schoenemannus disserit: « Ad genuina Gaudenti scripta *quod attinet*; praeter Paschales decem Sermones cum Praefatione ad Benivolum, quatuor de diversis capitulis Evangelii et quintus de Machabaeis martyribus ex ipsius Gaudentii verbis in eadem Praefatione ad Benivolum, pro veris agnoscuntur. Quatuor alii, nempe de Ordinatione sui, de Dedicatione basilicae, itemque ad Serminium et Paulum diaconum: qui posteriores Epistolae potius quam Sermones sunt, cum argumenti tum orationis similitudine, Gaudentii esse probantur. His insuper in Galeardi editione addi vides duo; de Petro et Paulo alterum, alterum de vita et obitu Philastrii praedecessoris sui. »

S. HILARIUS Episcopus.

Obiit circa annum 540.

Martyrol. — Gavalis sancti Hilarii Episcopi.

Paucissima et pluribus ambagibus involuta de S. Hilario Episcopo Gavalitano, vel potius Gabalitano (in ea Galliarum regione, quae *Geraudan* nuncupatur, cujus caput est *Mende*, seu latine *Mimate*, unde S. Hilarius noster et Mimatensis Episcopus dicitur) habemus. Certum est, anno 520, eum jam episcopali dignitate insignitum fuisse, quum eo tempore visitatus et consultus fuerit a S. Leobino, tum monacho, postea vero antistite Carnotensi. Post multos susceptos labores, miraculis clarus obdormivit in Domino circa annum 540.

* S. Philastrii memoria die 19 julii recolitur.

** In Brixianorum Pontificum serie, nonus est.

*** *Communionis* nomine significabatur olim non solum sacrae Eucharistiae perceptio, sed etiam participatio in mensa, inque aliis bonis.

**** En Chrysostomi magnificum prorsus de S. Gaudentio elogium: « Nihil nos latet rerum tuarum, sed tamquam praesentes probe novimus studium tuum, vigilantiam, curas, labores, quos pro veritate suscepisti, tibique ingentes gratias agimus, neque mediocrem in tanta degentes solitudine consolationem haurimus ex tuae charitatis ardore, ac sinceritate, cujus dum hic periculum fecimus, istic quoque integram illam vigere cognovimus, nec ullo modo, aut temporis diuturnitate, aut itineris longitudine debilitatam fuisse. Quo nomine multam tibi gratiam habemus, teque hortamur, ut in instituto pergas, et idem semper studium prae te feras. »

***** Tanta fuit S. Gaudentii doctrina, ut is decus insigne Doctorum sui aevi, teste Rufino, ab omnibus celebraretur. Sermones autem ipsius a notariis clam appositis, dum is eos haberet, diligenter scribebantur.

..EPTIMO KAL. NOV. OCT. DIE XXVI.

..S. EVARISTUS Papa et Martyr.

Passus est anno 108.

Martyrol. — Romae sancti Eva..sti Papae et Martyris, qui Dei Ec..esiam sub Hadriano imperatore suo ..nguine purpuravit.

Pauca admodum sunt, quae circa . Evaristi Papae et Martyris gesta ..ntiqui scriptores nobis tradidêre. ..uartus aut quintus a S. Petro fuit ..ontifex, prout Cletus et Anacletus ..ut distinguantur aut simul confun..antur. S. Irenaeus, qui, quum sae..ulo secundo floruisset, vix ignorare ..eram Romanorum Pontificum suc..essionem potuit, ita hanc successio..iem evolvit (Lib. III *Adversus Hae..eses*, cap. 3), ut post S. Petrum pri..nus sedem occupaverit Linus, secun..lus Anacletus, tertius Clemens, ..uartus Evaristus. Juxta antiquiores ..atalogos, S. Evaristus Romanam Ec..clesiam ab anno 96 usque ad annum 108 ..gubernavit. Praeter Ordinationes, quas ..sanctus Papa mense decembri fecit, ..quibus ordinavit presbyteros sex, dia..conos duos, episcopos per diversa loca ..quinque, vel, ut ab aliis legitur, pre..sbyteros decem et septem, episcopos quindecim, nihil aliud vetera monu..menta referunt, quam quod is *titulos*, ..loca, scilicet, Deo sacra, in Urbe sta..tuerit, quorum curam presbyteris commisit; atque septem diaconos or..dinaverit, *qui custodirent episcopum praedicantem*, scilicet, ut episcopi custodes essent adversus insidiantes, et testes veritatis praedicatae ad..versus detractores. (Ex *Bolland.*).

— In Africa sanctorum Martyrum Rogatiani Presbyteri et Felicissimi. qui in persecutione Valeriani et Gal..lieni illustri martyrio coronati sunt: de quibus etiam scribit sanctus Cy..prianus in epistola ad Confessores. (Vide *Surium*, pag. 722).

SS. LUCIANUS, FLORIUS et Socii MM.

Passi sunt anno 250 *vel* 251.

Martyrol. — Nicomediae sanctorum Martyrum Luciani, Florii et Sociorum.

Acta, quae Ruinartius edidit, digna sane, quibus multa fides adhibeatur, SS. Luciani et Marciani nomina et passionem dumtaxat, quin de S. Florio, caeterisque Sociis verba faciant, continent. Attamen Sociorum meminerunt antiqua Martyrologia, Antverpiense, Florentinum et Corbejense.

S. QUOTVULDEUS Episcopus.

Obiit circa medium saeculum V.

Martyrol. — Eodem die sancti Quotvuldei Episcopi Carthaginensis, qui una cum Clero a Genserico Rege Ariano in navibus fractis absque remigiis et velis impositus, praeter spem Neapolim appulit, ibique in exsilio positus, confessor occubuit.

Pauca, quae de rebus gestis S. Quotvuldei habentur, refert Victor Vitensis in Libro I *De Persecutione Vandalica* hisce verbis: « Ipsam urbem maximam Carthaginem (anno 439) Geisericus tenuit et intravit, et antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem in servitute redegit. Nam et Senatorum urbis non parvam multitudinem captavit...... Tunc vero memoratae urbis episcopum, idest, Carthaginis, Deo et hominibus manifestum, nomine Quotvuldeum, et maximam turbam clericorum, navibus fractis, impositos, nudos atque exspoliatos expelli praecepit. Quos Deus miseratione bonitatis suae prospera navigatione Neapolim Campaniae perducere dignatus est civitatem. » Quo tempore S. Quotvuldeus in episcopum electus fuerit et quamdiu Ecclesiae carthaginensis gubernacula tenuerit, nobis compertum non est. Quid porro Neapoli egerit, et quando ad coelestem

patriam migraverit, omnino est ignotum. Constat vero S. Quotvuldei cultum in Neapolitana dioecesi antiquissimum esse.

S. RUSTICUS EPISCOPUS.

Obiit anno 461. — *Nat. Gallus.*

MARTYROL. — Narbonae sancti RUSTICI Episcopi et Confessoris, qui claruit temporibus Valentiniani et Leonis Imperatorum.

In Galliis, forte Massiliae, honestissimis parentibus ortus est, patre scilicet Bonoso, postmodum episcopo, matre, femina valde religiosa, sorore Aratoris itidem episcopi. At tum hujus quam illius sedes nobis est ignota. Egregiis naturae et gratiae donis praeditus, cura piissimae matris, quam paucis annis post editum filium viduam fuisse insinuat S. Hieronymus, Rusticus in omni sapientia et doctrina educatus, ita in studio litterarum profecit, ut dignus fuerit aestimatus qui Romam mitteretur, ut ubertatem Gallici sermonis gravitate Romana condiret. In Gallias redux et Massiliae vel in vicinia cum matre degens, accepit circa annum 411 a S. Hieronymo praeclaram valde Epistolam, in qua plurima habentur ad laudem S. Adolescentis et claustralis vitae commendationem. Erat tunc annos circiter viginti natus S. Rusticus, ut conjicere licet ex S. Doctoris verbis. Eodem autem tempore vel non multo post, vitam amplexus est regularem, probabilius in Massiliensi monasterio S. Victoris; atque S. Venerii (postea Massiliensium) *Episcopi socius in monasterio* fuit, ut in Inscriptione Narbonensi legitur. Obsecundans S. Hieronymi monitis ita ibidem egit et vixit, ut clericus esse meruerit. Anno Christi 427, aetatis suae circiter 37, ut videtur, Episcopus ordinatus est ecclesiae Narbonensis. Anno 441, basilicam aedificare coepit, eam quadriennio circiter absolvens. Exeunte anno 451, Concilio seu conventui Gallicano interfuit, ibique primus post Ravennium Arelatensem Antistitem, Epistolae Synodicae quadraginta Episcoporum ad Leonem Magnum subscripsit, qua hujus ad Flavianum litteras de Mysterio Incarnationis praeclare se testantur. Praesens quoque fuit concilio Arelatensi III (probab. anno 455), ubi Ravennius hujuscemodi verbis exoratus est: « Ac praecipue beatitudo vestra ut adsit primum deprecamur, quia gravior infirmitas necessario medicos peritissimos inquirit. » Agebatur enim de dissidio quodam inter Theodorum, Episcopum Forojuliensem *(Fréjus)*, et Abbatem monasterii Lerinensis. Circa annum 458, cum propter temporum iniquitatem barbarorum hostiles incursiones et tantam exinde morum disciplinaeque corruptelam, de deponendo episcopatu cogitasset, ad S. Leonem Papam scripsit, ut, inter caetera, hanc ei suam mentem aperiret; cui Leo, anno 458, respondit permanendum ei esse *in opere credito et labore suscepto*. S. Rusticus diem obiit supremum anno 461; et Narbonae perquam honorifice sepultus est. (Ex *Bolland.*).

S. GAUDIOSUS EPISCOPUS.

Circa medium saeculum VII.

MARTYROL. — Apud Salernum sancti GAUDIOSI Episcopi.

Salernum, in Italia, ab antiquissimis temporibus sedem episcopalem habuit, quam dein Joannes PP. XV. anno 986, ad dignitatem episcopalem erexit. Ast de S. Gaudioso, Salernitano Episcopo, omnia fere, sive origo, sive res gestae, sive aetas spectentur, aut ignota, aut dubia sunt. Densiores etiam tenebras ejus Actis offundit confusio cum sancto homonymo, Episcopo Africano, qui, Vandalicam persecutionem fugiens, Neapolim venit, ac ibidem Sancto fine quievit, ejusque cultus die 28 octobris celebratur. Probabilissimum tamen videtur, eum, illius Ecclesiae in serie Episcoporum

ctavum fuisse, proindeque circa medium saeculum septimum pontificaum egisse. Sacrae ipsius exuviae, Grinoaldo I vel Grimoaldo II, Salernitanis principibus, qui ab anno 646 a 689 sceptra gesserunt, id concedentibus, Neapolim translatae fuere, ibique maximo cum honore reconditae. (Ex *Bolland.*).

S. FULCUS EPISCOPUS.

Floruit saeculo XIII. — Italus.

MARTYROL. — Papiae sancti FULCI Episcopi.

S. Fulcus, Placentiae natus, nobili genere, in Canonicorum Regularium Ordine primum cooptatus est, Parisiisque sacrae Theologiae curriculum perfecit. Mortuo Grimerio, Placentino Episcopo, ipse, licet reluctans, ei sufficitur, anno ducentesimo supra millesimum. Tandem, anno, ut videtur 1217, ad Ticinensem sedem fuit promotus. Erga pauperes liberalissimus et beneficentissimus, ipsorum quindenos ad episcopalem mensam quotidie, ut fertur, convivabatur; totidem scholaribus, quoad vixit, ne dum alimenta suppeditabat, sed et de magistris, qui eos litteras edocerent, paterna providebat charitate, septemque pariter nobiles egenos eximia sustentabat pietate. Haud vulgari pollens doctrina, plura scripsit opuscula. Apud Innocentium PP. III, et Honorium item PP. III, magna fuit aestimatione, quapropter ipsi antiqua Ticinensis Ecclesiae privilegia confirmarunt. Obiit anno 1229; ac in basilica S. Stephani sepultus est: verum, anno 1567, Hippolytus de Rubeis, Papiensis Antistes, sacras ejus exuvias decentiori loco recondidit. (E *Papia Sacra* R. P. Romualdi a S. Maria, et ex aliis).

—

S. BERNWARDUS EP. ET CONF.

Obiit probab. anno 1022.
E gente Saxonica.

MARTYROL. — Hildesheimi in Saxonia sancti BERNWARDI Episcopi et Confessoris a Coelestino III inter Sanctos adnumerati.

S. Bernwardi vitam egregie sane explicavit Tangmarus, Hildesiensis Ecclesiae presbyter, bibliothecarius ac notarius, atque nostri sancti praeceptor et confessarius. Nos vero ad propositum nostrum opportunum judicamus breviorem, etsi minus elegantem, vitam ipsius hoc loco exhibere, quae in *Scriptoribus Rerum Brunswicensium*, a Leibnizio collectis, continetur. « Hic Sanctus, claris ortus natalibus, ex filia Adalberonis *(ex familia Sommerschenburg, quae anno* 1190 *extincta est)* palatini comitis Saxoniae, in timore Domini in Ecclesia Hildesemensi (*Hildesheim*, in Hanovriae regno) est educatus, et sacris litteris arteque sculptoria apprime instructus. Ipse jam adolescens factus, domum avi senis fideliter gubernavit, eique sicut castus et humilis fideliter ministravit. Tandem famae ejus bonae opinione comperta, Otto (II, hujus nominis, qui Romanum imperium ab anno 973 usque ad annum 983 tenuit) imperator ad palatium eum vocavit, compertaque ejus sagacitate eum in aula, licet invitum, detinuit. Qui propter puritatem et sapientiam, quae in eo refulgebat, aulicis omnibus acceptus erat. Defuncto autem beatae memoriae Gerdago, Hildesemensi Episcopo, communi voto ab omnibus S. Bernwardus est electus *(anno nempe* 993*)*, et a Willegiso, Archiepiscopo Moguntino, devote consecratus. Factus Episcopus, coepit omnimodo utilitati Ecclesiae invigilare, et curam subditorum non segniter agere, omnibus omnia factus. Cum vacabat, imo semper quando praesens aderat, hora capituli ad fratres intrabat, eosque de

religione vitaeque proposito ad obedientiam salutarem adhortabatur, seipsum formam vivendi praebens. Stipendia fratrum plurimum adauxit, ecclesiam palliis sacris, vestibus, aureis et argenteis calicibus vasisque diversis, quae propriis manibus fabricavit, et libris, ditavit et ornavit. Plurima etiam ex haereditate paterna contulit, Episcopo praedia multa, etiam de fisco imperiali, ex largitione imperatorum acquisivit. In oratione assiduus, in eleemosynarum exhibitione profusus, humilis, affabilis, mansuetus. Praeter pietatis ejus opera, quae referre longum est, in civitate, cui praefuit, ad septentrionalem ejus plagam monasterium in honorem S. Michaëlis omniumque caelestium virtutum, miroque opere decoratum construxit, dedicavit et dotavit, ibique monachos religiosos congregavit, quibus larga stipendia, ut Deo sine sollicitudine militare possent, contulit. Defuncto Ottone hujus nominis secundo, ipse ei filium suum adhuc parvulum, scilicet Ottonem III cum matre Theophana, adhuc vivens, imperiumque totum consensu principum commendavit, ut filium educaret et regnum sua providentia gubernaret. Quod ipse non segniter, licet cum insidia magnorum pontificum, Moguntini scilicet et Coloniensis, adimplevit. *(Animadvertendum est, S. Bernwardum Ottonis III minorennis magistrum et praeceptorem extitisse, antequam Episcopus Hildesiensis consecratus fuisset.)* Ipse etiam Herkenbaldum Moguntinae sedis electum, suum secundum carnem cognatum, in Archiepiscopum consecravit. Post consummatum S. Michaëlis coenobium *(splendidum, planeque magnificum hoc coenobium, quod ab initio sui episcopatus erigendum curavit, ac tandem morti proximus perfecit, Monachis Ordinis S. Benedicti, S. Bernwardus concessit. Extra porro urbis Hildesheim illud situm erat),* post labores, quos in imperii provisione pertulit, sub felicissimo imperatore Henrico II *(qui die VIII julii, anno* **1002**, *electus et coronatus fuit a Willigiso Antistite Moguntino. De S. Henrico II imperatore vide Martyrologium Illustratum,* Vol. VII, pag. 623).... diuturno languore ligatus, in suo monasterio habitum monachi suscepit, et appropinquante hora mortis, se in oratorium B. Martini, quod ipse construxerat, ferri praecepit; ibique cilicio, cinere asperso, superpositus, sumpto viatico, inter assistentium manus transivit ad Angelorum requiem. Sepultus est B. Bernwardus in ecclesia S. Michaëlis, in sepulcro, quod sibi antea foderat, ubi post ejus obitum, ad ejus sacram tumbam coeci illuminati, daemoniaci curati, infirmi sanati sunt. Hujus venerabilem memoriam exaltavit Coelestinus Papa III *(anno* **1192***)*, eumque transferri praecepit, promovente hoc Theodorico abbate. Cujus translatio celebrata est decimo septimo kalendas augusti *(anno* **1194***)*, praesidente Romanae Ecclesiae Coelestino, imperante Henrico, hujus nominis sexto; administrante pontificatu Hildesemensis Ecclesiae Bernone, venerabili Episcopo, a quo idem Sanctus translatus est. » (Celebrata autem elevatione S. Bernwardi corporis, Ecclesia Hildesiensis ritu solemni ejus festum peragere coepit).

S. QUADRAGESIMUS Subdiaconus.

Obiit inclinante saeculo VI.

Martyrol. — Item sancti Quadragesimi Subdiaconi, qui et mortuum resuscitavit.

Primus qui hunc Sanctum meminerit, est S. Gregorius Magnus in *Dialogorum libro III, cap.* **17**. Ex hoc fonte, non vero ex tabulis cujusvis ecclesiae, aut alio monumento quocumque, Baronius, ut ipse in *Notis* testatur, S. Quadragesimi nomen exprompsit. En porro quid de hoc sancto Magnus Gregorius enarret: « No-

ris modo temporibus quidam vir, uadragesimus nomine, Buxentinae *nter omnes convenit Buxentum, a ultis jam saeculis excisum, fuisse ppidum Lucaniae, scilicet Basilicatae; uxentum vero extitisse, ubi nunc olicastro)* ecclesiae Subdiaconus fuit, ui ovium suarum gregem pascere in iusdem Aureliae * partibus solebat. ujus valde veracis Viri narratione es mira innotuit, quae secreto fuerat esta. Is namque, ut praediximus, um gregis sui in Aurelia curam geeret, in diebus ejusdem vir fuit e Ionte, qui Argentarius vocatur, venerabilis vitae, qui habitum monachi, uem praetendebat specie, moribus xplebat. Hic itaque ad ecclesiam beati 'etri Apostolorum principis ab eodem Ionte Argentario annis singulis venire consueverat, atque ad hunc, quem raedixi, Quadragesimum Subdiaconum, sicut ipse narravit, hospitalitatis gratiâ declinabat. Quadam vero die lum ejus hospitium, quod non longe ab ecclesia aberat, intrasset, cujusdam pauperculae mulieris maritus juxta lefunctus est; quem ex more lotum, vestimentis indutum, et Sabbato constrictum, superveniente vespere, sepelire nequiverunt. Igitur juxta defuncti corpus viduata mulier sedit, quae in magnis fletibus noctem ducens, continuis lamentorum vocibus satisfaciebat dolori. Cumque hoc diutius fieret, et nullo modo cessaret, vir Dei, qui receptus hospitio fuerat, Quadragesimo Subdiacono compunctus ait: « Dolori hujus mulieris anima mea compatitur, rogo, surge, et oremus. » Perrexerunt igitur utrique ad vicinam ecclesiam, seseque pariter in orationem dederunt. Cumque diutius orassent, complere orationem Quadragesimum Subdiaconum servus Dei petiit. Qua completa, ab altaris crepidine pulverem colligit, atque cum eodem Quadragesimo ad defuncti corpus accessit, seseque ibidem in orationem dedit. Cumque diutius orasset, jam non sicut prius fecerat, orationem compleri per Subdiaconum voluit, sed ipse benedictionem dedit, statimque surrexit. Et quia manu dexterâ collectum pulverem gestabat, sinistrâ pallium, quo facies defuncti velabatur, abstulit. Quod cum mulier fieri cerneret, contradicere vehementer coepit, et mirari quid vellet facere. Ablato itaque pallio, diu eo quem collegerat pulvere, defuncti faciem fricavit. Qui cum diutus fricaretur, recepit animam, oscitavit, oculos aperuit, seseque èlevans resedit, quid erga se ageretur miratus est, ac si de gravissimo somno fuisset excitatus. Quod cum mulier lamentis fatigata conspiceret, coepit ex gaudio magis flere et voces amplius edere. Quam vir Domini modesta prohibitione compescuit dicens: « Tace, tace: sed si quis vos requisiverit qualiter factum sit, hoc solummodo dicite, quia Dominus Jesus Christus opera sua fecit. » Dixit hoc, atque ab ejus hospitio exivit. Quadragesimum Subdiaconum protinus reliquit, et in loco eodem ultra non comparuit. Temporalem namque honorem fugiens, egit ut ab his a quibus visus in tanta virtute fuerat, nunquam jam in hac vita videretur **. »

* Vox *ejusdem* naturali sensu refertur ad nomen praecedens. Ast nec in antecedente capite nec in alio quovis *Dialogorum* loco mentio fit *Aureliae*. Nuspiam porro apud Geographos sive antiquos sive recentes, pars aliqua Lucaniae reperitur, *Aurelia* appellata. Hoc nomine vocabatur via publica et militaris in Etruria.

** Monitum. — Hactenus, benigne et candide Lector, tam in Martyrologio illustrando, quam in Adnotationibus concinnandis, quas Surianis Vitis adjecimus, potissimum, ut te profecto non latuit, ex Opere Bollandiano hausimus. Ast Opus hoc maximum celeberrimumque, a typographo Palmé, Parisiis editum, quo nos usi sumus, ad hanc diem tantum pervenit; et utinam Neo-Bollandistae, qui illud continuandum susceperunt, ad finem cito perducant, absolvantque! Quamobrem, fonte hoc uberrimo, ex quo fere omnia, quae in Opere nostro protulimus, intermisso, in reliqua parte nostri Operis conficiendo, breviori sermone uti, minoremque Adnotationum copiam tibi suppeditare cogimur. Ea autem, quae perscribemus, e probatis Auctoribus eruenda curabimus, quorum nomina tibi ob oculos ponere satagemus, ipsis omnem fidei curam relinquentes.

SEXTO KAL. NOVEMBRIS OCT. DIE XXVII.

MARTYROL. — Vigilia sanctorum Apostolorum SIMONIS et JUDAE.

SS. VINCENTII, SABINAE ET CHRISTETAE MM.

Anno circiter 303.

MARTYROL. — Abulae in Hispania passio sanctorum VINCENTII, SABINAE et CHRISTETAE, qui primum in equuleo sunt extenti, ut omnes membrorum compages laxarentur; deinde capita eorum lapidibus superposita, usque ad excussionem cerebri validis rectibus sunt contusae, atque ita Martyrium compleverunt, agente Praeside Daciano.

« Martyres plures *(sic in Usuardi Martyrologio a Solerio illustrato legitur)* Vincentii nomine illustres passim commemorantur, at forte vix ullus, de quo pauciora et minus genuina extent monumenta antiqua, quam de hoc Abulensi duabusque ejus sororibus Sabina et Christeta ; sic enim et ipsas vocat Ruinartius inter Sincera et Selecta, qui forte Acta vidit..., quae si sincera existimasset, edere procul dubio non praetermisisset. Ceterum haec aut similia habuit Martyrologus Viennensis, cum elogium ejus inde acceptum videatur, quod Petrus in Catalogo retulit, Lib. 9, cap. 114, ubi pro *Christeta* scribit *Christina*, quodque totum Noster etiam transumpsit, mutatis solum vocibus *Abela* in *Abula*, *Christetes* in *Christetae ;* et *supposita* in *superposita*. De Actis ipsis quid censeam si me rogas, malo judicium tantisper suspendere, quam quidquam temere definire, tametsi sufficientia occurrant vestigia, quae satis ostendant, ad aliorum Actorum imitationem, aliquot post eorum passionem seculis fabricata aut saltem exornata ; adeo ut Tamayus de Salaxar, cetera in corradendis omnibus satis facilis, non exiguam eorum partem rescindendam putaverit..... Horum Martyrum prima, ni fallor, memoria ex Romano parvo profluit: *Abela civitate, Vincentii, Sabinae et Christetes martyrum.* Florus etiam eos diserte consignat die sequenti his verbis: *Ipso die, passio sanctorum Vincentii, Sabinae et Christetae, qui passi sunt in urbe Avila.* Elogii reliqua ex solito Adoniano fonte, sed alia phrasi exprimuntur. Adde Wandelbertum, cujus metricum elogium legi meretur:

Hinc sextum martyr pugnans Vincentius ornat.
Christete hoc pariter Sabinaque virgo triumphant.

S. FLORENTIUS MARTYR.

MARTYROL. — Apud Castrum Tyle sancti FLORENTII Martyris.

Non inverosimile videtur Castrum Tyle, quod in Romano Martyrologio notatur, *Thiel* esse, oppidum Geldriae, in Hollandiae regno, Wahali *(Wahal)* fluvium adsitum. Quisnam porro Florentius sit, ac quo tempore martyrii lauream obtinuerit, prorsus incertum est. Sunt qui eum militibus Thebaeis adscribunt, verum nulli solido fundamento innixi. (Ex *Observationibus* ad Martyrol. Usuardi).

SS. CAPITOLINA ET EROTHEIDES MM.

Passae sunt anno 304.

MARTYROL. — In Cappadocia sanctarum Martyrum CAPITOLINAE, et EROTHEIDIS ejus ancillae, quae sub Diocletiano sunt passae.

Annum, quo hae Martyres coelestem gloriam meruere, Baronius ipse, in suis Notis, definivit, qui, praeterea, Menologio graeco fretus, sub Zelecinthio, Cappadociae Praeside, eas sanguinem fudisse ait.

— Apud Indos sancti FRUMENTII Episcopi, qui ibi primum captivus, deinde Episcopus a sancto Athanasio ordinatus, Evangelium in ea provincia propagavit. (Vide *Surium*, pag. 725).

S. ELESBAN REX.
Saeculo VI. — Aethiops.

MARTYROL. — In Aethiopia sancti ELÈSBAN Regis, qui, Christi hostibus expugnatis, misso regio diademate, Ierosolymam, tempore Justini Imperatoris, monasticam vitam, ut vòverat, agens, migravit ad Dominum.

Habentur res ejus gestae in Actis S. Aretae martyris, qui die 24 hujus mensis colitur. Perlege itaque *Surium* nostrum sub hac die.

QUINTO KAL. NOVEMBRIS OCT. DIE XXVIII

SS. SIMONIS CHANANAEI ET JUDAE APOSTOLORUM.
Saeculo I.

MARTYROL. — Natalis beatorum Apostolorum SIMONIS Chananaei et THADDAEI, qui et JUDAS dicitur: quorum Simon in Aegypto. Thaddaeus in Mesopotamia Evangelium praedicavit: deinde in Persidem simul ingressi, cum innumeram gentis illius multitudinem Christo subdidissent, martyrium consummarunt.

Agi hic de duobus Apostolis, et non de uno tantum, quasi Judae nomen Simoni adjunctum fuerit, ut quidam olim haud recte censuerunt, innumera, ait Baronius in suis Notationibus, vetusta exemplaria, antiquum officium ecclesiasticum, ac demum vetus hymnus de iisdem, qui in Toletano Breviario ponitur, fidem faciunt. In qua autem provincia Simon Apostolus Evangelium praedicaverit, antiquioribus subobscurum fuisse videtur: nam Origenes, Gregorius Nazianzenus, Eusebius, Chrysostomus, Theodoretus et Socrates, cum de caeteris agunt Apostolis, locaque referunt peregrinationis et apostolatus eorum, de Simone dicere omittunt. Aliorum vero, qui post praedictos scripserunt, diversae reperiuntur sententiae. Auctor, qui nomine Isidori fertur *(De vita et ob. Sanctorum,* cap. 82), dicit Simonem praedicasse Evangelium in Aegypto; Nicephorus addit Africam, eumque tandem ad Britannos pervenisse testatur: idipsum etiam Dorotheus in *Synopsi:* quorum sententiam Graeci secuti videntur in Menologio, ubi etiam dicitur (quod non probatur) Simon, Nathanael appellatus. Rursus autem in eodem Apostolo errasse reperiuntur nonnulli, putantes hunc eumdem esse cum illo Simone, qui passus reperitur in persecutione Trajani, de quo Eusebius in *Chron.* et *Hist.* — In Novo Testamento S. Simon tum solum nominatur cum caeteri Apostoli recensentur *(Matth.* x, 4; *Marc.* III, 18; *Luc.* VI, 15; *Act. Apost.* I, 13); a S. Luca Evangelista *Zelotes* nuncupatur, scilicet vir fervide Legem observans: id quod profecto et vocabulum χανανίτης (Chananaeus), quo eum appellant S. Matthaeus et S. Marcus Evangelistae, significat.

Quoad Thaddaeum pertinet, qui et Judas dicitur, S. Hieron., contra illos qui duos, hoc nomine vocatos, dixerunt, alterum, Apostolum, alterum, verum, ex numero 72 discipulorum, qui ad Abgarum missus, in Syria Evangelium praedicavit, unum, eumdemque fuisse Thaddaeum Apostolum cum illo, qui Edessam ad Abgarum profectus est, sensit: in quam quidem sententiam caeteri Latinorum abiisse videntur, cum Occidentalis Ecclesia nonnisi de uno Thaddaeo agat commemorationem. S. Thaddaeus a S. Luca *(Act. Apost.* I*)*, et a S. Matth. *(Evang.* x*)*, *Lebbaeus* vocatur, idest, *animosus* vel *magnanimus*. Loca autem ubi Evangelium praedicavit, haec enumerantur a Nicephoro, Judaea scilicet, Galilaea, Samaria, Idumaea, Arabia, Syria et Mesopotamia, de qua etiam Isidorus et alii testantur. Extant utriusque Apostoli Acta, quae et per lectiones distincta in aliquibus antiquis Mss. Cod. invenimus, ut in aliquibus ecclesiis legi consueverunt; quae non satis tuta visa sunt Radul-

pho Tungrensi *De obs. can.*, cap. 10. Apud Hippolytum, in libello de duodecim Apostolis legit Baronius, Taddaeum Berythi (Bairouth) consummasse martyrium. Reliquias ipsius Jerosolymis ad se missas S. Bernardus accepit, ut in ejus vita legitur prope finem. (Cfr. Baronium in *Notis Martyr. Rom.;* Baillet, *Dictionn. encyclop.* traduit par Goschler, etc.).

S. CYRILLA Virgo et Martyr.

Saeculo III.

Martyrol. — Romae sanctae Cyrillae Virginis, filiae sanctae Tryphoniae, quae sub Claudio Principe jugulata est.

De S. Tryphonia videsis quod in nostro Martyrol. illustrato, sub die xviii hujus, dictum est. Quod ad S. Cyrillam attinet, hîc cum Baronio adnotare sufficiat, corpus ejus unà cum Memmiae, Julianae, Neopistis ac Sophiae Virginum et Martyrum sacris exuviis a Sergio Juniore in Titulum Equitii translatum fuisse, ut vetus inscriptio marmori incisa, illic posita, testatur.

SS. ANASTASIAE Senioris et CYRILLI MM.

Saeculo III.

Martyrol. — Ibidem sanctae Anastasiae Senioris Virginis et Cyrilli Martyrum: illa in persecutione Valeriani sub Probo Praefecto vinculis constricta, colaphis caesa, igne et verberibus cruciata, cum in confessione Christi immobilis permaneret, abscissis mamillis, avulsis unguibus, dentibus comminutis, manibus pedibusque praecisis, truncata capite, tot passionum monilibus ornata, migravit ad Sponsum; Cyrillus autem ei petenti aquam propinans, martyrium pro mercede accepit.

S. Anastasia, Romae, nobili genere nata, de qua hodie agimus, senior dicta est alterius Anastasiae respectu, quae passa est in persecutione Diocletiani, et octavo kal. Januarii colitur. Acta S. Anastasiae a Metaphraste descripta habentur in *Surio*; sed fere nihil novi Martyrologii Romani narrationi addunt: de S. Cyrillo autem nihil omnino meminerunt.

Martyrol. — Apud Comum sancti Fidelis Martyris sub Maximiano Imperatore. (Vide *Surium*, pag. 727).

— Moguntiae sancti Ferrutii Martyris. (Vide *Surium*, pag. 732).

S. FARO Ep. et Conf.

Floruit saeculo VII. — Nat. Gallus.

Martyrol. — Meldis sancti Faronis Episcopi et Confessoris.

S. Faro, qui et Pharus et Burgundofaro vocatur, ortus est in ea Galliarum regione, cui nomen *La Brie* fuit inditum, parentibus tam genere quam pietate et religione clarissimis. Sororem habuit, Faram, inter Caelites adnumeratam; fratrem vero, Chagnoaldum, qui sub S. Columbani disciplinam monachorum vitam professus, Lugduni Clavati (vulgo *Laon*) episcopatum obtinuit. Prae caeteris carus acceptusque fuit Theodeberto II (596-612) et Clotario II (613-628) Regibus, in quorum aulis diu vixit, omni studio et cura ipsorum negotia pertractans, quin minime ea quae sunt Dei negligeret. At cum olim ad sororem suam Faram, cujusdam monasterii Abbatissam, divertisset, adeo ejus sacriico lloquiis accensus fuit, ut honores mundi omnes repente fastidiret, et solum Deum in coenobii quiete quamprimum quaerere proponeret. Quum porro pari proposito ferventem Blidechildem, conjugem suam, invenisset, is, minime dilato, quod proposuerat, amplissimis opibus in ecclesias egenosque profusis, cucullum induit, et florentem etiamnum aetatem Domino ultro consecravit. Sacerdotio insignitus, anno 627 Episcopus Meldensis (vulgo *Meaux*) ordi-

natus est; demum meritis plenus, miraculisque illustris diem supremum obiit, anno 672, fere octuagenarius. Eum commemorat Menologium Benedictinum, non quia unquam in Ordinem S. Benedicti adscitus fuisset, verum ob praeclara ejus merita erga viros monasticae vitae sectatores, et quia coenobium, ubi is aliquot annos vixerat, Benedictinam Regulam saeculis posterioribus amplexum est. (Cfr. Baillet et *Menologium Benedictinum*).

S. GAUDIOSUS EPISCOPUS.
Saeculo V.

MARTYROL. — Neapoli sancti GAUDIOSI Episcopi Africani, qui ob persecutionem Wandalorum in Campaniam veniens, in monasterio apud eam urbem sancto fine quievit.

Hic, ex Africa profugus, urgente dira persecutione a Genserico, Wandalorum rege Ariano, excitata, Neapolim appulit; ejusque sanctitas miraculis illustrata, non tantam Campanis, sed exteris quoque innotuit. Perseverat solemnis cultus Neapoli, ubi, decenti honore, sacra ipsius pignora asservantur. In coemeterio suburbano, quod in suburbiis Neapolis exstat, Baronius, inter alia nobilia antiquitatis monumenta S. Gaudiosi tumuli, quae ibi conspiciuntur, inscriptionem ipsius, musivo opere exaratam, licet ob vetustatem jam pene diminutam, se vidisse testatur.

S. HONORATUS EPISCOPUS.
Obiit anno 415.

MARTYROL. — Vercellis * sancti HONORATI Episcopi.

S. Honoratus nobilissimo genere Vercellensi, S. Eusebii, qui primus Vercellarum sedem tenuit, discipulus, anno 397, vita functo S. Limerio, qui S. Eusebio successerat, ad illius urbis episcopatum assumptus est. Ad coelestia regna migravit anno 415. Praeter tabulas ecclesiae Vercellensis, meminit ipsius Paulinus in Vita S. Ambrosii. Epitaphium ad ejus sepulcrum in marmore incisum, typis excusum habetur ante vitam S. Eusebii. (E *Notis* ad Martyr. Rom. Baronii, et ex *Historiis Vercell.*).

QUARTO KAL. NOVEMBRIS OCT. DIE XXIX.

SS. HYACINTHI, QUINCTI, FELICIANI ET LUCII MM.

MARTYROL. — In Lucania sanctorum Martyrum HYACINTHI, QUINCTI, FELICIANI et LUCII.

Ipsos meminerunt in suis Martyrologiis et Beda et Usuardus, quin aliquid de loco et anno, quo martyrio coronati sunt, proferant. De reliquiis S. Hyacinthi loquitur S. Gregorius, ad Chrysantum Episcopum Spoletanum scribens.

S. ZENOBIUS PRESBYTER ET MARTYR.
Circiter anno 303.

MARTYROL. — Sidone in Phoenicia sancti ZENOBII Presbyteri, qui sub novissimae persecutionis acerbitate alios ad Martyrium exhortans, martyrio et ipse dignatus est.

— Eodem die sanctorum Episcoporum MAXIMILIANI Martyris, et VALENTINI Confessoris.

De SS. Maximiliano et Valentino, Molanus in Additionibus ad Usuardum hac die habet: *In civitate Pataviensi, triumphus sancti Episcopi Maximi-*

* *Vercellae*, nobilissima ac perillustris Galliae Cisalpinae urbs. Apud eam, anno A. X. 101, Cimbri, germanica gens ferocissima, a Mario, Romanorum duce et consule, magna clade victi et triumphati sunt. — Vercellenses episcopi Archiepiscopo Mediolanensi suffraganei erant, ejusque ad dexteram, in publicis solemnibusque caeremoniis, primi sedebant: ipsos autem Henricus II imperator principes romani imperii constituit. Anno 1817 Pius Pp. VII vercellensem sedem ad archiepiscopales honores provexit.

liani Martyris et Valentini Confessoris. Sed nihil aliud, quo hos Sanctos illustrare possimus, invenimus.

S. EUSEBIA Virgo et Martyr.

Martyrol. — Bergomi sanctae Eusebiae Virginis et Martyris.

Eusebia, Christi fide susceptâ, mundi blanditias spernens, virginitatem perpetuo coluit. Jejuniis vigiliisque sese macerabat; opes, quas parentes ei reliquerant, pauperibus erogavit. Quamvis autem in obsecrationibus domi pernoctaret, mane tamen eccl. S. Andreae ingressa, et in angulo abdita, preces fundebat ad Dominum, et coelestibus contemplationibus addicta, mente et animo in Coelo versabatur. Ea re vulgatâ, apud Praesidem accusatur; quae in illius conspectum adducta, cum se Apollinis simulacro sacrificium offerre negaret, capite abscisso, virginitatis palmam martyrii laureâ cumulavit; et in avi fratrisque sui sepulcrum nocte a fidelibus illata est, quarto kalendas novembris, quo anno ignotum. (Ex *Offic. prop. Ecclesiae Bergomensis*).

— Jerosolymis natalis beati Narcissi Episcopi, sanctitate, patientia, ac fide laudabilis, qui centum et sexdecim annorum migravit ad Dominum. (Vide *Surium*, pag. 741).

S. JOANNES Ep. et Conf.

Martyrol. — Augustoduni sancti Joannis Episcopi et Confessoris.

Augustodunum, priscis temporibus *Bibracte*, nunc vulgo *Autun*, Galliarum urbs est, in illo tractu, qui designatur nomine *Saône et Loire*. Sedem episcopalem obtinuit saeculo tertio; primusque, qui ibi sedit, S. Amator fuit. Quonam vero saeculo S. Joannes floruerit, quidque egerit, omnino latet Baronius, qui, ejus vitam scriptam fuisse, ut fertur, a Walfrido, ejus successore, tantum dicit.

S. DONATUS.

Martyrol. — Cassiope in insula Corcyrae sancti Donati, de quo scribit beatus Gregorius Papa.

Corcyra, nunc *Corfù*, insula est maris Jonii. S. Gregorius Magnus ad Alcysonum, Corcyrae Episcopum scribens *(Registro, Lib.* XII, *ep.* 2ª*)*, jubet ut Sacerdotes Isauriae civitatis, qui Cassiopi castrum, in Corcyrana dioecesi situm, injuste pervaserunt, ibi quiete et tranquille vivant, et ut, qui beati *Donati sanctum ac venerabile corpus secum detulerunt, in una Ecclesiarum antedicti loci quam elegerint, sive intus, sive foris, habeant recondendi debita cum veneratione licentiam.* In Epistola vero octava (*Reg., Lib.* XII) ejusdem ad eumdem, praescribitur ut S. Donati reliquiae in ecclesiam sancti Joannis, quae in Cassiopi castro erat posita, deferantur, salvo Isauricis sacerdotibus jure illas secum auferendi, tum cum ad propria redierint. En itaque quid de S. Donato in S. Gregorii Magni operibus habetur; nec aliud invenire nobis fuit datum.

S. THEODORUS Abbas.

Floruit saeculo VI. — Nat. Gallus.

Martyrol. — Viennae depositio beati Theodori Abbatis.

Theodorus, qui Theodarius vel Theuderius, vulgo *Cherf*, rectius appellatur, nobili genere in Viennae Allobrogum * provincia exortus, sanctum Caesarium Arelatensem *(Arles)*

* Vienna Allobrogum, vulgo *Vienne*, S. Mamertis (cujus Vitam lege in Vol. v Surii, pag. 320, etc.) patria, sede archiepiscopali decorata. Ado, celeberrimus Martyrologii scriptor, in hac urbe archiepiscopatum gessit, ac anno 875 e vivis discessit. Quatuor concilia ibi sunt celebrata, quorum postremum (1311-1312), quod inter oecumenica adnumeratur, Templariorum religiosum, militaremque Ordinem abolevit, Bonifacium Pp. VIII *legitimum et orthodoxum* Pontificem declaravit, atque quosdam errores F. Joannis Oliva, Franciscani, anathemate iussit.

Episcopum juventutis suae magistrum nactus est, qui, postquam sanctissime eum instituit, Presbyterum ordinavit, ipsoque suo ministerio aliquamdiu usus est. In patriam reversus, possessionibus et facultatibus omnibus, quas habebat, in eleemosynas erogatis, in solitudinem, ubi aediculam S. Eusebio dicatam construxit, secessit. Cum plurimos ejus exemplum ad eamdem solitudinem attraxisset, is coenobia pro ipsis aedificavit, inter quae celeberrimum est illud S. Symphoriani. Dux et Pastor omnium suorum monachorum, quanta discretione, quantaque sapientia eos gubernaverit, non facile cujusquam lingua explicaret. Ipsum maximi fecit Philippus Archiepiscopus Viennensis, ipsique secreta conscientiae suae retegere solitus erat. Decessit anno circiter 575, cum variis a Deo gratiis et signis mire illustratus esset. (Cfr. Baillet, et *Menologium Benedictinum*).

TERTIO KAL. NOV. OCT. DIE XXX.

SS. CCXX Martyrum.

Martyrol. — In Africa natalis sanctorum Martyrum ducentorum viginti.

De his item Beda, Usuardus et Ado, consentiuntque vetera manuscripta. Ita Baronius.

S. MARCELLUS Centurio M.

Passus est circa annum 298.

Martyrol. — Tingi in Mauritania passio sancti Marcelli Centurionis, qui capitis abscissione martyrium complevit sub Agricolao agente vices Praefecti Praetorio.

S. Marcelli Acta a *Surio*, a Baronio, et recentius inter *Selecta* a Theodorico Ruinartio edita sunt: quae praestat hic integra referre: « In civitate Tingitana (vulgo *Tanger* in *Marrochii imperio*), procurante Fortunato praeside, advenit natalis dies Imperatoris. Ibi cum omnes in conviviis epularentur, atque sacrificarent, Marcellus quidam ex Centurioribus legionis Trajanae, profana reputans illa convivia, rejecto etiam cingulo militari coram signis legionis, quae tunc aderant, clara voce testatus est, dicens: *Jesu Christo Regi aeterno milito.* Abjecit quoque vitem et arma, et addidit: *Ex hoc militare Imperatoribus vestris desisto, et Deos vestros ligneos et lapideos adorare contemno, quae sunt idòla surda et muta. Si talis est conditio militantium, ut diis et Imperatoribus sacra facere compellantur, ecce projicio vitem * et cingulum; renuntio signis et militare recuso.* Stupefacti sunt autem milites ista audientes: tenuerunt eum, et nuntiaverunt Anastasio Fortunato praesidi legionis, qui jussit eum conjici in carcerem. Finitis autem epulis, residens in consistorio praecepit introduci Marcellum centurionem. Introductoque, Anastasius Fortunatus praeses ei dixit: *Quid tibi visum est, ut contra disciplinam militarem te discingeres, et baltheum ac vitem projiceres?* Marcellus respondit: *Jam die duodecimo kalendarum Augustarum apud signa legionis istius, quando diem festum Imperatoris celebrastis, publice clara voce respondi me Christianum esse, et sacramento huic militare non posse, nisi Jesu Christo filio Dei Patris omnipotentis.* Anastasius Fortunatus praeses dixit: *Temeritatem tuam dissimulare non possum; et ideo referam hoc Imperatoribus et Caesari. Ipse sanus transmittèris ad dominum meum Aurelium Agricolaum, agentem vicem Praefectorum praetorio.* Mittitur sub custodia Marcellus centurio in Mauritaniam Tingitanam ad Aurelium Agricolaum. Die tertio kalendarum Novembrium in civitate Tingitana, introducto Marcello ex Centurionibus, ex officio dictum est: « Anastasius Fortunatus praeses legionis Marcel-

* Vitis Centurionum insigne erat. Cum ipsa milites, qui legibus militaribus non obtemperabant, verberabantur.

lum ex Centurionibus praesentem ad tuam potestatem transmittit. Praesto est epistola super nomen ejus, quam, si praecipis, recito. » Agricolaus dixit: « Recitetur. » Ex officio dictum est: « Miles hic, rejecto cingulo militari, Christianum se esse testatus, coram omni populo in deos et in Caesarem multa blasphema locutus est: ideo eum ad te direximus, ut, quod ex eodem claritas tua sanxerit, jubeas observari. » Recensitis itaque litteris, Agricolaus dixit: *Locutus es haec apud Acta Praesidialia?* Marcellus dixit: *Locutus sum.* Agricolaus dixit: *Quo furore accensus es, ut projiceres sacramenta, et talia loquereris?* Marcellus respondit: *Furor nullus est in eis qui timent Dominum.* Agricolaus dixit: *Singula haec locutus es quae in Actis Praesidialibus continentur?* Marcellus dixit: *Locutus sum.* Agricolaus dixit: *Projecisti arma?* Marcellus respondit: *Projeci: non enim oportet Christianum hominem molestiis saecularibus militare, qui Christo militat.* Agricolaus dixit: *Itaque se habent facta Marcelli, ut haec disciplinâ debeant vindicari.* Atque ita Agricolaus in Marcellum Centurionem dictavit hanc sententiam: « In Marcellum, qui Centurio ordinarius militabat; qui, abjecto publice sacramento, polluisse se dixit, et insuper apud Acta Praesidialia alia verba furore plena deposuit, gladio animadverti placet. » Cum ad supplicium duceretur, dixit Agricolaus: *Nec tibi Deus benefaciat.* Sic enim decebat martyrem ex hoc mundo discedere. Caesus capite occubuit pro nomine Domini nostri Jesu Christi, qui est benedictus in saecula, Amen. »

Multa de illustri hoc Martyre tradunt scriptores Hispani, qui eum sibi ut popularem vindicant. Fertur S. Marcellum patrem fuisse duodecim filiorum, qui omnes, eum imitati, coronam martyrii consecuti sunt.

MARTYROL. — Alexandriae sanctorum tredecim Martyrum, *qui cum* sanctis JULIANO, EUNO et MACARIO passi sunt sub Decio Imperatore.

MARTYROL. — Ibidem sanctae EUTROPIAE Martyris, quae Martyres visitans, cum illis saevissime cruciata, reddidit spiritum.

Videntur omnes hi Martyres vitam pro Christi fide projecisse anno 251. Ait Baronius Graecos de ipsis in Menologio egisse.

S. SATURNINUS MARTYR.

Passus est anno 303.

MARTYROL. — Caràlis in Sardinia sancti SATURNINI Martyris, *qui in* Persecutione Diocletiani sub Barbaro praeside capite truncatus est.

Hujus Martyris, qui *Calari* (vulgo *Cagliari*) martyrii palmam promeruit, Acta manuscripta Baronius se vidisse testatur. Ejus autem passionem, in tribus Lectionibus distinctam, *vide in* Breviarii Romani additamentis, sub die XXIX hujus.

S. MAXIMUS MARTYR.

Circa annum 303.

MARTYROL. — Apameae in Phrygia sancti MAXIMI Martyris sub eodem Diocletiano.

Agunt de eo Graeci in Menologio, ait Baronius.

SS. CLAUDII, LUPERCI ET VICTORII MM.

MARTYROL. — Legione in Hispania sanctorum Martyrum CLAUDII, LUPERCI et VICTORII, filiorum sancti Marcelli Centurionis, qui in persecutione Diocletiani et Maximiani sub Diogeniano Praeside jussi sunt decollari.

De his S. Marcelli filiis, qui Legione (vulgo *Leon*, urbs Hispaniae, episcopalis, olim et Legionis regum sedes) passi sunt, plura leguntur, testatur

Baronius, in *Flore Sanctorum Hisp.*, quanta veritate nobis non est compertum.

Martyrol. — Aegeae in Cilicia passio sanctorum Zenobii Episcopi et Zenobiae sororis ejus, sub Diocletiano Imperatore et Lysia praeside. (Vide *Surium*, pag. 744).

S. THEONESTUS Ep. et Mart.

Anno 425.

Martyrol. — Altini sancti Theonesti Episcopi et Martyris, qui ab Arianis occisus est.

Altinum, vulgo *Altino*, apud Venetias situm est. De S. Theonesto agunt Tabulae ejus Ecclesiae, itemque Sigebertus in Chron. anno 425. Molanus, in additamentis ad Usuardum, haec habet: « Apud Altinum natalis Theonesti Martyris et Pontificis, qui Moguntiae, fidei rectae praedicationem exorsus est, et Albanum ab Arianis trucidatum vidit. »

S. LUCANUS Martyr.

Martyrol. — Parisiis sancti Lucani Martyris.

Tam in Baronio, quam in Molano, dumtaxat haec de Lucano habentur; nec alibi alia comperuimus.

S. SERAPIO Episcopus.

Obiit anno 199.

Martyrol. — Antiochiae sancti Serapionis Episcopi, eruditione clarissimi.

Serapionem Antiochenum nemo in Fastos Christianos retulit ante Adonem. De ejus gestis et scriptis egerunt, inter veteres scriptores, Eusebius in *Hist. Eccles.* (v, 19, etc.), S. Hieronymus in *Script. Eccles.* (xli), et Nicephorus Episc. Constant. in *Chronico;* inter recentiores, Galland in *Bibliotheca* (tom. iii), etc., et Moehler in *Patrologia.* Vir fuit Serapio tam scientia et eruditione quam virtutibus omnibus praeclarissimus. In Montanistas scripsit, ad eorum errores refellendos; epistolam Domnino, qui, persecutione saeviente, judaismum amplexus erat, misit; opus, cujus fragmenta aliqua in Eusebio habentur, composuit, rejiciendi causâ apocryphum S. Petri Evangelium, quod quaedam Ciliciae Ecclesia legebat; et alia scripta, ad pietatem alendam, fovendamque edidit, quae adhuc supersunt. In Concilio Alexandrino, tempore S. Athanasii, ut Nicephorus refert, commendata fuit ejus catholica fides scriptis testata. Quo anno S. Serapio ad coelum migraverit, incertum est; sed probabilius, anno 199. *(Ex Historiis eccles.).*

S. GERMANUS Ep. et Conf.

Saeculo VI. — Italus.

Martyrol. — Capuae sancti Germani Episcopi et Confessoris, magnae sanctitatis viri, cujus animam in hora obitus ejus ab Angelis in coelum ferri sanctus Benedictus aspexit.

Anno 519, S. Germanus a Papa S. Hormisda Constantinopolim missus fuit, ut schisma componeret, quod Anastasii imperatoris Henoticon jamdiu pepererat. Curis, laboribusque sancti Germani pax in illa Ecclesia refloruit. Epistolas, quae ad hanc Constantinopolitanam legationem pertinent, Baronius ex Codice Vaticano descripsit, atque in suis *Annalibus* intexuit; ipsas videre licet in celebri Patrum collectione, a Migné edita. Cum demum ad sedem suam revertisset, ibi S. Germanus placide quievit anno, ut videtur, circiter 544. Animam ejus, luce circumfusam, ab Angelis in coelum efferri S. Benedictus conspexit, ut S. Gregorius Magnus in *Dialogorum* libro ii, cap. xxxv, hisce verbis enarrat: « Cumque vir Dei Benedictus, quiescentibus adhuc fratribus, instans vigiliis, nocturnae orationis tempora praevenisset, ad fenestram stans, et

post obitum S. Joannis cognomento Boni, vocatus est. Suscepto Ecclesiae regimine, in id potissimum incubuit vigilantissimus pastor, ut pessima vitiorum exempla, quae barbari jampridem huic solo incubantes reliquerant, penitus deleret. Tantis porro claruit virtutibus, tantoque apud omnes in honore fuit, ut, cum adhuc in vivis esset, ab omnibus sanctus habitus appellatusque fuerit. Duos annos dumtaxat sedit; et die ultima octobris, anno 657, ut fertur, animam efflavit. Corpus ejus in basilica S. Simpliciani fuit tumulatum. *(Ex Eccl. Mediol. Fastis et Officio prop.).*

Martyrol. — Ratisponae sancti Wolfgangi Episcopi. (Vide *Surium*, pag. 749).

MARTYROLOGIUM ROMANUM

ILLUSTRATUM

MENSE NOVEMBRI

KALENDIS **DIE I.**

MARTYROL. — Festivitas omnium Sanctorum, quam in honorem beatae Dei Genitricis Virginis Mariae et sanctorum Martyrum Bonifacius Papa IV, dedicato templo Pantheon, celebrem et generalem instituit agi quotannis in urbe Roma. Sed et Gregorius item IV postmodum decrevit, eamdem festivitatem, quae variis modis jam in diversis Ecclesiis celebrabatur, in honorem omnium Sanctorum solemniter hac die ab universa Ecclesia perpetuo observari.

Bonifacius PP. IV ab anno 608 usque ad annum 615 pontificatum gessit. Is ab imperatore Phoca *Pantheon* obtinuit. In ejus sepulcrali inscriptione versus sequentes leguntur:

Gregorio IV jacet hic Bonifacius almus,
Hujus qui sedis fuit aequus Rector et aedis,
Tempore, qui Focae cernens Templum fore Romae
Delubra cunctorum fuerunt quae Daemoniorum,
Hoc expurgavit, Sanctis cunctisque dicavit.

Gregorius PP. IV ab anno 827 usque ad 844 sedit. *Pantheon* excitatum fuit a Marco Agrippa tertium consule, Augusti tempore, ante Christi adventum anno 25. Ita nuncupatum fuit, vel quia in simulacris Martis et Veneris multas deorum imagines acciperet, vel quia forma ejusdem convexa fastigiatam coeli similitudinem ostenderet. Plinius testatur fanum hoc Jovi Ultori fuisse dicatum. Post christianam consecrationem, *Pantheon* appellatum fuit *S. Maria ad Martyres*, vel, vulgo, ab ejus forma, *S. Maria Rotunda.*

MARTYROL. — Tarracinae in Campania natalis sancti CAESARII Diaconi, qui diebus multis in custodia maceratus, postea cum sancto Juliano Presbytero in saccum missus, in mare praecipitatus est. (Vide *Surium*, pag. 21).

— In castro Divione sancti BENIGNI Presbyteri, qui a beato Polycarpo missus in Galliam ad praedicandum Evangelium, postquam sub Marco Aurelio Imperatore a Terentio judice gravissimis tormentis multipliciter est affectus, tandem collum ejus vecte ferreo tundi, et corpus lancea perforari jussit. (Vide *Surium*, pag. 18).

— Eodem die sanctae MARIAE ancillae, quae christianae religionis nomine accusata, sub Hadriano Imperatore diris verberibus afflicta, equulei extensione et ungularum laceratione vexata, martyrium complevit. (Vide *Surium*, pag. 32).

SS. CAESARIUS, DACIUS ET ALII QUINQUE MM.

MARTYROL. — Damasci passio sanctorum CAESARII, DACII et aliorum quinque.

Baronius in *Notis* ad Martyr. haec

tantummodo subjungit: « Agunt de his etiam Graeci hac die in Menologio; » nec alia reperire mihi datum fuit.

SS. JOANNES Ep. ET JACOBUS Presbyter MM.

Passi sunt circa annum 344.

Martyrol. — In Persia sanctorum Martyrum Joannis Episcopi et Jacobi Presbyteri sub Sàpore Rege.

✠ Graeci de iisdem in Menologio agunt. Baronius porro in *Annalibus* ipsorum nomina tantum recitat.

SS. CYRENIA ET JULIANA MM.

Martyrio decoratae anno 305.

Martyrol. — Tharsi sanctorum Cyreniae et Julianae sub Maximiano Imperatore.

Acta harum Martyrum testatur Baronius certis consignata fuisse Consulibus. De eisdem agunt Graeci in Menologio.

S. AUSTREMONIUS Episcopus.

Saeculo I.

Martyrol. — Arvernis sancti Austremonii primi ejusdem civitatis Episcopi.

Austremonius vulgo appellatur *Austremoine.* Unum e 70 discipulis Christi, aut certe a S. Petro Apostolo in Gallias missum fuisse, inter alios, testatur S. Gregorius Turonensis. Urbico sibi in successorem adscito, Iciodorum (vulgo *Issoire*) secessit, ubi mortuus et sepultus fuit. (S. Gregor. Turon. *De Gloria Confessorum, caput* xxx).

Martyrol. — Parisiis depositio sancti Marcelli Episcopi. (Vide *Surium,* pag. 26).

Martyrol. — Bajocis sancti Vigoris Episcopi, tempore Childeberti Francorum Regis. (Vide *Surium*, pag. 34).

S. SEVERINUS Monachus.

Saeculo incerto.

Martyrol. — Tibure sancti Severini Monachi.

Ejus meminerunt Beda, Usuardus, Ado et alii. Conditum esse ejus venerabile corpus Tibure ad S. Laurentii affirmat Baronius.

S. MATHURINUS Confessor.

Probab. saeculo IV floruit.

In pago Wastinensi, in ea scilicet Galliarum regione, quae vulgo *Gâtinais* nuncupatur, diem suum obiit.

Videtur is primum idolorum cultor fuisse. Caeterum, ejus gesta valde sunt obscura incertaque.—*Mathurini* vocati fuere Fratres Ordinis S. Mariae de Mercede Redemptionis Captivorum, postquam ipsis Ecclesia, quae in Parisiorum urbe erat, S. Mathurino dicata, anno 1128, fuit concessa.

QUARTO NONAS DIE II

Martyrol. — Commemoratio omnium fidelium Defunctorum.

Non recenter statutum fuit in Ecclesia, ut pro Defunctis commemorationes anniversariae agerentur. Ex majorum traditione, inquit Tertullianus *De coron. milit.*, pro Defunctis annua die facimus. De iisdem Anniversariis repeti consuetis S. Gregorius Nazianzenus in Oratione in Funere Caesarii fratris haec ait: « Alia persolvimus, alia daturi sumus, anniversarios enim honores et commemorationes offerentes, et ii quidem certe qui superstites relinquentur. » Satisque sit modo tum ex Latino, tum ex Graeco Auctore haec monstrasse, ut tam in Occidentali, quam in Orientali Ecclesia isthaec pie religioseque servari consuevisse intelligantur. Ut autem una eademque die universalis


U.C. BERKELEY LIBRARIES
C031149189

